ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI

OPERA OMNIA

TOMUS QUINTUS

IN PSALMOS EXPLANATIO

CONCIONES SACRAE

http://www.obrascatolicas.com

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

S. R. E. CARDINALIS

IN PSALMOS

EXPLANATIO

Editio prima neapolitana iuxta Venetam anni MDCCXXI.

TOMUS QUINTUS

EMINENTISS. CARDINALI

XISTO RIARIO SFORZA

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

DICATA

NEAPOLI
APUD JOSEPHUM GIULIANO EDITOREM
—
1860

http://www.obrascatolicas.com

STABILIMENTO TIPOGRAFICO
Strada S. Sebastiano n. 51.

BEATISSIMO PATRI

AC DOMINO

PAULO QUINTO

PONTIFICI MAXIMO

ROBERTUS S. R. E. CARDINALIS BELLARMINUS

Cum primum ex Ordine Religioso ad Cardinalatum, imperio sanctae memoriae Clementis VIII. Pontificis Maximi, vocatus sum, mecum ipse cogitare coepi, studium contemplationis rerum sacrarum, ob auctas publicas occupationes non esse facile deserendum. Et cum ambigerem, quid potissimum ex corpore sanctarum Scripturarum mihi desumerem, in quo meditando et explanando laborarem; obtulit se liber psalmorum, quem Ecclesiastici omnes quotidie legunt, et pauci admodum intelligunt. Neque terruit me multitudo eorum, eui in psalmis elucidandis egregie desudarunt; quoniam tanta est psalmorum obscuritas, ut nullus labor in iis explanandis supervacaneus videri possit. Quare horas illas, quibus a publica functione vacabam, ac praesertim nocturnae quietis tempora in meditatione Davidicorum hymnorum non sine animi voluptate, et utilitate consumpsi. Et quamvis toto triennio quo Capuae Archiepiscopus fui, et Romae postea in scribendis variis opusculis occupatus, integris saepe mensibus opus inchoatum intermiserim: tandem tamen hoc anno psalmorum explanationem ad exitum, Domino adjuvante, perduxi. Propositum vero meum non fuit, omnes aliorum explicationes, praesertim recentiorum, considerare, vel libros eorum evolvere, multo etiam minus aliorum scripta in commentarios meos transferre; sed brevitati, et perspicuitati studere vulgatam latinam editionem pro viribus defendere, et spirituali mentis refectioni, ac piae devotioni consulere. Inde factum est, ut omnes psalmi satis dilucide, nisi fallor, explicati, sed non omnes aeque fuse tractati a nobis sint: et fortasse non deerunt, quibus aliquid valde breviter, et jejune, ut nonnulli ex primis; alii multo plenius, et uberius; pauci vero nimis copiose expositi videbuntur. Sed non eadem semper adfuit spiritualis devotio, non eadem semper mentis alacritas, et psalmorum ego tractationem magis propria meditatione, quam multa librorum lectione composui. Id quicquid sit, Sanctitati tuae (Pater Beatissime) offerendum censui, tum ut Tibi qui Pater, et Dominus meus es, constet ratio temporis a me consumpti, non solum in publicis, et notis functionibus sed etiam in privatis, et secretis occupationibus; tum ut si quid forte errati in hac mea postrema, ut arbitror, scriptione irrepserit; Tu qui judex, Christi loco, toti Ecclesiae praesides benigne corrigas. Ego vero Deum precabor, ut det Sanctitati tuae diu vivere feliciter in terris, et felicissime semper in coelis.

http://www.obrascatolicas.com

PRAEFATIO

Antequam ad explicationem singulorum psalmorum veniamus, pauca quaedam explicanda esse videntur. Primo de excellentia psalmorum. Secundo de vocibus psalmi, et psalterii. Tertio de divisione, et ordine psalmorum. Quarto de Auctore. Ac excellentia quidem potest intelligi tum ex materia, tum ex forma et genere scriptionis. Est enim liber psalmorum quasi compendium, et summa totius veteris instrumenti quidquid enim Moyses vel in historia tradidit, vel in lege praecepit, et quidquid Prophetae caeteri vel exhortando ad virtutes, vel praedicendo futura scripserunt, id totum in psalmis David brevissime comprehendit. Nam in psalmo 8. 77. 103. 104. 134. et aliis, creationem mundi, res gestas Patriarcharum, captivitatem Aegyptiacam, plagas Aegypti, peregrinationem populi in deserto, ingressum in terram promissionis, et alia id genus luculenter exponit in psalm. 118. legem divinitus traditam miris laudibus effert, atque ad eam custodiendam omnes inflammat. In Psal. 2. 15. 21. 44. 68. 71. et aliis Christi regnum, ortum, praedicationem, miracula, passionem, resurrectionem, ascensionem, Ecclesiae propagationem ita manifeste praedicit, ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur. Denique in psalm. 1. et sequentibus fere omnibus, hortatur ad virtutes, retrahit a vitiis, invitat, allicit, minatur, terret; atque haec omnia non simplici narratione complectitur, sed vario carminum genere, phrasibus poeticis, et metaphoris plurimis, et admirabilibus, denique novo quodam genere dicendi ita rapit animos in amorem et laudem Dei, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani, audirive possit. Itaque recte s. Basilius scribit in explicatione primi psalmi, Davidis psalmos etiam ex corde lapideo lachrymas elicere: recte etiam s. Joan. Chrysostomus in explicatione psalmi 137. affirmat, eos qui psalmos rite canunt, cum Angelis choreas ducere, et quasi cum eis de Dei laudibus, et amore contendere.

Venio ad voces *psalmi*, et *psalterii*. *Psalterium* apud nostros librum psalmorum significat: sic enim s. Augustinus hanc vocem accepit in epist. 140, ad Audacem, cum ait, *Psalterium, a s. Hier. translatum ex hebraeo non habeo*: sic etiam s. Hier. in epist. ad Sophronium de ordine et titulis psalmorum, *Scio*, inquit, *quosdam putare psalterium in 5. libros esse divisum*. Sed in Scripturis sanctis *psalterium*, est instrumentum musicum decem chordis instructum, quod Hebraice dicitur נבל *nebel*. Tradunt autem s. Basilius in explicatione primi psalmi, et s. August. in explicatione psalmi 32, psalterium hoc differre a cithara, et lyra; quod cithara, et lyra, reddunt sonum a parte inferiore; psalterium a parte superiore. Addit s. Hilar. in prologo psalmorum, psalterium fuisse instrumentum rectum, sine ulla obliquitate. De hoc instrumento frequentissima mentio est in sacris litteris, et de eo dicitur in ps. 32. *in psalterio decem chordarum psallam tibi*. Psalmus Hebraice, מזמור *mizmor*, significat *cantum* sive *sonum*: deducitur enim a verbo, זמר *zamar*, quod et *canere* et *citharam*, sive *psalterium pulsare*, significat: eodem prorsus modo, quo verbum ψαλλω apud Graecos. De significatione psallendi manibus, videlicet pulsando instrumentum, habemus illud 1. Reg. 16. *Quaerent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras*. Atque hoc idem habetur cap. 17. 18. et alibi. De significatione psallendi voce, videlicet canendo, habemus illud in psal. 32. *Bene psallite ei in vociferatione*; et apud Apostolum 1. Cor. 14. *Psallam spiritu, psallam et mente*, idest, psallam spiritu oris, canendo voce corporali laudes Dei et psallam spiritu cordis, desiderando et amando gloriam ejusdem Dei. Hoc autem interest, sancto Hilario, ei sancto Joanne Chrysostomo auctoribus in prologo psalmorum, inter *psalmum*, et *canticum*, et *psalmum cantici*, et *canticum psalmi*, quod *psalmus* est sonus organi solius sine ulla voce hominis cantantis; *canticum*, est vox cantantis hominis absque organi modulatione: *psalmus cantici* dicitur, cum cantico praecinente psalmi sonus subsequitur; *canticum psalmi*, cum sonitu praeeunte, aemula vox canentis auditur. Porro psalmi Davidis non quemcumque cantum vel sonum designant; sed eum, quo vel Dei laudes, vel preces ad Deum, vel cohortatio ad virtutem; non autem inanes fabulae, vel lascivi amores, aut principum adulationes concinuntur. Hinc enim liber psalmorum inscribitur Hebraice, ספר תהילים *sepher thehillim*, id est, *liber hymnorum*, sive *laudum divinarum*: et post finem psal. 71. quem ultimum omnium David cecinit, legimus *defecerunt* תפלות *thephilloth David*, idest, *orationes Davidis*. Psalmi enim, ut plurimum continent vel Dei laudes, vel orationes ad Deum, vel utrumque simul: quamvis etiam nonnulli sint, qui in cohortandis hominibus ad virtutem toti consummantur, ut primus, et secundus.

Jam vero quod attinet ad divisionem, et ordinem psalterii partiuntur Hebraei psalterium in libros quinq; s. Hieronymo teste, tum in prologo Galeato, tum in epistola ad Sophronium supra citata: ubicumque enim ad finem psalmi scribitur, *amen*, *amen*, ibi terminari librum existimant; scribitur autem, *amen*, *amen*, ad finem Psal. 40. 71. 88. et 105. quibus quatuor libris addunt quintum a 106. usque ad 150. Sed haec Hebraeorum traditio non est conformis Scripturis sanctis, et ideo ab eodem s. Hieronymo refutatur in epistola, quam supra notavimus ad Sophronium, et a s. Hilario in prologo psalmorum. Inscriptio enim psalterii tum in bibliis hebraicis, tum in editione septuaginta interpretum est, *liber hymnorum*; et Luc. 20. Dominus ipse

http://www.obrascatolicas.com

loquitur dicens, *Dixit David in libro psalmorum, dixit Dominus Domino meo;* et Actorum 1. loquitur s. Petrus, et ait, *Scriptum est enim in libro psalmorum, fiat commoratio eorum deserta*, etc. Porro psalmorum ordo non est accommodatus tempori, quo scripti sunt. Satis enim constat, psalmum 3. scriptum fuisse, quando David fugiebat persecutionem Absalonis filii sui, psalmum vero 50. multo antea fuisse scriptum; quando videlicet idem David reprehensus fuit a Nathan ob crimen adulterii et homicidii: psalmum autem 141. adhuc antea scriptum fuisse, quando nimirum idem David in spelunca ob metum Saulis regis delitescebat: psalmum quoque 143. scriptum fuisse longe antea, quando scilicet David cum Goliath gigante pugnavit: denique probabile est, ac fere certum, psalmum 71. esse omnium postremum ordine temporis, cum scriptus sit in Salomonem jam regnare incipientem, et post eum psalmum addatur, *Defecerunt laudes David filii Jesse:* et tamen videmus hunc psalmum non in ultimo loco, sed fere in medio constitutum. Cur ergo ita dispositi sint psalmi, ut eos nunc habemus, non est facile divinare. Non est tamen rejicienda illorum opinio, vel suspicio, qui volunt primos quinquaginta psalmos, quorum ultimus est *Miserere mei Deus*, pertinere ad poenitentes, sive incipientes: alteros quinguaginta, qui desinunt in psalmum, *Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine*, pertinere ad justos proficientes, postremos quinquaginta, quos concludit psalmus, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, pertinere ad viros consummatos, atque perfectos, sive psalmos ita disposuerit Esdras, ut videtur sentire s. Athanas. in synopsi: sive septuaginta interpretes, ut s. Hilarius docet in prologo psalmorum.

Restat quaestio de auctore psalmorum. Duae sunt autem veterum Patrum sententiae; nam s. Athanasius in synopsi, s. Hilarius in prologo psalmorum, et s. Hieronymus in epistola ad Sophronium de ordine psalmorum, et in epistola ad Cyprianum de expositione psalmi 89. varios esse censent auctores psalmorum, eos videlicet omnes, qui nominantur in titulis, *Davidem, Mosem, Salomonem, Asaph, Idithun*, et alios. Contra vero s. Joan. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et Cassiodorus in praefatione commentariorum in psalmos, et s. August. lib. 17. de civit. Dei cap. 14, psalmorum omnium unum Davidem auctorem agnoscunt. Nobis tria sunt certa. Primum, auctorem primarium omnium psalmorum esse Spiritum sanctum: id enim testatur Apostolus Petrus Act. 1. et Apostolus Paulus ad Heb. 3. et ipse David 2. Reg. 23. dicit, *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam*, et in Ps. 44. *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis:* ergo sive David, sive Moses, sive quis alius psalmos condiderit, ipsi quidem quasi calami fuerunt, sed Spiritus sanctus fuit, qui per eos scripsit; quid vero necesse est laborare de calamo cum de scriptore constat?

Secundo, certum mihi videtur, maximam partem psalmorum esse Davidis: nam in fine ps. 71. legimus, *defecerunt laudes David filii Jesse;* item lib. 2. Reg. cap. 29. dicitur, *David egregius psaltes Israel*: denique in 2. Paralip. cap. 5. dicitur, *cantores ordinatos fuisse, ut canerent psalmos quos fecit David*. Tertio, pro comperto mihi habere videor, eos psalmos, qui carent titulo, esse Davidis, ut etiam omnes illos, qui nomen *David* in titulo praeferunt, sive scriptum sit, *ipsius David*; sive, *ipsi David*: nam psalmus 2. caret titulo, et tamen Act. 4. Apostoli affirmant, eum psalmum a Davide fuisse compositum: et psalmus 94. caret titulo apud Hebraeos; et Apostolus Heb. 4. tribuit eum Davidi. Deinde psalmi, qui in Hebraeo codice carent titulo, in Graeco textu adscribuntur Davidi: proinde credibile est, excidisse titulos ex codice Hebraeo, qui in eo aderant, cum septuaginta interpretes scripturas hebraicas in graecum idioma transferrent. Denique regula Hebraeorum, qui dicunt, psalmum qui caret titulo esse illius auctoris, qui scripsit praecedentem, falsa esse convincitur: nam secundum eam regulam 1. et 2. psalmus nullius esset, cum uterque careat titulo: praeterea psalmus 89. adscribitur Mosi, et decem psalmi consequentes, qui titulo carent eidem Mosi adscribi deberent. At id fieri non potest cum in psalmo 98. mentio fiat Samuelis, qui satis longo tempore post obitum Mosis natus est. Vide plura de hac re in explicatione tituli psalmi octogesimi noni. Quod autem non soli illi psalmi Davidis sint, qui habent in titulo, *ipsius David*, sed etiam illi qui habent, *ipsi David*; probat s. Augustinus ex psalmo 109, qui habet τῷ Δαυὶδ, *ipsi David*, et tamen Dominus Matt. 24. dicit, *Quomodo David vocat eum Dominum, dicens, dixit Dominus Domino meo*. Atque haec quidem de auctore psalmorum certa mihi esse videntur. De reliquis psalmis, qui titulum praeferunt *Mosis*, aut *Salomonis*, aut *Asaph*, aut *Idithun*, aut *Ethan*, aut *filiorum Core*; probabilem censeo sententiam s. Athanasii, Hilarii, et Hieronymi, sed probabiliorem Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, et aliorum, qui eos secuti sunt. Cur autem sententiam posteriorem praeferendam putem, ratio est, quia est communior, et fuit etiam communior ante annos mille. Id enim testantur s. Augustinus lib. 17. de civitat. Dei cap. 14. et Theodoretus in praefatione psalmorum. Item quia satis constat, Asaph, Idithun, Ethan, et filios Core fuisse cantores potius quam prophetas; et psalmos illis tribui in titulo, quia dabantur illis ad canendum, non quod ipsi eos composuissent, quod ex eo intelligi potest, quod in eodem titulo aliquando ponitur nomen *David* et *Idithun*, sive alterius, ut videre est in titulo psalmi 38. 61. 64. 136. 137. et 138. Accedit postremo, quod Luc. 20. cum Dominus ait, *Dixit David in libro psalmorum*: visus est totum librum psalmorum Davidi tribuere.

PSALMUS PRIMUS

ARGUMENTUM

Primus psalmus titulo caret apud Hebraeos, nec desunt qui putent eum esse Esdrae, qui psalmos in ordinem digessit, sed communiter tribuitur Davidi ab Ambrosio, Hilario, Basilio, Augustino, et caeteris. Ipse etiam sanctus Hieronymus, qui alioqui multos facit auctores psalmorum, hunc primum psalmum Davidis esse dicit in epist. ad Paulinum *de studio Scripturarum*. Denique in textu graeco additus est titulus sive a Septuaginta, sive ab aliis, *David prophetae, et regis melos*. Aptissime autem ponitur hic psalmus in primo loco, quia de beatitudine tractat: beatitudo enim est fundamentum, et principium doctrinae moralis. Argumentum igitur psalmi est ostendere beatitudinem sive in spe, sive in re non contingere nisi hominibus justis, proinde justitiae dandam esse operam, ut ad beatitudinem perveniamus.

EXPLICATIO PSALMI PRIMI.

1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.*

In primo, et secundo versiculo Propheta docet beatitudinem, quatenus in hac vita haberi potest, non consistere in alia re, quam in vera justitia. Quod ipsum docet Apostolus ad Rom. 14. *Non est Regnum Dei esca, et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto*. Soli enim homines vere justi, sunt amici Dei, imo et filii, ac per hoc haeredes regni, et spe beati quod attinet ad perfectissimam foelicitatem, et hic interim solido gaudio, et pace, quae exuperat omnem sensum, perfruentes. Describit autem in primo versu hominem justum per negationem, in secundo per affirmationem, ac si breviter dixisset, illum esse justum, ac per hoc beatum, qui declinat a malo et facit bonum.

Illud autem hoc loco diligenter notandum, et memoriae commendandum est, consuetudinem Davidis, et aliorum prophetarum esse, ut idipsum bis repetant, ita ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius. Exempli gratia, Exod. 15. in Cant. Mosis: *Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus patris mei, et exaltabo eum*. Deuter. 32. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum*. Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Haec frequentissime occurrunt, cum sit haec repetitio genus ornamenti proprium sanctorum Prophetarum. Prima igitur pars primi versiculi hanc sententiam continet, beatum esse illum, qui non praevaricatur legem Dei. Sed poëtico more David hanc sententiam expressit per metaphoram viae, et ambulationis. *Beatus*, inquit, *vir, qui non abiit in consilio impiorum*, id est, ille beatus est, qui justus est; ille autem justus est, qui non abiit in consilio impiorum, id est, qui in via vitae non est secutus consilia, leges, sententiam impiorum, quae sunt omnino contraria viae Dei, id est, legi Dei. Altera pars ejusdem versiculi idipsum explicat aliis verbis idem significantibus. Nam cum dicit, *et in via peccatorum non stetit*, non significat, et in via peccatorum non substitit, sed et in via peccatorum non ambulavit. Stare enim in via, hoc loco, non est quiescere, et non ambulare, sed est ambulando non recedere a via inchoata. Itaque idem est, non abire in consilio impiorum, et non stare in via peccatorum: utrumque enim significat illum esse justum, qui recedit a via, id est, lege, et consiliis peccatorum. Et quoniam lex Domini solvitur, non solum male vivendo, sed etiam male nocendo, juxta illud Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno coelorum*. Ideo Propheta adjungit, *et in cathedra pestilentiae non sedit*, id est, ille est justus, ac per hoc beatus, qui neque operibus, neque doctrina legem Domini praevaricatur. Sedere enim in cathedra pestilentiae, est esse in consessu hominum pestilentium, sive assidere pestilentibus, et cum eis legem Domini despicere, quasi nihil conducat ad beate vivendum, id est, cum gaudio et laetitia, sed utilius sit carnis desideria perficere, sensibusque in omnibus indulgere. Vox sedentium in cathedra pestilentiae describitur Malachiae 3. illis verbis: *Vanus est, qui servit Deo,*

http://www.obrascatolicas.com

et quod emolumentum, quia custodivimus praecepta ejus? Quod ad verba attinet, pro voce *beatus*, in hebraeo habetur, אשרי *ascre*, quae vox habet formam numeri multitudinis, et ideo a nonnullis recentioribus vertitur *beatitudines viri* etc. Sed probabilius est vocem illam esse indeclinabilem, et significare, tum beatum, tum beatitudinem: nam non solum Septuaginta verterunt μακάριος ἀνὴρ, id est. *Beatus vir*: sed etiam s. Hieronymus vertit ex hebraeo, *Beatus vir*. Pro cathedra pestilentiae, in hebraeo habetur ad litteram, cathedra לצים *Lezim*, id est, derisorum, sed sensus est omnino idem. Nulla enim est pestilentia major, quam deridere legem Dei, et eos, qui juste, ac pie vivere student. Ad extremum notat s. Basilius, per id, quod dicitur, *beatus vir*, non excludi foeminas a beatitudine, sed includi, quoniam vir caput est mulieris, et in capite intelliguntur etiam membra.

2. *Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.*

In hoc secundo versiculo describitur justus per affirmationem, et sunt hic etiam duae partes, quarum una est fere alterius repetitio. Recte autem dicitur is esse justus, sive beatus, cujus voluntas est in lege Domini, quoniam non requiritur ad justitiam hujus vitae, ut nulla in re offendamus, cum scriptum sit Jacob. 3. *In multis offendimus omnes*, sed satis est, si ita simus affecti erga legem Domini, ut cupiamus eam omnino perficere, et si forte labimur in aliquod peccatum, ut certe saepe labimur, id sit praeter voluntatem bonam, id est, praeter charitatem, quam habemus ad Deum, et ad legem ejus, non autem contra charitatem; proinde peccatum sit, non crimen, id est, veniale, non lethale. Idem aliis verbis habetur in alio psalmo: *Lex Dei ejus in corde ipsius*. Nam et voluntas, sive cor justi est in lege Dei, et lex Dei est in voluntate, sive corde justi. Lex est in corde, ut in sede, et cor in lege, ut in re armata, quae semper cogitatur, et appetitur. Atque hoc est, quod sequitur, *et in lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Id enim est legem esse in voluntate, sive voluntatem in lege, perpetuo mentem exerceri in ea cogitanda et amanda, ut quidquid agendum sit, secundum eam regulam fiat. Itaque illud, *die ac nocte*, non significat, non posse hominem justum vacare, vel ad punctum temporis a contemplatione divinae legis, sed frequentissime debere animum ad legis praecepta revocare, ejusque memorem semper esse, dum aliquid cogitandum, dicendum, faciendum occurrit, in quo periculum sit, ne justitia violetur. Porro non solum latina vox *meditabitur*, sed etiam graeca, μελετήσει, et hebraica יהגה *ieghe*, referri possunt ad exercitium sive cogitationis, sive vocis, sive operis, psal. 34. *Lingua mea meditabitur justitiam tuam*, et psal, 36. *Os justi meditabitur justitiam*. Poeta quoque profanus dixit, *Meditabor arundine carmen*. Et exercitia militum, militares meditationes dicebantur. Itaque sensus est, *et in lege Domini meditabitur die ac nocte*, id est in lege Domini cogitanda, perficienda, docenda assidue exercebitur.

3. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*
4. *Et folium ejus non defluet, et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.*

Declaravit Propheta, quis sit dicendus vere justus: nunc declarat talem justum esse beatum, spe in hoc saeculo, re in futuro. Sumitur autem declaratio a similitudine arboris, quae plantata juxta rivos aquarum habet omnia, quae in arbore foelicissima requiri possunt. Nam aliquae arbores sola folia producunt, et ea non diu retinent, aliae alia producunt, et semper ritinent, sed fructus earum, vel nimis praecoces sunt, vel nimis serotini; aliae denique fructus edunt tempore suo, et foliis semper vestiuntur, sed non omnes fructus ad maturitatem perducunt; solae igitur illae arbores omni ex parte perfectissimae sunt, quae folia, fructusque producunt, et folia semper retinent, et omnes omnino fructus tempore suo maturos praestant. Tales arbores sunt pini, palmae, oleae, quibus Scriptura justos homines passim comparare solet. His igitur foelicissimis arboribus similes esse dicit justos hoc loco Propheta. Nam justi *fundati et radicati*, ut ait Apost. *in charitate*, propinqui sunt per amicitiam fonti vivo unde humorem gratiae semper trahunt; et opera bona tempore opportuno faciunt, et omnia eis cooperantur in bonum, et semper virent gloria et honore. Quamvis enim interdum a carnalibus despiciantur, tamen a sapientibus, et quod majus est ab Angelis, et ab ipso Deo honorantur. Et haec quidem in hoc saeculo; sed praeterea fructus faciunt in tempore suo, quia salutem veram operantur tempore congruo recipiendam, id est, post mortem, cum impii ante tempus in hac vita foelicitatem quaerant, et sic temporalem, et sempiternam amittant. Et folia semper retinent, quia accipient, juxta verbum Apostoli Petri 1. *Immarcescibilem gloriae coronam*; et, *in memoria aeterna erit justus*. Psal. 111. Et denique *quaecumque faciet, prosperabuntur*, quia opera omnia usque ad calicem aquae frigidae datum in nomine discipuli, plenam, ac perfectam mercedem accipient. Scio textum hebraicum in Bibliis modernis unum tantum versum ex his duobus facere, et priorem partem versus terminare ad illa verba, *et folium ejus non defluet*. Ex qua distinctione adducti nonnulli, verba illa, *et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur*, non exponunt de arbore vera, sed solum de homine justo. Sed nos sequimur lectionem hebraicam, quae est in operibus sancti Hieronymi, cui concordant codices Graeci et latini. Et certe secundum nostram lectionem similitudo ab arbore sumpta est multo pulchrior et plenior. Illud etiam observandum est hoc loco, verbum, *prosperabuntur*, in hebraeo esse, יצליח *Jazliach*, quod proprie significat, prosperare faciet. In quo notatur virtus activa arboris, quae concurrit ad maturandos omnes fructus, et pari ratione notatur in applicatione similitudinis virtus activa liberi arbitrii, quae concurrit cum gratia Dei

ad opera meritoria. Quod est adversus dogmata Lutheranorum.

5. *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terrae.*

Ex comparatione miseriae impiorum confirmat Propheta felicitatem justorum. Ne quis enim existimaret, illa bona communia esse omnibus, et ex causis naturalibus tantum provenire, et non praecipue ex providentia Dei, addit, *Non sic impii*, id est, non eamdem sortem, sed contrariam omnino recipient. Elegantissime vero Propheta describit miseriam impiorum, eamque opponit felicitati justorum. Justi ob humoris divini copiam virent, et fructum faciunt, nec unquam virorem suum, aut laborum fructum amittunt. Contra, impii divino illo humore destituti, aridi, et steriles instar levissimi pulveris a vento dispersi, ne vestigium quidem sui relinquunt; nec solum omnem gloriam, opes, et voluptates perdunt, sed etiam ipsi pereunt in aeternum. In textu hebraico non habetur illa repetitio, *non sic*, neque aliud, *a facie terrae*. Sed haec addita sunt a septuaginta Interpretibus explicandi, vel ornandi gratia. Vocabulum item pulveris non est עפר; *haphar*, quod proprie pulverem significat in genere, sed est, מוץ *mots*, quod significat *glumam*, id est, speciem pulveris ex tritura paleae, paleam videlicet minutissime contritam, et quasi in pulverem redactam, quae levissima est, ut eam modicus flatus procul abigere possit.

6. *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.*

Recte in editione Sixti v. et Clementis viii. positum est, *non resurgent*, cum in plerisque codicibus haberetur, *non resurgunt*. Nam ex hebraeo, graeco, chaldaeo, et emendationibus manuscriptis satis aperte colligitur, legendum esse, *non resurgent*. Illud autem, *in concilio justorum*, positum est ex hebraeo, nam in graeco, et manuscriptis latinis constanter legitur, *consilio*. Potuit quidem fieri, ut ex similitudine nominum, fuerit in latinis codicibus positum, consilium, pro concilio; sed potuit etiam fieri, ut in hebraicis codicibus irrepserit, עדה *hada*, pro עצה *haza*, id est, concilium pro consilium. Certe septuaginta Interpretes, qui eodem modo verterunt in primo versu, et in sexto, utrobique ponentes βουλή, videntur eamdem vocem hebraicam in utroque loco legisse. Itaque utraque lectio probanda videtur, una ob auctoritatem vulgatae editionis, quae cum hebraeo concordat, altera ob auctoritatem septuaginta Interpretum, quorum vocabulum βουλή ubique ipsa vulgata latina editione consilium non concilium vertitur. Declarat igitur hoc loco Propheta, discrimen justorum, et impiorum in novissimo judicio perspicue manifestandum. Nam hoc tempore saepe accidit, ut omnia confundantur. Ait igitur, *ideo non resurgent impii in judicio justorum*, Illud enim, *justorum*, ad utramque partem versiculi pertinet, sicut etiam illud *non resurgent*, non solum refertur ad illud, *in judicio*, sed etiam ad illud, *in concilio*, et idem fere est, *non resurgent impii in judicio justorum*, et non resurgent peccatores in concilio vel consilio justorum. Itaque cessat quaestio illa, quam nonnulli hoc loco pertractant, cur dixerit Propheta, *non resurgent impii in judicio*. Pulchre autem David conjunxit ultima primis: sicut enim dixerat in principio, justos non abiisse in concilio impiorum, et in consessu eorum non sedisse; ita nunc dicit, in die judicii impios non resurrecturos in judicio, et concilio justorum. Sensus igitur hic est, *ideo non resurgent impii in judicio justorum*, id est; longe aliud erit judicium justorum, quam impiorum. Quod explicatur sequentibus verbis, *neque peccatores in concilio justorum*, id est, cum resurgent impii, non erunt in consessu, et consortio justorum, sed judicati ad inferos in coetu damnatorum erunt. Quod si legimus, *in consilio justorum*, poterit consilium accipi pro loco concilii, et tunc in idem recideret cum voce concilio. Et quoniam illud *non resurgent*, ex hebraeo commode verti posset non stabunt, sive non consistent; erit etiam hic sensus, in judicio, et coetu justorum, quando videlicet sancti cum Christo sedebunt judices mundi, tunc peccatores non stabunt, sed cadent. *Justi* autem *stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*. Sap. 5.

7. *Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.*

Reddit rationem cur impii non sint in judicio accepturi justorum gloriam. Quoniam videlicet via justorum approbatur a Deo, qui falli non potest, ac per hoc via est recta et perducens ad civitatem Dei; via impiorum non approbatur a Deo: et qui per eam ambulant, frustra laborant, quia numquam pervenient. Illud *novit*, accipitur pro notitia approbationis; et cum dicitur, *Deus novit viam justorum*, nos certi reddimur, securos esse de vera felicitate, qui per eam viam incedunt. Illud autem, *iter impiorum peribit*, significat ambulationem impiorum frustra esse susceptam, quia per eam viam non pervenitur ad optatum locum. Itaque hoc loco, *iter*, non accipitur pro via materiali, in qua ambulatur, sed pro ipsa ambulatione, ut diximus. Per ambulationem autem intelligitur cursus totius vitae, studia, labores, contentiones, quae omnia nihil impiis proderunt. Hic psalmus potest accomodari omnibus sanctis, sed potissimum, et per antonomasiam Christo, qui praeter omnes homines, et angelos non praevaricatus est legem Dei, sed eam perfecte implevit factus obediens usque ad mortem. Et ideo tamquam lignum plantatum juxta rivos aquarum, habens animam conjunctam hypostatice fonti vivo, qui est Verbum Dei, fons Sapientiae in excelsis, gloria et honore coronatus est, et fructus mirabiles edidit, et ad maturitatem perduxit, omnes videlicet electos vocavit, justificavit, magnificavit.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS II.

ARGUMENTUM

Hic psalmus caret titulo, sed Davidi tribuitur ab Apostolis Actor. 4. Nonnulli psalmum hunc non secundum, sed partem primi esse judicant, propterea quod in actis Apostolorum cap. 13. in quibusdam codicibus citetur hic psalmus sub nomine primi psalmi, sed codices plures, et meliores habent sicut in psalmo secundo scriptum est, et consonat editio graeca, τῷ δευτέρῳ. Est autem totus hic psalmus prophetia de Regno Christi manifestissima et explicata ab Apostolis Actor. 4. cap. 13. et ad Hebr. 1. et 5. ut omnino errare videantur, qui ad litteram de Davide hunc psalmum explicare nituntur.

EXPLICATIO PSALMI II.

1. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?*

David in spiritu praenoscens Messiam venturum et persecutiones multas adversus eum exorturas, et eum tamen felicissime regnaturum, incipit ab increpatione persecutorum; et sensus est, frustra Gentiles, et Hebraeos tum principes, tum populos infremuisse indignatione contra Messiam, et cogitavisse rationem impediendi Regni ejus. In hebraeo primum verbum est praeteriti temporis, secundum futuri: sed quia de re eadem est sermo, septuaginta Interpretes utrumque verbum reddiderunt per tempus praeteritum, et s. Hieronymus utrumque reddidit per tempus futurum. Et quidem sententia semper est vera; nam res ipsa in se futura erat, sed Prophetae quodammodo praeterita, cum eam cernerent quasi praeteritam. Tamen absolute lectio septuaginta Interpretum, et vulgatae editionis praeferenda est, tum quia in Actis Apostolicis cap. 4. legimus in praeterito, *fremuerunt, et meditati sunt*; tum quia ratio exigit, ut significatio primi verbi sit regula significationis *gentium*, cum dicitur, *quare fremuerunt gentes*, videntur intelligendi Gentiles. Nam sic intellexerunt Apostoli Act. 4. et vox hebraea גוים *Goim*, passim in scripturis accipitur pro Gentilibus, sive Ethnicis. Per populos autem, cum subditur, *et populi meditati sunt inania*, intelligendi sunt Hebraei, ut constat ex eodem cap. 4. Act. Verba quoque valde proprie tum Gentilibus, tum populis Hebraeorum accomodantur. Gentiles enim fremuisse dicuntur, quasi animantia rationis expertia; populi Judaici meditati esse inania, quia ipsi consilium inierunt, ut Jesum perderent.

2. *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

Dixerat in genere, gentes, et populos indignatos fremuisse, et inania meditatos, nunc explicat in particulari quae sint illae gentes, et populi, et adversus quem indignati sint, ac dicit, fremitum non coepisse a plebe, sed a capitibus, id est, a regibus, et principibus. Primus enim qui infremuit fuit Herodes rex, ut habemus Matth. 2. qui quidem Herodes alienigena erat, ut inter gentes reputari potuerit. Eum sequuti sunt principes, et populi Judaeorum. Nam Herode turbato *turbata est omnis Hierosolyma cum illo*. Deinde tempore passionis Domini, iterum alius Herodes, Pontius Pilatus cum principibus, et populis Judaeorum in Christum insurrexerunt. Denique post Christi passionem, et resurrectionem semper persecutiones a regibus, sive imperatoribus inchoabantur, et a populis duces suos sequentibus fovebantur. Quamvis autem indignatio, et fremitus proprie contra Christum esset, non contra Deum, imo sub colore gloriae Dei, et quasi ex zelo divini honoris; tamen revera, qui Christum oppugnabant, Deum verum oppugnabant. Christus enim operibus divinis se veri Dei Filium ostendebat, et qui odit filium, sine dubio odit et patrem. Quod attinet ad verba, illud *astiterunt*, proprie in hebraeo significat, sese constituerunt, id est, quasi murum se statuerunt, ut resisterent venienti Messiae: illud autem *convenerunt in unum*, in hebraeo proprie significat, consultaverunt, sive ad capiendum consilium convenerunt simul: quod in Evangelio Herodem, et principes Judeorum contra Christum fecisse legimus; tam autem est aperta haec prophetia, ut non solum Apostoli Act. 4. intellexerint ad litteram de Jesu Christo Domino nostro hunc locum, sed etiam veteres Rabbini, teste R. Salomone in commentario hujus psalmi, exposuerint hunc eumdem locum de vero Messia, quem adhuc caeci, et infatuati expectant.

3. *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.*

Explicat Propheta causam, cur reges, et principes cum gentibus et populis fremuerint, et convenerint adversus Christum. Causa enim est, ne cogerentur servare legem Christi contrariam sensibus carnis, et humanae prudentiae. Itaque verba ista dicuntur in persona regum, et principum impiorum, quasi dicat, *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus*, dicentes inter se, *Dirumpamus vincula eorum*, id est, non sinamus nos

subjici legibus, et imperio Messiae. Pro, *jugum ipsorum*, sanctus Hieronymus vertit, laqueos eorum: verbum hebraicum, עבת *haboth*, significat funes: et videtur Propheta repetere voluisse idem fere vocabulum, ut ordinarie solet id ipsum bis dicere. Itaque septuaginta Interpretes, et s. Hieronymus non tam ad vocabulum, quam ad sensum respexerunt. Sunt autem omnia vocabula metaphorica, sive legem appelles vincula, sive funes, sive laqueos, sive jugum. Explicant autem istae metaphorae naturam legis, qualis est judicio impiorum: impiis enim lex Domini durissimum jugum, et laqueus lethalis videtur, cum viris sanctis eadem lex sit melle dulcior, et desiderabilior auro, et lapidibus pretiosis, ut habemus in psalmo 18.

4. *Qui habitat in Coelis, irridebit eos; et Dominus subsannabit eos.*

Hic jam Propheta demonstrat frustra principes, et populos laborare in oppugnanda Christi religione, quod initio etiam dixerat. Nam religio Christi a Deo est, et Deo resistere non potest. Recte autem dicit, *qui habitat in coelis*, ut ostendat Deum super omnes esse, et omnia cernere, et ideo nullo negotio dissoluturum omnia eorum consilia, et omnes molitiones dissipaturum. Quod autem dicit, dominum irrisurum, et subsannaturum eos, significat eos divino judicio per signa, et prodigia, per martyrum patientiam, per conversionem gentium, et populorum, perque alios modos soli Deo notos, ita confundendos, ut omnium irrisioni, et subsannationi pateant. Id videmus impletum. Nam sacerdotium judaicum et idololatricum nunc ab omnibus irridetur. Carent enim Judaei, et gentiles templis, et sacrificiis; reges quoque gentilium, qui Ecclesiam persequebantur, omnes misere perierunt.

5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.*

Explicat modum, quo Deus persecutores Christi irridendos exposuit, quia nimirum loquutus est ad eos, non verbis, sed verberibus, gravissimis poenis illos admonens, ut patet de Herode ab Angelo percusso, de Maximino vermibus consumpto, et aliis. Non est proprie ira, nec furor in Deo, sed semper cum tranquillitate judicat: sed dicitur per metaphoram irasci, et furere, quando severe punit, et tunc praesertim quando ea punitio non prodest illis ad salutem aeternam: id enim facere solent, qui irascuntur, et furunt, qui non nocent, ut sanent, quomodo medici faciunt, sed nocent, ut noceant. Itaque David, *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Cupiebat enim argui, et corripi, sed paterne, non hostiliter, ad salutem, non ad interitum.

6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.*

Hoc loco dicendum est aliquid de verbis, antequam veniamus ad sensum. Nam in hebraeo codice sic habetur: *Ego autem ordinavi regem meum super Sion montem sanctum meum*: et quamvis non multum referat, quoad sensum, utrum Deus pater dicat, se ordinasse Christum regem, an ipse Filius dicat se ordinatum a Patre: tamen valde probabile est, septuaginta Interpretes legisse paulo aliter quam nunc legimus. Habemus nunc, נסכתי *nasachti*, ordinavi, sed ipsi legisse videntur mutatis tantum punctis, נסכתי *nissacti*, ordinatus sum, quae vox habetur Proverb. 8. ubi legimus *ab aeterno ordinata sum*, et ubi legimus, מלכי *Malchi*, *regem meum*, ipsi legisse videntur מלכו *Malcho*, *rex ejus*, et ubi nos legimus קדשי *Codsci*, sanctum meum, ipsi legisse videntur קדשו *Codscio*, *sanctum ejus*. Et quoniam probabile est septuaginta Interpretes habuisse codices hebraicos valde correctos, inde sit etiam probabile lectionem nostram vulgatam veriorem esse, quam ea sit, quae nunc legitur in codicibus hebraicis. Veniamus nunc ad sensum. Dixerat Propheta adversarios Christi tumultuaturos, et posuerat verba ipsorum, *Dirumpamus vincula eorum*, etc. Ideo nunc introducit ipsum Christum loquentem et quasi respondentem eis, quasi dicat, gentes, et populi nec non reges, et principes dicent, *Dirumpamus vincula eorum*: eos vero Deus irridebit, et Christus ipse ita eis respondebit: Ego ordinatus sum Rex non ab hominibus, sed a Deo, et ideo non timeo minas hominum; ordinatus autem sum Rex super Sion montem sanctum ejus, id est, super Ecclesiam, quae est civitas in monte posita, cujus typus fuit Jerusalem, cujus pars praecipua, et magis a Deo dilecta, et sanctificata est Sion, juxta illud Psal. 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. Haec autem ordinatio mea in Regem, constat ex decreto Dei, quod ego praedicaturus sum, quod enim habemus in nostra vulgata editione, praedicans praeceptum ejus, et in textu hebraico, *enarrabo decretum ejus*, intelligitur de decreto, quo Deus statuit Christi regnum in totum orbem propagandum. Vox hebraea, *chok* חק, significat praeceptum, decretum, statutum, ut patet ex multis locis, sed potissimum ex Psal. 104. *et statuit illud Jacob in praeceptum, et Israel in testamentum aeternum, dicens tibi dabo terram Chanaam*. Ubi praeceptum hebraice est, חק *choc*, et significat decretum Dei de donanda filiis Israel terra promissionis.

7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Hoc est initium, et fundamentum decreti divini. Nam Christo debetur omnis potestas in coelo, et in terra, quia est verus, et naturalis filius Dei. Sunt autem tres hujus loci expositiones, et omnes litterales, et intentae a Spiritu sancto. Prima est de generatione aeterna, quae colligitur ex Apostolo ad Hebraeos I. ubi sic ait: *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hic locus Apostoli non potest intelligi de generatione aliqua creata, ut de nativitate, vel resurrectione secun-

http://www.obrascatolicas.com

dum carnem. Quia per generationem creatam sunt etiam Angeli filii Dei, ut patet ex 1. 2. et 3. capite libri Job. et tamen Apostolus intendit probare Christum esse filium, Angelos autem ministros. Necesse igitur est verba psalmi ab Apostolo citata, intelligi ad litteram de generatione aeterna, ut recte exponit Sanctus August. cui expositioni favet tum vocabulum, *hodie*, quia aeternitas est praesens duratio carens initio, et sine, tum vocabulum *genui*, hebraice, ילד *ialad*, quod significat proprie parere. Deus enim in aeterna generatione matris consortio non indiguit, sed ipse genuit, ipse peperit filium suum unigenitum, juxta illud psalmi 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Altera expositio est de resurrectione Domini, quae colligitur ex eodem Apostolo Act. 13. ubi sic legimus. *Et nos vobis annunciamus eam, quae ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et quadrant optime haec verba in resurrectionem Domini, tum quia resurrectio est quaedam regeneratio, ut habemus Matth. 19. *in regeneratione cum sederit Filius hominis*; tum etiam quia resurrectio Christi fuit a solo Deo, et ipse dicitur *Primogenitus mortuorum*, Coloss. 1. tum denique quia in die resurrectionis coepit gloriosa exaltatio Christi, et manifestatio nominis supra omne nomen, Philipp. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum*; et ipse Dominus dixit Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra;* atque haec est expositio Hilarii, et Chrysostomi. Tertia expositio est de die natalis Domini secundum carnem, quae est sancti Cypriani lib. 2. contra Judaeos cap. 8. et colligitur ex introitu missae in nocte ejusdem natalis. Ecclesia enim accommodat verba psalmi hujus ad mysterium Nativitatis secundum carnem: quoniam generatio illa, singulare opus Dei fuit, ut etiam Angelus Gabriel dixerit, Luc. 1. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et sancti Patres, non solum de divina, sed etiam de humana Christi generatione intelligunt verba illa Isaiae. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Itaque juxta theologos illos, qui docent, in eadem sententia posse inveniri plures sensus litterales, existimamus sensum horum verborum esse, hodie, id est, in die aeternitatis genui te Deus Deum; et hodie, id est, in die natalis tui secundum carnem, genui te, id est, feci ut esses Deus, homo sine semine viri, sine corruptione matris, sine labe peccati; et item hodie, id est, in die resurrectionis tuae genui te, id est, feci divina mea virtute, ut redires ad vitam, eamque immortalem, et gloriosam.

8. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.*

Sententia est apertissima, ac si Deus Pater dicat: quia tu Christe Filius meus es naturalis, et virtute mea incarnatus et a mortuis excitatus, jure potes a me petere imperium in omnes gentes, tamquam haereditatem tuam, et omnem terram usque ad ultimos ejus fines, tamquam possessionem tibi debitam. Sunt autem hic aliqua observanda. Primo, nomen haereditatis in Scripturis accipi pro quacumque re, quae possidetur, ut propria, etiamsi proprie non sit relicta a patre defuncto: et ideo tam populus Dei dicitur haereditas Dei, quam ipse Deus haereditas populi sui. Et quia haereditas proprie dicta solebat dividi inter fratres et plerumque dividebatur sorte, et partes divisae mensurabantur funiculis; ideo pro eodem accipitur haereditas, pars, sors, funiculus, possessio, saepe etiam junguntur duo ex his nominibus, ut Psal. 15. *Dominus pars haereditatis meae*, id est, Dominus est pars, quae mihi haereditate obvenit, et alibi, Deut. 32. *Jacob funiculus haereditatis ejus*, id est populus Israel est haereditas Domini, quam ipse sibi elegit, et quasi funiculo mensus est, et divisit ab haereditatibus aliorum. Itaque hoc loco dicuntur omnes gentes haereditas Christi, quia factus est Dominus totius mundi, quod exponitur per sequentia verba, *et possessionem tuam terminos terrae.* Secundo, observandum est haec intelligenda esse praecipue de spiritali regno Christi, id est, de Ecclesia toto orbe propaganda, ut sanctus Augustinus saepissime docet. Sensus igitur est Christum esse constitutum regem super Sion, id est, super populum Domini, sed hoc Regnum non concludendum finibus Judaeae, vel Palaestinae, sicuti Regnum Davidis, et Salomonis; sed extendendum per omnes gentes, et occupaturum omnia regna mundi, juxta prophetiam Danielis, cap. 2. Nec tamen negandum est, quin etiam intelligatur de potestate Christi in omnes gentes, etiam fideles. *Data est enim ei omnis potestas in coelo, et in terra.* Matth. 28. et ipse est qui constitutus est Judex vivorum, et mortuorum. Act. 10.

9. *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.*

Hic significatur potestas Christi in Ecclesiam, et in omnes homines summa, et justissima, ut possit tam facile bonos remunerare, et impios suppliciis afficere, quam facile potest figulus virga ferrea confringere vasa recentia, et lutea. In priore parte versus describitur summa potestas Christi ex parte virgae ferreae, id est, judicii rectissimi, inflexibilis, et cui resisti non potest, in posteriore ex parte hominum subjectorum, qui erunt respectu Christi, sicut vasa lutea recentia respectu figuli. Itaque illud *confriges*, non significat actum, sed potestatem, id est, non significat Christum confracturum omnes gentes, sed subjectas ei futuras omnes gentes, ut possit eas pro arbitrio confringere, sive misericorditer confringendo in eis infidelitatem, et peccata, et formando ex vasis contumeliae, vasa honoris; sive juste, et severe confringendo eos aeternis suppliciis propter ipsorum demerita. Nam confringes ut vasa figuli, idem significare debet, quod reges in virga ferrea: illud autem, reges in virga ferrea, non refertur ad solam punitionem impiorum, sed ad regimen totius Ecclesiae justum et potentissimum. Quod perspicuum est tum ex versione septuaginta Interpretum, qui reddide-

runt ποιμανεῖς, id est *pasces*, quomodo etiam reddidit graece sanctus Joannes in Apoc. cap. 2. et 19. tum ex Michaea, cap. 5. ubi loquens apertissime de Christo, qui ex Bethlehem egredietur, ut sit dux super populum Dei, dixit, *Reges eos in fortitudine*, et utitur eadem voce, quae habetur hoc loco, nimirum, רעה *raha*.

10. *Et nunc reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram.*

Hortatur nunc Propheta reges terrae, a quibus populi dependent, ut quandoquidem frustra nituntur resistere Christo, vero, et supremo regi omnium regum, sponte illi subjiciantur; et quia ordinarie, ex pravo judicio sequitur pravus affectus, primum hortatur eos, ut corrigant judicium, intelligant veritatem, eruditionem suscipiant. (Idem autem est, *Reges intelligite, et erudimini Judices terrae:* reges enim sunt Judices supremi populorum). Deinde hortatur ut corrigant pravum affectum, et pro odio erga Christum, incipiant illi servire, eumque diligere, et revereri, ideo subjungit.

11. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.*

Mire miscuit amorem cum timore, ac si diceret, timete cum amore, et amate cum timore: nam illud, *servite*, est proprium servorum timentium, praecipue secundum vocem hebraeam, עבדו *hivdù*. Illud autem *in timore* significat proprie reverentiam filialem, seu pietatem: nam illa ipsa vox יראה *iràh*, quae hic habetur, habetur etiam Isaiae 11. ubi dicitur de Christo, *Requiescet super eum spiritus pietatis*, et passim in Scripturis accipitur pro pietate, seu timore filiali. Itaque *servite Domino in timore*, secundum vim vocum hebraicarum, significat, servite quidem Domino, sed servitute liberali propria filiorum. Quod vero sequitur, *Et exultate ei cum tremore*, idem significat, sed ordine, et vicibus variatis: nam in priore parte versiculi posuit in verbo timorem servilem, in nomine pietatem filialem; in posteriori parte e contrario posuit in verbo exultationem filii amantis; in nomine autem, tremorem servi timentis.

12. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.*

Hunc locum ex hebraeo alii reddunt, *osculamini filium*, alii, *adorate filium*, alii, *adorate* pure posset etiam reddi, *complectimini puritatem*, ad quod facile posset reduci translatio septuaginta Interpretum: nam apprehendere disciplinam idem est quod complecti puritatem, doctrinae videlicet. Sicut etiam osculari, sive odorare Filium Dei, idem fere, quod apprehendere disciplinam ejus. Sed cum septuaginta Interpretes doctissimi fuerint, et textus optimos habuerint, et in translatione hujus loci nulla sit apud Graecos varietas, et (quod magis est mirum) chaldaeus etiam Paraphrastes reddiderit, *accipite doctrinam*, suspicor omnino, vel in hebraeo aliquid mutatum vitio temporum, aut certe vocem, בר *Bar*, non solum filium, et puritatem, sed etiam disciplinam significare, praesertim cum aliqua litera superaddita. Quemadmodum enim apud graecos a voce, παῖς, id est, puer, fit nomen παιδεία id est, *disciplina*, quod est in hoc loco psalmi, ita fieri potest ut a voce *Bar*, id est, filius, fiat aliquod nomen, quod significet disciplinam; quae maxime filiis a parentibus debetur. Sensus autem horum verborum est, ut non solum reges corrigant judicium et affectum, erudiantur, et serviant, quod supra dictum est, sed etiam magno fervore id faciant ut perseveret in eis eruditio, ex qua pendet affectus. Nam verba tam hebraicum, נשקו *Nasceku*, quam graecum διράξασθαι, non significant simpliciter suscipere; sed magno affectu rapere, et complecti, et firmiter retinere; quomodo quis complectitur ad osculandam personam valde amatam. Reddit autem rationem, cur id necessarium sit, dicens, *Nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* In hebraeo non habetur *Dominus*, nec *justa*; sed simpliciter *nequando irascatur, et pereatis de via*; sed septuaginta addiderunt explicandi gratia. Subintelligebatur enim Dominus ex versu superiore, *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Sensus igitur est, Apprehendite disciplinam, nequando irascatur in impios, et rebelles is, cui dixi serviendum esse cum timore; et vos pereatis, sive exterminemini de via justitiae. Haec est gravissima poena principum, quando Deus ob eorum peccata tradit illos in reprobum sensum, ut dicitur Rom. 1. et permittit, ut decipiantur a malis consiliariis, et faciant multa mala, ob quae tandem pereunt in hac vita et futura, ut patet de Pharaone, Roboam, Achab, et similibus, in quibus peccata gravissima fuerunt poenae aliorum peccatorum ut disputat s. August. lib. 4. in Julianum: hoc enim est non aliquantulum declinare a via recta, sed plene perire, et exterminari omnino a via justitiae.

13. *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.*

Haec est conclusio totius psalmi, in qua sanctus Propheta pronunciat, ex dictis posse colligi, quam sit bonum, et utile diligere Dominum, et illi toto corde servire; soli enim, qui ejusmodi fuerint in die ultimi judicii, quod non longe adesse potest, fiduciam habere poterunt. Dicit, *cum exarserit in brevi ira ejus*, ut significet cito venturum diem illum terribilem, nam mille anni sicut dies hesterna, quae praeteriit; nec longum dici potest, quod finem habet: dicit: *exarserit ira ejus*, ut significet, diem judicii fore diem solius vindictae, et justitiae, non autem misericordiae: dicit, *beati qui confidunt*, non quod solum fiducia sufficiat; sed quia vera fiducia oritur ex vera amicitia.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS III.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, cum fugeret a facie Absalon filii sui.

Hic titulus habetur in omnibus codicibus hebraicis, graecis, et latinis, ex quo non potest dubitari, quin ad litteram psalmus debeat intelligi de ipso Davide, et sit oratio quaedam ipsius Davidis pro liberatione sua a persecutione Absalonis. Quia vero David figura fuit Christi, adeo ut apud Prophetas Christus ipse nominetur David, ut patet ex Hieremia cap. 30. Ezechiele cap. 34. et Oseae cap. 3. ideo potest, ac debet psalmus intelligi etiam de Christo. Imo sensus principaliter intentus a Spiritu sancto videtur esse de Christo. Observandum autem est nomen David positum in titulo non esse casus genitivi, sed dativi: nam in hebraeo est articulus, *le*, qui potest genitivum, et dativum casum denotare: sed septuaginta viri semper verterunt τῷ qui est articulus solius dativi et prudentissime hoc septuaginta viri fecerunt, ut significarent auctorem psalmorum praecipue non esse Davidem, sed Deum. Itaque sensus est, psalmus David, id est, psalmus inspiratus a Deo ipsi Davidi.

EXPLICATIO PSALMI III.

1. *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.*

Queritur David, et miratur, colloquens in oratione cum Deo, de multitudine persecutorum suorum, nam ut habetur 2. Regum 15. universus Israel toto corde sequebatur Absalonem. Idem Christo accidisse notum est ex Evangelio praesertim tempore passionis; tunc enim filius ejus, id est, populus ejus rebellavit ab eo, dicens, *Non habemus Regem, nisi Caesarem*. Jo. 18, et ipse recessit ab eis quasi infirmus, et fugiens per mortem, sed paulo post rediit per resurrectionem. Absalon significat patris pax, quia revera bellum fuit filii, sed in patre semper fuit pax, ut patet, tum de Davide, qui flevit mortem filii; tum de Christo, qui oravit pro persecutoribus; et quemadmodum in persecutione Absalonis, Achitophel intimus consiliarius et familiaris David prodidit eum, et postea se ipse suspendio necavit 2. Reg. 17. Ita in passione Christi Judas unus ex intimis familiaribus prodidit eum, et in fine laqueo se suspendit.

2. *Multi dicunt animae meae, non est salus ipsi in Deo ejus.*

Videtur hoc referendum ad internas tentationes, quod daemones suggererent illi intus in animo cogitationes diffidentiae, quasi frustra in Domino confidisset. Potest etiam referri ad sermones hominum, qui ex hoc infortunio judicabant Davidem a Deo derelictum: in quo tamen confidere solitus esset: est enim hoc fere ordinarium, ut imperfecti existiment viros bonos in gravi aerumna constitutos frustra sperasse in Deo: sic Job uxor ejus dicebat, *Adhuc tu permanes in simplicitate tua*. Job 2. Sic Tobiae uxor quoque dicebat, *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynae tuae modo apparuerunt*. Tob. 2. Sic denique de Christo dicebant, *confidit in Deo; liberet eum, si vult*. Matthaei 27.

3. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.*

Vox justi in tribulatione positi haec est, qualis fuit David, sed prae omnibus, qui caput est omnium, Christus. Sensus est, multi mihi dicunt, frustra me confidisse in Deo, sed falluntur omnes: nam tu Domine non deseris sperantes in te, ideo *susceptor meus es*, id est, suscepisti me protegendum contra omnia hostium tela; nam in hebraeo est, *Clypeus meus*; nec solum me defendis, sed etiam glorificas; ideo es etiam gloria mea, id est, causa gloriae meae. Atque ex his fit, ut sis *exaltans caput meum*, id est, laetificans me, ut qui prae moerore dimisso capite incedebam, nunc exultans caput attollam. Et haec phrasis hebraeis familiaris, unde et Hieremiae ultimo dicitur, *Elevavit Evilmerodach Rex caput Joachim, et eduxit eum de carcere*; et Dominus in Evangelio: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*. Luc. 21. Haec vera esse docent exempla, non solum Christi, et Davidis, sed etiam Joseph, Job, Tobiae, Danielis, etc.

4. *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.*

In codice hebraico legimus, *clamabo, et exaudiet;* in graeco et latino, *clamavit, et exaudivit*. Juxta priorem lectionem significat David, se ex fiducia, quam versu superiore expressit, in praesenti tribulatione clamaturum ad Dominum, et sine

dubio more solito audiendum. Juxta posteriorem lectionem probat exemplo suo, quod supra dixerat, quod videlicet Deus sit clypeus, et gloria ejus. Nam saepe, inquit, alias afflictus clamavi ad Dominum, et semper exaudivit me. Circa verba nota illud, *voce clamavi*, habere emphasim ad exprimendum affectum; non oravit demissa voce, sed clamavit, et clamavit voce sua, id est, non per alium, sed per se, non solum spiritu, sed etiam corporali voce: illud autem *de monte sancto suo*, significare potest montem Sion, ubi erat arca Domini, in quo peculiari modo praesentia Domini residebat, et unde responsa dabat, vel etiam coelum, quod vocatur a Salomone, *firmum habitaculum Dei*, 3. Regum 8. et ab Apostolo ad Hebr. 12. vocatur *mons Sion*, et Hierusalem coelestis.

5. *Ego dormivi, et soporatus sum: et exurrexi; quia Dominus suscepit me.*

Observanda sunt aliqua circa verba, antequam exponamus sententiam. Verbum, *dormivi*, tam hebraice, שכבתי *sciacabthi*, quam graece significat proprie cubare, et jacere; et quia omnes dormientes cubant, et jacent, significat etiam dormire: verbum autem *soporatus sum*, in hebraeo, et graeco non significat nisi dormire. Itaque sensus est eorum verborum: Ego dormivi, id est, accubui sive jacui, ut dormirem, et reipsa soporatus obdormivi, et postea evigilans surrexi. Observa praeterea illud, *quia Dominus suscepit me*, in hebraeo, et graeco esse futuri temporis, *quia Dominus suscepit me*, vel ut sonat vox hebraea, וסמכני *ismecheni, sustentabit me*. Sed sciendum est moris esse linguae sanctae, ut ponat futurum pro praeterito, quando significatur quaedam continuatio, ut Job. 1. *Sic faciebat Job cunctis diebus*, illud *faciebat* in hebraeo futuri temporis est: recte igitur Hieronymus, et vulgatus Interpres verterunt suscepit, sive sustentavit, et potuissent etiam reddere suscipiebat, vel sustentabat. Veniamus ad sententiam. David in illa persecutione filii dicit, *Ego dormivi*, seu jacui dormiturus, idest, declinavi, fugi, non restiti et sic jacui quasi oppressus, *et soporatus sum*, id est, ita derelictus, quasi mortuus essem, unde Absalon potitus est regno, quasi rex mortuus fuisset; *et exurrexi*, id est, paulo post recepi animum, et resistere coepi, quoniam Dominus sustentavit me. Sed longe significantius haec omnia Christo conveniunt; ipse enim vere dicere potuit, *Ego dormivi*, id est, sponte jacui in cruce, ut in ea morerer, quomodo se in lectum componunt, qui dormire volunt; *Nemo*, inquit ipse Joan. 10. *tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Et soporatus sum*, id somno mortis vere consopitus sum, et hoc etiam sponte, non invitus, unde *inclinato capite tradidit spiritum*. Joan. 19. Vocat autem mortem suam somnum, quia tam facile illi erat resurgere a mortuis, quam aliis evigilare de somno; *et exurrexi, quia Dominus suscepit*, seu sustentavit me, id est, paulo post surrexi a mortuis, non fretus ullo humano auxilio; sed innixus potentia infinita divinitatis. Et hoc modo probavit verum esse quod dixerat versu superiore, *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo*.

6. *Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.*

De Davide clarissima sunt: ille enim dicitur exurrexisse, quando recepit animum, et paravit se ad resistendum inimicis: ideo nunc dicit, non timere se populum illum innumerabilem, quia in Deo confidit, non in suis viribus, aut armis sociorum: et propterea rogat Deum, ut exurgat, ut salvum se faciat de manibus hostium. Dicitur Deus per metaphoram exurgere quando incipit juvare: quemadmodum dicitur dormire, quando non juvat. *Exurge*, inquit alio loco, *quare obdormis Domine;* pulchre autem conjunguntur, *exurrexi, et exurge*, quasi dicat, ego te excitante per immissam inspirationem exurrexi, et tu igitur me excitante per orationem exurge, et pugna pro me. Christo autem haec omnia accommodantur rectissime, non ratione capitis, sed ratione corporis, id est, Christus haec dicit post resurrectionem non pro persona sua, sed pro corpore suo, quod est ecclesia, quae in illis initiis innumerabiles habuit inimicos, sed Deo freta omnes vicit.

7. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine caussa, dentes peccatorum contrivisti.*

In hebraeo legitur sic, *Quoniam tu percussisti omnes inimicos in maxilla, dentes impiorum contrivisti*, sed credibile est septuaginta Interpretes legisse pro, לחי *lechi*, quod significat maxillam, לחינם *lechinam*, quod significat in vanum: et credibile etiam est, codices, quos habuerunt Septuaginta fuisse meliores iis, quos nos habemus; sed tamen utraque lectio bonum sensum habet. Rogatur igitur Deus sive a Davide pro se, sive a Christo pro Ecclesia sua, ut pugnet adversus hostes, quoniam semper alias id fecerit, nimirum percusserit omnes inimicos piorum. Et si quidem legamus *sine caussa*, sensus erit, Deum semper punire illos, qui sine caussa persequuntur justos, atque eorum dentes confringere, id est, efficere, ut mordere, id est, nocere non possint, sed latrare, ac terrere solum possint. Quamvis enim aliquando videantur justi ab impiis premi, tandem tamen omnia eis cooperantur in bonum, et impii persecutionis suae poenas luunt. Quod si legamus in maxilla, sensus erit Deum non solum punire, sed etiam confundere, et pudefacere impios. Percussio enim maxillae non solum ad dolorem, sed etiam contemptum fieri solet: et cohaeret optime cum percussione maxillae, quod sequitur de confractione dentium: per quam confractionem significatur quod supra diximus, fieri videlicet per Dei gratiam, ut inimici justorum, sive daemones sive homines sint, latrare possint more canum, sed mordere, id est, vere nocere non possint.

http://www.obrascatolicas.com

8. *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.*

Concluditur psalmus per invocationem, et laudem Dei, quasi dicat, ex dictis concludere possumus Domini esse salutem, et illi acceptam esse referendam. Nam in hebraeo est, Domino salus, id est, Domino accepta referenda est salus, quae salus est benedictio tua Domine super populum tuum, nam benedicere Dei, est benefacere.

De voce Selà.

In hoc psalmo habetur tribus in locis, videlicet post secundum versum, post quartum, et post ultimum vox hebraea, סלה *Selà*, quae habetur in aliis nonnullis psalmis, non tamen in omnibus; habetur etiam in quibusdam locis Habacuc Prophetae, et nusquam alibi. Scribit de hac voce s. Hieron. Epist. ad Marcellam, in qua refert tres opiniones, primam quorumdam opinor, Rabinorum, qui volunt, ea voce significari mutationem vel distinctionem rythmi, aut elevationem vocis. Secundam Interpretum septuaginta, nec non Theodotionis, et Symmachi, qui eam vocem hebraicam interpretati sunt diapsalma, vocem aeque obscuram. Tertiam Aquilae, et quintae ac sextae editionis, quod *selà* sit idem quod semper. Hanc sententiam postremam s. Hieron. sequutus est in sua versione ex hebraeo. Et certe prima opinio videtur improbabilis: nam si vox illa significaret mutationem, aut distinctionem rythmi, aut vocis elevationem, poneretur in omnibus psalmis, ac praesertim in longioribus. Videmus autem in hoc brevissimo psalmo haberi ter, ut etiam bis in psalmo quarto, et in psalmo quadragesimo sexto, qui brevissimi sunt, in longissimis quibusdam numquam. Deinde non poneretur in fine psalmorum, sed tantum in medio: quae enim mutatio, vel distinctio vel elevatio significanda est psalmo finito? Videmus autem haberi in fine psalmorum, tertii, noni, vigesimi quarti, et quadragesimi sexti. Secunda opinio probabilis est propter auctoritatem septuaginta Interpretum. Significat autem diapsalma, interprete Augustino in commentario psalmi quarti, intervallum psallendi; sed certe ratio vix reddi potest, cur istud intervallum notetur in psalmis paucissimis, et brevissimis tantum. Tertia opinio fortasse probabilior est: nam propter s. Hieron. auctoritatem, videmus illud, *semper*, recte poni ubicumque *selà* invenitur. In hoc psalmo in versu secundo, et quarto recte *selà* potest exponi semper. *Multi dicunt animae meae, non est salus in Deo ejus semper*, id est, esto Deus aliquando servaverit Davidem periculis, at non semper servabit, nunc certe non servabit. Respondet autem David, *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo semper*, idest, vos dicitis quod non semper me servabit; ego contra dico, me semper exaudiri, et spero semper servandum. Porro in fine psalmorum sicut poni solet Amen, vel in aeternum, vel Alleluja, ut patet legentibus; ita recte ponitur, *semper*, quod significat, desiderium, ut sint firma et rata, quae dicta sunt. Ita hoc loco, super populum tuum benedictio tua semper, id est, semper sit, ac si diceret Amen, vel jugiter, ut alibi.

PSALMUS IV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in Hymnis Psalmus David.

Hic est titulus psalmi quarti, in quo varietas est inter lectionem hebraicam, et graecam; nam ex hebraeo, ut hodie habetur, vertit s. Hieronymus, *Victori*, pro eo quod nos habemus ex graeco, *in finem*, et s. Hieronymum sequuntur omnes qui vocem hebraicam interpretantur ad verbum, nec potest aliter axponi vox illa, למנצח *Lamnazeach*. Nata est haec varietas praecipue ex additione punctorum, et ex litera, m, quae forte accessit vitio librariorum. Nam septuaginta Interpretes videntur legisse, לנצח *lannezach*, quod significat in finem, ut patet ex primo versu psalm. 12. *Usquequo Domine oblivisceris me in finem:* Et sane magna est auctoritas septuaginta Interpretum, quos et doctissimos fuisse, et optimos codices habuisse dubitari non potest. Adde, quod et sententia est gravior secundum lectionem septuaginta. Nam secundum hebraicam lectionem significatur, hunc psalmum datum esse Victori in hymnis. id est, magistro cantorum, sive optimo cantori, qui praepositus est concinendis hymnis. Quae res non videtur adeo gravis, ut debuerit extare in divinis libris ad aeternam rei memoriam. At secundum lectionem septuaginta Interpretum, significatur, hunc psalmum esse canendum usque in finem, id est, perpetuo, sive frequentissime; quod est signum, psalmum esse unum ex utilioribus. Accedit etiam intelligentia mystica, quod sit psalmus ad Christum pertinens, qui est finis legis et prophetarum. Illud, in hymnis, posset etiam verti, in pulsatione instrumentorum musicorum. Siquidem, *negan*, significat instrumentum, unde nomen, *Neghina*, pulsatio, sed accipitur etiam passim pro laude, sive carmine, atque hymno. Itaque sensus erit, psalmus David inter hymnos canendus perpetuo, atque ipsum Christum proprie respiciens: atque hoc idem dicendum est de aliis, qui sequuntur eodem titulo inscriptis.

EXPLICATIO PSALMI IV.

1. *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae, in tribulatione dilatasti mihi.*

Hunc psalmum canit David in persona Ecclesiae, vel cujuslibet animae fidelis, quae exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, et fiduciam ponant in Domino, declinent a malo, et faciant bonum. Ponit igitur exemplum suum dicens: ego cum invocarem Deum tempore tribulationis, exauditus sum, *Exaudivit* enim *me Deus justitiae meae*, id est, Deus, a quo est omnis mea justitia, hoc est, cujus gratia me justum facit. Ostendit autem quomodo sit exauditus dicens, *In tribulatione dilatasti mihi*. Deus aliquando exaudit removendo tribulationem: aliquando dando patientiae virtutem, et hoc est majus beneficium: aliquando non solum patientiam, sed etiam gaudium in tribulatione dando, et hoc est beneficium maximum, et de hoc loquitur psalmus. Tribulatio enim angustias facit, gaudium dilatat corda; sed qui gloriatur in tribulatione, huic tristitia vertitur in gaudium, et tribulatio ei non angustias, sed dilatationem affert. Mutatio vero personae de tertia in secundam, additur ad significandum unde veniat illa dilatatio; nimirum ex illapsu Dei in cor tribulati, juxta illud, *Cum ipso sum in tribulatione*. Psal. 90. Itaque sensus est, cum invocarem Deum tribulatione pressus, exaudivit me; quod inde scio, quia tu Domine cordi meo dulcissimam tuam praesentiam exhibens, miro modo angustias tribulationis in latitudinem convertis laetitiae. *Superabundo gaudio*, inquit Apostolus *in omni tribulatione nostra*. Illud autem, *dilatasti mihi*, phrasis est hebraica, pro dilatasti me.

2. *Miserere mei, et exaudi orationem meam.*

Postulat continuationem gratiae, ac si dicat, Ita Domine semper miserearis, semper exaudias, sicut adhuc fecisti. Novit enim sanctus Propheta nos in hac vita semper obnoxios esse periculis, nisi misericordia ejus non solum praeveniat, sed etiam comitetur, et subsequatur.

3. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?*

Lectio hebraica multum discordat a graeca, ex qua latina nostra vulgata derivatur: sic enim ad verbum legitur hebraice, *Filii viri usquequo gloriosi mei ad ignominiam diligentes vanitatem quaeritis mendacium?* Sed facile apparet, unde nata sit varietas; nam sublatis punctis, quibus carebant libri hebraici ante Christi adventum, et una litera in aliam similem commutata, existit lectio nihil discrepans a graeca. Verba hebraica nunc ita, sonant, כבדי לכלימה *Chevodi liclimma, gloria mea ad ignominiam*. Sic autem legerunt Septuaginta, כבודי לב למה *Chevude lev lammà graves corde usquequo*. Ac ut saepe diximus, credibile est emendatiores codices hebraicos fuisse temporibus septuaginta Interpretum, quam nunc sint. Itaque lectio nostra vulgata omnino conservanda est, quippe quae conformis reperitur lectioni hebraicae, quam septuaginta Interpretes emendatiorem habuerunt. Neque tamen in sensu discordia est magni momenti, imo una lectio aliam adjuvare videtur. Sententia igitur haec, *filii hominum usquequo graves corde?* id est, quam diu cor habetis lapideum, durum, ad terram inclinatum, non cogitantes nisi bona terrena? Corda enim ex sententia Domini, Luc. 21. *gravantur crapula, et ebrietate, et curis hujus mundi*: et quia corda dura non recipiunt supernas cogitationes, sed solum terrenas, et transitorias, ideo non diligunt nisi terrena, et transitoria: et quoniam ea sola quaerimus diligenter, quae ardenter diligimus, ideo subjungit Propheta, *ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?* Dicuntur autem bona terrena, vana, falsa, quia nec solida sunt, nec stabilia, quamvis talia esse videantur, et propterea merito falsa et fallacia dici possunt, praesertim si comparentur ad aeterna. Additur in hebraeo, *selà*, id est semper, quod recte ponitur hoc loco: id enim valde mirum est quod homines non tantum initio mundi, nec solum initio vitae, sed in omni saeculo, et in omni aetate post tam longam experientiam, res humanas, et fallaces tanto studio consectentur. Lectio hebraica, graeca, et vulgata adjuvat. Nam iidem homines, qui propter naturae corruptionem sunt *filii hominum*, et *graves corde*, iidem ex imagine Creatoris, ad quam formati sunt recte dici possunt gloriosi, atque inclyti, et ideo valde ignominiosum illis est diligere, et quaerere bona temporalia vana, et falsa, quae sub pedibus habent, et non diligere, neque quaerere sempiterna, solida, et vera, unde originem atque imaginem trahunt. Magna est haec increpatio, quae non ab homine mendace, sed a spiritu veritatis procedit.

4. *Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.*

Haec est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhaerere temporalibus, quia videlicet venit ad nos de coelo sanctus Dei, idest, Filius Dei, qui solus inter omnes homines impeccabilis fuit. Unde etiam daemon in Evangelio clamabat Marc. 1. *Scio quia sis Sanctus Dei*. Hic autem Sanctus pertransiit benefaciendo, et mala toleranda, temporalia despiciens, et sempiterna praedicans, et tandem hoc novo itinere gradiens ad summam felicitatem pervenit, sedens in coelo, corpore, et animo in aeternum beatus. Et quoniam ille Dux noster est, et praeivit parare nobis locum, sine dubio si per vestigia ejus ambulamus, ad veram, et sempiternam felicitatem perveniemus. Scitote igitur, quia Dominus Deus sanctum suum Christum, quia temporalia despexit, mirabilem omnino reddidit, resuscitans ab inferis, et in coelo ad dexteram suam constituens. Et quoniam non solum Dux noster est, sed etiam advocatus et mediator, ideo subjungit David, Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum, idest, nunc potissimum certo con-

http://www.obrascatolicas.com

fido me semper exaudiendum, cum sciam esse in dextera Dei mediatorem, qui interpellat pro nobis.

5. *Irascimini, et nolite peccare, quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.*

Post increpationem gravissimam et admonitionem ut resipiscant Filii hominum, instruit eos Spiritus sanctus quid agere debeant, ac docet, ut sancta quadam iracundia exardescant, et resistant pravis desideriis, et eo modo peccatum vitent: quod si forte peccaverint, continuo doleant, et compungantur, neque contenti sint declinare a malo, sed etiam sacrificent sacrificium justitiae faciendo bonum. *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare*, idest, cum surgunt pravi, et rebelles motus, qui sunt initia, et radices omnium peccatorum, irascimini naturae vestrae corruptae, et resistite, ita ut non peccetis. Ad hoc enim nobis data est ira a Deo (ut docet s. Basilius in oratione de ira) ut sit cos virtutis. Vox hebraea, רגזו *rigzu*, significat etiam, pavete, contremiscite, quod etiam recte quadrat in hunc locum. Debemus enim statim tremere; et pavere cum apparet caput serpentis; idest, mala suggestio. *Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* In haebraeo legimus ad verbum, *Dicite in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete*; in graeco vero sic: *Quae dicitis in cordibus super cubilia vestra, compungimini*: ex quibus intelligimus nostram lectionem sic esse ordinandam: quae dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris, de his compungimini tacentes. Sensus igitur est, tempore nocturno cum estis soli in cubilibus, liberi ab omnibus aliis curis; tunc in cordibus vestris cogitate omnia vestra errata, et quae dicitis, et confitemini apud vos in corde, de his coram Deo tacentes prae verecundia compungimini. Fuisse autem solitum Davidem in cubilibus recogitare peccata, propter opportunitatem secreti, et silentii nocturni, potest intelligi ex illis verbis psal. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Itaque quod ipse faciebat, alios monet, ut faciant.

6. *Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*

Addit nunc alteram partem justitiae, videlicet, ut non solum declinent a malo, sed etiam faciant bonum. Vocat autem opera bona sacrificium justitiae, quia opera justa placent Deo valde, et per ea Deus honoratur. *Videant*, inquit Dominus, *opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* Matth. 6. Et Apostolus loquens de eleemosyna: *Accipit*, inquit *quae misistis in odorem suavitatis*; et de jejunio aliisque bonis operibus corporalibus, Ephes. 5. *Obsecro vos*, inquit, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam beneplacentem*; addit autem, *et sperate in Domino*, ad tollendam praesumptionem, quae bonis operibus insidiatur: bene operari nos oportet; sed tamen ut non superbe confidamus de operibus nostris, ut Pharisaeus ille, qui dicebat Luc. 18. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut caeteri hominum; jejuno bis in sabbato*, etc. Sed in Domino speremus, qui dabit peccata vitare, bona opera facere, et ad portum salutis pervenire. Sicut enim praesumptio est venenum corrumpens meritum operum bonorum, sic humilitas de viribus propriis diffidens, et in Domino spem reponens, est veluti sal condiens, et conservans omnia recte facta. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* In hebraeis codicibus incipit hoc loco novus versus; sed in graecis, et latinis pertinent haec verba ad versum superiorem, sed non est varietas magni momenti. Ponit hoc loco Propheta communem carnalium hominum objectionem; et quia stultorum infinitus est numerus, ideo ait, *Multi dicunt*, id est, cum praedicamus contemptum rerum temporalium, atque ad innocentiam et justitiam exhortamur, plurimi dicunt, quis ostendet nobis bona? si haec, quae videmus et tangimus, bona non sunt; quis rediit ab inferis? quis ascendit in coelum? Potest etiam per illud, *bona*, intelligi justitia et probitas: quia enim dixerat, *sacrificium justitiae*, objiciunt improbi, quid est haec justitia? quis nobis ostendet viam justitiae?

7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti laetitiam in corde meo.*

Respondet Propheta viam justitiae nobis a Deo demonstratam esse; et nos habere magistrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, lumen videlicet rationis naturalis, hoc enim lumen signatum est, et impressum indelebiliter super nos, idest, in suprema parte hominis. Habemus enim partem inferiorem corpus: partem superiorem, animam: et in ipsa anima partem inferiorem, qua vivimus, et sentimus; et superiorem, qua ratiocinamur, et sapimus. In hac igitur suprema parte est lumen quo distinguimur a bestiis; estque hoc lumen derivatum a vultu Dei, quia id nos facit esse ad imaginem, et similitudinem Dei. Et ex hoc lumine intelligere primum viam justitiae; lex enim naturalis scripta in corde, quam ne ipsa quidem delet iniquitas, docet, non faciendum alteri quod nobis ab aliis fieri nolumus, proinde non furandum, non moechandum, etc. Possumus etiam intelligere adjuti gratia Dei, nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad Deum; bonum enim imaginis est, quam simillimam esse exemplari. Ex hac autem cogitatione existit in voluntate ingens laetitia, spes, et, amor erga Deum. Quid enim dulcius, quam cogitare se esse imaginem vivam rei infinitae, pulchritudinis, et se exemplari suo omnipotenti esse charissimam? Quia vero non omnes hoc experiuntur, ideo David non ait, dedisti laetitiam in cordibus eorum, sed *dedisti laetitiam in corde meo*, quod idem omnes justi, et pii dicere possunt. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur, *signa super nos lumen vultus tui*; et nos habemus, *signatum est super nos lumen vultus tui*: nam litere eaedem mutatis punctis efficiunt, *signatum est*. Et hanc veram lectionem esse credimus, quia septuaginta Interpretes melius noverant quomodo legendae essent illae literae, quam Rabbini posteriores, qui puncta addiderunt.

8. *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.*

Addit Propheta aliud argumentum, ex quo possunt homines intelligere Deum esse auctorem omnium bonorum, quia videlicet ipse est, qui temporibus suis multiplicat fruges, et producit fructus omnes. Sic etiam b. Paulus Act. 15. *Non sine testimonio reliquit semetipsum dans pluvias, et tempora fructifera, replens cibo et laetitia corda nostra. A fructu*, inquit, *frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt*, idest, aucti sunt, sive creverunt in bonis temporibus ob illorum trium praecipue fructuum abundantiam. Vox enim Graeca, ἐπλήθησαν, quam interpres reddidit, *multiplicati sunt*, significat etiam aucti sunt, sive creverunt, et sic exponendam esse docet etiam textus Hebraicus, ubi ad verbum habemus, *frumentum, et vinum eorum multiplicata sunt*. Parum etiam refert, quod in hebraeo non sit mentio olei: nam vel excidit ea vox, vel septuaginta Interpretes eam addiderunt explicationis gratia. Scriptura enim passim haec tria conjungere solet.

9. *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.*

Concludit psalmum David dicens: Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo exhortatus sum, ego omnino in Deo confidere, ac penitus conquiescere volo. *Ego*, inquit, *in pace*, idest, cum tranquillitate animi, *in idipsum*, id est, conjunctim, pariter, simul *dormiam et requiescam*, idest, securus cubabo ad dormiendum, et re ipsa quietissime dormiam. Voces enim tam hebraicae quam graecae, pro quibus habemus, *dormiam et requiescam*, significant proprie jacebo, sive cubabo, et dormiam. Sed non male noster interpres vertit, *dormiam et requiescam*, quia qui cubat ut dormiat, dici potest dormire; et qui dormit, praesertim somno placido, dici potest quiescere. Possunt etiam haec referri ad futuram requiem in coelo: tunc enim vere summa pax erit ex unione cum Deo, et summa ac verissima requies. Illud in idipsum, quod frequentissime occurrit in psalmis in hebraeo est יחדו *Jachdau*, quod s. Hieron. et alii vertunt, pariter, sive simul, septuaginta Interpretes ubique reddunt, ἐπὶ τὸ αὐτό, idest, in idipsum; sed idem est sensus: nam in idipsum, idem est, quod conjunctim, et simul. S. Augustin. per idipsum intelligit Deum, qui solus est semper idem ipse, aeternus, immutabilis, juxta illud psalm. 101. *Tu autem idem ipse es*: acuta, et pia interpretatio, sed mystica, non litteralis.

10. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

Reddit caussam, cur velit in Deum projicere omnem sollicitudinem, sive, cur in futuro saeculo in pace dormiturum, et quieturum se dixerit. Ratio enim est, quoniam Deus verissimis et fidelissimis suis promissionibus eum in sola spe constituerit, idest, habitare fecerit. Id enim significat vox hebraea, et graeca. Itaque vir justus, et amicus Dei in sola spe divina habitat, tamquam in tutissima domo; agit quod potest pro vita praesenti, et futura; at non confidit in propriis viribus, neque in ulla re creata sed in Deo solo, et ideo non confunditur, securus dormit, et securus dormiet in saeculo futuro.

PSALMUS V.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro ea, quae haereditatem consequitur, Psalmus David.

Hic titulus varie exponitur, propterea quod in hebraeo quaedam vox est, נחילות *Nechilot*, quam Rabbini, et qui Rabbinos sequuntur, significare volunt instrumentum musicum. Sed a Catholicis omnino rejiciendi sunt, cum s. Hieron. hebraicae linguae peritissimus verterit, pro haereditatibus; et Septuaginta adhuc peritiores, et quibus lingua hebraea patria erat, verterint pro ea quae haereditatem consequitur. Et verba ipsa hebraica has interpretationes omnino recipiunt, siquidem, נחל *Nachal*, haereditare significat, נחלות *Nechalot*, haereditates, נרחלת *Nocheleth*, eam quae haereditat. Credibile igitur est, textum hebraicum diuturnitate temporis una, vel altera litera immutatum peperisse has varietates: sed in re dubia septuaginta Interpretibus fides habenda est magis, quam recentibus Rabbinis, praesertim cum s. Hieronymi versio magis faveat Septuaginta, quam Rabbinis. Igitur hic psalmus compositus est in persona Ecclesiae, quae haereditatem salutis aeternae quotidie in suis membris consequitur, et in fine mundi tota consequetur. Quia vero Ecclesia pro meliore sua parte, similis est columbae: quae perpetuo gemit, et innocentiam custodit, ideo in hoc psalmo columbae officium exercens, partim orat, partim peccatum detestatur. Quod ipsum facere debent omnes, qui pertinent ad columbam: sic enim unimur Deo, in quo consistit haereditas, si oratione trahimus Deum ad nos, et puritate vitae propinquamus ad Deum.

http://www.obrascatolicas.com

EXPLICATIO PSALMI V.

1. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.*
2. *Intende voci orationis meae, Rex meus, et Deus meus.*

Tribus modis fieri potest, ut aliquis non audiatur ab aliquo: vel quia ille non percipit sonum verborum, vel quia non percipit significationem eorumdem verborum, vel quia non attendit intentus aliis rebus. Deus quidem omnia percipit, et intelligit, et semper attendit: sed dicitur aliquando non percipere, vel non intelligere, vel non attendere, quia sic orantem contemnit, ac si non perciperet, vel non intelligeret, vel non attenderet. Ideo sanctus Propheta oraturus Deum, initio postulat, ut Deus percipiat, intelligat, et attendat. Porro Deus orantem contemnit, ac si non perciperet sonum verborum, quando is, qui orat, ita distrahitur, ut nec ipse verba sua percipiat; vel ita frigide orat, ut oratio sursum ascendere non possit. Tunc vero Deus ita se habet, ac si non intelligeret quid petatur, quando is qui orat, nescit quid petat, petens ea, quae sibi non sunt utilia, etiamsi attente, et ferventer oret, atque adeo clamet. Tunc denique Deus similis est non attendenti, quando orans non est dignus, qui audiatur, vel quod sine debita humilitate, fiducia, aliisque debitis circumstantiis oret, vel quod sit peccator, et de poenitentia nondum cogitare inceperit. Propheta igitur miro artificio a Spiritu sancto edoctus, orat Deum pro dono bene orandi, videlicet ut detur ei sic orare, ut opus est, ad hoc ut Deus non repellat orationem, sed percipiat sonum, intelligat clamorem, et intendat orationi. Addit autem, *Rex meus*, ut facilius impetret. Solet enim bonus Rex audire populum suum, adjungit vero, *et Deus meus* ut ostendat se non solum esse populum Dei quasi Regis sed etiam creaturam ejus, et in omnibus ab eo pendere et sine eo nihil posse.

3. *Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.*

Reddit rationem cur petierit audiri a Domino; quoniam, inquit, ad te orabo, id est, quia studium meum praecipuum futurum est oratio, ideo tam sollicitus sum de auditione. Et quia studium orandi non solum est mihi praecipuum, etiam primum, ideo summo mane antequam aliud ullum opus aggrediar, tu Domine audies vocem meam, nulli enim loquar antequam tibi. *Tu labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam*, ut dicitur Psal. 50.

4. *Mane astabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Non solum, inquit, mane orabo, sed etiam astabo tibi, id est, conabor me praesentem tibi exhibere; et comtemplabor (id enim sonat vox hebraea), in illo silentio matutino, antequam irruat turba negotiorum hujus vitae. Materia vero praecipua contemplationis meae erit considerare, nihil te magis odisse, quam peccatum: innocentiam, et justitiam tibi summopere gratam esse, cum tu sis lux, et justitia, et ideo si tibi placere volo, innocentiam, et justitiam mihi sectandam esse, et iniquitatem odio habendam.

5. *Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.*

Non solum Deus non vult iniquitatem, sed neque vult homines iniquos: ideo *non habitabit* inquit, *juxta te malignus*, id est, non propinquabit tibi jure amicitiae: *neque permanebunt injusti ante oculos tuos*, id est, non diu respicies oculo clementiae injustos. Nunc enim Deus respicit etiam injustos oculo clementiae, idest, eis concedit multa temporalia bona, sed hoc non diu durabit. Brevi enim projiciet illos a facie sua in aeternum interitum.

6. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*
7. *Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus.*

Non solum Deus non vult iniquitatem; nec solum non vult amicitiam cum iniquis, sed illos odit, et perdere vult, ac re ipsa perdet: et quoniam peccata committuntur opere, verbo, et cogitatione, sive desiderio, ideo singula psalmus enumerat, primo operantes iniquitatem; secundo loquentes mendacium, quod de pernicioso intelligitur: tertio virum sanguinum, idest, crudelem, sanguinis appetentem; et dolosum, id est, qui dolos meditatur, et struit.

8. *Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.*

Dixerat Propheta matutino tempore, se contemplaturum quantopere Deus peccatum, et peccatores aversetur. Exponit nunc fructum contemplationis, ac dicit: *Ego autem in multitudine misericordiae tuae*, idest, confisus in multa misericordia tua, non in viribus meis, ut evitem omnia peccata, *introibo in domum tuam*, quae est domus orationis, *et adorabo ad templum sanctum tuum*, id est, prosternar coram tabernaculo tuo, *in timore tuo*, timens, ac tremens implorabo auxilium tuum.

9. *Domine deduc me in justitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.*

Haec est oratio, qua orat in domo Dei, videlicet, ut Deus eum deducat in justitia sua, id est, ut eum ducat per semitas justitiae faciendo illum implere omnia mandata divina, et sic vitare omnia peccata, et quod idem est dirigat in conspectu suo viam ejus, id est, faciat eum ambulare per viam rectam, Deum semper prae oculis habendo. Id vero potissimum orat propter inimicos, sive (ut habetur in hebraeo) propter insidiatores suos, necessarium enim est divinum auxilium dirigens, protegens, praeveniens, et subsequens, propter multitudinem hostium qui nobis insidiantur, et ad peccata pertrahere conantur, sive ii daemones sint, sive homines terrentes vel allicientes. Vocat enim inimicos, omnes qui impediunt viam salutis, etiamsi aliqui amicissimi videantur, nam *inimici hominis domestici ejus*, ut est apud Matth. cap. 10. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur, *Dirige in conspectu meo viam tuam;* quomodo etiam haberi in editione septuaginta Interpretum testatur s. Hieron. in Epist. ad Suniam, et Fretellam, et in nostro graeco, et latino, *dirige in conspectu tuo viam meam:* nam sensus idem est, sive dicas secundum hebraeos codices, *Dirige in conspectu meo viam tuam*, idest, fac ut inveniam, et videam viam tuam rectam; sive secundum graecos et latinos, *dirige in conspectu tuo viam meam*, idest, fac ut ambulem coram te per viam rectam. Semper enim petitur gratia incedendi per viam mandatorum Dei.

10. *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.*
11. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.*

Reddit rationem, cur velit auxilium contra inimicos insidiantes, quia videlicet illi nihil intendunt, nisi decipere, et difficile est insidias eorum vitare. Non est, inquit, in ore eorum veritas, quia si terrent, decipiunt, persuadentes fugam exigui mali, ut inducant in maximum malum: si alliciunt, decipiunt, persuadentes prosecutionem exigui boni, ut adducant jacturam summi boni. Cor eorum vanum est intus, et extra perversi sunt, non sapiunt, nec appetunt nisi vana, ideo non possunt loqui nisi vana. Idem autem repetit in versu sequenti, sed ordine mutato; nam quod dixerat, *Cor eorum vanum est*, repetit, dicens, *Sepulchrum patens est guttur eorum*: et quod dixerat, *Non est in ore eorum veritas*, repetit dicens, *linguis suis dolose agebant*. Itaque cum dicitur, guttur sepulchrum patens, significatur guttur, seu os, et linguam, quae sunt instrumenta loquendi, esse quasi os sepulchri; interiora vero sepulchri esse animam sive cor, ubi sunt desideria, et cogitationes horridae et foetentes, quasi cadavera putrefacta, unde exhalat foetor verborum mortiferorum. Et ideo addit, *linguis suis dolose agebant*, hoc est, non solum falsa dicunt inimici mei, quia non est in ore eorum veritas, sed etiam dolosa, quia sub specie boni persuadent mala. In Hebraeo est linguis suis blandiuntur, quod in idem recidit.

12. *Judica illos Deus, decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.*

Prophetia est potius, quam imprecatio, significat enim psalmus fore, ut inimici justorum non solum non admittantur ad haereditatem, de qua in titulo psalmi, sed condemnentur ad aeternas poenas, et nihil obtineant eorum, quae moliuntur. *Judica illos*, id est, judicabis, vel, ut significantius habent hebraea, condemnabis illos. *Decident a cogitationibus suis*, idest, frustrabuntur spe sua, qua sperabant se subvertere posse electos. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*, idest, pro meritis suis expellentur ab haereditate in tenebras aeternas, *quoniam irritaverunt te Domine*, idest, quoniam dum hominibus se nocere existimarunt, non homines offenderunt, sed Deum, juxta illud, *Non te abjecerunt, sed me*, 1. Reg. 8. et, *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Act. 5.

13. *Et laetabuntur omnes qui sperant in te, in aeternum exultabunt, et habitabis in eis.*
14. *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices justo.*
15. *Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos.*

Hic praedicit foelicissimam haereditatem electorum, quibus titulus psalmi eam promiserat. Ac primo invitat justos ad laetitiam ob spem bonam futurorum. *Laetentur omnes, qui sperant in te*, id est, etsi nunc in labore certaminis justi reperiuntur, tamen laetentur in spe, qui non sperant in vanitatibus, sed in Deo vero, et in tempore suo in aeternum exultabunt laudantes Deum, qui habitabit in eis, idest, super eos ad modum tentorii, ut in hebraeo legimus: proinde ipsi in Deo erunt, et Deus in eis: et erit Deus omnia in omnibus. Haec autem exultatio, et laus, quasi exterior, nascetur ex interna immensa laetitia, et gloria. Nam *gloriabuntur in te*, o Deus, *omnes, qui diligunt nomen tuum*, idest, omnes vere justi. Charitas enim est, quae justos et amicos, et filios Dei facit. Gloriabuntur autem, quoniam tu benedices justo, idest, unicuique justo benedices, et benedicendo benefacies, reddendo eis coronam gloriae, quam merentur. Et quoniam radix omnium bonorum est benevolentia Dei, qui nos elegit ante mundi costitutionem, cum ex illa procedat vocatio, justificatio, merita bona, et ipsa glorificatio: ideo concludit, *Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*, idest, confiteor tibi Domine, omnia nostra bona inde manare quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, et undique protexit, ut scutum protegere solet milites. Cui simile est illud Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, et in miserationibus.* Verbum hebraeum ambiguum est quoad pronomen: nam verti potest, *coronasti eum*, idest, justum, cui benedixisti, et sic vertit s. Hieronymus. Potest etiam recte verti, mutatis punctis, *coronasti nos*, ut verterunt Septuaginta, sed sententia est omnino eadem.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS VI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in Hymnis pro octava, Psalmus David.

Quod dicitur, *pro octava*, vel, habetur in hebraeo, על השמינית *hal hashemimith. super octavam*, videtur esse genus citharae habentis octo chordas, vel aliquid simile. Nam in priore libro Paralip, cap.15.ubi describuntur varia instrumenta, quibus canendi erant Psalmi, inter alia ponitur cithara super octavam. Non est tamen repudiandum, quod communiter dicit, *per octavam*, hoc loco significari diem ultimi judicii, quae erit octava, quia sequetur post sex dies laboriosos hujus vitae, et post septimam quietis animarum. Hic enim psalmus est primus illorum septem, qui ad poenitentiam pertinent. Neque verisimile est,quod Rabbini,et eorum sectatores dicunt,hunc psalmum compositum fuisse a Davide pro sanitate corporis recuperanda, quam videlicet amiserat ob adulterium, et homicidium perpetratum. Scriptura enim satis declarat in 2. lib. regum, quam poenam exegerit Deus a Davide propter illius peccati reatum: neque usquam meminit morbi corporalis. Sed neque Ecclesia ab antiquissimis temporibus inter poenitentiales hunc psalmum, et primo etiam loco numerasset, nisi proprie, et ad litteram ad poenitentiam pertineret. Itaque argumentum hujus psalmi erit oratio peccatoris timentis divinum judicium et ad reconciliationem aspirantis.

EXPLICATIO PSALMI VI.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

Petitio est haec vere poenitentis, et contriti, qui super omnia peccatum odit.Nam tunc Deus arguit, idest, accusat, et corripit peccatorem in ira, et in furore, quando non castigat,ut salvet ex amore paterno, sed castigat, ut perdat,ac justitiae satisfiat. Quod facit in hac vita,quando percutit caecitate,et obstinatione, ut sit peccatum poena peccati, in alia vero quando perdit in gehennam.Iste igitur concussus horrore,et timens abyssum judiciorum Dei, non recusat flagellum poenarum, quae non separant a Deo, sed compellunt ad Deum; sed horret malum illud super omnia vere horrendum, id est, tradi in desideria cordis sui, in passione ignominiae, obdurari,et excaecari,et tandem in aeternum separari a facie Dei. Porro ita, et furor pro eodem hoc loco accipiuntur, sicut etiam argui, et corripi: est enim (ut alias adnotavimus) familiare Prophetis id ipsum bis repetere,explicandi vel inculcandi gratia.

2. *Miserere mei Domine,quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Ad permovendum Deum,ut non in furore arguat, adducit poenitens David aliquot argumenta;ac primum sumit ab infirmitate sua, quasi dicat, non respicias Domine peccata, ut offensas tuas, sed ut miserias,et aegritudines meas.Proinde non punias ut Judex, sed cures ut medicus; ure, et seca, si opus est; sed ex misericordia ad sanandum, non ex justitia ad perdendum. Vere enim peccata miseriae sunt, et quo sunt magis ex malitia commissa, eo sunt majores miseriae, et quo minus nos ea cognoscimus, et timemus, eo miseriores sumus. Ergo, inquit, *miserere mei,quoniam infirmus sum*, idest, respice misericorditer peccata mea, quaecumque illa sint, ut aegritudines , et morbos animae meae, quae me debilem, et imbecillum reddiderunt. *Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.* Idem repetit aliis verbis. Deus enim si misereatur, miseriam tollit, et proinde sanat, atque ita idem est, *miserere mei*,et *sana me*. Idem quoque est,*quoniam infirmus sum*, et, *quoniam conturbata sunt ossa mea*, per ossa enim significatur robur, ac fortitudo; et tunc dicuntur ossa conturbari, quando fortitudo nutat, et robur frangitur, ac debilitatur. Poterant autem verba Graeca, et hebraica sic etiam reddi, *Tremuerunt, sive tremefacta sunt ossa mea.*

3. *Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?*

Alterum argumentum ducit a cognitione proprii peccati, sicut in psalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Dicit igitur,non solum miser sum, sed etiam miseriam meam agnosco, ac propterea anima mea seipsam tam deformem, ac miseram aspiciens, et horrens turbata est valde, et contrita salubriter impatiens efficitur, et clamat, *et tu Domine usquequo?* non misereris, non sanas? Habet vero magnam emphasim, illud, *usquequo?* sine alio verbo.Significat enim prolatum esse

ab anima turbata, et non valente integram formare sententiam.

4. *Convertere Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Hoc argumentum tertium, quod a misericordia Dei sumitur. *Convertere*, inquit, idest,respice me. Nam respectus Dei est causa omnium bonorum nostrorum. *Converte faciem tuam, et salvi erimus.* Et alibi, psal. 29. *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Respexit, Dominus Petrum, et flevit amare. Et Jacobus, cap. 1. Ideo vocat *Deum patrem luminum*, quia sicut Sol aspectu suo illuminat, calefacit, vivificat corpora, sic Deus respiciens oculo pietatis, illuminat, accendit, vivificat animas; *et eripe animam meam*, idest, educ de fovea, in quam cecidit; erue de laqueo venantium, quo capta, et irretita tenetur; eripe de manibus inimicorum, quibus tradita est propter peccatum. *Salvum me fac*, idest, libera ab imminente damnatione ad infernum. Nam proprie salvare, est liberare ab imminente mortis periculo.Notandus est autem ordo. Primo Deus convertitur ad nos, ac nos respicit gratia sua. Secundo nos convertimur ad illum, et sic anima eruitur a culpa. Tertio liberati a culpa, salvamur a periculo imminentis damnationis. Hoc autem totum, quod fit in actu justificationis, non fit per ulla nostra merita praecedentia (quid enim meretur impius nisi poenam?) sed per misericordiam Dei, ideo addit, *propter misericordiam tuam*, quasi dicat, audeo petere tam ingens donum, non quia dignus sum, sed quia tu misericors es.

5. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

Est hoc argumentum quartum a gloria Dei desumptum. Peto, inquit, non argui in furore, quia si ita fieret, ad mortem aeternam sine dubitatione damnaret: et sic periret ex parte memoria tua, et laus tua. Damnati siquidem ad gehennam non recordantur Dei, ut eum laudent; neque ullus est in inferno, qui confiteatur Domino, idest, laudet Dominum confitendo ejus beneficia, et mirabilia. Qui hunc locum intelligunt de morte corporali, et per infernum intelligunt sepulchrum, et sensum esse volunt, quod mortui in sepulchris jacentes Deum non laudant, neque ejus memores sunt, cum nihil sentiant: allegant verba Ezechiae apud Isaiam cap. 38. *Quia non confitebitur tibi, neque mors laudabit te;* et satis constat, Ezechiam petivisse liberari a periculo mortis corporalis. Sed profecto locus etiam Ezechiae debet intelligi de morte aeterna, ac de inferno damnatorum. Nam tametsi Ezechias timebat mori corporaliter,timebat etiam mori in aeternum, et cantavit canticum illud gratias agens Deo, quia intellexit ex dono corporalis sanitatis, tamquam ex signo divinae benevolentiae sibi remissa fuisse peccata, et liberatum se esse a periculo gehennae, unde ait: *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.* Et sane si de morte sola corporali haec intelligerentur,valde exilia essent argumenta. Nam etsi mortui corporaliter, et in sepulchro jacentes non laudent Deum, tamen animae eorum vivunt, et Deum laudant: et ipsa etiam corpora in sepulchro expectant veritatem Dei, idest, fidelitatem Dei de promissa resuscitatione. Soli illi sunt, qui descendunt in lacum aeternae damnationis, qui non expectant veritatem Dei, neque Dei recordantur in bonum, neque laudant, aut unquam laudabunt: atque ita hunc locum Ezechiae intelligit s. Hieron. in commentario Isaiae, et alii Patres.

6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.*

Quintum argumentum ducit Propheta a fructibus dignis poenitentiae. Nam ut Apostolus dicit, 1. Cor. 11. *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, idest, si nos ipsos damnaremus, et puniremus, non damnaremur, nec puniremur a Domino. Parcit enim Deus iis, qui sibi non parcunt. Dicit igitur, se non solum intelligere, et detestari peccatum suum, sed etiam pro viribus punire, et puniturum. *Laboravi*, inquit, *in gemitu meo*, idest, tam ingenti fletu peccata mea deploravi, ut faticatus sim, nec tamen adhuc cesso. Nam *lavabo per singulas noctes lectum meum*, idest, singulis noctibus vice somni, et quietis, ubertim peccata deflebo, et lachrymis stratum rigabo. Notanda est hoc loco abundantia, et diuturnitas lachrymarum. Nam pro verbo, *lavabo*, in hebraeo est, אשחה *asche* natare faciam, ut etiam vertit s. Hieronymus: et ipsum etiam Latinum, *lavabo*, non significat effusionem paucarum guttarum, sed tantam copiam, ut iis lectus lavari posset. Vox etiam, *rigabo*, insinuat ingentem copiam lachrymarum decurrentium instar rivuli. Illud autem, *per singulas noctes*, in hebraeo ambiguum est. Nam significare potest, per totam noctem, et sic vertit s. Hieronymus: potest etiam significare in omni nocte, et sic acceperunt Septuaginta: utrumque mirabile est, et fortasse utrumque verum simul, idest, quod longo tempore singulis totis noctibus lachrymas copiosissimas fuderit. In quo speculo intueri se deberent, qui plurima, et gravissima peccata committunt, et vix paucas lachrymae guttas emittere valent, cum remissionem a Deo quaerunt.

7. *Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.*

Pertinent haec ad effectum indicandum maximae illius profusionis lachrymarum. Nam in hebraeo עششה *has-hesha* pro *turbatus* est, habetur caligavit, seu corrosus est oculus meus, ut sensus sit, oculus meus propter furorem, et indignationem meam contra turpitudinem peccati, a fletu nimio corrosus caligavit, et turbatus est. Quod autem sequitur, *inveteravi*, in hebraeo refertur ad oculum, et est tertiae personae, inveteravit: tamen

http://www.obrascatolicas.com

quia non solum Septuaginta, sed etiam s. Hieronymus vertit in prima persona, inveteravi, sive consumptus sum, credibile est lectionem hebraicam nonnihil ab eo tempore immutatam, ut in voce, עתקה *hatheka* desit unum jod in fine, et loco ה, debet esse ת, et legendum sic, עתקתי *hatakti*, quae mutatio facillime accidere potuit. Sensus igitur est, *turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos*, idest, qui inveteravi inter omnes inimicos meos: et clarius, oculus meus caligavit prae fletu ex indignatione, quam concepi ex eo, quod tam diu in peccatis haeresim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos, quasi dicat: Non possum non vehementer mihi ipsi indignari, quod nullum vitium adhuc perfecte vicerim, nullumque hostem animae meae debellaverim, sed consenuerim inter omnes hostes meos. Vocat autem hostes, omnes qui eum ad peccandum impulerunt sive Daemones, sive homines, sive ipsa vitia, et habitus malos.

8. *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.*

Quia tam graviter ferebat se consenuisse inter hostes, ideo prorumpit in hanc vocem, *Discedite a me*, idest, nolo amplius consortium vestrum, non acquiescam tentationibus vestris, fretus divino auxilio. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, idest, quia Dominus misericordia motus ob lachrymas meas, non solum peccata dimisit; sed etiam virtutem auxit resistendi vobis.

9. *Exaudivit Deus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.*

Explicat quod dixerat, se exauditum, et idem repetit bis, terve, ad significandum certitudinem exauditionis; et ut ipse sibi hoc modo animum adderet, ad resistendum tentationibus.

10. *Erubescant, et conturbentur omnes inimici mei: convertantur, et erubescant valde velociter.*

Concludit optans finem totalem bellorum spiritualium. *Erubescant et conturbentur*, quia nihil profecerunt, sed in vanum laboraverunt: *convertantur in* locum suum, unde venerunt, *et erubescant*, idest, confusi discedant, velocissime: quia nimirum nolo differre vitae mutationem: sed ex hac hora, ex hoc momento aggredior viam Domini rectam, et perfectam. Potest etiam haec conclusio esse oratio pro conversione eorum hominum, qui vel persequendo, vel alliciendo caussa peccandi illi fuerunt. Optat enim et orat, ut illi erubescant, et conturbentur per veram cognitionem, et detestationem peccati: et sic ipsi quoque ad Deum velociter convertantur. Potest denique esse imprecatio implenda in die Judicii. Tunc enim vere omnes impii, sive Daemones, sive homines, qui justos ad impatientiam, vel alia peccata inducere voluerunt, confundentur, et erubescent, et convertentur ad agnitionem veritatis, sed inutiliter. Tunc enim dicent illud Sap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis*, etc. Erit autem id celeriter valde, quia dies Domini non tardat, etiamsi nobis nunc secus videatur. Sed cum venerit, et repentinus venerit, tunc sentietur, quam celeriter venerit. In hebraeo habetur, *Erubescant, et conturbentur vehementer*. Quae vox, *vehementer*, non habetur hoc loco in nostris codicibus Graecis, et Latinis; sed fuisse in editione septuaginta Interpretum, testatur s. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam. Sed si quis recte consideret, illa particula non deest in nostris codicibus, sed posita est paulo inferius. Nam ubi nos habemus, *convertantur, et erubescant valde velociter*, in hebraeo רגע *ragah* non habetur, *valde*, sed solum *velociter*. Ex quo intelligimus, non esse sensum, erubescant valde velociter, sed erubescant valde, et erubescant velociter. Et hoc modo codices omnes concordes erunt.

PSALMUS VII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.

In hebraeo non est, *psalmus*, sed, שגיון *shigajon*, quod proprie ignorantiam significat: tamen quia Septuaginta, et s. Hieronymus reddiderunt, *psalmus*, dicendum erit jam vocem esse ambiguam, et significare non solum ignorantiam, sed etiam genus aliquod cantici. Quis item fuerit Chusi, non est adeo certum. Sanctus Augustinus, et alii, qui non norunt linguam hebraicam, existimant esse Chusi Arachitem amicum David, qui (ut legitur 2. Reg. 16). misit nuncium ad Davidem, eique significavit consilium Achitophel. Sed ille Chusi scribitur per literam Chet, iste de quo in hoc psalmo, per literam Caph, neque constat, an ille Chusi fuerit filius Jemini. Denique David in hoc psalmo refellit calumniam cujusdam filii Jemini, ut patet ex illis verbis, *Si feci istud*; Chusi autem Arachites nullam calumniam dixit contra David. Sanctus Hieronymus existimat, titulum intelligendum esse de Saule, qui vocatur Chus, idest, Aethiops, ob nigredinem morum, et erat de tribu Beniamin, seu (quod est idem) filius Jemini, ut patet ex lib. Regum cap. 9. Saul enim lib. 1. cap. 22. dixit coram omnibus servi suis, *Non est qui vicem meam doleat, eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversus me insidiantem mihi usque hodie*. Hanc igitur calumniam refutat David in hoc psalmo juxta opinionem s. Hieronymi. Sed potest etiam aeque probabiliter dici, Chus hoc loco esse Semei, qui erat etiam filius Jemini, et maledixit Davidi, cum fugeret persecutionem Absalonis, et ait: *Egredere vir sanguinum, et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo*, 2. Reg. 16. Ob hanc calumniam pessimam, et falsissimam videtur hunc psalmum composuisse, orans Deum, ut defendat innocentiam, et justitiam suam, et ideo vocatur psalmus, *Ignorantia David*, quia vere ignorabat, se mala illa fecisse, de quibus accusabatur a Saule, sive a Semei: ideo etiam dicit in principio psalmi: *Domine Deus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, etc.* Videtur igitur psalmus scriptus esse tempore persecutionis Absalon, ob verba maledictionis Semei; vel tempore persecutionis Saul, ob vera supradicta. Prophetice autem David gerit personam Christi, et cujuscumque justi calumniam sustinentis.

EXPLICATIO PSALMI VII.

1. *Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.*

In te, inquit, *speravi*, quia pene omnes deseruerunt me, ita ut etiam filius meus Absalon, vel socer meus Saul, quaerant me occidere: non habeo, cui fidam, nisi te Deum meum. *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me*. Multi enim eum persequebantur, alii consilio, alii maledictione, alii bello, et armis.

2. *Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.*

Respicit ad principem persecutionis: forte, inquit, Saul, aut Absalon rapiat animam meam, idest, vitam meam, ut leo solet absque ulla misericordia interficere animalia caetera: *dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat*, idest, dum tu non redimis, neque salvas. Sciebat enim David omnem industriam humanam sine Deo esse vanam. Utitur Scriptura voce redemptionis pro quacumque liberatione, etiamsi non fiat proprie per solutionem pretii. Sicut enim dicitur Deus vendere, quos alienat quodammodo a sua misericordia, et tradit ministris suae justitiae puniendos: ita dicitur Deus redimere, quos iterum a ministris justitiae erutos misericorditer liberat. In hebraeo habetur paulo aliter, videlicet: *Ne forte rapiat ut leo animam meam, lacerans, et non sit salvans*: sed in sententia non est varietas.

3. *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*
4. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.*

Reddit causam, cur petierit liberari a Deo, quia videlicet Deus novit innocentiam ejus, et sic refellit calumniam Saulis, et Semei de insidiis in Saulem, et de invasione regni: nec solum dicit se non reddidisse malum pro bono, neque malum pro malo, sed reddidisse bonum pro malo. Primo igitur dicit se non reddidisse malum pro bono, *Si feci*, inquit, *istud*, idest, si insidiatus sum regi, vel si invasi regnum fraude aliqua, aut vi, *si est iniquitas in manibus meis*, idest, si operatus sum iniquitatem reddens malum pro bono, idest, cum receperim a Saule honorem magnum, ut essem gener ejus, et Tribunus super mille viros, si reddidi pro his beneficiis malum insidiarum, ut ipse dicit. Addit, se non reddidisse malum pro malo, *si reddidi retribuentibus mihi mala*, idest, cum Saul, sive Semei retribuerint mihi multa mala pro beneficiis a me acceptis, ita ut me occidere voluerint, si reddidi eis vicem procurando eorum mortem, et non potius abstinuerim semper a nece ipsorum, cum facile inferre eam possem: *decidam merito ab inimicis meis inanis*, idest, si non sunt falsae eorum calumniae, non recuso cadere in praelio penitus inanis, idest, sine ulla gloria militari, nullo damno hostibus illato, et maximo accepto. In hebraeo legitur hoc modo, *Si reddidi retribuentibus mihi malum, et dimisi hostes meos vacuos*: sed vox *dimisi*, potest significare etiam, recedam, seu discedam, et tunc efficitur sententia, quam reddiderunt Septuaginta. Idem enim est recedam ab inimicis inanis. Si autem legamus cum s. Hieronymo: *Et dimisi hostes meos vacuos*, tunc sensus erit, se reddidisse bona pro malis, ac si dicat, si dimisi hostes meos non affectos a me aliquo insigni beneficio, eveniat mihi hoc, aut illud malum.

5. *Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.*

Haec sunt mala, quae sibi ipse imprecatur si sunt verae calumniae Saulis aut Semei. Semper autem crescit oratio. *Primo*, inquit, *persequatur inimicus animam meam*, idest, conetur me occidere. Secundo, *comprehendat*, idest, non possim effugere manus ejus, quin capiat me ad interficiendum. Tertio, *Conculcet in terra vitam meam*, ignominiose destruat vitam meam, quomodo destruuntur, quae pedibus minutatim atteruntur. Denique, *gloriam meam in pulverem deducat*, idest, post mortem detrahatur gloria mea de loco sublimi, in quo nunc est, usque ad pulverem, ita ut memoria mea cum infamia, et opprobrio vivat inter homines. Quinto additur in hebraeo, Selà, id est, semper infamis maneam,

http://www.obrascatolicas.com

6. *Exurge Domine in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum tuorum.*

Demonstrata innocentia sua petit a Deo justam defensionem. Et quia Deus per metaphoram dicitur dormire, cum non adjuvat, surgere a somno, quando incipit adjuvare, juxta illud psal. 43. *Exurge, quare obdormis Domine?* Ideo nunc dicit: *Surge in ira tua*, idest, irascere inimicis meis, eosque repelle, ac terre, ne mihi noceant. Illud autem, *Et exaltare in finibus inimicorum tuorum*, idem fere significat; est enim sensus. Appare sublimis in finibus inimicorum, ut omnes te videant, idest, ut omnes praesentiam tuam sentiant. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur, *inimicorum meorum*, in graeco, et latino, *inimicorum tuorum*. Iidem enim inimici erant Davidis, et Dei.

7. *Et exurge Domine Deus meus in praecepto, quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.*

Petierat simpliciter auxilium Dei contra inimicos: nunc addit rationem cur deceat Deum hoc facere. Et ratio est, quia Deus praecepit Judicibus terrae, ut liberent innocentes de manibus opprimentium. Ex quo sequitur, ut ipsum quoque id facere deceat, qui est judex supremus super omnes Judices. *Exurge*, inquit, *in praecepto, quod mandasti*, idest, juxta preceptum quod mandasti. In hebraeo habetur, *Judicio, quod mandasti*, et idem est sensus, nimirum, juxta judicium, quod fieri praecepisti. Porro in hebraeo habetur: *Exurge ad me*, pro eo quod nos habemus: *Exurge Domine Deus meus*. Sed facile apparet unde nata sit diversitas interpretationis: nam vox hebraea potest legi, אלי *Eli*; ac sic legerunt Septuaginta, et recte verterunt, *Deus meus*: potest etiam legi, אלי *Elai*; et sic legerunt, qui addiderunt puncta, et sic s. Hieronymus, et ideo reddidit s. Hieronymus, *ad me*, et sic reddunt omnes, qui recipiunt puncta. Sed ut saepe dixi, in ejusmodi varietatibus, magna debet esse auctoritas Septuaginta virorum. *Et synagoga populorum circumdabit te*, idest, ex hac demonstratione praesentiae tuae in cohibendis inimicis meis, et in defensione mea, ut multi alii cognoscant te, et confiteantur tibi, teque laudent, et sic circumdabunt te, quia ubi sunt aliqui congregati in nomine tuo, ibi tu es in medio eorum.

8. *Et propter hanc in altum regredere, Dominus judicat populos.*

Qui dixerat, Synagoga populorum circumdabit te: ideo nunc adjungit, *et propter hanc in altum regredere*, idest, sicut propter me exaltatus es in finibus inimicorum meorum, terrens eos ex justitiae tuae solio: ita propter synagogam populorum laudantium te, quandocumque opus erit, in altum solium justitiae iterum ascende, et appare conspicuus in finibus inimicorum ejus. Quod sequitur. *Dominus judicat populos*, in hebraeo conjungitur cum versiculo sequenti, et vere cum illo optime cohaeret; sed optime etiam cohaeret cum versiculo praesenti, ut distinxerunt septuaginta Interpretes. Est enim redditio rationis, quasi dicat Propheta, Domine pro synagoga populorum tibi adhaerentium ascende in solium judicii adversus hostes eorum, quia Dominus judicat populos, idest, quia Domini supremi, qualis tu es, proprium est judicare populos. Neque refert si legamus, judicat cum graecis, vel judicabit, cum hebraeis, quia idem est sensus, nimirum, ad Dominum pertinet judicare populos.

9. *Judica me Domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.*

Haec est conclusio totius superioris precationis. Quia enim conscius sibi erat, falsam esse calumniam Saulis, sive Semei, et conscientiae suae testem habebat Deum; rogat ipsum Deum supremum judicem, ut judicet causam suam juxta justitiam suam, et innocentiam, quae est super se; et det unicuique prout meretur.

10. *Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum: scrutans corda, et renes Deus.*

Haec est quasi pars altera psalmi, in qua docet Propheta, eos, qui male agunt, adversus se ipsos agere, ac per hoc hortatur omnes, ut convertantur ab iniquitate ad justitiam. Ait igitur, *consumetur nequitia peccatorum*, idest, perficiatur, et ad summum perveniat nequitia peccatorum, tamen justo non nocebit: non enim eum inflectet ad dexteram, vel sinistram; quia tu *diriges justum*, idest, per tuam providentiam aderis justo, ne declinet ad dexteram, vel ad sinistram. Tu, inquam, hoc facies, qui solus nosti, qui sint vere justi, cum scruteris corda, idest, cogitationes; et renes, idest, desideria. In hebraeo habetur verbum futuri temporis, יגמר *igmor;* idest, consumetur, sive consummabitur: sed septuaginta Interpretes legerunt sine litera, *Jod*, quae minutissima est, et potest postea esse addita: sensus tamen in idem recidit. Si enim legas, *Consumetur nequitia*, sensus erit, nequitia peccatorum crescet usque ad summum, et tota consumetur in vexatione justorum, nec tamen eos dejiciet, neque inflectet; quia Deus eos diriget, et stabiliet, utrumque enim significat vox hebraea, *Theconen*.

11. *Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.*

Ex universali sententia colligit in particulari, se merito sperare adjutorium Domini. *Justum*, inquit, *adjutorium meum a Domino veniet*; quia justum est, ut Deus justos adjuvet, quoniam ejus proprium est salvos facere rectos corde, idest, eos qui vere sunt justi coram Deo, qui scrutatur corda. In hebraeo conjungitur prima vox hujus versiculi, cum versu superiore, *scrutans corda, et renes Deus* justus: et deinde incipit novus versus. *Adjutorium meum a Domino*. Res non est magni momenti, et in rebus dubiis praeferenda videtur auctoritas Septuaginta virorum, et Vulgatae nostrae editionis.

12. *Deus judex justus, fortis, et patiens; numquid irascitur per singulos dies?*

In hoc versiculo videntur dissidere codices hebraei, Graeci, et Latini. Nam, ex hebraeo vertit s. Hieron. Deus judex, justus, et fortis comminans tota die. Ex graeco reddit s. August. Deus judex, justus, et fortis, et patiens, non iram adducens tota die. Videntur autem plane contraria comminans, sive irascens: utrumque enim significat vox hebraea, זעם *Zohem*, tota die, et non iram adducens per singulos dies, idest, non irascens omni die. Codex autem latinus per interrogationem habet, *numquid irascitur per singulos dies?* sed facilis est concordia. Nam vox hebraea si legatur, אל *El*, ut legit s. Hieron. et ut nunc legitur secundum puncta Rabbinorum, significat fortem: si autem legatur, אל *Al*, ut potest legi cum aliis punctis, et ut legerunt septuaginta Interpretes significat non. Et hanc lectionem veriorem existimamus; et sic concordat graecus codex cum hebraeo, uterque enim habet, non irascitur, sive non comminatur. Illud autem *fortis*, quod est in graeco, non est interpretatio vocis hebraicae, אל *El*, sed est nomen superadditum a Septuaginta explicandi gratia, sicut etiam patiens. Nam in hebraeo ad verbum habetur, *Deus judex, justus*, non comminans, sive non irascens omni die, sive tota die. Latinus autem Interpres secutus graecam lectionem reddidit sensum, non verba, cum per interrogationem posuit, numquid irascitur per singulos dies? idem enim est, non irascitur, et numquid irascitur? Sententia igitur hujus versiculi est, Deum Judicem justum, qui simul est fortis, et patiens non semper comminari, vel irasci; sed aliquando re ipsa effundere iram suam gravissime puniendo, id quod dicitur adversus eos, qui videntes Deum saepe minari multa mala peccatoribus, et tamen differre executionem, contemnunt minas Dei. Hunc autem sensum esse hujus versiculi colligitur ex sequenti.

13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.*

Probat Propheta, Deum non semper irasci, vel minari; sed aliquando effundere iram, et inferre mala, quae comminabitur. *Nisi conversi*, inquit, *fueritis, gladium suum vibrabit* (sic enim legendum est, non vibrabit), idest, gladium agitabit caedendo, atque ita splendere eum faciet. Nec solum gladio percutiet, sed etiam arcu; jam enim arcum tetendit, et paravit. Utitur autem similitudine gladii, et sagittarum, ut significet Deum ferire tam prope, quam longe: quando caussa mali nobis illati proxima est, et manifesta, tunc Deus ferit cominus; quando caussa mali remota, et occulta est, tunc videtur Deus eminus jaculari sagittas suas.

14. *Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.*

Ne putaremus, sagittas Dei facile posse repelli, aut vitari, addit Propheta, eas sagittas esse *vasa mortis*, idest, instrumenta mortifera, et sagittas effectas sive fabricatas ardentibus, idest, ex ardenti materia, ut sint tela ignita, quae velocissime, et summa vi penetrant omnia: porro nomen vasis passim accipitur in Scripturis pro instrumento, ut psal. 70. *in vasis Psalmi*. Isaiae 22. *Vasa musicorum*. Hieremiae 50. *Vasa irae*, et cap. 51. *Vasa belli*.

15. *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.*

Tribus sequentibus versiculis ostendit Propheta sagittas Dei, ut vere ignitas velocissime, et summa vi ferri, ut vitari non possint. Nam illa ipsa actione, Dei providentia sic disponente, qua peccatores nocere parant Justis, seipsos occidunt. Haec enim est mira Dei animadversio in peccatores, cum fecit, ut omnes eorum machinationes in ipsos convertantur. *Ecce*, inquit, peccator *concepit dolorem et peperit iniquitatem*, et foveam aperuit, ac profunde fodit, ut justum, vel aperte, vel clam opprimeret, sed Deo sic operante, cecidit ipse peccator in suam foveam, et dolor, quem conceperat, et iniquitas, quam pepererat, in caput ejus reciderunt. Sed singula explicemus. *Ecce parturiit injustitiam*, peccator videlicet injustum aliquod opus adversus justum effecit. Porro hoc loco *parturiit*, non est aliquid diversum a voce peperit, sed omnino idem; explicat enim statim clarius, quo semine parturierit, sive pepererit. *Concepit*, inquit, *dolorem, et peperit iniquitatem*. Concipitur enim semen, et paritur foetus. Conceptio doloris, est conceptio invidiae, sive odii in proximum, quae sunt semina malorum; et recte conceptio invidiae, vel odii, dicitur conceptio doloris, quia invidia et odium torquent et disrumpunt animam invidentis et odio habentis. Ex hoc malo semine concepto paritur opus iniquum, ut caedes, rapina, detractio, falsum testimonium, et similia. Quamvis autem videantur nonnullis tria distincta, *Parturiit injustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem*, et vere parturitio sit quid medium inter conceptum, et partum: tamen dixi non esse hoc loco, nisi duo; tum quia duo sola respondent paulo infra non dicitur, convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet; tum quia si *parturiit*, hoc loco poneretur pro parturitione distincta a partu, poneretur post verbum, *concepit*, non ante illud. *Igitur parturiit injustitiam*, dictum est in summa et breviter, deinde explicatum est per illa, *concepit dolorem, et peperit iniquitatem*.

16. *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.*

Dixerat peccatorem peperisse iniquitatem contra justum; addit aperuisse etiam lacum, sive cisternam, ut est in hebraeo, בור *bor*. Significat autem his similitudinibus, peccatorem aliquando aperte, aliquando occulte moliri malum Justis: et quia tam partus, quam fossio sunt opera valde laboriosa, significatur, opera mala non sine dolore, et labore fieri. Hinc illa vox perditorum, Sap. 5.

http://www.obrascatolicas.com

Ambulavimus vias difficiles. *Et incidit in foveam, quam fecit.* Incipit jam Propheta ostendere mala illa hominum peccatorum ipsis peccatoribus solum nocere, et hunc esse gladium, sive sagittas Dei; et incipit ab ultimo malo, quia in illo desierat. Aperuit, inquit, lacum, seu cisternam, ut justus nesciens ibi esse foveam, in eam caderet; sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderat.

17. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Non solum mala occulta, ut apertio foveae, sed etiam manifesta, ut odium, sive invidia concepta, quae multis signis prodit exterius; et ipsa mala ex odio et invidia profecta, ut caedes, et rapinae et similia in auctorem, Deo sic disponente, recident. Exemplo sunt Saul, et David; Christus, et Judaei; Martyres, et persecutores.

18. *Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.*

Concludit psalmum cum laude Dei: *Confitebor Domino*, idest, laudabo Dominum. Sic enim passim accipitur in Scripturis confessio pro laude, quia videlicet qui laudat, confitetur eum, quem laudat, dignum esse laude: *secundum justitiam ejus*, idest, laudabo, prout meretur ejus justitia, quae tam admirandis modis liberat justos, punit injustos. *Et psallam nomini Domini altissimi:* idem significatur aliis verbis, hymnum dicam Domino altissimo, idest, supremo Judici, qui sedet in altissimo solio super omnes alios judices.

PSALMUS VIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro torcularibus, Psalmus David.

Vox torcularibus, in hebraeo est, הגתית *Hagghitith*, quae nihil significare videtur, et ideo moderni, qui ita legunt, dicunt esse genus instrumenti musici nobis incogniti. At septuaginta, et s. Hieronymus, qui reddiderunt torcularibus, legerunt sine dubio, הגתות *Haggitoh*, quod significat torcularia, et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus. Quid autem sit, pro torcularibus, difficile est divinare; qui enim intelligunt Ecclesiam, vel martyria, vel Crucem Christi, myslice exponunt. Animadverti titulum, pro torcularibus, haberi in tribus psalmis, qui ad amorem Dei praecipue pertinent, videlicet in hoc octavo, qui exorditur a magno affectu: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* et in octogesimo, qui similiter hortatur ad jubilum spirituale, *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob: sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.* Denique in octogesimo tertio, qui plenus est affectu ardentissimi amoris divini: *Quam dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit, et deficit anima mea: Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Itaque ex materia horum psalmorum suspicor dici, *pro torcularibus;* quia sunt aptissimi ad exprimendum vinum divini amoris ex cordibus hominum, vel quia cum laetitia, et cordis jubilo canendi sunt; quomodo laetari, et canere solent, tempore vindemiae, qui de torcularibus ingentem vini copiam exprimunt. Fateor tamen me nondum assequi tituli hujus, ut etiam aliorum multorum intelligentiam: est igitur argumentum hujus psalmi laudatio potentiae, sapientiae et benignitatis Dei, ac praecipue erga genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI VIII.

1. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.*

Ex consideratione magnitudinis Dei, rapitur Propheta in admirationem, quod tantus Deus tanti faciat hominem, qui est pulvis et cinis, ut eum visitare, et ornare plurimis, et maximis beneficiis dignatus sit. Illud Domine, in hebraeo, est nomen proprium Dei, quod scribitur quatuor literis, et deducitur ab esse juxta illud: *Ego sum qui sum*, quod nomen moderni exprimunt per vocem, יהוה *Iehoua*, sed septuaginta Interpretes, et s. Hieronimo Christus ipse, et Apostoli pronunciare non solebant, sed loco ejus dicebant, *Domine*. Illud autem, *Dominus noster*, est in hebraeo alia vox, אדני *Adonai*, quae proprie dominum significat. Itaque sensus est, *Deus*, qui es ipse fons essendi, unde omnia quae sunt derivantur, ac proinde *Dominus noster*, idest, Dominus rerum omnium es, *quam admirabile est nomen tuum in universa terra*; idest, gloria tua, sive bona fama nominis tui, diffusa est per omnem terram, cum ingenti admiratione omnium, qui illam considerare satagunt. Quod Isaias cap. 6. aliis verbis dicit: *Plena est omnis terra gloria ejus.* Dicit autem nomen Dei esse admirabile, quia tametsi pauci re ipsa mirentur, cum pauci sint, qui considerent opera Dei; tamen ipsum nomen est admiratione dignissimum, cum omnes creaturae assidue laudent creatorem, ut omnia pulchra opera laudare dicuntur artificem. Et hoc modo plena est omnis terra gloria Dei; quia quidquid est in terra, etiamsi minimum quid videatur, potentiam, et sapientiam creatoris infinitam manifestat.

2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos.*

Ratio redditur, cur sit tam admirabile nomen Domini in universa terra: videlicet, magnificentia Dei est altior coelo, idest, non capitur coelo; tanta est, ut totus mundus eam capere non possit. *Operuit coelos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra*, inquit Abacuc in cantico suo, cap. 3. Porro magnificentia virtus est magnorum principum, qui magnis sumptibus, vel ingentia palatia, aut civitates aedificant, vel maximum numerum famulorum, aut etiam exercitus integros alunt, vel amplissima dona in alios conferunt. Deus autem aedificavit palatium hujus totius mundi, cujus pavimentum est orbis terrae, et tectum est coelum. Alit autem omnia viventia, quae sunt innumerabilia: denique donavit Angelis sanctis, qui sunt in maximo numero, et donaturus est hominibus justis regnum amplissimum non temporale, sed aeternum. Vere igitur magnificentia ejus maxima est.

3. *Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, et ultorem.*

Respondet objectioni, quae poterat fieri: si gloria Dei replet orbem terrae, et magnificentia ejus elevata est super coelos; unde fit, ut non omnes eam cognoscant, et laudent? Respondet inde fieri, quod Deus non dignetur cognosci, et laudari a superbis, qui de sua virtute praesumunt; sed ab humilibus, et parvulis, juxta illud Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et hinc valde crescit gloria, et magnificentia Dei, cum non cognoscatur, nisi a quibus ipse cognosci voluerit. Potest autem hic versiculus duobus modis intelligi. Primo, ut per infantes, et lactentes, intelligantur homines, qui re vere comparatione Angelorum sunt veluti infantes, et lactentes, praesertim circa intelligentiam rerum divinarum: ergo inquit, ex ore mortalium hominum perfecisti laudem, revelans eis gloriam tuam, *propter inimicos tuos*, idest, ad confusionem superborum Angelorum; *ut destruas inimicum, et ultorem*, idest, ut perdas sapientiam primarii inimici, tui, Diaboli, et defensoris, sive ultoris ejus, idest, agminis Angelorum reproborum, qui illum sequuti sunt. Secundo, per infantes, et lactentes, possunt intelligi homines humiles, et parvuli in oculis suis, imperiti scientiarum saecularium, quales fuerunt multi Prophetae, et Apostoli, et ingens numerus monachorum, et virginum sanctarum, necnon vere puerorum, qui in tenera aetate adeo perfecte cognoverunt gloriam Dei, et admirabile nomen ejus, ut pro ipso mortem oppetere non dubitaverint. In hoc sensu allegavit Dominus hunc psalmum in Evangelio: *Numquam legistis, quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem?* Matth. 21. Inimici autem dicuntur sapientes hujus mundi, et defensores ipsorum, qui quamvis Deum cognoverunt, tamen non sicut Deum glorificaverunt, ideo insipientes facti sunt, ut Apostolus docet ad Rom. 1. Quod dicitur, *ut destruas*, in hebraeo, להשבית *lehashbith*, est, *ut quiescere facias;* sed sensus est idem. Nam non loquitur psalmus de destructione personae, sed sapientiae, juxta illud Isaiae cap. 29. ut a d. Paulo citatur: *Perdam sapientiam sapientum*, et illud Apostoli 1. Cor. 1. *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.*

4. *Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti.*

Sanctus David ponit se in numero infantium, et lactentium laudantium Deum, quasi dicat: Certe ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem. Nam ego unus ex illis, quippe qui pastor ovium eram, tuas laudes perficiam, *Quoniam videbo coelos tuos*, idest, considerabo attente admirabile illud opus manuum tuarum, et inde laudabo te tanti operis creatorem. Illud *tuos*, non est in graeco, tamen est in hebraeo, שמיך *sciameca*, et inde in editionem nostram recte translatum fuit. Cur autem dixerit, *tuos*, declarat dicens, *opera digitorum tuorum*: nec dicit opera brachiorum, sed digitorum, tum ut ostendat summa facilitate coelos a Deo fuisse conditos; tum quia digitis fiunt opera subtilia, et pretiosa, ad quae facienda ingenium, non labor requiritur: non meminit solis, sed lunae tantum et stellarum, quia tempore nocturno contemplari solebat David; quoniam tempus illud ob quietem contemplationi aptius est. *Media nocte*, inquit psal. 118. *surgebam ad confitendum tibi.* Et alibi psal. 62. *In matutinis meditabor in te.* Sicut etiam Isaias cap. 62. *Anima mea desideravit te in nocte.* Noctu autem coelum videtur, luna et stellis ornatum: denique verbum *fundasti*, significat coelos, lunam, et stellas ex nihilo creata, quasi dicat Propheta, quae tu a fundamento fecisti, cum antea nihil eorum extaret.

5. *Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

Ex magnitudine Dei jam declarata, accedit ad tollendam magnitudinem Dei erga homines, *Quid est*, inquit, *homo*, quod tu creator coeli, et terrae dignaris ejus recordari; quasi dicat, maximum est hoc beneficium, quod altissimus Deus dignetur meminisse hominis, qui est pulvis et cinis. Quia vero istud, recordari in Deo, non est simplex memoria, sed est recordari ad benefaciendum; addit explicans, *aut filius hominis, quoniam visitas eum.* Homo, et filius hominis hoc loco idem significant, nisi forte ponatur haec distinctio ad signifi-

http://www.obrascatolicas.com

candum beneficia Dei non esse collata in solum primum hominem, qui fuit homo, sed non filius hominis; sed etiam in omnes posteros, qui ita sunt homines, ut sint etiam filii hominum. Visitatio autem significat specialem providentiam, quam Deus habet erga homines, sed praecipue illam, quam Deus ostendit, cum venit in hunc mundum, et assumpsit humanam naturam, et in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Haec est proprie visitatio, de qua Zachar. in Cant. Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.* Et infra. *Visitavit nos oriens ex alto.* Haec sane visitatio maxime meretur illam admirationem, *Quid est homo*, etc.

6. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Haec duplicem habent sensum, litteralem, et allegoricum. Secundum litteralem sensum commemorantur tria beneficia Dei erga naturam humanam, primo, quod homo sit conditus a Deo tam nobilis naturae, ut non sit inferior Angelis, nisi modicum: deinde, quod sit ornatus gloria, et honore prae omnibus aliis inferioribus creaturis, quia sit factus ad imaginem, et similitudinem Dei, ratione et libero arbitrio praeditus. Denique, quod acceperit potestatem, et dominium in omnia opera Dei, ac praesertim in animalia: ideo subjungit.

7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi.*
8. *Volucres coeli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

Per oves et boves intelliguntur omnia animantia domestica: per pecora campi, animantia sylvestria, quae libere vagantur per campos; per aves coeli, et pisces maris, non est dubium quid intelligatur. Illud est notandum in Hebraeo post *pisces maris*, addi in singulari, *perambulans semitas maris*, et in graeco etiam mutari saltem genus: nam post *pisces maris* habetur in neutro, perambulantia *semitas maris*. Sensus igitur est, non solum pisces proprie dictos, sed omne ambulans, sive omnia perambulantia semitas maris, idest, quidquid movetur in mari, sive sint pisces, sive monstra, sive quid aliud. Jam vero secundum allegoricum sensum, sed certum, et a Deo intentum Apostolo teste, Hebr. 2. e 1. Cor. 1. 15. significatur, hominem in Christo post illam insignem Dei visitationem, idest, Verbi incarnationem, minoratum aliquantulum ab Angelis propter passionem: tunc enim Christus visus est aliquo modo minor Angelis, cum ei apparuerit Angelus de coelo confortans eum et cum Angeli sunt impassibiles, et immortales, Christus autem eo tempore passus et mortuus sit. Absolute autem semper fuit Christus Angelis superior, et omni ex parte superior, Quod apparuit, quando gloria, et honore coronatus est, idest, per resurrectionem circumdatus undique glorioso, et immortali corpore, et constitutus per admirabilem Ascensionem super omnia opera Dei, exaltatus videlicet ad ipsam Patris sui dexteram. Omnia quoque subjecta sunt ei, nulla re excepta, *praeter illum*, ut Apostolus ait, 1. Cor. 15. *qui subjecit ei omnia.* Res autem illi praecipue subjectae sunt primo homines, tam fideles, significati per oves, et boves; subditos, et praelatos; minores, et majores; quam infideles, significati per animantia sylvestria. Deinde Angeli hominibus superiores significati per aves coeli, quae in sublime feruntur, et canunt assidue laudes Dei. Denique daemones hominibus inferiores significati per pisces maris, qui in imis, et profundissimis locis habitant, et muti sunt ad laudes Dei, et luto, ac humoribus delectantur. Haec omnia allegorice variis modis exponi posse, docet s. Augustinus in hunc locum; ubi aliam ponit expositionem, quae apud eum legi poterit. Unum hoc loco addendum est, quod superius commemorandum fuisset cum psalmista dicit, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, non esse in hebraeo nomen Angelorum, quos hebraei vocant, מלאכים *Malachim*, sed אלהים *Elohim*, quod interpretari solet Deus, vel Dii; sed quia nomen Dei in Scripturis saepe tribuitur Angelis, et ipsis etiam hominibus, qui aliis praesunt; recte septuaginta Interpretes respicientes sensum Prophetae, posuerunt, *Ab Angelis*: et eam interpretationem approbavit Apostolus Hebraeor. 2.

9. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.*

Repetit primam sententiam, ut ostendat illam esse quasi conclusionem, quam in toto psalmo declarare et approbare intendebat, quasi dicat, Jure igitur, ac merito exclamavi, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.*

PSALMUS IX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro occultis filii, Psalmus David.

Hunc titulum Hebraei legunt, *Victori super mortem filii*: et quidem verba hebraica, ut modo leguntur, ita sonant. Sed quia psalmus hic est psalmus laetitiae, et David non laetitia, sed moerore maximo affectus fuit ex morte filii, ideo aliqui volunt vocem illam, לבן *Laban*, legendam esse ordine literarum converso videlicet, נבל *Nabal*, ut sensus sit, pro morte *Nabal*. Sed psalmus non loquitur de morte unius hominis tantum, sed etiam de interitu magni alicujus exercitus. Ideo alii dicunt in hoc psalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, et fuga totius exercitus Philistinorum. Sed Goliath non fuit filius David, ut inscribere debuerit psalmum *pro morte filii*. Verissima est igitur lectio Septuaginta et vulgatae latinae editionis, *pro occultis*, sive *arcanis filii*. Voces enim illae, על מות *hal muth*, possunt legi, עלמות *alamoth*, quod significat, *occulta* sive *arcana*, et credibile est excidisse praepositionem, *al*, et legendum *al alamoth*, pro occultis, sicut legitur in titulo psalmi 45. Certe septuaginta Interpretes, qui utrumque titulum eodem modo reddiderunt, videlicet pro occultis, sine dubio eodem modo legerunt, videlicet, עלמות על *hal halamoth*, neque dubium esse potest, quin libri eorum emendatiores fuerint quam nostri. Quia vero ponitur hoc loco nomen filii absolute, et praecedit nomen arcani, sive occulti, idest, mysterii reconditi, recte intelligimus in psalmo tractari de unico illo Filio Dei, qui in carne humana delitescens, novo bellandi genere pugnans vicit diabolum et exercitum ejus, quod Apostolus Coloss. 1. vocat mysterium absconditum a saeculis. Ad quem sensum reduci potest lectio hebraica, pro morte filii, id est, pro morte Christi filii Dei, quatenus ea mors fuit gloriosa debellatio principis tenebrarum.

EXPLICATIO PSALMI IX.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

Proponit materiam psalmi, quae erit laudatio Dei propter opera ejus mirabilia. Illud, *in toto corde*, significat rem esse omnium maximam, quam laudaturus est, et ideo totis viribus, toloque affectu laudandam. Illud etiam, *omnia mirabilia*, significat, rem laudandam esse tam universalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et vere talis fuit redemptio generis humani, opus summae misericordiae, in quo recapitulantur omnia beneficia Dei, juxta illud Apost. ad Eph. 1. *Instaurare omnia in Christo*, idest, recapitulare, ut sonat vox graeca, ἀνακεφαλαιοῦσθαι, et in unam quasi summam omnia redigere.

2. *Laetabor et exaltabo in te, psallam nomini tuo Altissime.*

Idipsum aliis verbis significat, vel potius explicat, quasi dicat, Confitebor tibi laetabundus et exultans, ita ut laetitia sit in corde, exultatio in exteriori motu; atque ita in toto corde confitebor. Narrabo mirabilia psallens nomini tuo altissime, idest, in gloriam tuam canens illa mirabilia.

3. *In convertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur et peribunt a facie tua.*

Incipit narrare victoriam Christi contra diabolum, et satellites ejus, et loquitur in persona totius Ecclesiae. *In convertendo*, inquit, *inimicum meum retrorsum*, idest, cum convertetur inimicus meus diabolus retrorsum, fugere videlicet incipiens a facie tua; tunc omnes ejus milites infirmabuntur, et peribunt, idest, cognita fuga ducis, debiles reddentur, et dilabentur, ac evanescent ac si periissent. De hac fuga diaboli loquitur in evangelio Dominus: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* Joan. 12.

4. *Quoniam fecisti judicium meum, et causam meam, sedisti super thronum, qui judicas justitiam.*

Reddit causam quare futurum sit ut diabolus fugiat, et totus ejus exercitus dissipetur. *Quoniam*, inquit, tu Domine filii Dei, *fecisti judicium meum et causam meam*, idest, absolvisti judicium, et litem (id enim proprie sonat vox Hebraea דין *dini*) et controversiam, quae erat generi humano; sive Ecclesiae cum diabolo. Diabolus enim praetendebat genus humanum juste a se teneri captivum, et tyrannice illud vexabat, sed Christus in cruce ab-

http://www.obrascatolicas.com

solvit hanc litem, satisfaciens pro homine; unde subditur; *Sedisti super thronum, qui judicas justitiam*, ubi crucem vocat thronum, juxta illud s. Leonis serm. 8. de passione Domini: *O ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi!* Atque haec sunt vere occulta Filii Dei, ut habetur in titulo Psalmi. Qui enim in oculis hominum reus videbatur, et cum summa ignominia poenas luere, is illo ipso tempore in throno sedens justitiam judicabat, idest, justissime judicabat, jam pretio persoluto hominem liberandum et diabolum dominio spoliandum, et re ipsa *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, ut scribit Apost. Coloss. 2. *tulit de medio affigens illud cruci, spolians principatus, et potestates.*

5. *Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in aeternum, et in saeculum saeculi.*

Post debellatum diabolum per crucem, Dominus Christus per Apostolos increpavit gentes: *Arguens mundum de peccato, de justitia, et de judicio* (ut ipse Dominus futurum praedixit Jo: 16.) et eo modo periit impius, idest, periit impietas idololatriae, et homo de impio factus est pius. Nec solum periit impius, qui tunc erat, sed delevit Christus nomen eorum, idest, gentilitatis, et idololatriae in aeternum, ut non amplius sint rediturae, quasi stirpitus eradicatae. Id quod jam videmus ita impletum, ut ne Judaei quidem colant amplius idola; qui ad ea colenda propensissimi erant. Quod attinet ad verba, in graeco non est, *nomen eorum*, sed *nomen ejus*, idest, impii: sed in hebraeo est, שמם *schemam nomen eorum*, et latina interpretatio idem habet, vel quod olim in Graeco ita legeretur, et postea sit mutatum vitio librariorum; vel quod latino interpreti magis placuerit lectio hebraica: sed in sententia non est diversitas ullius momenti. Illud autem *in aeternum, et in saeculum saeculi*, in hebraeo est, לעולם ועד *leholam vahed*, in saeculum, et in aeternum: significatur autem ista additione vera aeternitas, idest, tamquam finienda duratio, ne quis acciperet hoc loco aeternum pro longo tempore, sed aliquando finem habituro.

6. *Inimici fecerunt frameae in finem et civitates eorum destruxisti.*

Reddit causam, cur non sit reditura idololatria; quia perierunt arma diaboli, et civitates ubi habitabat, ita ut non habeat nec unde offendat, nec ubi se defendat: illud, *inimici*, est genitivi casus, ut patet ex graeco: nam ex hebraeo posset etiam verti, O inimice, sed rectissima est versio graeca latina, et non repugnat hebraicae, pro *frameae*; in hebraeo nunc legitur solitudines, sed verbum, חרבות *carabot*, significat gladios, et חרבו ת *corabot*, solitudines, utrumque autem legi potest, solum mutatis punctis. Itaque septuaginta legerunt, *carabot*, ideo recte verterunt frameae, sive gladii, ut sensus sit, defecerunt gladii hostis nostri diaboli usque in finem, idest, nullo remanente, sive in aeternum. Illud etiam, *civitates eorum*, in hebraeo et graeco habetur sine pronomine eorum, et civitates destruxisti, nimirum inimici, quasi dicat, inimicus amisit gladios, et civitates: per gladios inimici intelligi possunt tentationes, sive suggestiones, et quasi verba diaboli, sicut *gladium spiritus* vocat Apostolus verbum Dei, unde etiam idem Apostolus tentationes diaboli esse dicit *tela ignea*, ad Ephes. 5. Dicuntur autem isti gladii defecisse, quia nihil nocere possunt armatis fide Jesu Christi. In quo sensu allegavit hunc locum psalmi s. Antonius apud Athanasium in vita ipsius, probare volens tentationes diaboli per signum crucis facillime repelli; per civitates autem diaboli intelligi possunt homines infideles, in quibus diabolus libere regnat. Destruxit Christus has civitates, dum per totum mundum idola substulit. De hac re Dominus loqui videtur, cum ait Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet; si autem fortior superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, etc.* Cum diabolus custodiebat atrium, in pace erant omnia, quae possidebat; idest, cum infidelis infidelitatem conservabat, secure possidebat omnia sua, quia dum homo est infidelis, semper est in manu diaboli, etiamsi moraliter bene vivere videatur, ut multi philosophi, atque Ethnici faciebant. At atrio expugnato per Christum, id est, infidelitate sublata, et cognitione veri Dei introducta, omnia sua diabolus perdidit.

7. *Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in aeternum permanet.*

In hebraeo, ut nunc legitur, non habetur *cum sonitu*, sed *cum ipsis*, ut sensus sit, perierunt impii, et cum ipsis periit etiam memoria ipsorum. Caeterum vox hebraica potest legi, המה *Hemma*, et significat cum ipsis, potest etiam legi, המה *Hama*, et significat sonitum; sic legerunt Septuaginta Interpretes, et addiderunt perspicuitatis gratia praepositionem, *cum*, et ideo verterunt *sonitu*; sensus autem est, periisse memoriam idololatrarum, et ipsorum idolorum, et totius regni Satanae cum magno strepitu, et sonitu. Repugnavit enim mundus totus, et ipsi summi reges, et imperatores totis viribus conati sunt idola defendere: sed quo magis mundus fremebat, eo magis idololatria cadebat, et memoria ejus abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum, memoria quoque idololatriae periit: Dominus autem Christus, et ejus memoria numquam peribit.

8. *Paravit in judicio thronum suum, et ipse judicabit orbem terrae in aequitate, judicabit populos in justitia.*

Post Christi mortem, et resurrectionem *data est ei omnis potestas in coelo, et in terra*, Matth. ultimo. In hoc loco David commemorat quasi dicat, post certamen cum diabolo, Dominus *paravit*, sive ut sonat vox hebraea, כונן *chonen*, stabilivit thronum suum in judicio, idest, ad judicandum; et ipse, qui est princeps regum terrae, *judicabit orbem terrae*, idest, populos omnes totius mundi, *in aequitate*, et justitia. Idem est autem hoc loco aequitas, et justitia; nam tam in hebraeo, quam in graeco pro, *aequitate*, habetur justitia, pro *justitia* habetur, rectitudo; itaque latinus interpres non accepit aequitatem proprie, sed ut poni solet aliquando pro justitia; et sicut in hebraeo, et graeco est res eadem, bis repetitur diversis vocibus: ita credendum est, latinum interpretem eadem intelligi voluisse per aequitatem, et justitiam. Dicitur autem Christus judicare orbem terrae, quamvis multi sint in mundo principes infideles, et impii, qui contra Christum pugnant; quoniam corda eorum in manu Christi sunt, nec faciunt, nisi quod ipse justo judicio facere eos sinit.

9. *Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus in tribulatione.*

Ex eo quod deinceps regnabit Dominus Christus et judicabit juste, colligit David magnam consolationem pauperum, qui alias a potentibus opprimi solent, quasi dicat, non timeant amplius pauperes, quia Dominus in coelo sedens factus est refugium pauperum; et rursus ipsum aliis verbis repetit: *adjutor*, inquit, *pauperum in opportunitatibus*, idest, temporibus opportunis, quando videlicet necessitas id requirit, nimirum in tribulatione. Tunc enim opportune divinum praebetur auxilium, quando tribulatione urgemur, et deficit humana consolatio. Adimpletur autem haec promissio in omnibus, qui Deum vere quaerunt, et timent; et ideo subjungit:

10. *Et sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine.*

Mutatio personae frequens est in psalmis, et saepe nascitur ex affectu novo, qui Davidi inspirabatur dum laudes Dei caneret. Merito, inquit, in te sperare possunt in angustiis suis omnes, qui noverunt nomen tuum, idest, qui non solum sonant voce nomen Dei; sed probe intelligunt, quam magnam rem significet, et ex nomine isto recte intellecto cognoscunt potentiam, et misericordiam Dei. Ideo merito in te sperare possunt amici tui, *quoniam non dereliquisti*, idest, numquam dereliquisti quaerentes te. Dicuntur autem quaerere Deum qui cupiunt ejus gratiam, et student toto corde placere illi.

11. *Psallite Domino, qui habitat in Sion; annunciate inter gentes studia ejus.*

Post apostrophen ad Deum, ex eodem fervore spiritus facit aliam ad homines, exhortans eos, ut ipsi quoque Deum laudent, et alios ad laudandum excitent. Dicitur Dominus habitare in Sion, quia ibi erat arca testamenti, et locus orationis; additur haec periphrasis, ut distinguatur Deus verus a Diis falsis, qui habitant in delubris, et sanis Ethnicorum. Illud autem, *studia ejus*, significat cogitationes, consilia, molimina, adinventiones, opera Dei mirabilia, quae relucent in redemptione generis humani. Nam idem vocabulum hebraicum, עלילות *haliloth*, quod hic vertitur *studia*, in psalm. 104. vertitur *opera*. Isaiae 12. in cantico Isaiae vertitur, *adinventiones*. Itaque sensus est, cantate Deo vero psalmum, laudantes eum, et annunciate inter gentes mirabiles cogitationes, et mirabilem industriam, atque adeo mirabilia opera ejus, ut omnes gentes haec audientes illum laudent.

12. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.*

Redit Propheta ad id quod dicebat, Dominum justum judicem esse refugium pauperum in tribulatione, et respondet tacitae objectioni, quae poterat fieri, quia videmus interdum pauperes pios opprimi a potentioribus, et etiam innocenter occidi. Laudate, inquit, Deum, quoniam etiamsi videatur aliquando oblivisci pauperum suorum; tamen non ita est, sed *requirens*, idest, inquirens in vitam hominum, et discutiens acta singulorum, *recordatus est sanguinem innocentium injuste effusum, et non est oblitus clamorem eorum*, qui dum opprimerentur, clamaverunt ad eum. Deum autem recordatum esse sanguinem suorum, patebit suo tempore, quando opprimentium poena, et oppressorum gloria manifestabitur.

13. *Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.*

Laudavit eum de praeteritis beneficiis; nunc imploral auxilium adversus praesentes, et futuras angustias. Est autem vox Ecclesiae contra persecutores tum visibiles, tum invisibiles. *Miserere*, inquit, *mei Domine, vide humilitatem meam*, idest, ab ectionem meam (id enim sonat verbum graecum ταπείνωσις) sive afflictionem meam (quod significare solet verbum hebraicum) עני *honi* de inimicis meis, idest, ex inimicis meis provenientem.

14. *Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.*

Prima pars hujus versiculi conjungitur cum superiore versu. Est enim sensus, *Miserere mei, vide humilitatem meam*, tu Domine, *qui exaltas me de portis mortis*, idest, qui soles me longe facere a portis mortis; et quia portae illae intelliguntur esse in loco inferiori, et eaedem cum portis inferi, quia non loquitur Propheta de morte corporis, sed de morte animae per peccatum, sive de morte aeterna; ideo exaltari se dicit, ut longe fiat ab illis. Per portas mortis, sive inferi, videtur intelligenda multitudo infernalium hostium nostrorum. Quia enim multitudo populi ad portas convenire solebat apud Hebraeos, sive ad judicium, sive ad alia publica negotia, ideo multitudo nomine portarum significatur. Matth. 16. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ecclesiast. ult. *De portis tribulationum, quae circumdederunt me.* Pulchre

http://www.obrascatolicas.com

autem opponuntur portae mortis portae filiae Sion, idest, portis Jerusalem: quia portae mortis seu inferni in loco infimo sunt, portae Jerusalem in monte excelso: in portis mortis congregatur populus infernalis, in portis Jerusalem populus Dei. Portae mortis tentationes, et bella emittunt, per quae itur ad mortem; portae Jerusalem in pace fundatae sunt. Jerusalem enim posuit fines suos pacem, et ipsa visio pacis dicitur. Itaque exaltatur Ecclesia a portis mortis, ut annunciet laudem Dei *in portis filiae Sion*, idest, liberatur a tentationibus, ne cadat in mortem aeternam, ut gratiam liberatoris agnoscat, et laudet coram Angelis Dei, qui sunt in portis coelestis Jerusalem.

15. *Exultabo in salutari tuo, infixae sunt gentes in interitu, quem fecerunt.*

Exultabo, inquit, liberatus de portis mortis, in salutari tuo, idest, in salute a te mihi donata. Quoniam (id enim subintelligitur, ut saepe alias in psalmis) gentes, quae mihi interitum fecerunt, idest, paraverunt, in ipsum interitum infixae sunt tamquam in luto tenacissimo, unde evadere nequibunt: hoc est, persecutio inimicorum non mihi nocuit, sed ipsis.

16. *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

Nec solum aperta prosequutio, sed etiam occulta, quae veluti laqueus tendebatur, auctoribus perniciosa fuit, non mihi. Fortasse hic tanguntur persequutiones apertae Diocletiani, et similium, et occultae Juliani Apostatae, et imperatorum haereticorum.

17. *Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

Ex hoc mirabili judicio Dei, qui convertit arma, et fraudes hominum impiorum in ipsos, colligit David fore, ut cognoscatur Deus. *Cognoscetur Dominus judicia faciens*, idest, cognoscetur esse Deus verus, et summus, dum judicia facit tam admiranda: nam per ejus providentiam in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, nimirum dum incidit in interitum quem aliis paraverat, et in laqueum quem aliis tetenderat. Similia habentur in psal. 7. versu 15. et eumdem sensum habent. Post hunc versiculum in hebraeo additur הגיון סלה *Higgaion selà*, quod verti potest, meditatio semper, quod significat, judicia Dei supradicta assidue, ac jugiter esse meditanda.

18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum.*

Non imprecatio, sed prophetia est, impios ad inferos descensuros. *Convertantur*, positum videtur pro revertantur, ut vox hebraea ישובו *iaschubu*, sonat, et revertantur, pro revertentur. Dicuntur autem peccatores reversuri ad inferos, quia inde venerunt, qua peccatores sunt: Deus enim fecit hominem rectum, sed diabolus eum peccatorem fecit. *Vos*, inquit Dominus Joan. 8. *Ex patre diabolo estis*. Quod sequitur, *omnes gentes quae obliviscuntur Deum*, declarat qui sint peccatores reversuri in infernum, illi nimirum omnes, qui obliviscuntur Deum. Oblivio enim Dei est radix omnium peccatorum: nam omnis qui peccat, avertitur a Deo, et convertitur ad creaturam.

19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.*

In hebraeo non habetur negatio in secundo membro, sed legitur, *patientia pauperum peribit in aeternum*, sed negatio prioris membri ex phrasi hebraica, trahitur etiam ad membrum posterius, et ideo septuaginta Interpretes recte verterunt, *non peribit*. Significat autem hic versiculus, ideo peccatores, qui pauperes opprimere solent, in infernum dejiciendos, quoniam Deus vindictam aliquando sumet de oppressione pauperum suorum. Quamvis enim ad tempus videatur non recordari eorum; tamen non obliviscetur eorum in finem; sed aliquando recordabitur, et proinde patientia sive expectatio pauperum non peribit *in finem*, idest, in aeternum, ut sonat vox hebraea לעד *Lahad*. Dicitur autem patientia pauperum non peritura in aeternum, non quoad se, sed quoad suum affectum; quasi dicat, non frustrabitur in aeternum, sed aliquando effectum suum sortietur.

20. *Exurge Domine, non confortetur homo, judicentur gentes in conspectu tuo*

Posteaquam praedixit interitum impiorum, rogat Deum ut incipiat coercere impios. *Exurge*, inquit, *Domine, non confortetur*, idest, non praevaleat homo, qui pulvis est contra Deum factorem suum. *Judicentur gentes in conspectu tuo*, idest, judicium contra eos a facie tua prodeat. Quod in alio psalmo legimus, *Judica illos Deus*.

21. *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.*

Judicium contra gentes, quae persequebantur Ecclesiam, manifestum fuit quando subjectae fuerunt principi christiano. Tunc enim intellexerunt gentiles, ac homines esse, infirmos videlicet, et contra Christum praevalere non posse. Id praedicit Propheta per modum precantis. Nomen hebraicum מורה *Morah*, vel מורה *Morè*. Doctorem significat, et etiam terrorem, ut vertit s. Hieronymus. Et quia Propheta loquitur de doctore terribili, qui cum imperio praecipit, et docet, ideo recte legislatorem dixerunt Septuaginta Interpretes. Multi per hunc legislatorem intelligunt Christum; multi Antichristum. In re obscurissima quisque in suo sensu abundet. Ego Constantinum intelligo, Jovinianum, Valentinianum, Theodosium, et similes.

22. *Ut quid Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione.*

In hoc versu incipiunt Hebraei psalmum decimum, sed hanc distinctionem septuaginta Interpretes non habuerunt: et credibile est, a posterioribus excogitatam fuisse distinctionem, propterea quod materia hujus partis psalmi videatur diversa omnino a materia prioris partis, cum in parte priore exultet Ecclesia pro victoria contra inimicos Dei et suos: in posteriore gemat ob eorumdem inimicorum prosperos successus adversus Ecclesiam. Sed non tam est diversa materia, quam diversa sunt tempora, quae David prophetando percurrit. In principio enim psalmi exultabat David in spiritu ob occulta mysteria filii Dei, qui moriendo debellavit aereas potestates, et gentilitatem, atque idola destruxit: deinde in fine prioris partis, et in hac posteriore praedicit persecutiones Ecclesiae tum a gentibus, tum ab aliis malis hominibus excitatas: quae interdum ita crescunt, ut videatur Dominus oblitus esse populi sui, quem tam gloriose liberaverat, et quia dixerat paulo ante, *Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, ideo nunc respiciens aliud tempus, quo, Deo permittente, pauperes opprimuntur a potentioribus, ait, *ut quid Domine recessisti longe*, idest, ita permittis impios grassari in justos, ac si non adesses, sed longe recessisses? *Despicis*, tuos pauperes videlicet, *in opportunitatibus*, quando opportunum esset eos juvare, nimirum *in tribulatione*.

23. *Dum superbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant.*

Difficilis omnino versiculus; videtur haec esse sententia, *dum superbit impius*, idest, dum impius prospere agit, et gloriosus apparet, tunc *incenditur pauper*, idest, scandalizatur, et uritur aestu cogitationum justus pauper; *comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant*, idest, uterque, tam impius gloriosus, quam justus pauper comprehenditur, et illaqueatur consilio, idest, cogitatione sua. Nam impius cogitat sibi deberi illam foelicitatem, et ipse se decipit: justus vero videns impium prospere agere, cogitat, quid hoc sibi velit, et magis ac magis se involvit. Quod ad Grammaticam attinet, cum dicitur, *in consiliis quibus cogitant*, graecismus est, et latinus Interpres ad verbum vertere voluit. Nos enim diceremus in consiliis, de quibus cogitant, vel quae cogitant. Per consilia vero cogitationes intelligimus, ut magis proprie significat vox hebraica. Porro haec videtur ratio versiculi superioris, ideo enim rogavit Propheta Deum, ut non despiceret pauperem in tribulatione, quia prosperitas impiorum, et impiis, et justis nocet, dum illi superbiunt, isti scandalizantur.

24. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae; et iniquus benedicitur.*

Hebraica lectio, ut nunc se habet, ad verbum sic vertenda esset, *Quoniam laudavit impius desiderium animae suae, et avarus benedicens exacerbavit Dominum*. Sed remotis punctis, distinctionibus, quae tempore septuaginta Interpretum non aderant, clarissime cernitur sententia, quam septuaginta rectissime expresserunt. Verbum enim, הלל *hillel*, quod significat laudavit; si legatur, הלל *hullal*, ut Septuaginta legerunt, significat laudatus est, et verbum, ברך *borech*, benedicens, si legatur, ברוך *baruch*, significat benedictus est. Illud autem exacerbavit Dominum, pertinet ad versiculum sequentem, qui incipit, *Exacerbavit Dominum peccator*. Reddit igitur causam Propheta, cur ex prosperitate superbiat impius et laudetur peccator, quia videlicet peccator male agit, et tamen quia dives est, et potens, laudatur a multis, quasi bene agat, et desideria animae ejus, id est, desideria ipsius (est enim phrasis hebraica, et desiderium animae meae, pro desiderium meum) quamvis iniqua, et injusta approbantur, et hinc fit, ut iniquus benedicatur, cum maledici potius mereretur.

25. *Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem irae suae non quaeret.*

Pergit explicare malitiam peccatoris superbi. *Exacerbavit*, inquit, *Dominum peccator*, et cum deberet omni studio quaerere reconciliationem, *secundum multitudinem irae suae non quaeret*, idest, propter magnitudinem irae suae in pauperes afflictos, non quaeret Deum, vel reconciliationem cum Deo. Ira enim, et arrogantia excaecat mentem, ut non cogitet peccator, quam magnum sit malum exacerbare Deum omnipotentem.

26. *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatae sunt viae illius in omni tempore.*

Excaecatus peccator non cogitat Deum. In hebraeo majori emphasi legitur, *non est Deus in omnibus cogitationibus ejus*, idest, in nulla ejus cogitatione est Deus, idest, cum tam multa cogitet, numquam cogitationi ejus occurrit Deus. Ita funditus Deum oblitus est. *Inquinatae sunt viae illius in omni tempore*. Hoc sequitur ex superiore, quia numquam Deum cogitat, nullo tempore dirigit viam suam ad Deum, sed ad carnalia desideria explenda; et ideo omnes viae, idest, omnia opera ejus sunt inquinata sorde concupiscentiae.

27. *Auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum suorum dominabitur.*

Id quod eum convertere posset a via mala, cogitatio videlicet terribilium judiciorum tuorum, longe est a corde ipsius, et ideo, sine ullo timore Dei dominatur omnium inimicorum suorum, idest, tyranice opprimit omnes, quos inimicos suos putat.

28. *Dixit enim in corde suo, Non movebor a generatione in generationem sine malo.*

Confidentia vana impii hic notatur: cogitat enim apud se nihil sibi nocere posse. *Dixit*, inquit, *in*

http://www.obrascatolicas.com

corde suo, non movebor: idest, nemo me commovere poterit, nec dejicere a statu meo, a generatione in generationem sine malo, supple, ero. Nam et in hebraeo, et in graeco ponitur distinctio post verbum, movebor, et in hebraeo clare appareat sensus ille, a generatione in generationem sine malo ero, quomodo etiam vertit s. Hieronymus.

29. *Cujus os maledictione plenum est, et amaritudine, et dolo; sub lingua ejus labor, et dolor.*

Descripsit Propheta quale sit cor impii, quod videlicet non cogitet Deum, nec judicia ejus, et speret nihil mali sibi eventurum: nec describit, quale sit os, descripturus postea qualia sint opera. Dicit igitur, os impii esse plenum maledictione, amaritudine, et dolo. Ad maledictionem pertinent blasphemiae in Deum, et convicia in homines; ad amaritudinem detractiones, murmurationes, contentiones, et alia, odium, et rancorem testantia: denique ad dolos calumniae, mendacia, perjuria. Quod additur, *sub lingua ejus labor, et dolor*, significat effectum superiorem malorum. Eo enim tendunt omnia verba impii, ut laborem, et dolorem afflictis adferant. Sub lingua ejus labor, et dolor, idest, id quod est sub lingua impii, idest, materia, in qua exercetur lingua impii, est labor et dolor miserorum hominum, qui ei quoquo modo subjiciuntur.

30. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis ut interficiat innocentem.*

Hic jam describuntur mala opera, idest, oppressiones pauperum. Est autem oratio metaphorica, ducta similitudine ab iis, qui latent intra vestibula domus, ut observent, quando transeunt, quos interficere cupiunt. Significat autem Propheta hac metaphora viros impios, et potentes, adjunctis sibi sociis aliis divitibus et potentibus, variis artibus, et dolis circumvenire pauperes, eosque ad extremam perniciem adducere. In hebraeo non est *in insidiis cum divitibus*, sed, *in insidiis atriorum, seu vestibulorum*. Caeterum septuaginta non legerunt, חצרים *chazerim*, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, sed, עשירים *hascirim*. Illud enim atria, hoc divites significat. Itaque probabile est post tempora septuaginta textum hebraicum fuisse mutatum.

31. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.*
32. *Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.*
33. *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.*

Quod dixit in versiculo tricesimo, exponit in his tribus versiculis varians metaphoras. Nam 30. versiculo comparavit oppressorem pauperum homini insidianti alteri homini: in 31. comparat Leoni insidianti aliis bestiis debilioribus: in 32. et 33. comparat homini tendenti laqueos bestiis, et capienti eas. Versiculi duo postremi sunt in Hebraeo multo clariores; sic enim ad verbum reddi potest lectio hebraica, quomodo vertit s. Hieronymus: *Insidiatur, ut rapiat pauperem, rapiet pauperem cum attraxerit eum ad rete suum: et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter*. Nostra vero lectio sic explicanda est: *Insidiatur, ut rapiat pauperem*; rapere autem pauperem insidiatur tunc, cum eum ad se attrahit alliciendo incautum. *In laqueo* vero suo *jam captum humiliabit*, idest, opprimet, et inclinabit se super eum, atque in eum cadet, id est, super eum irruet, *cum dominatus fuerit pauperum*, idest, cum iis plane potitus fuerit. Et simul haec verba pulchre alludunt ad casum interiorem impii: tunc enim horrende cadit in servitutem diaboli, cum dominari sibi videtur hominum miserorum.

34. *Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.*

Repetit causam tantae impietatis, nimirum, quia impius cogitat apud se Deum non curare res humanas, nec unquam esse curaturum.

35. *Exurge Domine Deus, et exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum.*

Rogat Deum, ut impios coerceat. *Exurge*, inquit, quasi a somno, *et exaltetur manus tua*, ad percutiendum: manus enim dormientis, vel quieti hominis demissae, et saepe complicatae esse solent. In graeco adduntur duae voces, post *Domine Deus*; additur, *meus*, et post, *ne obliviscaris pauperum*, additur, *in finem*. Sed in hebraeo non habetur, nec in latinis emendatioribus.

36. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, Non requiret.*

Iterum repetit causam, cur impius Deum irritet peccando, eam esse, quia cogitat Deum ista non requirere.

37. *Vides, quoniam tu laborem, et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.*

Refellit Propheta illam causam, quasi dicat, Imo, vides o Deus, et requiris, quod ex eo apparet, quia tu laborem, et dolorem miserorum consideras, ut cum impleta fuerit mensura, tradas impios in manus tuas puniendos. In hebraeo, et graeco habetur, *Quoniam tu laborem, et furorem consideras*, etc. sic etiam legit s. Augustinus, et s. Hieronymus: si ita legamus, sensus erit, Quoniam tu laborem opprimentium consideras.

38. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

Merito ista consideras, quia tibi Patri omnium incumbit cura eorum, praecipue qui sunt destituti omni alio auxilio.

39. *Contere brachium peccatoris, et maligni: quaeretur peccatum illius, et non invenietur.*

Contere brachium, idest, potentiam et robur peccatoris, et sic humiliatus resipiscet, nec amplius peccabit: ideo quaeres postea peccatum ejus, et non invenies. Nam, ut ait Isaias cap. 28. *Sola vexatio dabit intellectum auditui*; et David, psal. 82. *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum.*

40. *Dominus regnabit in aeternum, et in saeculum saeculi: peribitis gentes de terra illius.*

Praedicit futurum, quod ut fieret, oraverat. *Dominus*, inquit, semper *regnabit*, invitis inimicis ejus, imo ipsi inimici peribunt, et exterminabuntur *de terra illius*, idest, de orbe terrarum universo, *quia Domini est terra et plenitudo ejus*, Psal. 13.

41. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Quod futurum est, ponit tamquam praeteritum propter certitudinem, nec dicit orationem, sed *desiderium pauperum*, ut ostendat celerem exauditionem, quasi dicat, Deus, qui scrutatur corda, non expectabit orationem, sed ipsum desiderium, quod orationem praecedere solet, exaudiet. Idem vero est, desiderium, et praeparatio cordis: desiderium enim est praeparatio ad orandum.

42. *Judicare pupillo, et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

Exaudivit Dominus desiderium pauperum *judicare pupillo et humili*, idest, ad hoc exaudivit, ut judicet causam pupilli, et humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps homo audeat superbire, *homo*, inquam, *qui est super terram*, contra Deum, qui est in coelo. In hebraeo significantius dicunt, *Ut nequaquam ultra superbiat homo de terra*, idest, homo ex terra compositus, quasi dicat, ut non superbiat figmentum contra factorem suum. Haec omnia, quae dicuntur in hoc Psalmo adversus impium oppressorem pauperum, attribuuntur Antichristo a s. Hieronymo et Augustino: sine dubio illi conveniunt per antonomasiam omnia, quae dicuntur in genere de impiis; sed si ad litteram dicantur haec de oppressoribus pauperum in genere ut nos existimamus, certe manifeste apparet quam ingens crimen sit, quod tot verbis, et tam significantibus a Spiritu sancto reprehenditur.

PSALMUS X.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David

De titulo dictum est in praecedentibus. Argumentum hujus psalmi est cohortatio ad confidentiam tempore calumniarum, aliarumque persecutionum. Loquitur David in persona cujuslibet justi, praevidens quodam modo illud Apostoli: *Omnes qui pie vivere volunt, persecutionem patientur*. 2. Tim. 3.

EXPLICATIO PSALMI X.

1. *In Domino confido: quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer?*

Vox justi, qui pulsatur tentatione desperationis, ut vocationem suam deserat ob multitudinem calumniatorum: *In Domino*, inquit, *confido*, qui ubique est, et omnipotens est; *quomodo dicitis animae meae?* idest, cur mihi persuadere conamini? Jam enim supra diximus, phrasim esse hebraicam, *animae mae*, pro mihi. Alloquitur autem vel daemones tentantes, vel ipsas internas suggestiones, hoc est, cogitationes a diabolo immissas: *Transmigra in montem sicut passer*, idest, desere vocationem, et hominum consortium, et ibis ad locum, ubi nulla sunt pericula, nullae tentationes. Passeres enim, cum timent aucupes, volant ad cacumina montium, ad quae aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationum nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui cum tentantur graviter, imaginantur mutatione locorum posse molestiam illam declinari; et qui desperant, ipsam etiam violentam mortem eligunt, ad quam fugiunt, tamquam ad montem. Justus autem constans est, et locum suum non deserit, sciens ubique tentationes diaboli, et ubique adjutorium Dei esse. In hebraeo habetur, *Transmigra in montem vestrum passer*, sed vocem, כם *chem*, quae significat, *vestrum*, Septuaginta legerunt, כמו *chemo*

http://www.obrascatolicas.com

quod est, *sicut*; et haec sine dubio est lectio verior et clarior. Hieronymus sic vertit. Itaque post tempora s. Hieronymi videtur hic locus corruptus in hebraeo, librariorum vitio.

2. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

Haec est ratio, cur sit fugiendum ad montem, idest, deserenda vocatio prae nimio timore, quem tentatio suggerit; videlicet, quia mali homines assidue persequuntur justos sive calumniis, sive alia ratione. Comparat autem calumnias, sive alias persecutiones sagittis, quae jaciuntur in obscuro, ut significet eas calumnias, vel persecutiones non solum graviter ferire, sed etiam vix posse caveri. In hebraeo habetur, *Paraverunt sagittas suas in nervo*, et secundum hanc lectionem idem est, *intenderunt arcum, et paraverunt sagittas in nervo.* At Septuaginta verterunt: *Paraverunt sagittas in pharetra*, ut significarent, non solum peccatores intendisse arcum, ut semel jacerent sagittam, sed etiam implesse pharetram sagittis, ut saepius jaculari possunt. Quamvis autem vox hebraea, יתר *Jeter*, nervum, et chordam significet, et in dictionariis non inveniatur locus ubi ponatur pro pharetra, tamen authoritas septuaginta Interpretum satis est, ut credamus etiam pro pharetra accipi posse quod latinus codex habet, *in obscuro*, et hebraeus, אפל *ophel*, in caligine, in graeco est σκοτομὶν *in obscura luna;* sed in re nulla est discrepantia. Nam obscura luna significat noctem carentem lunae splendore, sive sit nebulis tecta luna, sive sit cum sole conjuncta, aut soli vicina. Possent hi duo versiculi etiam hunc sensum habere, *In Domino confido, quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*, idest, non licet jam esse recto corde, quoniam undique tenduntur insidiae rectis corde, ideo vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest, vel credendum est consuetudini, et deserenda via justitiae. Sed huic tentationi respondet justus: *In Domino confido;* et ideo nec in montem inhabitabilem abibo, nec deseram viam justitiae.

3. *Quoniam quae perfecisti destruxerunt; justus autem quid fecit.*

Confirmat Propheta per apostrophen ad Deum, verum esse, quod peccatores injuste persequuntur justos. Quasi dicat, verum, est quod audivi de impietate peccatorum. Nam peccatores *destruxerunt ea, quae tu perfecisti*, idest, leges tuas perfectissimas, nec non consilia, et ordinationes omnes tuas, quas posuisti in populo tuo, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut tu jubes, sed reddunt mala pro bonis, sine ulla causa calumniando, et persequendo justos. *Justus autem quid fecit?* hoc est, justus non dedit illis ullam occasionem, sed ipsi oderunt justos gratis. Vox hebraea, quam Septuaginta verterunt, *perfecisti*, valde obscura est. s. Hieron. vertit *leges*, alii *fundamenta*, alii *retia*. Mihi verisimile videtur septuaginta Interpretes non legisse, ut nunc habemus in hebraeo, השתות *hasciatoth*, quod abet formam nominis pluralis, sed legisse, השתות *hasciattota*, quod significat posuisti, a verbo, שתת *sciatat*, in conjugatione *hiphil*: sunt enim eaedem omnino literae, et solum additur punctum unum sub ultima litera. Nam fere id observamus in psalmis, ut septuaginta legerent paulo aliter, quam legerint ii, qui puncta addiderunt.

4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes ejus.*

Incipit rationem reddere, cur in Domino confidere se dixerit, et non timeat insidias hominum iniquorum, quia videlicet Dominus omnium in coelo sedeat judex, unde omnia videat, et omnes subjectos habeat. *Dominus*, inquit, *in templo sancto suo*, subintellige, sed. Vocat autem templum sanctum Dei, summum coelum, quod est templum non manufactum. Idem significat clarioribus verbis, cum ait, *Dominus in coelo sedes ejus*, hoc est, Dominus in coelo sedem, sive thronum habet. Est autem phrasis hebraica, *Dominus in coelo sedes ejus*, pro, sedes Domini est in coelo; vel, Dominus in coelo sedem habet.

5. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebrae ejus interrogant filios hominum.*

Ex throno illo altissimo, cui nihil abscondi potest, respicit Deus pauperes, proinde nihil mali accidere potest hominibus Deo non sciente, aut non permittente, quae maxima consolatio justorum. Quod sequitur, declarat magis providentiam Dei. Non solum enim Deus videt homines, sed videndo discernit ac dijudicat bonos, et malos, et omnia eorum opera. In hebraeo non habetur, *in pauperem*, sed simpliciter, oculi ejus respiciunt; sed Septuaginta addiderunt, *in pauperem*, explicandi gratia. Praeterea, pro *interrogant*, habetur in hebraeo, יבחנו *ibchanu probant*; sed eadem sententia est. Metaphorice enim dicitur Deus interrogare, sive probare, idest, tentare, sive examinare, quando perfecte discernit ac dijudicat, quod homines non possunt saepenumero facere, nisi interrogando, et examinando. Illud *palpebrae ejus interrogant*, nihil significat aliud, nisi oculi ejus perfecte discernunt: quoniam enim psalmi poetice sunt, ideo figuris multis scatent. Itaque palpebrae ponuntur pro oculis, et oculi pro mente; interrogare, pro exacte cognoscere, ac si exactissime prius interrogasset, et examinasset.

6. *Dominus interrogat Justum, et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Non solum Deus exacte cognoscit justum, et impium, sed etiam pro meritis eos remunerat, vel punit. Et ideo *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, idest, se ipsum; quoniam propter iniquitatem gravissime punitur. Ex hebraeo potest etiam reddi, *diligentem iniquitatem, odit animam ejus*, idest, Deus odit eos, qui amant iniquitatem, et sic vertit s. Hieronymus. Uterque sensus est verus, et utrumque patiuntur verba hebraica. Mira sententia est, et elegantissima: *Qui diligit iniquitatem, et odit animam suam.* Nam qui diligit iniquitatem, videtur diligere animam suam, idest, se ipsum, quia ut sibi ipsi satisfaciat, peccat: tamen re vera odit animam suam, ac perdit. Hoc est, quod Dominus Joan. 12. ait *qui amat animam suam, perdet eam*, idest, qui male se amat, vere se odit.

7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.*

Haec est ratio, cur iniqui oderint animas suas, quia Dominus pluet, sive, ut in hebraeo, רימטר *jamter*, expressius legitur, *pluere faciet peccatores laqueos*, idest, in hac vita immittet laqueos in maxima copia, quasi guttas pluviae in peccatores, idest, sinet eos quotidie involvi pluribus, et majoribus peccatis percutiendo eos caecitate, et tradendo eos in reprobum sensum; quae est poena horrenda, et gravissima; deinde in alia vita, *ignis, et sulphur, et spiritus procellarum*, idest, venti frigidissimi, et vehementissimi in gehenna erunt pars calicis, idest, portio, et haereditas ipsorum. Observandum est hoc loco, nomine calicis intelligi haereditatem, ut etiam alibi saepe in scriptura, ut in eo loco, *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei*, ubi idem intelligitur dictum duobus vocabulis, et ideo addit, *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*: dicitur autem haereditas calix, quia sicut calix in mensa, saltem in coena paschali dividebatur inter convivas, unde est illud, Luc. 22. *Accipite, et dividite inter vos*; ita haereditas dividitur inter filios ejusdem patris: eadem quoque haereditas interdum vocatur pars, vel portio, ut pars mea Dominus; et alibi: *Portio mea Dominus*, interdum *pars haereditatis*, ut loco citato, *Dominus pars haereditatis meae*; ubi non significatur Dominum esse partem haereditatis, ita ut aliunde sit quaerenda alia pars, sed significatur Dominum esse partem, quae sibi contingit ex haereditatis divisione, ita ut idem sit haereditas, et pars haereditatis, sic etiam idem est calix, et pars calicis, idest, portio illa, quae uni debetur ex divisione calicis. Pulchre autem filiis diaboli, quibus Dominus ait, Joan. 8. *Vos ex patre diabolo estis*, tribuitur haereditas, quam diabolus possidet, idest, poena horribilis significata per ignem, et sulphur, et spiritum procellarum.

8. *Quoniam justus Dominus et justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.*

Haec vera ratio est, cur Deus tam atrociter impios punial, quia justus est ipse in se: *Deus enim lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, 1. Jo. 1. *Et diligit justitias*, idest, opera justa in omnibus aliis, quos ad suam imaginem creavit. Id ipsum repetit, dicens: *Aequitatem vidit vultus ejus.* Nam per aequitatem hoc loco intelligitur rectitudo, ut sonant vocabula hebraicum, ישר *jasciar*, et graecum, εὐθύτης: rectitudo autem est quasi declaratio justitia. Non enim hic agitur de justitia, quae est una ex quatuor virtutibus cardinalibus, quae est justitia particularis ponens medium in commerciis hominum: sed de justitia universali, quae complectitur omnes virtutes, et est quaedam rectitudo totius hominis, cujus quasi compendium est charitas Dei, et proximi: nam *finis praecepti charitas*, 1. Tim. 1. *Et qui diligit legem implevit*. Rom. 13. Illud autem, *vidit vultus ejus*, non significat simplicem visionem, sed visionem approbationis, juxta illud psalmi primi, *Novit Dominus viam justorum.* Idem igitur est, *justitiam dilexit, et aequitatem vidit*, idest, rectitudinem approbavit *vultus ejus*, idest, oculus ejus.

PSALMUS XI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro octava, Psalmns David.

De hoc titulo dictum est in psalm. 6. Argumentum hujus psalmi est, fidendum Deo, et non in hominibus, quod verba hominum plerumque sint fallacia, Dei autem semper verissima.

EXPLICATIO PSALMI XI.

1. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.*

Tu Domine a periculis omnibus salva, quoniam non est alius in quo fidere possim: nam defecit sanctus; idest, vix invenitur in mundo aliquis vere *pius, et misericors*, (id enim proprie sonat vox hebraica, חסיד *chasid*) nec solum defecit misericors, sed etiam verax, diminutae sunt enim veritates a filiis hominum, idest, vix invenitur, qui verum simpliciter dicat. Itaque periit fere de terra misericordia, et veritas. In hebraeo habetur אמונים *emunim*, quod s. Hieron. vertit *fideles* ut haec sit

http://www.obrascatolicas.com

sententia: imminuti sunt fideles a filiis hominum, sed eadem vox significat etiam veritatem, seu veritates, et sensus est idem.

2. *Vana loquuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, et corde loquuti sunt.*

Probat defecisse sanctum, idest, misericordem, quoniam homines, ut plurimum, non loquuntur proximis utilia, et bona; sed vana, quae a periculis eruere non possunt, et etiam frustra loquuntur, quomodo vertit s. Hieron. probat quoque defecisse veritatem, quoniam *labia dolosa*. idest, homines qui labia dolosa dici possunt, *in corde, et corde*, idest, duplici corde loquuti sunt, unum volentes loqui, et aliud volentes facere. et sic decipere. In hebraeo ad verbum est. *labium divisionum*, שפת חלקות *sephath chalakoth*. idest. labium divisum, unum sonans, aliud significans: labium autem divisum, seu duplex ex corde diviso, seu duplici oritur. Quia vero quae leniuntur, dividuntur; ideo autem vox significat in Scripturis *labium blanditiarum*, et adulationum; et quia omnis adulatio decipit, ideo recte verterunt tam Septuaginta, quam s. Hieron. *labia dolosa*, sive *subdola*. In graeco additur, *mala in corde, et corde loquuti sunt mala*, sed ea vox neque in hebraeo, neque latinis emendatioribus habetur.

3. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.*

Imprecatio prophetica est: per modum enim imprecationis praedicit fore, ut omnes, qui decipiunt, decipiantur: et dum putant se multum lucrari suis fraudibus. perdant omnia, et ipsi etiam pereant in aeternum. Illud, *et linguam magniloquam*, significat linguam se jactantem ob suos dolos, et fraudes, ut patet ex versiculo sequenti. In hebraeo, et graeco non habetur conjunctio (et) ex quo intelligimus, hic non reprehendi duo genera hominum, dolosos, et superbos, sed dolosos tantum, qui tamen confidunt in suis dolis. et ideo magni faciunt sua labia dolosa, et de illis magnifice loquuntur. Proinde editio latina, quae habet conjunctionem, ad eumdem sensum reducenda est, et commode reducitur, ut nos explicuimus.

4. *Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?*

Explicat cur conjunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia videlicet dolosi confidunt maxime in sua lingua, ita ut nulla re alia indigere se credant, nec ulli Domino subjecti esse debeant. *Qui dixerunt*, inquit, videlicet apud se in animo suo, *linguam nostram magnificabimus*, idest, linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quae per illam lucramur: ex hebraeo aliqui vertunt, *linguam nostram roborabimus*: verbum enim גבר *Gabar*, significat gravem, et robustum esse, sed accipitur etiam pro quacumque magnitudine, et ideo, נגביר *nagbir*, quod habetur hoc loco, recte vertitur, *magnificabimus*: nam etiam apud latinos vir gravis non solum refertur ad pondus molis, sed etiam ad magnitudinem virtutis. *Labia nostra a nobis sunt*, ambiguum est in latino, sed ex hebraeo et graeco constat sensum esse, *labia nostra nobiscum sunt*, pro nobis faciunt, a parte nostra pugnant. Itaque pergit Propheta explicare confidentiam, quam habent dolosi in suis labiis, tamquam in instrumento optimo ad praevalendum aliis hominibus. Ideo subjungit eos dicere, *quis noster Dominus est*, quasi dicat, non agnoscimus ullum superiorem, cum per instrumentum linguae omnes alios subjiciamus.

5. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*

Docuit Propheta non esse confidendum in hominibus: nunc docet esse confidendum in Deo, cujus promissa fidelissima sunt: docet autem hoc poetice, introducendo ipsum Deum loquentem, et promittentem auxilium suum humilibus, et afflictis. *Propter miseriam*. inquit, *inopum*, qui a dolosis decipiuntur, et affliguntur, unde et gemere necesse habent, non differam auxilium, sed *nunc exurgam* quasi a somno, eisque adero.

6. *Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.*

Explicat quid sit facturus, cum surrexerit. *Ponam*, inquit, *in salutari*, idest, collocabo eos in salute, stabiliam illos in salute, ut semper salvi consistant. *Fiducialiter agam in eo*, idest, nemo me impediet; audacter, et libere agam in hac re. Exprimit vox graeca παρρησιάσομαι, hoc loco confidentiam, et libertatem, atque audaciam. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *Ponam in salutari auxilium eorum*. Sed nescio quid in hac re sequutus sit, nam vox hebraea, יפיח לו *iaphiach lo*, significare potest, sufflabit in eum, vel illaqueabit eum, vel aspirabit ei. Caeterum interpretes videntur legisse in prima persona, אפיח לו *Aphiach lo*, *afflabo in eo*, sive aspirabo ei, idest, unicuique pauperum aspirabo, et favebo, et quia *spiritus ubi vult spirat*, et *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, ideo fortasse verterunt *fiducialiter agam*, idest, libere aspirabo, et favebo.

7. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.*

Docet jam Propheta promissionem Domini explicatam versibus duobus superioribus, non esse similem promissionibus hominum dolosorum, sed esse verissimum, fidelissimum. *Eloquia Domini*, inquit, *casta*, idest munda, et pura ut sonat vox hebraica, non fucata, non simulata, sed sincera et fidelia. *Argentum igne examinatum*, idest, sunt eloquia, sive promissa Dei veluti argentum verissimum in sono, pondere, candore, quale est argentum in igne probatum, nec solum probatum in igne, sed etiam probatum terrae, idest, populis terrae, approbatum videlicet ab hominibus peritis metallorum; denique purgatum septuplum, idest, non semel, sed saepius per fusionem (ut exprimit vox hebraea) purgatum a scoria. In hebraeo, illud, *purgatum terrae*, est valde obscurum. S. Hieron. vertit, *separatum a terra*; alii a Domino terrae, nimirum *purgatum septuplum*; alii in vase sive in camino; sed cum vox, בעליל *bahalil*, non habeatur nisi hoc loco, nulla est ratio cur non debeamus acquiescere increpationi septuaginta Interpretum, quibus lingua hebraica notissima erat. Quidquid enim alii dicant, divinatio potius erit, quam interpretatio.

8. *Tu Domine servabis nos, et custodies nos a generatione hac in aeternum.*

Colligit ex dictis, Deum facturum quod promisit. *Tu*, inquit, juxta promissa tua *servabis nos*, idest, custodies nos: non enim hic verbum salvandi, vel salutis neque in graeco neque in hebraeo; sed simpliciter conservandi, et custodiendi. In hebraeo habetur, תשמרם *tismerem, servabis ea*, nimirum eloquia tua, et custodies nos, sed septuaginta legerunt, תשמרנו *tismerennu*, servabis nos, et facillima fuit mutatio, quia maxima est similitudo inter, ם quod significat *ea* et נו, quod significat, *nos*, sed uterque sensus est optimus.

9. *In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

Quasi quaereret aliquis, Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? Respondet, impii interea, dum nos quieti sumus sub alis tuis, in circuitu ambulant, semper ambientes bona hujus mundi, et numquam ad finem desideriorum suorum pervenientes, semper autem erunt impii ambientes, dum hic mundus durat: quia *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*; et, *stultorum infinitus est numerus*. Videntur in fine hujus psalmi omnes editiones inter se dissidere. Hebraea ad verbum habent, *In circuitu impii ambulabunt, secundum altitudinem tuam sollicitudinem gessisti de filiis hominum*, sed graeca, et latina facile concordantur: nam Deus secundum altitudinem suam maximam sollicitudinem gessit de specie humana, et ideo ne ea periret, prae omnibus aliis speciebus eam multiplicavit; proinde latinus interpres reddidit sensum, cum ait, *multiplicasti*. Et quia in magna multitudine, paucorum est perfectio, ideo *stultorum*, ut citavimus ex Salomone, *infinitus est numerus*, et ideo impii semper, et ubique inveniuntur in circuitu ambulantes. Hebraica, et graeca non videntur posse concordari, nisi septuaginta aliter legerint; et fortasse non est improbabile eos legisse, דלות *Dallotha*, vel דלית *Dillitha*, non, זלות *zulluth* ut nunc habemus: unica enim litera mutata fit aliud verbum, quod exaltare significat, vel suscipere, ut septuaginta verterunt in primo versiculo psalmi vicesimi noni, *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*. Sensus tamen semper est verus, et non contradicit una lectio alteri, quamvis diversa dicant.

PSALMUS XII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

De hoc titulo nihil occurrit dicendum. Argumentum psalmi est oratio ad Deum tempore tentationis.

EXPLICATIO PSALMI XII.

1. *Usquequo Domine oblivisceris me in finem; usquequo avertis faciem tuam a me?*

Qui tentatur, duo mala pati solet; prava desideria in voluntate, et tenebras in intellectu. Quando prava desideria valde urgent, tunc videtur Deus oblivisci, et deserere animam: quando tenebrae obscurant intellectum, videtur Deus avertere faciem suam ab anima. Ipse enim lux est, et ideo illuminat, cum convertit faciem; in tenebris relinquit cum avertit. Propter primum dicit homo in tentatione positus: *Usquequo Domine oblivisceris me in finem?* propter secundum dicit: *Usquequo avertis faciem tuam a me?*

2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea; dolorem in corde meo per diem?*

Inverso jam ordine queritur primo de tenebris, quas patitur: secundo de pravis desideriis, quae invitus tolerat. *Quamdiu*, inquit, propter obscurationem intellectus *ponam consilia in anima mea?* idest, varia consilia excogitabo, ut a malo praesenti liberari possim: quamdiu rursus propter desideria infestantia cor meum, *ponam dolorem in corde meo?* idest, assumam dolorem, ac tristis ero, ac forte Deum meum offendam? atque id faciam per diem. idest, tota die sine intermissione ulla. In graeco additur, καὶ νυκτὸς, *et per noctem*. Sed hoc non habetur in hebraeo, neque legitur a s. Augustino; proinde recte omissum est in editione latina.

3. *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice et exaudi me Domine Deus meus.*

Prima pars hujus versiculi complectitur utrumque malum, tunc enim exaltatur inimicus super hominem, quando opprimit eum, tum ingerendo prava desideria, quae homo non potest excutere; tum tenebras offundendo, quas non potest dissipare. Ideo quasi vim patiens clamat ad Deum, *Usquequo*

http://www.obrascatolicas.com

exaltabitur inimicus meus super me? Deinde invocat auxilium contra utrumque malum. *Respice*, inquit, idest, converte faciem tuam, *et exaudi me*, idest, ne obliviscaris, ne deseras, adjuva exoratus.

4. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum.*

Iterum clarius eamdem orationem repetit. *Illumina*, pelle tenebras mentis convertendo ad me faciem, meque respiciendo; *nequando obdormiam in morte*, idest, ne consentiens desideriis in mortem animae incidam. Vocat scriptura passim somnum ipsam mortem, sive corporalem, sive spiritualem: quia Deo tam facile est mortuum ad vitam revocare, quam nobis facile est dormientem a somno excitare. Praeterea illud, *ne unquam obdormiam*, significat, hominem cedendo tentationi quasi obdormiscere, nec amplius sentire cruciatum ex tentatione; sed quia ista quies non est salutifera, sed mortifera, ideo additur, *in morte*. Itaque cum duobus modis homo liberetur a molestia tentationis; vel per gratiam Dei fugato tentatore; vel per consensum in peccatum satiata libidine; petit liberari primo modo, ne forte cum suo maximo detrimento liberetur secundo modo, videlicet obdormiendo per consensum in peccatum. Addit deinde rationem, quare cupiat liberari a tentatione, dicens: *Nequando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum*: idest, sic glorietur Diabolus a se victum servum Dei, quod etiam in injuriam Dei cederet.

5. *Qui tribulant me exultabunt si motus fuero, ego autem in misericordia tua speravi.*

Explicat rationem superiorem, quasi dicat, non sine causa dixi *nequando dicat inimicus*, etc. nam *exultabunt qui tribulant me si motus fuero*, idest, non solum si plane cessero tamquam victus, sed etiamsi paulisper mutare coepero: sicut enim majus *gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia*; sic etiam magis Daemones exultant, si virum aliquem perfectum ad inchoandum peccatum induxerint, quam si multos peccatores in peccatis maximis volutari fecerint: exemplum est apud s. Greg. lib. 4. Dialog. c. 7. Atque hinc apparet, psalmum hunc scriptum esse pro liberatione justi a tentatione Diabolica, non ut aliqui volunt, pro liberatione Davidis a persecutione Saulis: David enim in illa persecutione quotidie loca mutabat. Itaque non dixisset, *si motus fuero, exultabunt inimici mei*, quasi pro magno haberet non moveri. Quod sequitur, *Ego autem in misericordia tua speravi*, est altera ratio, cur deceat eum juvari a Deo, quia nimirum fretus misericordia Dei, et non viribus propriis tentatori resistat.

6. *Exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.*

Haec est ultima ratio, qua Deum ad subveniendum flectere conatur, quia videlicet liberatus a tentatione, non erit ingratus liberatori, sed corde, ore, et opere beneficium celebrabit. Ad cor pertinent prima illa verba, *Exultabit cor meum in salutari tuo*, idest, prae laetitia gestiet cor meum cum salutem obtinuerit, eam a te recognoscendo, teque ob eam laudando. Ad os pertinent sequentia, *Cantabo Domino, qui bona retribuit mihi*. In hebraeo non habetur *bona*, sed solum verbum, *tribuit*, vel potius *retribuit*. Sed septuaginta declaraverunt illud *retribuit*, vertendo, *benefecit mihi*, et latinus interpres adhuc clarius, *qui bona retribuit mihi*, sed sensus est idem: nam Deus, fiduciae retribuere solet protectionem; ideo David hebraica voce dixit, *retribuit mihi*, protectionem scilicet in se confidenti, et quia liberatio a tentatione, est liberatio a verissimi, et maximi mali periculo; ideo recte graecus, et latinus addiderunt vocabulum, *bona*, nimirum veri, et maximi boni. Denique ad opera pertinent ultima verba; *et psallam nomini Domini altissimi*: nam psallere proprie est manu cytharam pulsare. *David*, inquit Scriptura, *psallebat manu sua*; et alibi, *In psalterio decachordo psallam tibi*. Itaque promittit, se corde exultaturum, ore cantaturum, manu instrumentum musicum pulsaturum ut totus homo serviat Dei laudibus: *Psallere autem nomini Domini*, est psallere in gloriam Domini, idest, ad celebrandas ejus laudes. In hebraeo non habentur haec ultima verba, *et psallam nomini Domini altissimi*, sed fortasse diuturnitate temporis exciderunt. Certe cum superioribus optime cohaerent, et sunt in graecis codicibus, et citantur, atque explicantur a patribus Hieronymo, et Augustino, Theodoreto, et Euthymio. Mystice, psallere nomini Domini, est opera consona cordi, et verbis efficere, *ut videntes homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est.* Matth. 6.

PSALMUS XIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est deploratio naturae humanae corruptae, qualis praecipue cernitur in infidelibus, in quibus nondum coepit sanari per gratiam.

EXPLICATIO PSALMI XIII.

1. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*

Ad tantam insipientiam devenit humana natura in primo homine corrupta, ut inventus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus negare Deum esse, tamen in corde suo dixerit, *non est Deus*. Non significat David, unum certum hominem insipientem hoc dixisse, sed vult dicere, homines mente corruptos ad tantam caecitatem pervenire, ut fiant insipientes etiam circa ultimum finem, et cogitent nullum esse Deum, qui res humanas curet, et cui rationem reddere teneantur. *Dixit*, inquit, *insipiens*, idest, homo ad summam insipientiam redactus, *dixit in suo corde, non est Deus*, idest, cogitare coepit, nullum esse Deum.

2. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Illud usque ad unum, non habetur in editione hebraea, et graeca. In latina habetur, et citatur, et exponitur a s. Hieronymo, et Augustino. Dixit Propheta corruptam fuisse mentem, et insipientem factam: nunc addit, corruptam quoque fuisse voluntatem, ita ut plerumque homines peccent; bene autem numquam faciant: aliud enim est non peccare, aliud benefacere, si loquamur de opere absolute, et perfecte bono. Homines enim fide, et gratia destituti solis viribus corruptae naturae utentes, plerumque peccant; sed aliquando etiam faciunt opera quaedam bona moralia, quae peccata dici non possunt: sed non sunt perfecte, et absolute bona, ut s. Augustinus disputat lib. 4. in Julianum, cum ad summum bonum non perducant. Ait igitur David: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis*, id est, in desideriis, sive affectibus suis: corrupta, et abominabilia desideria habent, unde ipsi quoque corrupti et abominabiles sunt. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, corrupti quidem sunt homines in desideriis et iniquitate; sed non ita generatim, ut omnia desideria, et omnia opera sint corrupta, et iniqua. Certe enim cum infidelis ex humana inclinatione miseretur pauperis, vel curam gerit filiorum, nihil mali facit. At bonum perfecte, et absolute nullus omnino ex solis corruptae naturae viribus facit. Hinc habes veram hujus loci intelligentiam, nihil omnino facere pro haereticis hujus temporis, qui testimonio psalmi hujus abutuntur ad probandum, omnia opera hominis peccatoris, sive non renati, esse peccata.

3. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.*
4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Dixerat, naturam humanam esse corruptam tum quoad mentem, tum quoad voluntatem; ostendit nunc, unde id cognoverit, nimirum ex revelatione Dei: Deus enim qui omnia novit, videt hoc ita esse et Prophetis suis revelavit. Describit more humano Deum quasi respexisse de coelo, idest, de sublimi specula sua, ut videret *an esset aliquis intelligens*, idest, non corruptus quoad mentem; *aut requirens Deum*, idest, non corruptus quoad voluntatem, qui proinde intelligeret, et amaret, atque adeo quaereret Deum, qui est summum bonum. Quid autem Deus cognoverit, idest, nos cognoscere fecerit explicat illis verbis, *omnes declinaverunt*, sive aversi sunt, idest, vidit omnes omnino declinasse a lumine sapientiae, et a semitis justitiae, imo aversos esse, ac terga vertisse sapientiae et justitiae. *Simul inutiles facti sunt*, idest, vidit, omnes pariter inutiles Deo esse factos, quippe qui eum non colunt, neque ei serviunt, neque tributum gratiarum actionis rependunt. Denique vidit nullum esse, qui faciat opus perfecte, atque absolute bonum. S. Hieronymus ex hebraeo pro illis verbis, *Simul inutiles facti sunt*, vertit, *Pariter adhaeserunt, sive agglutinati sunt*. Sed nescio quid secutus sit. Nam vox hebraica, נאלחו *neelachu*, significat *putrescere*, et *foetere*: et verti potuisset, putrefacti sunt, ac proinde inutiles facti sunt. Res enim putrefactae nulli usui sunt.

http://www.obrascatolicas.com

5. *Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant:venenum aspidum sub labiis eorum.*
6. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum od effundendum sanguinem.*
7. *Contritio et infoelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt:non est timor Dei ante oculos eorum.*

Hi tres versiculi non sunt in hebraeo, neque in translatione septuaginta Interpretum, ut s. Hieronymus testatur tum in praefatione lib. 16. in Isaiam, tum in Commentario hujus loci. Imo nec habentur in editione latina psalmi 52. qui est omnino idem cum hoc 13.sed quia B. Paulus ad Rom. 3. ex diversis locis Scripturae, videlicet psalmo 5. psalmo 139. psalmo 9. Isaiae 29. et psalmo 35. hos omnes versiculos simul citavit,posteaquam allegaverat duos versiculos proxime explicatos, arbitrati sunt aliqui veterum, hos omnes versiculos ad hunc psalmum pertinere, et casu aliquo excidisse, ideo eos ex Apostolo huc transtulerunt. Significatur autem his versiculis malitia hominum impiorum, qui verbo,et opere nocent proximis suis. *Sepulchrum patens est guttur eorum*, idest, sicut ex aperto sepulchro exhalat foetor corporum mortuorum, ita ex ore istorum prodeunt verba turpia testantia corruptionem cordis. *Linguis suis dolose agebant*,idest,non solum verba turpia,sed etiam dolosa loquuntur. *Venenum aspidum sub labiis eorum*, idest, non solum turpia et dolosa, sed etiam venenata et inficientia,atque ad malum provocantia verba effundunt. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;* idest, homines isti perditi non solum maledicunt, et amaris contentionibus jurgantur, sed etiam malefaciunt, et re ipsa nocent. Nam quorum os plenum est maledictione, et amaris comminationibus, eorum pedes velocissime currunt ad laedendum, et occidendum. *Contritio, et infoelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, idest, omnia eorum studia ad conterendum, vastandum, calamitate afficiendum spectant. Si quidem pacis viam, idest, studia pacifica omnino ignorant.*Non est timor Dei ante oculos eorum*. Hic est fons omnium supradictorum malorum, quia timorem Dei plane abjecerunt, dicentes in corde suo,*Non est Deus*. Redeamus nunc ad versiculos hujus psalmi proprios.

8. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis.*

Ex hoc versiculo manifeste colligitur, quae supra dicta sunt de universali corruptione generis humani, esse intelligenda de genere humano, quale est ex se, idest, secundum vires solius naturae corruptae. Nam per gratiam Dei homines vere justi, et pii efficiuntur, et hos vocat hoc loco plebem suam, quam impii illi persequuntur, et pro nihilo habent. *Nunc cognoscent*, etc. vox est increpantis, quasi dicat, numquid semper erunt insipientes; numquid non aperient aliquando oculos; numquid tandem non incipient cognoscere. *Qui devorant plebem meam sicut escam panis*, significat impios ex hoc tanto malo potuisse admoneri suae iniquitatis. Sicut enim panis quotidie comeditur, et semper sapit; ita impii semper, et cum delectatione vexant pios, et numquam satiantur.

9. *Dominum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Reddit David rationem, cur impii tanta mala faciant,quia videlicet Deum *non invocaverunt*,idest, spem suam in Deo vero non posuerunt, sed in rebus creatis,et ideo *illic trepidaverunt ubi non erat timor*; idest, non cognoscentes, in quo sit sperandum, et a quo sit timendum, trepidaverunt, ne incurrerent mala temporalia, vel ne amitterent bona temporalia, quae non sunt materia justi timoris, cum parva, et caduca sint; et etiam quia si sperarent in Domino, et *quaererent regnum Dei, et justitiam ejus,haec omnia adjicerentur eis*.Matth.5.

10. *Quoniam Dominus in generatione justa est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.*

Hic versiculus reddit rationem, cur impii amatores hujus saeculi timeant, ubi non est timor. Impii timuerunt, ubi non erat timor, *quoniam Dominus in generatione justa est*, sive justorum δικαίων (ut habet textus graecus) idest,sicut impii Deum non invocaverunt, nec in illo speraverunt: ita Deus eos deseruit, et generatione justorum manet: deserti autem a Deo, a luce vera, ab ipsa veritate in tenebris ambulant; et ideo timent etiam ubi non est causa timendi. Deinde facit apostrophen ad ipsos impios, dicens, *Consilium inopis confudistis*, *quoniam Dominus spes ejus est*, quasi dicat, adeo vos excaecati estis, ut non solum non invocetis Deum, sed irrideatis eos, qui id faciunt. *Nam consilium inopis*, qui totus a Deo pendet, *vos confudistis*,idest, irrisistis,ut inopem erubescere faceretis, quasi stultum sit in Deo spem ponere. Irrisistis autem inopis consilium, quasi stultum, *quoniam Dominus spes ejus est*, idest, quia ille pauper in Domino spem posuit. Videtur etiam stultum consilium hominibus hujus mundi, sperare in Deo, qui non videtur, et non sperare in divitiis, et aliis rebus, quae videntur.

11. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob, et laetabitur Israel.*

Hic versiculus postremus orat Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum a captivitate diabolica,in qua erant omnes illi excaecati, perversi, quoniam tenebras, et malitiam toto psalmo descripserat. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* idest, utinam cito veniat salus ex Sion ipsi Israeli. *Salus enim ex Judaeis est*, ut ait Dominus Samaritanae, Joan.4. nec solum ex Judaeis, idest, tribu Juda, sed ex familia David, cujus civitas dicebatur Sion. Itaque expectabatur, et desiderabatur salus, sive Salvator promissus ex Sion civitate David, idest, ex stirpe David, qui salvaret Israelem,idest,populum suum. Dicitur autem Christus *Salvator Israelis populi suis*,quia tametsi pro mundo venerit, tamen re ipsa non salvavit nisi certos quosdam,qui dicuntur populus Dei,et spiritualis Israel. *Cum averterit,sive converterit captivitatem populi sui, exultabit Jacob,et laetabitur Israel*; idest, oro, ac peto salutem ex Sion, ac proinde Salvatorem, qui liberet a captivitate, quia cum id factum fuerit, tunc vere et perfecte exultabit, et laetabitur populus Dei, qui dicitur spiritualiter Jacob, et Israel,utrumque enim est nomen ejusdem hominis. Promissiones autem istas, et alias similes non pertinere ad solos carnales Israelitas, sed ad populum Dei partim ex Judaeis, partim ex gentibus congregatum, docet Apostolus in epist. ad Romanos, et copiosius Augustinus in epist. 200 ad Asellicum.

PSALMUS XIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est scientia salutis; nam in hoc psalmo describitur via ad vitam aeternam.

EXPLICATIO PSALMI XIV.

1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?*

Ex hebraeo vertunt aliqui, *Quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, aut quis habitabit in monte sancto tuo?* Sed vox hebraica, גור *gur*, significat utrumque, peregrinari, et habitare, sicut etiam, שכן *Sciacan*, significat habitare, et quiescere. Itaque non potest reprehendi versio graeca, neque latina. Alludit Propheta ad montem Sion, et ad tabernaculum Dei, quod in eo monte erat; sed revera per haec nomina significat coelestem Jerusalem, ubi est tabernaculum Dei non manufactum. Prophetae enim praedicabant regnum coelorum per hujusmodi figuras. Unde b. Paulus ad Hebr. 8. et 9. saepius meminit tabernaculi coelestis, et cap. 12. vocat montem Sion, ipsum coelorum habitaculum, et b. Joannes in Apocalypsi cap. 14. meminit montis Sion coelestis, et cap. 21. ait. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, etc.* Quaerit igitur Propheta,quis sit habitaturus, idest, stabili mansione potiturus in tabernaculo coelesti: aut requieturus in vertice montis altissimi, in quo finitur omnis labor ascensionis, cum supra illum nihil sit. Hic enim in terris,neque stabilis mansio, neque vera quies esse potest.

2. *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.*

Haec est compendiosa, et summaria responsio, quasi dicat, qui declinat a malo, et facit bonum, sive, qui neque commissione culpae, neque omissione justitiae Deum offendit. Dicitur ingredi sine macula, qui ambulat in via hujus vitae, idest, qui vivit sine culpa lethali.Veniale enim peccatum non proprie relinquit maculam. Dicitur operari justitiam, qui facit omnia, ad quae tenetur, non timore poenae, sed amore justitiae.

3. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.*

Explicat magis in particulari, qui habitaturus sit in tabernaculo Domini, ac dicit illum esse, qui neque corde, neque ore, neque opere malum operatur. De corde dicit, *qui loquitur veritatem in corde suo*. Nam omnis, qui res temporales pluris aestimat, quam valeant, non loquitur veritatem in corde suo; et quicumque in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo, quia judicat expedire sibi id, quod re vera sibi non expedit;ita omnia peccata cordis reduci possunt tamquam ad radicem ad falsum judicium. De ore dicit, *qui non egit dolum in lingua sua*; nam tam detractiones, quam adulationes,et alia id genus peccata linguae, ad dolum revocari possunt. De opere, dicit in sequenti versiculo.

4. *Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.*
5. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.*

Non solum non fecit ipse malum, qui habitaturus est in tabernaculo Domini; sed nec permisit, quantum in se fuit, ut alii malum facerent.Ideo non accepit opprobrium adversus proximos suos;idest, non admisit ad aures suas vituperationes, detractiones, susurrationes,calumnias contra proximos, et non favit unquam malignis, sed eos contempsit, et pro nihilo duxit: contra autem glorificavit, honoravit, juvit viros bonos, qui Deum timent. Magna

http://www.obrascatolicas.com

est haec laus, non solum in se odisse malum, sed etiam in aliis.

6. *Qui jurat proximo suo, et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.*

Exposuit in genere virtutes viri probi; nunc in particulari attingit vitium unum videlicet avaritiam, quo praecipue carere debet, qui cupit haeres fieri Regni coelestis. Cur autem hoc particulare vitium attingat, causa est, vel quia *radix omnium malorum est cupiditas*, ut ait Apostolus ad Timotheum 1. cap. 6. et per cupiditatem intelligit avaritiam, quam vocat philargyriam, idest amorem pecuniae, vel quia hoc vitium semper fuit, et est familiare Judaeis. Porro avaritia locum habet vel in fraudibus, quae committuntur in contractibus alioqui licitis; vel in contractibus genere suo illicitis; vel in muneribus. De primo genere dicit, *Qui jurat proximo suo, et non decipit.* De secundo dicit, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* De tertio dicit. *Et munera super innocentem*, idest, ad opprimendum innocentem, *non accepit.* Ex hebraeo s. Hieroymus vertit, *qui jurat, ut se affligat*, pro eo quod nos habemus, *qui jurat proximo suo*; sed vox hebraea potest legi, להרע *leharah*, et significat *ad faciendum malum*, nimirum sibi, hoc est, ad se affligendum, et sic legit s. Hieronymus: potest etiam legi, לחרע *lehareah*, et significat, *proximo*, et sic legerunt septuaginta, a quorum versione latina editio vulgata profecta est, et certe magis cohaeret cum superioribus verbis nostra lectio, quam s. Hieronymi. Ex hoc versiculo aperte colligitur errare Judaeos, qui usuram licitam esse existimant.

7. *Qui facit haec, non movebitur in aeternum.*

Respondet quaestioni in primo versiculo propositae: ac dicit, eos, qui ita vivunt, ut supra expositum est, habituros firmissimam in coelesti tabernaculo mansionem. Itaque ait, *Qui facit haec*, quae supra dicta sunt, *non movebitur in aeternum*, idest, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac quiescet in monte sancto ejus, sine ullo timore cadendi a tam foelici loco.

PSALMUS XV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Tituli inscriptio ipsi Davidi.

Hic psalmus obscurissimus est, atque ab ipso titulo incipit ejus obscuritas. Vox hebraea, מכתם *Mictam*, ignota est: s. Hieronymus vertit, et humilis, et simplicis David, forte quia, מך *mac*, significat pauperem, ac per hoc humilem, et, תם *tam*, significat simplicem, et perfectum; alii volunt, מכתם *mictam*, esse pretiosum aliquid, quia כתם *chethem*, significat aurum. Mihi probabile est septuaginta Interpretes non legisse, מכרתם *mictam*, sed, מכתב *mictab*, ultima litera paululum immutata: nam a verbo, כתב *cathab*, scribere, fit nomen, מכתב *mictab*, scriptura, sive inscriptio. Sed quia vox graeca, ςηλογραφία, non significat simplicem inscriptionem, sed inscriptionem incisam in columna ad memoriam sempiternam: propterea intelligere debemus inscriptionem hoc loco significare titulum memorabilem, dignum qui numquam aboleatur. Argumentum psalmi est oratio Christi ad patrem: et eadem accommodari potest membris Christi, tum universis, tum singulis. De Christo enim, et non de David intelligendos esse quatuor versus postremos, ac praesertim illa verba, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, docet Apostolus Petrus Act. 2. et Paulus Act. 13. et quia totus psalmus est oratio quaedam continuata, non possunt intelligi quatuor ultimi versus de Christo, quin totus psalmus de Christo intelligatur.

EXPLICATIO PSALMI XV.

1. *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

In hebraeo, ut nunc legitur, habetur, *Dixisti*: sed non est dubium, debere legi, אמרתי *amarti*, non *amarth*: nam non solum septuaginta verterunt, *dixi*, sed etiam s. Hieronymus, si tamen utraque lectio defendi debeat. Illud, *dixisti*, referendum erit ad animam, quia, אמרת *amarth* est secunda persona generis feminini, et sensus erit, *Dixisti o anima mea*, et idem est, dixi ego, vel dixisti anima mea. Ait igitur Christus, et potest dicere quilibet Christianus, *Conserva me Domine*, idest, custodi, protege ab imminente tribulatione, quoniam speravi in te solo, non in ulla re creata. Quod autem in te solo speraverim, et sperem, ex eo cognosci potest, *Quoniam dixi Domino*, idest, confessus sum tibi Domino, ac dixi ex corde. *Deus meus es tu*, idest, supremus Dominus meus es tu, ut clarius habet textus hebraicus, et graecus; nam latinus posuit, *Deus meus*, pro Dominus meus, ut variaret sermonem: *quoniam bonorum meorum non eges*, sed ego bonis tuis indigeo: tu nulla ratione a me dependes, sed ego a te in omnibus pendeo; ideo tu solus verus, et summus Dominus meus es, et quia ego hoc cognosco, et confiteor: ideo in te solo spero, et confido. Haec verba Propheta scripsit in persona Christi pro eo tempore, quo Christus non solum homo erat, sed etiam passioni, et morti obnoxius. Quamvis enim in Christo homine, et passibili non fuerit spes, quae est virtus Theologica, et respicit beatitudinem animae, ut s. Thomas docet 3. p. q. 7. art. 4. fuit tamen spes ut significat fiduciam, et expectationem gloriae corporis, et aliorum, quae nondum habebat; et de hac spe loquitur David in psalmis.

2. *Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

In graeco legitur sic, *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit Dominus omnes voluntates suas in eis.* Itaque dissentiunt graecus et latinus, in illa voce, meas, et suas. Nam additio illa vocabuli, *Dominus*, non mutat sensum. In hebraeo legitur ad verbum sic, *Sanctis, qui in terra ipsi, et magnificis omnis voluntas mea in eis.* Quod ad graecum attinet, s. August. in ep. 59. ad Paulinum q. 2. dicit codices electiores habere, *meas*, quamvis alii habeant, *suas*. Itaque probabile est, in graeco vitio librariorum irrepsisse mendum, praesertim cum in hebraico etiam habeatur, *meas*. Idem quoque Augustinus dicit, non esse dissonantiam alicujus momenti, cum opera Patris, et Filii, et Spiritus sancti sunt indivisa. Hebraeus autem codex cum ait, *Qui in terra ipsi*, non differt a nostro codice, nisi quod omittit pronomen *ejus*. Cum autem dicit, *Et magnificis*, sciendum est vocem ואדירי *veaddire*, videri omnino corruptam. Est enim nomen numeri multitudinis, in regimine, idest, regens aliud nomen casus genitivi hebraei: siquidem aliter formant nomen absolute positum, et aliter nomen regens post se aliud nomen casus genitivi. Hic autem non sequitur aliud nomen, quod regatur ab isto, *magnificis*. Praeterea si septuaginta legissent, ואדירי *veaddire*, non potuissent vertere, *mirificant*, nisi imperitissimi fuissent. Itaque existimo eos legisse, האדיר *heedir*, quod significat mirificavit. Illa vero, *omnis voluntas mea in eis*, non habent difficultatem, quia cum Hebraei non declinent nomina per casus, verti debent vocabula secundum exigentiam verborum. Recte igitur verti potest hic locus, *Sanctis, qui sunt in terra, mirificavit omnem voluntatem meam in eis*, atque ita in concordiam rediguntur omnes lectiones. Sententia autem haec esse videtur: Quia Deus bonorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis ejus, cujus meae bonae voluntatis ipse Deus mihi testis est, qui sanctis qui sunt in terra ejus, idest, sanctis et electis suis, qui sunt in terra ejus, mirificavit, idest, mirabiles reddidit omnes voluntates meas in eis, id est, omnem benevolentiam meam omniaque studia mea erga illos: dicitur autem Deus mirabilem reddidisse benevolentiam Christi erga electos, declarando illam tum per Prophetas, et per varias figuras testamenti veteris; tum etiam per miracula ipsius Christi, et Apostolorum; mirabilis vero fuit Christi benevolentia erga electos, cum pro illis animam suam ponere voluerit.

3. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

In hebraeo habetur, ירבו *irbu* in futuro *multiplicabuntur*, sed accipitur futurum pro praeterito. Illud etiam, *postea*, vertitur communiter ex hebraeo, *alienum*; sed septuaginta non legerunt, אחר *acher*, alienum, sed, אחר *achar*, quod significat postea. Explicatur hoc loco effectus benevolentiae Christi in electos, qui antea debiles erant ob vulnera gravissima peccatorum; ita ut ambulare non possent, et postea sanati per gratiam currere coeperunt viam mandatorum Dei. *Multiplicatae sunt*, inquit, *infirmitates eorum*, idest, aegritudines, ac morbi spirituales, unde Apostolus ad Rom. 5. *Cum adhuc infirmi essemus, Christus pro nobis mortuus est;* et paulo post explicans infirmitates, *Cum*, inquit, *peccatores essemus*. Ex hebraeo, עצבותם *hazebotham*, multi vertunt, *idola*; sed vox hebraea proprie significat infirmitatem, et dolorem et per figuram accipitur pro idolis, vel quia idola infirma sunt, et nullius potentiae; vel quia peccatores ac per hoc infirmos homines faciunt. *Postea acceleraverunt*, idest, antea infirmissimi erant multiplicatis peccatis usque ad summum; sed postea sanati per gratiam fortes effecti sunt, et ideo exultarunt ad currendam viam. Id apparuit in principio Ecclesiae, quando conversi homines ab idololatria, ad martyria festinabant.

4. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Ex hebraeo vertunt communiter, *non libabo libamina eorum de sanguine*, et vere verbum, נסך *nasac*, significat libare, et fundere; sed significat etiam tegere, et operire, quia quae teguntur congregantur ut legi possunt: credibile est, idem verbum significare etiam congregare, sententia vero est eadem: nam quia ad sacrificia celebranda coetus congregari solent; ideo proinde est, si dicatur, *non libabo libamina eorum de sanguine*, idest, non placebunt mihi sacrificia eorum, quae sanguinis effusione constant; *et non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, idest, non placebunt mihi congregationes eorum ad sacrificia cruenta celebranda; proinde non ego illa congregabo, non ero auctor, ut ejusmodi coetus fiant. *Nec me-*

http://www.obrascatolicas.com

mor ero nominum eorum per labia mea, idest, non solum non ero auctor talium congregationum, et sacrificiorum, sed ea ne nominabo quidem. Cohaeret autem hic versiculus cum superiore, quia rationem reddit, cur electi post multiplicata peccata, ac potissimum idololatriae, acceleraverint currere viam Domini: ratio enim est, quia Dominus vehementer detestatur idola, et eorum venerationem, ut ne nominari quidem velit a suis: ideo, quos elegit in Christo, mundavit a peccato idololatriae et sic sanctos currere fecit viam mandatorum suorum.

5. *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.*

Quia dixerat se detestari idola, et peccata; addit pro ratione, omnia sua bona in uno Deo habere. Vox propria Christi, omnino segregatus a peccatoribus, et Deo Patri summe amicus omnia sua bona in Deo habet. Idem, et nos pro modulo nostro sentire deberemus. Dicit igitur, *Dominus pars haereditatis meae*, idest, pars, quae mihi ex divisione haereditatis contingere debet, hoc est, quidquid omnino expecto, mihi Dominus est, ipse mihi est omnia; *et calicis mei*, repetitio est ejusdem sententiae: nam et calix, qui dividi solebat inter convivas, pro haereditate accipitur. Nisi magis placeat per partem haereditatis intelligere opes, per partem calicis, delicias, ut sensus sit, omnes meas opes, atque omnes meas delicias in solo Deo constitui. *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi*, hoc additur, quia cum Christus adhuc mortalis haec diceret, nondum plene possidebat haereditatem: et nos cum haec dicimus, desiderio quidem omnia bona in Deo habemus, sed nondum re ipsa possidemus. Possessio autem ista interim deposita est apud Deum et ille nobis eam restituet in die novissimo sicut Christo restituit in die resurrectionis ejus: huc alludit b. Paulus cum ait, *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*, 2. Tim. 1. In hebraeo habetur, אתה תומיך גרלי *Attha thomich gorali, Tu sustentas haereditatem meam*, et sensus est idem: nam ideo restituet Dominus haereditatem, quia nunc eam sustentat, et conservat nobis juxta illud d. Petri, *in haereditatem incorruptibilem conservatam in coelis*, 1. Petr. 1.

6. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi.*

Similitudine ducta a terrena haereditate, declarat praestantiam haereditatis aeternae, quam habebunt qui Deum solum eligunt. Siquidem funiculis mensurari solebant campi, qui ex haereditatis divisione obveniebant, et quia divisio sorte fiebat, ideo dicebantur funiculi in praeclaram partem cadere, quando pars haereditatis optima contingebat. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*, idest, optimam haereditatem sorte felicissima consecutus sum; etenim *haereditas mea praeclara est mihi*, idem dicit aliis verbis. Meminit autem sortis, quia principium hujus haereditatis a praedestinatione ducitur; praedestinationis autem gratia respectu nostri sors quaedam est, unde Paulus, *sorte vocati sumus: et elegit nos in partem sortis sanctorum*, ad Ephes. 2. et ad Coloss. 1.

7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

Gratias agit Deo qui inspiravit illi consilium, et accendit in eo desiderium, ut tam praeclaram haereditatem eligeret. *Benedicam*, inquit, *Dominum*, idest, laudabo Deum auctorem mihi tanti boni, *qui dedit mihi intellectum*, idest, qui me cognoscere fecit, et prudenter eligere: vox enim hebraea יעץ *Iahaz* significat proprie dare consilium. *Insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Per renes in Scriptura intelligitur affectus, et desiderium, unde sunt illa, *Scrutans corda, et renes Deus*; et, *Proba cor meum, et renes meos*, ubi per cor intelligitur cogitatio, per renes affectio, *per noctem*, intelligitur tempus tribulationis, sicut per diem, tempus prosperitatis: per verbum, *increpuerunt*, significatur potius eruditio, quam reprehensio. Nam, et in hebraeo, יסרוני *isseruni*, et in graeco est verbum significans *eruditionem*; proinde verbum latinum interpretandum est pro increpatione hortatoria, qualis est: *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* Denique illud, *Usque ad noctem*, in hebraeo est, לילות *leloth*, erudierunt me *in noctibus*; ex quo intelligimus significari non solum tota die, sed etiam usque ad noctem totam, quod vulgo dici solet inclusive. Itaque sensus hic est, *Insuper et usque ad noctem*, idest, non solum tempore prosperitatis, sed praeterea usque ad tempus adversitatis, et in ipsa adversitate affectus meus in Deum accensus est, me excitans, et adhortans ad passionem aequo animo subeundam, ac semper de Deo bene sperandum.

8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper quoniam a dextris est mihi, ne commovear.*

Ex intellectu, et affectu bono, de quo in superiore versu Deum laudavit, profectum est, ut semper Deum ante oculos haberet: anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat: in hebraeo habetur, *Posui Dominum in conspectu meo semper*, ex quo clarius declaratur, Christum studiose egisse, ut semper Dominum praesentem haberet. *Quoniam a dextris est mihi, ne commovear*, hoc est, nec falsa mea cogitatio fuit, qua Dominum mihi ante oculos cordis semper ponebam; nam vere a dextris mihi semper est, tamquam tegens latus meum, neque praecedens, ut adjutor fortis, ne commovear de gradu meo sed persistam, et perseverem usque in finem.

9. *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe.*

Explicat nunc tandem haereditatem praeclaram, quam Deus restituet sibi, et aliis, qui Dominum elegerunt. *Propter hoc*, idest, quia Dominus a dextris mihi est adjutor, et protector fidelissimus, *laetatum est cor meum*, laetitia vera, et solida, de qua Dominus in Evangelio Jo: 16. *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis: et exultavit lingua mea*, quia gaudium internum redundare solet etiam exterius. In hebraeo habetur: *Exultavit gloria mea*, quod in idem recidit: gloria enim interior, per linguam exultat exterius. *Insuper et caro mea requiescet in spe*, hoc est, animus laetabitur, et caro obdormiet in morte placida, et secura, ob certam expectationem celerrimae resurrectionis.

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Haec explicata sunt ab Apostolis Petro, et Paulo, Act. 2. et 13. et quamvis proprie de solo Christo haec dicantur, cujus anima non est relicta apud inferos, in limbo videlicet sanctorum Patrum; neque caro in sepulchro experta est ullam putrefactionem tamen nos omnes haec dicere possumus, tum quia membra Christi sumus, et in illo, ut ait Apostolus, Ephes. 2. *conresuscitavit nos Deus;* tum quia animae nostrae non relinquentur in inferno, idest, in Purgatorio; neque caro nostra videbit aeternam corruptionem.

11. *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.*

Hic exponit perfectam haereditatis promissionem. *Notas*, inquit, *mihi fecisti vias vitae*, idest, docuisti me modum redeundi ad vitam post mortem; metaphora est pulcherrima, per quam modus per se resurgendi dicitur via usque ad illam diem ignota, quia nullus unquam per se resurrexit, Christo excepto. Nec solum, inquit, docuisti me resurgere ex mortuis, sed etiam, *adimplebis me laetitia cum vultu tuo*, gloriosum, immortalem, et beatum faciens me, vultum tuum mihi ostendendo: nam ex visione Dei, in qua consistit beatitudo essentialis, redundat etiam gloria in corpus, qua sola Christus carebat: gloriam enim animae a conceptione habuerat. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Nec solum gloriosum me facies, sed ad dexteram collocabit in coelis, ubi delectationes sunt sine ullo fine. Quae omnia etiam electis suo modo convenient, quibus Deus ostendit vias vitae, cum legis observationem docuit esse viam ad Regnum coelorum. Eosdem adimplet laetitia cum vultu suo, cum eis se videndum exhibet facie ad faciem, et demum delectationes usque in finem eis praebet dextera sua, cum eos ad dexteram partem collocat, et cum dextera manu sua tamquam inexhausto fonte bonorum eos indesinenter delectationibus replet. Ad finem hujus psalmi annotare placet incredibilem temeritatem Theodori Bezae, qui verba illa, *Non derelinques animam meam in inferno*, ex textu graeco, Act. 2, sic interpretari ausus est, *Non relinques cadaver meum in sepulchro*, quae enim corruptio sacrarum litterarum est, si haec non est? Vide, si placet, refutationem hujus paradoxi in nostris controversiis lib. de anima Christi, cap. 12. ubi demonstramus voces tum hebraicas, tum graecas, quae in hoc psalmo, et cap. 2. Actorum habentur, non cadaver, et sepulchrum sed animam, et infernum proprie significare.

PSALMUS XVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Oratio David.

Hic psalmus, ut ipse titulus indicat, est oratio justi persecutionem injuste patientis, qua precatur a Deo liberationem; ducit autem argumenta, primum ab innocentia sua, secundum a justitia Dei, tertium a misericordia ejusdem, quartum a malitia impiorum justos persequentium.

EXPLICATIO PSALMI XVI.

1. *Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.*
2. *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.*

Hi duo versiculi conjunguntur in unum apud hebraeos; sed apud Graecos et latinos distincti sunt. Res est parvi momenti, neque sententiam mutat. Primum igitur orat exaudiri justitiam suam: nam apud justum judicem magis clamat caussa, quam persona. Addit deinde, ac postulat attendi etiam ad precationem suam; quia Deus non solum justitiam, sed etiam Justos diligit, et ut s. Jacobus ait cap. 5. *Multum valet oratio justi.* Postremo conjungit utrumque, justitiam, et deprecationem, cum ait, *Auribus percipe orationem meam, non*

http://www.obrascatolicas.com

in labiis dolosis, hoc est, orationem meam, quae non prodit ex labiis dolosis; sed in justitia nititur. Itaque sensus est, Moveat te Domine justitia, moveat Justi deprecatio.

3. *De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant aequitates.*

Alterum argumentum petit a justitia Dei, quasi dicat, te appello Domine, a te judicari volo, qui es Judex justissimus. *De vultu tuo*, idest, ab ore tuo judicium meum prodeat, id est, sententia pronuncietur. *Oculi tui videant aequitates*, idest, noli claudere oculos, et dissimulare calumnias impiorum; sed aperi oculos, et considera, quid justitia exigat. Nam, ut alias monui, non ponitur hoc loco aequitas pro epicheja. sed pro ipsa vera justitia, ut sonant vocabula hebraea, et graeca. In graeco habetur, *Oculi mei videant aequitatem*, et sic legit s. Augustinus, et exponit de judicio hominis justi, non de judicio Dei, ut sensus sit, de vultu tuo judicium meum prodeat, idest, illumina mentem meam, ut juste judicem: *oculi mei videant aequitates*, idest, mens mea non aberret in judicando;sed si debeat convenire sententia graeci codicis cum lectione hebraica, et latina, hic debet esse sensus, Oculi mei videant aequitates, quas tu videlicet exerces, idest, videant justa judicia tua. Et sane lectio, quae habet *oculi tui*, magis cohaeret cum superioribus, et eamdem approbat s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam.

4. *Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti,et non est inventa in me iniquitas.*

Reddit caussam cur velit judicari a Deo;quia videlicet ipse solus scrutatur corda,et perfecte novit innocentiam servorum suorum.*Probasti*,inquit,*cor meum*,idest,tentasti,qualis sim intus,ubi nemo videt praeter te;experimentum de mea sinceritate fecisti.Quomodo autem id fecerit, declarat dicens, *Visitasti nocte, et igne me examinasti*. Nam duo sunt tempora,quibus apparet quid sit in corde, occasio occulte agendi,et tempus tribulationis.Multi enim intus mali,exterius boni,si occasionem habeant peccandi in occulto, ubi nullum sit periculum ne deteganturl, tunc malitia se prodit. Sic etiam tempore prosperitatis non discernuntur mali a bonis, sed cum ignis persecutionis advenerit,tunc aurum lucebit, et palea fumabit. De primo tempore dicit, *Visitasti nocte*, idest, cum in occulto occasiones peccandi habui. De secundo vero, *igne me examinasti*, idest, ardente tribulatione. *Et non est inventa in me iniquitas*, in hebraeo, pro istis verbis, *Non est inventa in me iniquitas*, ad verbum sic legitur: *Non invenisti, cogitavi; non transibit os meum*. Quae verba nullum sensum facere videntur. Sciendum igitur est septuaginta Interpretes non legisse, זמותי *zammothi*,quod significat, cogitavi: sed, זמתי *zimmathi* , mutatis tantum punctis idest, iniquitatem meam, et conjunxerunt hoc nomen cum superiore verbo, et ideo reddiderunt, *Non est inventa in me iniquitas*, quod est idem cum eo, *non invenisti iniquitatem meam*, ut ad verbum est in hebraeo. Sequentia verba , nimirum, *non transibit os meum*, conjunxerunt septuaginta Interpretes cum verbis sequentibus, *in opera hominum*, et verterunt, *ut non loquatur os meum opera hominum*. Idem enim est, non transibit os meum in opera hominum, et non loquetur os meum opera hominum.

5. *Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

Ostendit unde factum sit, ut Deus non invenerit in eo iniquitatem: et dicit ex eo factum esse, quia custodierit vias duras justitiae propter praecepta Dei, non ob aliquam spem humanam. Nam qui ob spem humanam costodiunt viam justitiae, exterius id faciunt, ubi homines, vident, ac per hoc invenitur in eis latens iniquitas; qui vero propter Dei mandatum viam justitiae non deserunt, id faciunt exterius, et interius, atque ideo nulla in eis iniquitas invenitur. Ait igitur, *Ego custodivi vias duras*, idest, permansi in via justitiae, quamvis aspera, et dura neque me ulla tribulatio ab ea via declinare facit. Permansi autem in hac via,*propter verba labiorum tuorum*, idest, propter mandata tua, sive propter promissiones, et minas tuas. *Ut non loquatur os meum opera hominum*, idest,ut non cogar implorare humanam opem;neque ab spe humana pendeam, neque laudem opera hominum. In hebraeo, pro eo quod nos legimus vias duras, habetur, *vias*, פרץ *pariz*, idest, latronis.seu dissipatoris: sed mutatis punctis illud, פרץ *pariz*, potest, legi, *perez*, idest,ruptura sive fractura; et sensus erit custodivi vias praeruptas, ac per hoc periculosas, et duras.

6. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

Agnoscens non suis viribus, sed auxilio Dei se permansisse in angusta semita justitiae , rogat Deum, ut confirmet hoc beneficium, *Perfice gressus meos in semitis tuis*, idest, confirma, et stabili gressus meos in hac via tua, ne forte declinem ab ea, si tuo adjutorio destituar. In hebraeo ad verbum est, *substenta gressus meos, ne labantur vestigia mea;* ubi declaratur id ipsum per similitudinem ductam a via lubrica. Itaque, *perfice gressus*, significat, sustenta, et stabili; et *ne moveantur vestigia mea*, significat, ne labantur ob viae lubricitatem. Vera enim infirmitas carnis, et illecebra mundi faciunt viam vitae humanae valde lubricam, et multi labuntur in ea.

7. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.*

Exposito argumento ab innocentia, sua, et a justitia Dei, iterum repetit orationem initio Psalmi propositam; quae est quasi conclusio, quae colligitur ex duobus illis argumentis. Sententia igitur haec est: *Ego clamavi*, ad te Domine *quoniam exaudisti me*, idest, cum fiducia clamavi,quoniam semper alias exaudisti me. Et ideo pro solita benignitate nunc etiam inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

8. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

Hoc est argumentum tertium, quod sumitur a misericordia Dei; quasi dicat, exposui innocentiam meam, appellavi justitiam tuam; invoco nunc misericordiam, quoniam etsi me innocentem existimem a crimine, ob quod tribulationem patior, tamen multa sunt alia fortasse peccata mea, ob quae juste puniri possem. *Mirifica ergo misericordias tuas*, idest, ita manifeste misericordias tuas exerce in me liberando, ut omnes mirentur. Tuum est enim salvos facere omnes, qui in tua misericordia spem suam repositam habent.

9. *A resistentibus dexterae tuae custodi me ut pupillam oculi.*

In Hebraeo conjunguntur cum superiore versiculo illa verba,*a resistentibus dexterae*, ut sensus sit, qui salvos facis a resistentibus dexterae tuae eos qui sperant in te. Sed cohaerent etiam optime cum verbis sequentibus in hunc modum: *Custodi me ut pupillam oculi*, idest, maxima diligentia; *a resistentibus dexterae tuae*, idest, ab impiis hominibus, qui resistunt dexterae tuae,vel laedendo quos tu protegis, vel non ambulando quo tu ducis; neque hoc est contrarium ei, quod legimus in lib. Esther cap. 13. *Non est qui possit tuae resistere voluntati*. Nam illud intelligitur de voluntate beneplaciti, quae semper impletur; hoc autem de voluntate signi, quae non semper impletur, quia Deus permittit impios multa facere contra leges, a se positas: sed eos postea punit, ut merentur. Idcirco s. Paulus hortatur dicens, *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*, 1. Pet. 5. Similitudo illa, *ut pupillam oculi*, aptissima est; quoniam pupilla res simul pretiossima est et infirmissima,et ideo diligentissime custodire solet, et ab ipsa natura munita est, tum variis tunicis,tum etiam palpebris, et pilorum vallo.

10. *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt.*

Idipsum repetit alia similitudine. Sicut enim pulli teguntur alis gallinae, et eo modo obumbrantur, et securi delitescunt, ut laedi non possint a milvis: sic optat justus protegi divino auxilio a persecutoribus suis. Illud, *a facie impiorum*, significare potest a conspectu impiorum; alae siquidem dum pullos tegunt, faciunt ne videantur a milvis. Item a morsu impiorum sive ab ira impiorum: nam et dentes in facie sunt, et ira in facie demonstratur. Illud, *qui me afflixerunt*, significat, justum jam expertum esse morsus impiorum, et ideo protectionem quaerere, ne si saepius mordeatur, tandem consumatur. Familiaris est haec similitudo divinae Scripturae psal.62.*In velamento*, inquit,*alarum tuarum sperabo*;et rursus psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi,et sub pennis ejus sperabis;* et ipse Dominus in Evangelio: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas , et noluisti*, Matth. 23.

11. *Inimici mei animam meam circumderunt, adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.*

Est hoc argumentum postremum, quod sumitur a malitia inimicorum. *Inimici mei*,inquit,*animam meam circumdederunt*, idest, vitam meam, sive me ipsum undique premunt, *adipem suum concluserunt*, idest, nulla misericordia moventur, etiamsi me videant ad extrema redactum; *os eorum loquutum est superbia*, idest, non solum non miserentur, sed etiam insultant arroganter. Porro adipem concludere, significat viscera claudere, ac per hoc non misereri, juxta illud s. Joannis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Joan. 3. Quia vero viscera claudi solent, cum adeps crescit, ideo maluit Propheta dicere, *Adipem suum concluserunt*, quam viscera clauserunt, ut simul indicaret causam, unde viscera clauduntur, quae est multiplicatio adipis, idest, opulentiae temporalis. Sicut enim adeps naturalis claudit viscera carnalia: ita: multiplicatio opum facit superbe sapere, et contemnere proximum, et claudit viscera spiritualia.

12. *Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Pergit narrare nequitiam inimicorum, et ait, eos modo unam viam aggredi, modo contrariam, sic tamen ut semper noceant. *Projicientes me nunc circumdederunt me*, idest, antea projicientes a suo consortio,nunc circumdederunt me. In graeco sensus est clarior, quia illud, *projicientes*,est temporis praeteriti, ἐκβαλλοντε,et significat, *cum projecissent me*. Itaque sensus est, cum antea projecissent me a suo consortio,ne fruerer communibus bonis, nunc iterum quaerunt me, circumdant, ut malis afficiant. Hujus autem malitiae ipsorum causa est, quia *statuerunt oculos suos declinare in terram*, idest, firmiter decreverunt non aspicere ad Deum, qui est in coelo, nec timorem ullum Dei admittere; sed solum terram intueri, et quae in terra sunt bona sectari. In hebraeo pro illa voce, projicientes me , habetur, אשורנו *asciurenu*, quod aliqui vertunt *gressu meo*; alii, *incedentes in me*, alii aliter. Sed septuaginta Interpretes legisse videntur, הורישוני *horisciuni*, quod significat, *expulerunt me*, sunt enim literae fere eaedem, sed transpositae.

13. *Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam et sicut catulus leonis habitans in abditis.*

Non solum, inquit,circumdederunt me, sed crudelissime in me saevierunt,*Susceperunt* enim *me*,

http://www.obrascatolicas.com

ex aviditate, et saevitia, qua *leo paratus ad praedam*, suscipit occurrentem sibi oviculam. Dicitur autem leo paratus ad praedam is, qui famelicus, et in praedam intentus est. Idem repetit per verba sequentia, *et sicut catulus leonis habitans in abditis*, idest, sicut leonis catulus latens in insidiis suscipit praedam sibi occurrentem. In hebraeo pro *susceperunt me*, habetur, דמיונו *dimiono*, similitudo ejus, videlicet impii, quasi leonis desiderantis praedam. Caeterum septuaginta legerunt paulo aliter, ut legi potest vox illa, si removeantur puncta, nimirum videntur legisse, דמוני *dimuni*, ab eodem verbo, דמה *dama*, quod non solum similem esse, sed etiam succidere significat. Itaque intellexerunt hic significari, *succiderunt me*, sicut leo succidere solet praedam oblatam, sed pro succiderunt, maluerunt vertere, *susceperunt*, nimirum ad succidendum, quia non succiderunt re ipsa, sed tantum voto, non enim Deus permisit ut re ipsa succiderent, ut ex sequenti versiculo perspicuum est.

14. *Exurge Domine, praeveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.*

Explicata malitia persequentium, rogat Deum ut adsit, et liberet ipse, qui solus potest. *Exurge Domine*, non amplius differas auxilium, *praeveni eum*, idest, impium, qui instar leonis me rapuit ad devorandum, praeveni dentes ejus, ne os in me infigat, et occidat. Et vere solus Deus praevenire potest actionem cujuslibet caussae etiam velocissime agentis, sicut praevenit dentes leonum, ne laederent Danielem inter ipsos famelicos jacentem; et sicut praevenit impetum ignis, ne combureret tres pueros in fornacem projectos, ex quo magna consolatio oritur justis, qui sciunt eam esse Dei sui potentiam, ut securos eos praestare possunt inter dentes leonum et inter flammas ignis ardentis; *supplanta eum*, idest, decipe eum, mirabili providentia tua efficiendo, ut dum putat se dentes infigere in carnem justi, configat in carnem propriam. *Eripe animam meam ab impio*, idest, ne sinas me occidi ab impio saeviente more leonis, sed libera, et salva me. *Frameam tuam ab inimicis manus tuae*. In hebraeo post *frameam tuam*, finitur versiculus, et deinde incipit alius versus; et quia hebraei, non declinant nomina per casus, potest sic verti ea sententia, *eripe animam meam ab impio*, framea tua, idest, ut vertit sanctus Hieronymus, *ab impio qui est framea tua*, vel, ut alii volunt, eripe animam meam ab impio framea tua, idest, per frameam tuam, sed versionem septuaginta, et editionem vulgatam sequendo, sensus erit, eripe animam meam ab impio; ac ut hoc facias, eripe frameam tuam, idest, potestatem affligendi, ab inimicis manus tuae, idest, ab iis, qui ea non bene utuntur, qui sunt inimici manus tuae, ac per hoc non sequuntur directionem manus tuae, sed contra eam abutuntur potestate a te illis concessa. *Omnis enim potestas a Deo est*, sive, ut Apostolus loquitur, *Non est potestas nisi a Deo*. Rom. 13. In hebraeo pro, *inimicis manus tuae*, habetur, *a viris manus tuae*, sive *a mortuis manus tuae*, nam vox hebraea, מתים *methim*, et vivos, et mortuos significat. Septuaginta Interpretes intellexerunt significari mortuos, et verterunt, ἀπ' ἐχθρῶν τῆς χειρός σου, *inimicis manus tuae*, quoniam inimici manus Domini, id est, qui nolunt sequi directionem manus Domini, mortui sunt manui Domini; quomodo omnes peccatores dicuntur mortui Deo, et inimici Dei, verterunt autem potius, inimici, quam mortui, quia id est multo clarius.

15. *Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

Imprecatio est prophetica, idest, praedictio per modum imprecationis: praedicit enim futurum, ut dividantur impii a Justis, et impiis quidem sola temporalia tribuuntur; Justis vero etiam aeterna. *Domine a paucis de terra divide eos*, idest, separa multitudinem impiorum a pusillo grege tuo. In hebraeo est eadem vox, מתים *methim*, quae in fine versiculi superioris. David enim sicut inimicos Dei vocaverat mortuos Dei; ita nunc amicos Dei vocat mortuos saeculo, sive terrae: vox enim, חלד *cheled*, significat terram, mundum, saeculum et similia. Itaque verti poterat, divide eos a mortuis mundo: sed maluerunt septuaginta dicere a paucis de terra, qui vere mortui mundo sunt valde pauci, respectu amatorum mundi. Illud, *divide eos*, est in hebraeo, pars eorum, sed mutatis punctis eaedem voces significant, divide eos. Quod sequitur, *in vita eorum*, posset recte conjungi cum sequentibus, nisi obstaret particula, et, *et de absconditis tuis*, etc. quae particula est in hebraeo, et in graeco, et in multis latinis: nec scio, cur in editione vulgata omissa sit. Sensus igitur est non solum in vita futura, sed etiam in praesenti, quae proprie est vita ipsorum, quam ipsi videlicet solum agnoscunt, amant dividendos a viris justis, qui saeculo mortui sunt. In hoc autem divisio consistit, quod *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, idest, de bonis terrae a Deo creatis, et conservatis, et quae veluti de thesauro abscondito singulis annis emanant, adimplent ventrem suum, et hanc partem suam esse dicunt.

16. *Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

Hoc est, filiis abundant, et iis post mortem sua relinquunt bona, quae ipsis supersunt, haec enim censetur a filiis hujus saeculi perfecta felicitas, si et ipsi bonis terrenis circumfluant, et filios suos bonorum suorum relinquant haeredes. Ex graeco sanctus Augustinus vertit, *saturati sunt porcina*; sed etiam verti posse dicit, *saturati sunt filiis*, ratio hujus varietatis in promptu est: nam vox graeca si scribatur per simplex ypsilon ὕων significat *porcum*; si scribatur per ypsilon, et jota ὑιῶν significat *filios*, sed ex hebraeo perspicuum est, legendum filiis, non porcina.

17. *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.*

In hoc, inquam, divisio consistit, quod illi saturari cupiant in hac vita bonis terrenis; *ego autem* ut etiam caeteri Justi in hac vita, justitiam esuriam, et in alia gloria, et beatitudine satiabor. *In justitia apparebo conspectui tuo*, idest, juste coram te vivere studebo; *satiabor cum apparuerit gloria tua*, idest, sicut nunc tibi apparebit justitia mea, ita postea mihi apparebit gloria tua, et tunc demum vere satiabor nihil amplius expetens. In Hebraeo pro, *apparebit gloria tua*, habetur, *cum excitabitur similitudo tua*; sensus est idem: tunc enim apparebit nobis gloria Domini, quando excitabitur in nobis similitudo, de qua scriptum est 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Quando enim videbimus eum sicuti est, tunc erimus ei similes in gloria: nam et ipse beatus est, quia seipsum videt. Haec est enim vita et gloria sempiterna, videre Deum sicuti est.

PSALMUS XVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Puero Domini David, qui loquutus est Domino verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit.

Hic titulus indicat, psalmum hunc a Davide compositum fuisse in gratiarum actionem, quando liberatus fuit ab omnibus inimicis suis, et potissimum a Saule, qui nominatim ea de caussa exprimitur. Habetur hic idem psalmus in lib. 2. Regum cap. 22. paucis mutatis. Mutatio autem illa incertum est, an ab ipso Davide facta fuerit, an ab Esdra, qui psalmos collegit. Quia vero David figuram Christi gessit potest psalmus hic etiam de Christo recte exponi.

EXPLICATIO PSALMI XVII.

1. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.*

Diligam te Domine, idest, merito te diligere debeo, cum tot beneficiis me tibi devinxeris. Exponit deinde beneficia a Deo accepta: ac primum unico verbo, tum pluribus nominibus, postremo rerum gestarum enarratione. Unico verbo exponit, cum dicit, *Fortitudo mea*, idest, caussa totius roboris mei, quo de hostibus omnibus triumphavi. Quod autem uno verbo dixit, *Fortitudo mea*, explicat per partes, dicens, *Firmamentum, refugium, et liberator*; quasi dicat, merito dixi, Deum esse robur meum, quia ipse est firmamentum, refugium, et liberator meus. Cum in tuto sum, ipse mihi est firmamentum; cum in periculo versor, ipse mihi refugium praebet; cum forte in manus hostium incido, ipse me liberat. Itaque omnibus modis ipse mihi fortitudo, et robur est. In hebraeo pro voce, *diligam*, non est verbum, אהב *ahab*, quod simpliciter amare significat, sed רחם *racham*, quod significat amare ex intimis visceribus. Pro vocabulo, *Firmamentum*, est, סלעי *salhi*, Petra, idest, stabile, ac solidum fundamentum. Pro, *refugium*, מצודתי *metsudathi*, est arx, sive munitio, sive munitissima arx, ad quam tuto quis confugere possit. Sed septuaginta Interpretes metaphoras exponere voluerunt, ideo non petram, et arcem, sed firmamentum, et refugium dixerunt. In 2. lib. reg. cap. 22. deest illud principium, *Diligam te Domine fortitudo mea*. Incipit enim psalmus, *Dominus petra mea*, etc. Sed pulcherrimum illud principium videtur non ab alio, quam ab ipso Davide fuisse additum.

2. *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum.*
3. *Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.*

In his duobus versiculis, qui in hebraeo continuantur cum primo versiculo, ex vehementia affectus in Deum repetit Propheta, et inculcat epithecta benefactoris sui. Respondent autem tria haec, *Adjutor, protector, et cornu salutis*, tribus illis, *Firmamentum, refugium, et liberator*. In hebraeo pro voce adjutor, habetur, צורי *tsuri* petra, sicut pro voce, Firmamentum, erat etiam petra, sed alia, et alia voce. Itaque vocat Deum adjutorem, quia praebet stabilimentum, ut non cadat, juxta illud psal. 39. *Statuit supra petram pedes meos*. Et merito adjungit, *Sperabo in eo*, tamquam in firmissimo fundamento. Pro voce, Protector, habetur in hebraeo, מגני *maghinni*, *scutum*, sive clypeus, sicut pro voce refugium, erat arx. Utrumque enim protegit, et defendit. Itaque voluerunt septua-

http://www.obrascatolicas.com

ginta Interpretes explicare metaphoras nominum hebraicorum. Cornu salutis est tam in hebraeo, quam in Graeco, et significat robur ad salvandum. Metaphora sumpta ab animantibus cornigeris familiaris est Scripturae divinae, psal. 131. *Producam cornu David*, idest, faciam, ut David robustus sit, ac potens instar tauri cornibus armati, non imbecillis, ac debilis more vituli nondum cornua producentis, Ezech. 29. *In illa die pullulabit cornu domus Israel*, Michaeae 4. *Ponam cornu tuum ferreum*, Luc. 1. *Erexit nobis cornu salutis in domo David*. Dicitur igitur Deus cornu salutis Davidi, et omnibus justis, quia justi robustissimi sunt contra omnes hostes, sed robur eorum non viribus propriis, sed in Dei adjutorio, et favore consistit. *Omnia possum*, dicebat Apostolus, *in eo qui me confortat*. Respondet autem cornu salutis meae, particulae illi, *et liberator meus*. Liberat enim Deus per cornu salutis, idest, per salutiferam potentiam suam. Denique illud, *et susceptor meus*, est nomen complectens omnia alia, et respondet primo illi nomini, *Fortitudo mea*, Quos enim Deus suscipit, liberat, protegit, confirmat.

4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Et haec quasi conclusio quaedam superiorum verborum: quasi dicat, Ego deinceps assidue Deum laudando pro tot acceptis beneficiis, et magna fiducia in tribulationibus meis, eumdem Deum invocabo, et sine dubio a quibuscumque hostibus liberabor. In hebraeo habetur, מהלל *Mehullal*, quod recte s. Hieronymus vertit, *Laudatum invocabo Dominum*. Sed si puncta mutentur, eaedem literae faciunt, מהלל *Meallel*, quod significat, *laudans invocabo*, ut verterunt septuaginta. Sententia semper est eadem, nimirum laudabo, et invocabo, gratias agam pro peccatis et invocabo pro futuris.

5. Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.
6. Dolores inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis.

Incipit Propheta jam enarrare accepta beneficia. Ac primum dicit, se quondam fuisse in apertissimo periculo vitae, quando videlicet Saul eum quaerebat ut interficeret. Sed hoc periculum vitae poetice describit variis metaphoris adhibitis. *Circumdederunt me dolores mortis*, idest, undique talia pericula me oppresserunt, ut de salute corporali desperarem; et ideo tali dolore, idest, moerore animi affectus fui, quali affici solent, qui mortem sibi imminere vident. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me*, idest, inde periculum, et dolor, de quo dixi, proficiscebantur, quod multitudo iniquorum instar torrentis me invaserant, et conturbaverant, quomodo conturbari solent qui a torrente aquarum deferuntur, et circumvolvuntur. *Dolores inferni circumdederunt me*: repetit quod dixerat, *circumdederunt me dolores mortis*. Idem enim hoc loco, dolor mortis, et dolor inferni. Nam quia ante Christi passionem omnes, qui moriebantur, ad infernum descendebant, quamvis non ad eamdem partem inferni; ideo pro eodem accipiebatur, mori, et ad infernum descendere. *Circumdederunt*, inquit, *me dolores inferni*, idest, moeror animi, qualem patiuntur, quibus imminet discessio ex hoc mundo ad locum mortuorum, qui est infernus. *Praeoccupaverunt me laquei mortis*, repetit, quod dixerat, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me*. Sicut enim conturbatio ex multitudine iniquorum in eum insurgentium erat caussa Davidi dolorum mortis: ita praeoccupatio laqueorum mortis erat caussa eidem Davidi dolorum inferni. Vocat laqueos mortis insidias iniquorum, quibus petebatur ad mortem. Itaque sensus horum duorum versiculorum est, Davidem occupatum fuisse ingenti dolore ob imminens mortis periculum, tum ex invasione manifesta inimicorum instar torrentis violenter sapientis, et involventis, tum ex insidiis eorumdem inimicorum, instar laqueorum incautos capientium. Quod attinet ad verba, pro dolores, in hebraeo habetur, חבלי *cheble*, quae vox dolores, et funes significare potest. Ideo s. Hieronymus vertit, funes mortis, et funes inferni. At septuaginta interpretes verterunt, dolores mortis, et dolores inferni: quae lectio posterior clarior est. Pro torrentes iniquitatis, in hebraeo habetur, נחלי בליעל *nachale beliahal*, quod s. Hieronymus vertit, *torrentes diaboli*, et septuaginta interpretes, *torrentes iniquitatis*. Utrumque recte se habet; nam בליעל *beliahal*, ad litteram sonat, absque jugo, et in scripturis sanctis passim invenitur haec vox usurpata ad significandos viros iniquos, qui excusserunt jugum legis, vel ipsam iniquitatem, quae est contraria legi; quia iniquorum caput est diabolus; ideo diabolum quoque hac voce significare solent hebraei.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.
8. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

Dixerat, se in maximo periculo constitutum fuisse; nunc dicit, se confugisse per orationem ad Deum, et exauditum. *In tribulatione mea*, idest, in illis magnis angustiis, in quas me conjecerat persecutio Saulis, et in aliis similibus multis. *Invocavi dominum*, in quo tota mea fiducia posita esse solet. *Et ad Deum meum clamavi*. Repetitio est Davidi familiaris. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam*, idest, oratio mea pervenit usque ad summum coelum, quod est templum Dei non manufactum, et vere sanctum, quod violari polluique nulla ratione potest. *Et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus*. Repetitio est, et aliquo modo declaratio superioris versiculi; quasi dicat, clamosa oratio mea, id est, magno affectu prolata, in conspectu ejus effusa, idest, quam effudi Deum prae oculis habens, *introivit in aures ejus*, idest, exaudita est. In hebraeo habentur in futuro omnia verba, invocabo, clamabo, exaudiet, introibit. Sed septuaginta interpretes recte verterunt in praeterito, invocavi, clamavi, exaudivit, introivit, quoniam lex hebraicae grammaticae id permittit, ut futurum ponatur pro praeterito.

9. Commota est, et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Incipit jam describere effectum exauditionis divinae, qui fuit auxilium de coelo adversus inimicos suos, ex quorum interitu ipse tandem non solum pericula evasit, sed etiam regnum adeptus est. Describit autem iram Dei adversus hostes suos poetico more; sicut enim cum irascitur rex aliquis, et bellum parat, totum ejus regnum turbatur; ita cum irascitur rex totius mundi, totus mundus turbatur, ac potissimum tria visibilia elementa, terra, aer, et aqua. Non significat hoc loco David, re ipsa terram, et aerem, et aquam ita perturbata fuisse, ut verba sonare videntur: sed significat, talem esse Dei iram, ut possit continuo tremefacere terram usque ad ima fundamenta; et in aere continuo excitare ventus, nubesque tenebrosas, et tonitrue, atque fulgura: denique fontes, et flumina, et maria ita siccare, ut appareant cavernae terrae, et fontium origines. Incipit ab elemento terrae, ac dicit, *commota est, et contremuit terra, fundamenta montium commota sunt, quoniam iratus est eis*; hoc est, quando Deus irascitur terrae, continuo tota movetur, et contremiscit, non solum in superficie, sed usque ad ima montium fundamenta. Nec solum quando Deus irascitur, sed etiam quando praesentiam suam manifestat in terra, concussio terrae consequitur, quasi trementis, et reverentis majestatem Creatoris. Sic in resurrectione Christi terraemotus factus est magnus; et cum idem Christus moriens infra terram descensurus erat, terra mota est. Et David in alio psalmo: *A facie Domini mota est terra*, ps. 113. In hebraeo non habetur, *quoniam iratus est eis*, sed, כי חרה לו, *chi chara lo*, *quoniam ira ei*, idest, quoniam iratus est. Itaque secundum textum hebraicum terra, et montes contremiscunt, non quia Deus ipsis montibus iratus est, sed quoniam absolute iratus est. At septuaginta vertentes, *quoniam iratus est eis*, significare voluerunt, iram Dei esse contra terram, et terrae montes, ratione hominum, qui in terra habitant; alioqui nulla est ratio cur Deus terrae, et montibus irascatur.

10. Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.

Adhuc pergit explicare operationem Dei in terra quando vult Deus ostendere in ea praesentiam suam: non enim solum terram tremere facit, sed etiam ardere ac fumare, quod accidisse describitur Exod. 20. hebr. 12. quando Deus in monte Sina legem dedit. *Ascendet*, inquit, *fumus in ira ejus*, idest, ira Dei excitavit in terra calorem vehementem, unde ingens fumus ascendit. *Et ignis a facie ejus exarsit*; nec solum calorem et fumum, sed etiam incendium magnum excitavit. *Carbones succensi sunt ab ea*, idest, ira Dei, sive facies Dei terram respiciens ita fecit eam ardere, ac si totam in carbones ardentes convertisset. Alibi etiam dicit, *qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant*, psalm. 103.

11. Inclinavit coelos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus.

Transit a terra ad aerem: et describit ea quae fiunt in aere, quando Deus iram, vel praesentiam suam demonstrare vult: dicitur Deus inclinare coelos, quando demittit nebulam, in qua ipse apparet. Videtur enim nebula quasi pars coeli: ordinarie autem Deus per nebulam se ostendere solitus est, ut patet ex lib. Num. cap. 9. 3. Reg. 8. Matth. 17. et alibi; ait igitur: *inclinavit coelos et descendit*, idest demissa nebula, per eam se manifestavit, *et caligo sub pedibus ejus*, idest, ita Deus in nebula habitavit, quasi caliginem sub pedibus haberet: sunt omnia metaphorica, ex quibus intelligimus, Deum invisibiliter praesentem nobis se facere.

12. Et ascendit super Cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum.

Pergit describere operationem Dei in aere, quando iram suam manifestare hominibus vult. Ponit autem nobis ante oculos Deum, quasi hominem armatum insidentem currui velocissime discurrenti, et ex eo sagittas in hostes suos emittentem. Currus Dei sunt nubes, juxta illud psalm. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. Equi velocissimi sunt venti, qui nubes huc, illucque deferunt. Aurigae sunt angeli, quos cherubim vocat. Sagittae sunt fulgura, et fulmina, quae ex nubibus jaciuntur. Et vere mirabilis est ista descriptio. Nulli enim sunt currus agiliores nubibus, nulli equi velociores ventis, nulli aurigae peritiores angelis, nulla jacula, quae coelestibus fulminibus conferri possint. Et praeterea currus isti ex eo loco superiore pugnant, ut laedere possint. *Ascendit*, inquit, *super cherubim*, idest, non solum Deus utitur nebula, quasi domo, vel tentorio; sed etiam utitur nubibus, quasi curribus; et angelis Cherubim, quasi aurigis; et ventis, quasi equis. Dicitur autem ascendere super Cherubim, ut intelligamus, Deum non regi ab auriga, sed ipsum praesidere aurigae, et principalem esse tum ipsius currus, tum aurigae motorem, atque rectorem. Itaque dicitur Deus ascendere super cherubim, et volare super pennas ventorum, quia utitur ministerio Angelorum in movendis nubibus, quae sunt veluti currus aerei, et velocissimi, quippe qui tribuuntur a ventis, veluti equis pennigeris, ac per hoc non ambulant, sed volant, et volant celerius omni volucre.

http://www.obrascatolicas.com

13. *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aeris.*

Ne putaretur Deus visibiliter in nubibus, tamquam in curru eminere, declarat propheta Deum invisibiliter adesse, et ea de causa tenebrosis nubibus uti, ut eo veluti symbolo invisibilem se esse demonstret. Est etiam in his verbis elegantissima, et poetica metaphora. *Posuit*, inquit, *tenebras latibulum suum*, idest, latet Deus in tenebrosis nubibus, quasi in loco abdito, sive effecit, ut nubes tenebrosae pro latibulo sibi deservirent. *In circuitu ejus, tabernaculum ejus*, idest, eaedem nubes sunt quasi tabernaculum Deo, quo ipse undique tegitur. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est tabernaculum, de quo dixi, nihil est aliud, nisi nubes tenebrosa, qualis est, cum est disposita proxime, ut in aquam vertatur. Tunc enim est nubes valde densa, et aquea, ut non improprie aqua dici possit in nubes existens.

14. *Pro fulgore in conspectu ejus nubes transierunt; grando, et carbones ignis.*

Declarat quomodo Deus ex nubibus quasi ex curribus suis armatis pugnet, ac dicit, jubente Deo nubem scindi, et inde prodire grandinem, et fulgura, instar carbonum ignitorum. Elegantissime autem dicit, *prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, quasi scissura nubium procedat a fulgore Dei intus latentis, quasi nubes ferre non possit divinum fulgorem, et ideo in conspectu Dei, rumpantur et dissolvantur, atque ex ea parte evanescat, et transeat. *Prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, idest, a fulgore Dei praesentis concussas nubes, in cospectu ejusdem Dei, transierunt disruptae, et dissolutae. *Grando, et carbones ignis*, supple, ex ea scissura processerunt grandines, et fulgura. Re ipsa hoc accidit tempore Pharaonis, ut habemus in lib. Exod. cap. 9. *Et grando*, inquit, *et ignis mixta pariter ferebantur*. Similia in bello Josue contra quinque reges, Jos. 10. necnon in bello m. Antonini Imperatoris contra germanos, de quo vide Tertullianum in lib. ad Scapulam; et in Apologetico cap. 5.

15. *Et intonuit de coelo Dominus, et altissimus dedit vocem suam; grando et carbones ignis.*

Idem repetit aliis verbis, ex nubis dissolutione oritur fragor ingens; qui dicitur tonitru, cum quo saepe fulmina conjuncta esse solent. Fragorem illum eleganter vocat Propheta vocem Dei, non solum quia Deus est causa fragoris illius, sed etiam quia tam ingens, et tam terrificus est sonus ille, ut soli Deo tribuendus videatur, quasi propria vox ejus. Hinc est illud ipsius Dei ad Job: *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas.* Job. 40. Illud autem *grando et carbones ignis*, in nonnullis graecis textibus non habetur, in hebraeo habetur, et posset legi, grandinem, et carbones ignis, ut aliqui legunt; sed noster interpres recte vertit, *grando et carbones ignis*, quia sunt omnino eaedem voces, quae in versiculo superiore. Itaque oportet hic etiam aliquid subintelligere, ut sensus sit, *altissimus dedit vocem suam*, ex qua voce processit etiam grando, et fulmina, quasi carbones igniti.

16. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

Explicatio est superiorum, ac praesertim illius vocis *carbones ignis*, quasi dicat, carbones ignis prodierunt ex nubium scissione, quia Deus *misit sagittas suas*, idest, fulgura, *eaque multiplicavit*, et eo modo inimicos suos *dissipavit et conturbavit.*

17. *Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

Hic jam loquitur de operatione Dei in aquis, quae operatio est mirabilis, et repentina exiccatio aquarum, qualis facta est in mari rubro, et Jordane flumine, ut habemus Exod. 14. et Jos. 4. ex qua exsiccatione paluit profundum maris, et fluminum, quod profundum vocat propheta *fundamenta orbis terrarum*, quia est pars infima totius terrae. Pro voce, *fontes*, in hebraeo est, אפקי *aphike*, quod significat, *decursus, seu torrentes.* Sanctus Hieronymus vertit, *effusiones aquarum*, sed cum sit nomen generale recte potuerunt septuaginta interpretes reddere, *fontes*. Sensus igitur est. *Et apparuerunt fontes aquarum*, idest, jussu Dei siccatis aquis apparuit fundum fontium, sive fluminum, sive etiam maris, et sic *revelata sunt*, et discooperta, *fundamenta*, idest, partes imae *orbis terrarum.*

18. *Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus irae tuae.*

Explicat causam exsiccationis aquarum. Apparuerunt, inquit, fontes seu decursus aquarum. *Ab increpatione tua domine*, idest, quia tu domine, increpasti aquas, et ille continuo disparuerunt. Quomodo autem increpaverit, explicat, dicens, *ab inspiratione spiritus irae tuae.* Mirabili metaphora, et plane poetica vocat Propheta ventum, cujus ministerio siccatae sunt aquae, spiritum irae Dei, et increpationem Dei. Nam vento urente siccatas fuisse aquas maris rubri a Deo, testatur scriptura Exod. 14. Itaque quod proprie dici poterat, tu domine immisso vento vehementi, siccasti aquas maris, dicit elegantissima metaphora, tu domine increpasti aquas; quia impediebant transitum populi tui; et spiritu irae tuae sufflasti in eas; et illae continuo fugerunt, ut alibi dicit psal. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti?* Hunc versiculum cum superiore conjungunt codices hebraici, quia sententia prioris ab hoc posteriore pendet; sed recte septuaginta interpretes separaverunt, quia viderunt ex ratione metrica ita esse faciendum, neque enim absurdum est, ut una sententia duobus versibus contineatur.

19. *Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis.*

Jam redit ad beneficium Dei enarrandum, id est, ad liberationem suam ab inimicis. Omnia enim quae dicta sunt a versiculo nono usque ad hunc decimumnonum, pertinent ad declarationem potentiae Dei. Et quia dixerat initio, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me*: et in versiculo praecedente dixerat, Deum spiritu suo siccare solitum aquas, et facere ut appareat fundum fluminum, et maris, ideo in eadem metaphora persistens dicit: *Misit de summo et accepit me*, idest, misit manum suam ex alto loco usque in profundum torrentis, et inde accepit me, et sic eduxit me de aquis multis, idest, oppressum tribulationibus mirabiliter liberavit. In hebraeo habentur verba futuri temporis, *mittet de summo, et accipiet me*, ישלח *isclach*. יקחני, *ikacheni*; sed, ut saepe diximus, non ignorabant septuaginta interpretes tempora confundi secundum regulas linguae hebraicae, et unum pro altero saepe poni. Hic certe magis quadrat tempus praeteritum.

20. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.*

Quod metaphorice dixerat versu superiore, propriis verbis dicit in hoc versiculo. Illud, *quoniam confortati sunt super me*, debet exponi per tempus imperfectum, idest, quoniam robustiores me erant, et sic vertit sanctus Hieronymus: redditur enim ratio, cur necessarium fuerit auxilium Dei potentius, quia videlicet inimici Davidis, ipso Davide fortiores erant. In hebraeo, et graeco codice habetur futurum, *eripiet me*, יצילדר, *ialsileni*. ῥυσεται με, caeterum nostra lectio habetur etiam in antiquis libris et eam exponunt Hieronymus, et Augustinus. Quare verisimile est in graeco fuisse olim in praeterito. Hebraicum autem recte potest accipi pro praeterito.

16. *Praevenerunt me in die afflictionis meae, et factus est Dominus protector meus.*

Inculcat aliis verbis beneficium Dei. *Praevenerunt me in die afflictionis meae*, idest, nulla injuria a me lacessiti, ipsi primi fuerunt ad nocendum, vel antequam praecavere possem, me adorti sunt, praeveneruntque incautum: sed Dominus pro me vigilavit, et fecit ut eorum diligentia nihil mihi nocere posset.

22. *Et eduxit me in latitudinem; salvum me fecit, quoniam voluit me.*

Iterum atque iterum repetit liberationem suam, ut ostendat sibi alte in memoria infixum Dei beneficium. *Eduxit me in latitudinem*, idest, de angustiis tribulationum liberatum quasi in latum campum eduxit, ut libere jam spatiari possim sine metu ullo insidiatorum. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, idest, salvum me fecit a tot imminentibus periculis, ad id potissimum, quia complacuit ei, idest, ob immensam ejus misericordiam, quia me dilexit. Nam etiamsi paulo post allegabit merita sua, tamen ipsa merita nostra dona Dei sunt; quod sanctus propheta non ignorabat.

23. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.*

24. *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.*

25. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me.*

26. *Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.*

27. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.*

Laudavit Deum de beneficio liberationis ab inimicis. Nunc addit etiam in futurum se perpetuo liberandum, neque id ex sola misericordia, sed etiam ex justitia futurum, propterea quod juste vixerit, et vivere deinceps in animo habeat. Deus enim justus est, et justos amat, et adjuvat, ac protegit. *Et retribuet mihi*, inquit, *secundum justitiam meam*, idest, retribuet mihi, ut hactenus fecit, multa bona, prout justitia mea meretur. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*, idest, sicut ego justitiam habeo non solum in corde, sed etiam in manibus, idest, justus sum interius, et exterius, justum habeo cor, et justa opera; ita Deus mihi bona retribuet coram se, et coram hominibus, interius exteriusque custodiet. At praesumptio videtur justitiam suam praedicare. Non est praesumptio quando sincere id agitur, et agnoscitur Deus auctor bonorum nostrorum. Sic etiam merita sua coram Deo pronunciavit Nehemias, 2. Esdr. 5. Ezechias, Isa. 38. Esther cap. 14. At videtur falsum, quod David hoc loco dicit. Nam cum haec diceret, commiserat adulterium, et homicidium. Et praeterea ipse alibi psal. 18. dixit, *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Et alibi psalm. 148. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Aliqui propter hanc objectionem existimant Davidem non loqui de justitia sua absolute, sed de justitia causae, quam habebat cum adversariis. Alii existimant Davidem loqui solum de justitia religionis, idest, quod semper permanserit in vera religione, nec unquam idolis cultum adhibuerit. Sed repugnant his opinionibus verba illa, *quia custodivi vias Domini.* Item, *Omnia judicia ejus in conspectu meo.* Item, *Ero immaculatus cum eo*, etc. Dicendum igitur est Davidem commemorare justitiam suam, quae in eo sita erat, ut sincero corde Deum coleret; et propositum stabile haberet numquam praevaricandi legem Domini, et si forte secus ageret, continuo resipisceret, et ex corde reverteretur ad Deum. Illud autem, *delicta quis intelligit?* de peccatis venialibus intelligi potest, quae justitiae non repugnant. Illud vero, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, intelligitur de justitia, quae sine gratia Dei praeveniente haberi cre-

http://www.obrascatolicas.com

datur. Sic enim nullus coram Deo justificabitur, quia quicumque justus est, gratia Dei justificatus est.

28. *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.*
29. *Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.*

Reddit rationem, cur secundum justitiam suam sibi retribuendum a Deo dixerat, quia nimirum Deus reddit unicuique secundum opera sua. Alloquitur autem ipsum Deum, et ait, *cum sancto sanctus eris*, idest, cum homine misericordi et pio, pie ac misericorditer ages, sive pium ac misericordem te praebebis. Nam vox hebraea, חסיד *chasid*, pro qua nos habemus *sanctum*, proprie misericordem significat. Et pro *sanctus eris*, in hebraeo תתחסד, *thithchassad*: חסד, *chasad*, est verbum unicum conjugationis hithpael, quod proprie significat misericordem se reddere, vel exhibere. Itaque non est sensus, si nos erimus sancti, Deum quoque fore sanctum: sed si nos erimus sancti, Deum nobiscum sancte, idest, misericorditer acturum. Eodem modo intelligenda sunt caetera, *cum innocente innocens eris*, idest, qui nemini nocet, Deus se innocentem praebebit, idest, non ei nocebit, neque noceri ab aliis sinet. *Cum electo electus eris*, idest, cum homine sincero, et puro: id enim proprie significat vox hebraea *nabar*, purum te exhibebis, idest sincere, et candide ages. *Et cum perverso perverteris*, idest, ei, qui non est misericors, misericordiam non praestabis; ei, qui nocet, nocebis: qui non sincere agit, sed callide supplantat, cum tu callide, id est, sapienter supplantabis; est autem hic observandum, ubi dictum est, *cum sancto sanctus eris, cum innocente innocens eris, et cum electo electus eris*, eamdem vocem Deo tributam fuisse: at ubi dictum est, cum perverso perverteris, in hebraeo non esse eamdem vocem. De homine dictum est עקש, *hikes*, quod proprie perversum significat. De Deo autem, תתפתל, *thithpattal*, quod significat luctari, et conari in contrarium. Itaque sensus est, si homo perversus fuerit, Deus non erit in se perversus, vel perverse aget; sed contra perversum hominem luctabitur magno molimine, ut illum plane evertat, et ab omni spe sua cadere faciat.

30. *Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.*

Explicat propheta duos superiores versiculos, quasi dicat, Cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens, et cum electo electus, *quia populum humilem salvum facies*, idest, quia humilitas, quae est custos omnium virtutum, tibi gratissima est, et omnibus humilibus das gratiam: cum perverso autem perverteris, quia *oculos superborum humiliabis*, idest, quia superbia, quae est Regina vitiorum, tibi summopere displicet: et ideo superbis omnibus resistis, eosque dejicis et humilias. Nominat autem oculos, praeter caetera membra, quia in oculis, ac potissimum in superciliis arrogantia cernitur.

31. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

Quia propheta David videbatur satis magnifice de sua justitia, et puritate loquutus, ostendit, unde habuerit justitiam, et alia dona: et hinc maxime Deum laudat, quod ab illo sit lumen, et fortitudo, et omnia bona. *Quoniam*, inquit, *tu illuminas lucernam meam Domine*, idest, a te habeo principium omnis boni, quod est lumen ad discernenda vera bona a falsis, et vera mala a falsis. Primum enim vulnus ex peccato originali naturae inflictum est ignorantia veri boni: et ideo prima curatio a lumine Divino incipit: *Tu*, inquit, *illuminas lucernam meam*, idest, oculum interiorem cordis mei tu solus illustras. *Deus meus illumina tenebras meas*, idest, tu pater luminum, tu lux vera, in quo tenebrae non sunt ullae, sicut hactenus coepisti illuminare interiores oculos cordis mei, ita perge illuminare tenebras meas. Nam sine gratia Dei illustrante, quod attinet ad supernaturalia mysteria, merae tenebrae sunt in corde nostro. Nam *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis*. 2. Cor. 3. In graeco habetur φωτιεῖ τὸ σκότος μου, *illuminabis tenebras meas*. In hebraeo, *illuminabit tenebras meas*. Nostra lectio, *illumina tenebras meas*, habetur in antiquis libris sanctorum Hieronymi, et Augustini: sensus autem semper est idem.

32. *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.*

Particula, *Quoniam*, saepe redundat in oratione hebraica, sicut etiam particula, *et*, quae saepe ponitur initio versuum, vel etiam librorum. Id admonendum fuit, ne anxie nimis quaeratur ratio harum particularum. Dixerat propheta, se a Deo habuisse lumen, quod est principium operum bonorum, veraeque justitiae; nunc addit, habuisse fortitudinem, et robur ad vitanda mala et facienda bona, quae ex Divino lumine cognovit vitanda, vel facienda. *In te*, inquit, *eripiar a tentatione*, idest, fretus auxilio tuo, quo fortis efficior, superabo omnes tentationes, omniaque mala vitabo. *In Deo meo transgrediar murum*, idest, ejusdem Dei confisus auxilio, atque ab eodem accepta fortitudine omnia potero, quantumvis difficilia quale esset transcendere altissimum murum. In hebraeo pro illis verbis, eripiar a tentatione, habetur, ארץ גדוד, *aruz ghedud*, idest, *percurram exercitum*, sive (ut s. Hieronymus reddit) *percurram accinctus*. Videtur septuaginta Interpretes sensum reddidisse, non verba. Nam percurrere exercitum adversariorum, et nullum vulnus accipere, idem est quod eripi a jaculis hostium, quae jacula tentationes significant, ut Apostolus interpretatur, cum ait, Ephes. 6. *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Sic etiam, percurram accinctus inter medios hostes ilaesus, idem significat, quod eripiar a tentatione quando maxime opus erit.

33. *Deus meus impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se.*

Reddit rationem, cur a Deo acceperit lumen, et vires, et cur in eo tantopere confidat, quia Deus bonus, et verax protector est omnium in se confidentium et quia ipse idem est solus verus Deus, et verus Dominus, a quo bona ista expectari possunt. *Deus meus impolluta via ejus*, idest, Deus meus, cujus via impolluta est, idest, Deus, qui sanctissimus est, et viam impollutam ambulat, idest, operatur justissime. *Eloquia Domini igne examinata*, idest, promissa Domini certissima, et probatissima, ut aurum igne examinatum: iste, inquam, Deus impollutus et cujus promissio est certissima, *protector est omnium sperantium in se*. Ex hebraeo, אמרת *imrath*, clarior sensus habetur in quo textu legitur, eloquium in numero singulari, et pro voce, *protector*, est *scutum*. Ex quo apparet, tam Deum, quam ejus eloquium dici scutum confidentium in Deo. Sic enim ad litteram verti posset lectio Hebraica, מגן *maghen*. *Deus immaculatus in via sua, eloquium Domini igne examinatum, scutum est omnium sperantium in se*. Sed quia septuaginta Interpretes posuerunt eloquia in numero multitudinis, et pro voce, *scutum*, posuerunt, *protector*, inde obscura est sententia, quae ex hebraeo dilucidanda est.

34. *Quoniam quis Deus praeter Dominum? aut quis Deus praeter Deum nostrum?*

Est altera ratio, ut paulo ante diximus, cur in Deo sit confidendum et cur ab eo solo lumen et robur expectandum sit, quia ipse solus est verus Deus. In hebraeo habetur, *Quis Deus praeter Dominum? aut quis petra, praeter Deum nostrum?* ex quo intelligimus Deum nostrum solum esse verum Deum, et quia solus est verus, solum ipsum esse veram petram, firmam, et stabilem, in qua tuto confidere, et quiescere possimus; et omnes, qui in re alia confidunt, necesse esse ut decipiantur, et confundantur.

35. *Deus qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.*

Declarat nunc in particulari dona a Deo accepta, per quae ab hostibus omnibus liberatus ad regnum pervenit. Ac primum dicit, se a Deo accepisse robur, et innocentiam, quae duo rarissime conjunguntur. Viri enim robusti proni sunt in injurias inferendas. David autem fere fortissimus, et innocentissimus erat, ut ne hostem quidem suum Saulem occidere vellet, cum facillime posset. *Deus*, inquit, *praecinxit me virtute*, id est, simul probitatem vitae mihi concessit.

36. *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me.*
37. *Qui docet manus meas ad praelium, et posuisti ut arcum aereum brachia mea.*

Describit in particulari fortitudinem suam, de qua dixerat, *qui praecinxit me virtute*, ac dicit, se accepisse a Deo miram celeritatem in pedibus, et miram artem bellandi in manibus et mirum robur in brachiis. Dicit sibi pedes ad currendum perfectos, quasi et cervorum et super excelsa collocatum, idest, ea celeritate pedum facile montes altissimos conscendisse, quod verificatum est, quando Saulem fugiens, habitabat in altissimis, et praeruptis montium cacuminibus. Addit, se doctas manus ad praelium habuisse et brachia quasi aerea, in quibus robur et ars militaris significatur. De quibus nemo dubitare potest, qui legerit primum, et secundum librum Regum. Nam de arte manuum testis esse potest lapis et funda in fronte Goliath infixus; de viribus brachiorum testes sunt ursi, et leones, quos sola vi brachiorum David interfecit. In hebraeo habetur, נחתה *nichatha*, *conteritur*, ubi nos habemus *posuisti*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, *nichata*, sed, נתת *nathatta*, quod est *dedisti*, sive posuisti. Itaque corrupta videtur casu aliquo lectio hebraica moderna: neque enim dubitari potest, quin septuaginta Interpretes emendatores codices habuerint eosque rectissime intellexerint.

38. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuae, et dextera tua suscepit me.*

Declarat nunc innocentiam, de qua dixerat, *Posuisti immaculatam viam meam*. Nam quia dono Dei innocenter David vivebat, ideo illum Deus assidue protegebat, ut nunc dicit, *Dedisti mihi protectionem salutis tuae*. Parum enim profuisset celeritas pedum et robur brachiorum et ars pugnandi adversum regem et regium integrum exercitum, nisi adfuisset protectio salutis Dei, idest, protectio divina salvans et dextera Dei suscipiens et sustentans.

39. *Et disciplina tua correxit me in finem et disciplina tua ipsa me docebit.*

Hoc etiam pertinet ad innocentiam, sive immaculatam viam Davidis ostendendam. Non solum, inquit, protectio tua mihi adfuit, sed etiam disciplina tua me correxit, idest, eruditio, quae ex lege tua habetur illa me dixerit ne errarem et si quando in periculo essem errandi, illa diligenter inspecta et considerata, *me correxit*, idque perseveranter usque in finem. Eadem quoque *disciplina legis tuae deinceps me docebit*. Posset etiam haec disciplina significare paternam castigationem, qua Deus per aliquas temporarias calamitates Davidem correxit, si quando ob humanam fragilitatem deliquit. In hebraeo non habetur hic versiculus, sed loco totius versiculi habentur haec pauca verba. *Et mansuetudo tua multiplicavit me*. Fortasse idem est sensus: potest enim sic exponi lectio he-

http://www.obrascatolicas.com

braica, *mansuetudo tua*, idest, lenis et paterna castigatio, *multiplicavit me*, idest, auxit me scientia. Nam a verbo, רבב *rabab*, quod hic habetur dicuntur, *Rabbini*, magistri et doctores quod sunt multi in scientia.

40. *Dilatasti gressus meos subtus me et non sunt infirmata vestigia mea.*

Pergit narrare victorias suas, quae sunt omnia beneficia Dei. *Dilatasti*, inquit, *gressus meos subtus me*, idest, fecisti me magnis passibus progredi; *et non sunt infirmata vestigia mea*, idest, nec propterea fatigatus destiti a cursu. In hebraeo, תרחיב *tharchib*, habentur haec in futuro, *dilatabis*, etc. sed ex more linguae saepe futurum ponitur pro praeterito.

41. *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos et non convertar donec deficiant.*
42. *Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

Haec non videntur proprie pertinere ad futurum tempus, sed ad praeteritum, ut ex praecedentibus et sequentibus colligatur. Et sicut septuaginta Interpretes, *Dilatabis gressus meos*, verterunt, *dilatasti gressus meos*, ita potuissent reliqua vertere et ex futuris praeterita facere. Sed retinenda est lectio ut jacet et subintelligendum verbum dixi ut sensus sit, *Dilatasti gressus meos et non sunt infirmata vestigia mea*, ideo magna spe concepta dixi apud me, *persequar inimicos meos*.

43. *Et praecinxisti me virtute ad bellum et supplantasti insurgentes in me subtus me.*

Hinc apparet, Prophetam loqui de praeterito. Sicut, inquit, dixi, *persequar inimicos meos*, etc. ita factum est Deo adjuvante. Tu enim *Deus praecinxisti me virtute*, idest, robore ad bellum et tu *supplantasti*, idest, cadere fecisti, *subtus me eos qui in me insurgebant*. Illud *praecinxisti virtute* est frequens in Scriptura: *Accinctus potentia qui conturbas profundum maris. Induere fortitudinem brachium Domini; indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se. Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Significat autem praecipua arma non consistere in gladio et lorica sed in viribus et robore et ideo non est auctor victoriae, qui militem induit gladio et lorica sed qui viribus et robore illum induit.

44. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum et odientes me disperdidisti.*

Idem repetit aliis et aliis verbis, et magis declaret et laudet beneficium Dei. Sensus versiculi perspicuus est: significat enim a Deo factum esse, ut inimici David fugerent et eo modo dorsum ferienidum praeberent. Sed verba duriuscule sonant. S. Hieronymus vertit, *et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum*.

45. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos.*

Reddit aliam caussam victoriae: quia non solum Deus exaudiebat orationes ejus, sed non exaudiebat orationes adversariorum ipsius, quamvis ipsi quoque Dominum invocarent.

46. *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.*

Videtur de reliquiis inimicorum suorum loqui, quasi dicat, jam victoriam de inimicis meis retuli; sed si quae forte reliquiae supersunt; comminuam eas in minutissima frusta et projiciam ut projici solet pulvis a vento et auferam eos de terra, ut siccari solet lutum platearum flante vento vehementi.

47. *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.*

Jam hoc factum erat, nam antequam hunc psalmum David componeret, liberatus fuerat a variis populi contradictionibus, et defectionibus et constitutus erat in caput gentium, idest, in regni solium elevatus. Itaque vel exponenda sunt verba futuri temporis, pro verbis temporis praeteriti, quod est usitatum in lingua hebraica: vel certe significatur continuatio beneficii. Quasi Propheta dicat; in posterum, hactenus fecisti, *eripies me a ribellionibus, et constitues in solio meo, si forte dejici ab eo contingat*.

48. *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*
49. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis.*

Non sine caussa postulat se eripi a contradictionibus populi sui; quia majorem fidem et obedientiam expertus erat in quibusdam gentilibus, quam in filiis populi Israel. Quae est etiam Prophetia manifesta de Christo, cui gentiles adhaeserunt et a quo hebraei defecerunt. *Populus quem non cognovi*, idest, Gabaonitae, Getaei et alii, quos non cognovi pro fratribus, cum essent gentiles, *servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi*, idest, promptissime mox auditu imperio obedierunt. *Filii autem alieni*, idest, filii adulterini, quoad mores, *mentiti sunt mihi*, idest, deceperunt me ficto corde servierunt. *Inveterati sunt*, idest, deflexerunt a me tamquam folia arentia; id enim significat vox hebraea *et claudicaverunt a semitis*, idest, non recte et fideliter mecum incesserunt. Haec significant rebelliones sub Absalon, sub filio Bochri, et alias. In hebraeo, pro *claudicaverunt a semitis suis*, habetur. *contrahentur in angustiis suis*, ut vertit s. Hieronymus, vel *expavescent a carceribus suis*, ut vertit Pagninus. Sed sciendum est, vocem, יחרגו *jachregu*, non haberi nisi in hoc psalmo; ideo si licuit Pagnino vertere *expavescent*, et s. Hieronymo, *contrahentur*: multo magis licuit septuaginta Interpretibus vertere, *claudicaverunt*.

Imo mirum est cur posteriores ausi sint recedere a versione antiquissimorum interpretum in ea voce, quae non habetur alibi in Scripturis, praesertim cum interpretatio septuaginta maxime cohaereat cum reliquis partibus hujus versiculi: porro altera vox, מסגרות *Misgheroth*, significat proprie locum angustum vel clausum, a verbo, סגר *sagar*, quod est claudere; et propterea s. Hieronymus vertit *angustias*. Pagninus *carceres*, et septuaginta *semitas*: nam semitae sunt viae angustae. Itaque sensus est, filios adulterinos qui ficto corde serviunt, claudicare a semitis, idest, declinare a semitis, per quas recto pede ambulandum fuisset.

50. *Vivit Dominus et benedictus Deus meus et exaltetur Deus salutis meae.*

Concludit psalmum laudans Deum. *Vivit Dominus*, idest, nunc apparuit Dominum vivere; et sicut vivit, ita semper vivat. *Et exaltetur Deus* auctor *salutis meae*.

51. *Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.*

Exaltetur, inquit, Deus, qui vindicavit injurias mihi factas et subjecit mihi populos, qui rebellaverant et liberavit me de insidiis et impetu inimicorum furentium, quales fuerunt Saul et Absalon. Pro voce *iracundis*, habetur in hebraeo, אף *Af*, quam moderni vertunt, *et vel etiam*. Sed cum ea vox saepe significet nasum, et nasus in scriptura passim ponatur pro *iracundia*, quae ex nasi immutatione cognoscitur, recte septuaginta Interpretes verterunt, *iracundis*; idem est enim cum phrasi hebraica, *ab inimicis meis nasi*, idest, iracundiae et ab inimicis iracundis.

52. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.*

Precatur sibi conservationem divinorum beneficiorum, nimirum exaltari ab insurgentibus in se, ut frustra nitantur, cum pertingere tam alte non possint et liberari ab omni homine iniquo. Particula, *et*, in principio versiculi potuisset omitti; nam in hebraeo et graeco non habetur nec eam habet s. Augustinus. Videtur in nostro textu haesisse ex altera interpretatione vocis, *Af*. quae nasum significat, et etiam particulam, *et*: fortasse erat in margine; sed nihil officit sensui.

53. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine et nomini tuo psalmum dicam.*

Hac de caussa inquit, *Confitebor*, idest, laudabo confitens beneficia tua, idque non clam, sed palam et coram multitudine populi, ut omnes discant confidere in Domino.

54. *Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in saeculum.*

Haec conclusio per se manet et sensus est, sit Dominus *magnificans salutes Regis sui*, idest, augeat et multiplicet salutem corporis, et animae et omnium rerum regis, quem ipse Deus sibi elegit: et faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi jussit in regem et in omnibus successoribus ejus usque in aeternum. Quae precatio impleta est in Christo Jesu Domino nostro, qui regnat et regnabit in omnem aeternitatem. Amen.

PSALMUS XVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum psalmi est laudatio divinae legis. Comparat Propheta legem divinam cum coelesti corpore, quo nihil videtur esse in rebus corporalibus pulchrius, utilius, potentius. Potest idem psalmus exponi de Christo et Apostolis, ut s. Augustinus facit.

EXPLICATIO PSALMI XVIII.

1. *Coeli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annunciat firmamentum.*

Comparaturus legem cum coelo, atque inde eam mirifice celebraturus, dicit, tantam esse majestatem coeli, ut inde maxime eluceat gloria Dei, quae coelum fecit. *Coeli enarrant gloriam Dei*, idest, prae caeteris operibus Dei, quae omnia artificem laudant, coeli sunt, qui sua magnitudine et pulchritudine gloriam Dei manifestam faciunt. *Et opera manuum ejus annunciat firmamentum*, idem repetit aliis verbis; idem enim hoc loco significant

http://www.obrascatolicas.com

coeli et firmamentum; videlicet totum illud coeleste corpus, in quo sunt stellae, et ipse etiam sol, et luna. Nam in 1. cap. Geneseos, *Deus vocavit firmamentum coelum*, et in eo posuit solem, lunam et stellas. Nihil autem refert, sive coelum, sive coelos dicamus. Nam apud hebraeos nomen est habens formam numeri multitudinis et conjungitur cum verbis numeri multitudinis. Sed Interpretes modo vertunt coelum in numero singulari modo coelos in numero multitudinis. Firmamentum igitur in quo secundum modum loquendi scripturae sanctae, sunt omnia coelestia lumina, *annunciat*, et declarat hominibus *opera manuum Dei*, idest, primaria et nobilissima opera manuum Dei, ex quibus ingens colligitur gloria Conditoris.

2. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.*

Admirabilis plane est praedicatio, qua coeli enarrant gloriam Dei. Id quod ostenditur tribus modis. Primo, quia sine intermissione coelum praedicat: secundo, quia predicat verbis omnium idiomatum: tertio quia praedicat toti orbi terrarum. In hoc versiculo declaratur praedicatio sine intermissione: et quia coelum praedicat per dies et noctes cum interdiu conspiciatur pulchritudo solis et nocte pulchritudo stellarum; et quia dies, ac noctes non permanent, sed labuntur, ac sibi invicem succedunt, ideo poetico artificio fingit Propheta, unum diem peracto cursu et praedicatione sua tradere diei sequenti verbum praedicationis et noctem quoque peracto cursu, et quasi hymno cantato, tradere nocti sequenti munus canendi. *Dies*, inquit, *diei eructat verbum*, idest, dies cum finitur, tradit alteri diei verbum laudis divinae. *Et nox nocti indicat scientiam*, idest, et nox similiter cum finitur *indicat*, idest, annunciat nocti succedenti scientiam laudandi Deum, atque ita jugiter et sine ulla intermissione dies et noctes quasi choreas ducunt, et Deum laudibus celebrant.

3. *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.*

Hic jam demonstrat Propheta praedicationem coelorum fieri omnibus linguis, idest, intelligi ab omnibus nationibus, ac si coeli omnium nationum linguis loquerentur, quia videlicet omnes vident pulchritudinem et praestantiam coeli et inde venire possunt in cognitionem pulchritudinis et excellentiae Conditoris. *Non sunt loquelae, neque sermones*, idest, nulla sunt idiomata, quorum idiomatum non audiantur *voces eorum*, idest, coelorum, idest, quae idiomata non exprimantur vocibus coelorum.

4. *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.*

Explicatur tertia laus eloquentiae coelorum, quod non solum sine intermissione et omnibus linguis sed etiam in universa terra audiantur coeli enarrantes gloriam Dei. Per *sonum*, non intelligitur concentus aliquis corporalis, qualem in coelis Philosophi aliqui posuerunt; sed praedicatio illa gloriae, quae oritur ex pulchritudine coeli considerata ab omnibus. Idem quoque est, *in omnem terram*, et *in fines orbis terrae*; saepissime enim Prophetae rem eamdem bis repetunt. In hebraeo legitur pro, sonus eorum, קום *Kavam*, quod significat *linea*, sive *regula eorum*. At videntur septuaginta legisse non *Kavam*, sed, קולם *Kolam*, unica litera addita, quod est sonus eorum. Nam si legissent *Kavam*, numquam vertissent, φθόγγος ἀυτῶν, idest, *sonus eorum* nisi imperitissimi fuissent. Adde, quod s. Hieron. quoque ex hebraeo vertit *sonus eorum*. Et sic etiam citavit Apostolus ad Rom. 10. et congruit *sonus eorum*, cum eo quod sequitur, *verba eorum*, ubi idipsum aliis verbis repetitur. Ex quo intelligimus textum hebraicum esse corruptum vitio scriptorum, idque post s. Hieron. tempora. Porro s. Paulus citat hunc locum ad Rom. 10. probare volens, praedicationem Christi ad omnes gentes pervenisse. Ex quo intelligimus per coelos exponi debere Apostolos, saltem in sensu allegorico. Et re vera ss. Apostoli, ut etiam alii sancti praedicatores rectissime comparantur coelis quod elevati a terra per contemplationem, ampli per charitatem, splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrime moti ab intelligentia per obedientiam, pluentes per instructionem, tonantes per objurgationes, fulgurantes per miracula, multa bona terris largientes et nihil ab eis quaerentes, per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitae sanctitatem, denique habitaculum summi Regis per justitiam perfectam sint. Nam anima justi sedes est Sapientiae.

5. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

Quamvis totum coelum enarret gloriam Dei, tamen praecipue id facit pars nobilissima coeli quae est sol. Proinde in sole tamquam in parte totius mundi praestantissima, *Deus posuit tabernaculum suum*. Recte autem dicit tabernaculum, non domum, quoniam in sole commoratur Deus tempore peregrinationis nostrae, quo eum videmus per speculum creaturarum; inter corporales autem creaturas sol, ut diximus, obtinet principatum. Sed cum pervenerimus ad patriam, non in tabernaculo solis Deum videbimus, sed in propria ejus domo, quae videlicet aeternitas ejus est. In hebraeo habetur, *sol posuit tabernaculum in eis*, idest, Deus posuit in coelis tabernaculum soli, constituit solem in coelo tamquam in tabernaculo. Posset quidem utcumque lectio graeca revocari ad hebraeum, לשמש שם אהל בהם *lascemesc sam hoel bahem*, si cum dicitur, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὴν σκηνὴν ἀυτς illud ἀυτς, accipiatur pro ἀυτόδι, idest, illic, quod non est inusitatum. Tunc enim sensus esset, *in sole*, idest, soli, *posuit tabernaculum illic*, idest, in coelis. Sed dura est interpretatio, *in sole*, idest, soli. Quia vero non apparet in textu hebraeo ulla verborum ambiguitas, vel obscuritas, et tamen certum est septuaginta Interpretes viros doctissimos, non potuisse reddere id, quod reddiderunt, si legissent verba, quae in hebraicis codicibus habentur, cogimur dicere eos aliter legisse. Utraque sententia vera est, Deum videlicet in sole posuisse tabernaculum suum, et soli posuisse tabernaculum in coelis. Probat autem propheta Deum in sole posuisse tabernaculum suum, tamquam in excellentissima creatura tribus rationibus, quarum prima ducitur a pulchritudine, altera a robore, tertia a beneficentia. *Et ipse*, inquit, *tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. Haec est ratio ducta a pulchritudine: ipse, inquit, decorus, nitidus, ornatus exoritur, tamquam si sponsus aliquis esset, qui de thalamo nuptiali procederet; et vere nihil pulchrius, et lucidius sole inter omnia corpora reperitur.

6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio ejus.*
7. *Et occursus ejus usque ad summum ejus nec est qui se abscondat a calore ejus.*

Altera ratio ducitur a robore, et viribus, quod sine fatigatione, summa celeritate decurrat viam prope immensurabilem. *Exultavit ut gigas*, vel ut fortis et robustus (ut ad verbum in hebraeo legitur) כגבור *chegibbor ad currendom viam*. Exultatio alacritatem significat, quam habere solent, qui sine labore, imo cum voluntate aliquid faciunt. Itaque significatur hoc loco, solem immensum coeli spatium, velocissimo cursu, sine ulla fatigatione, vel labore peragere. *A summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*. Per summum coelum oriens designatur. Non enim hoc loco per summum intelligitur altum, sed extremum, ut verbum hebraicum קץ *Ketz*, et graecum ἄκρς significat. Dicitur autem extremum, ubi res incipit, et ubi desinit. Incipit autem coelum ab oriente, quia inde surgit, ejus motus, et ibidem etiam desinit. Sensus igitur est, solem exoriri ab oriente, et per occidentem toto coeli ambitu decurso, ad orientem reverti. Parum referti quod in hebraeo ישיש *iasis*, et graeco ἀγαλλιάσεται, habetur in futuro *exultabit*, ubi nos habemus, *exultavit*. Nam tempus futurum saepe accipitur pro praeterito. Itaque s. Hieronym. vertit ex hebraeo *exultavit*; et sic etiam legunt in Commentario tam ipse, quam s. August. *Nec est qui se abscondat a calore ejus*. Haec est postrema ratio ducta ab utilitate, quam capiunt omnia inferiora a sole. Siquidem ita fovet sol omnia calore suo vivifico, ut dici possit communis quidam parens omnium rerum, quae nascuntur in terra, et in mari. Et de causa est, cur sol tam assidue et tam sollicite totum orbem circumeat, et visitet, ut res nulla se abscondat, idest, excludatur a participatione tam insignis beneficii.

8. *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis.*

Applicat nunc propheta comparationem, quasi dicat, pulchrum est coelum, pulcherrimus sol, sed lex Domini multo pulchrior: lucidum coelum, lucidissimus sol, sed lex Domini multo lucidior: utile coelum hominibus, utilissimus sol, sed lex Domini multo utilior. Ponit autem ordine sex encomia legis divinae. Primum est, *lex Domini immaculata convertens animas*, idest, lex Domini pulcherrima est, utpote sine ulla macula, vel foeditate, cum nullum peccatum permittat, sicut permittunt leges humanae, et ideo ubi lex Domini considerata, et perspecta fuerit, *convertit animas*, idest, convertit ad se amandam animas, easque rapit consequenter ad Deum, tam pulchrae legis authorem. Ad illud, *convertens animas*, subintelligitur, *est*, et ideo explicuimus, convertit. Alterum encomium est in illis verbis, *testimonium Domini, fidele praestans parvulis*, ubi per testimonium intelligitur eadem lex. Siquidem in Scripturis, et potissimum in psalmis, lex Domini non solum vocatur lex, praeceptum, mandatum, statutum, et similia, quae apud alios quoque scriptores legem significant; sed etiam vocatur testimonium, justitia, vel justificatio, et judicium, ut perspicuum est praecipue ex psal. 118. Dicitur lex Domini testimonium, quia testificatur hominibus, quae sit voluntas Dei, quid a nobis requirat Dominus, quas poenas praevaricantibus, et quae praemia observantibus praeparavit. Ait igitur, *testimonium Domini fidele*, idest, lex Domini, quae certissime bonos praemiis, et malos poenis afficiet. *Sapientiam praestans parvulis*, idest, praestans est, sive praestat sapientiam parvulis, hoc est, hominibus parvulis sensu, dat lumen prudentiae, ut sciant bona opera facere, et peccata vitare. Parvulos enim hoc loco vocat propheta homines, qui non pollent judicio spirituali, quales sunt omnes amici hujus saeculi. Et per sapientiam intelligit prudentiam spiritualem, qua corrigit mores, et format ad praescriptum divinae legis.

9. *Justitiae Domini rectae, laetificantes corda, praeceptum Domini lucidum illuminas oculos.*

Tertium encomium divinae legis est, quod postequam coepit amari, ut habet primum encomium, et observari, ut habet secundum, mirabili laetitia perfundit hominem: nihil enim jucundius bona conscientia. *Justitia*, inquit, *Domini*, idest, lex Domini, sive praecepta Domini, quae dicuntur justitiae quia justissima sunt, et quia justum faciunt observatorem, ista, inquam, praecepta, cum recta sint, laetificantia sunt, idest, *laetificant corda*: corda enim recta valde bene conveniunt cum rectis praeceptis, et ideo laetantur et gaudent, cum observandorum et praeceptorum occasio venit. Quartum encomium est, *praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, idest, lex Domini lucida divinae Sapientiae illuminat oculos mentis, quia facit intelligere voluntatem Dei et quae sint vera bona, et vera mala. Docet etiam ceremonias Dei plenas divinis mysteriis. Illuminat etiam lex Domini per modum dispositionis: nam in malevolam animam non introibit sapientia, nihil enim magis impedit cognitionem Dei, in qua vera sapientia consistit, quam impuritas cordis; *Beati*

http://www.obrascatolicas.com

enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, ut ait, Christus Matth. 5.

10. *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi, judicia Domini vera, justificata in semetipsa.*

Quintum encomium est, quod superiora bona non temporalia, sed aeterna facit esse lex Domini. Nam, *timor Domini sanctus*, idest, timor Domini, quo quis Deum offendere trepidat, qui alio nomine *pietas* dicitur, *manet in saeculum saeculi*; quoad premium suum non terminantur in morte bona, quae producit observatio legis, sive timor castus legem observare faciens, sed manent in aeternum. Quomodo alibi dicitur psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem*. In hebraeo est timor Domini טהורה, *teora*, idest, *mundus*; et in graeco similiter est ἁγτος, non ἅγιος. Itaque significatur timor filialis, qui non habet admixtam servilitatem, de quo dicitur in alio psal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis*. Nam qui timet timore servili, servat mandata non volens, sed invitus: at qui timet timore filiali, *in mandatis ejus cupit nimis*, idest, cupit valde; et vult omnino ea servare. Ultimum encomium est, quod lex Domini sit vera, et justa, per seipsam non egens aliunde justificari. *Judicia Domini vera justificata in semetipsa*, idest, mandata Domini, quae dicuntur judicia, quia per ea Deus judicat homines, et quae sunt norma, ac regula discernendi virtutes a vitiis, et opera bona a malis: ista, inquam, mandata verissima justificata sunt in semetipsa, idest. non egent ut ab aliquo demonstrentur justa: hoc enim ipso quod sunt mandata Dei, justa esse probantur. Et praeterea decem praecepta, de quibus potissimum David loquitur, cum sint prima principia juris naturalis, continent in se talem justitiam, ut in omni loco, et tempore, et casu particulari sint justa, et nullam admittant dispensationem; cum aliae leges saepe indigeant circumstantiis loci, temporis et personarum, ut justae sint. Itaque sola lex Domini justificata est in semetipsa. In hebraeo אמת *emeth*, habetur *judicia Domini veritas*, idest, verissima, justa sunt, sive justificata sunt. יחדו *jacdau*, quod significat *pariter, simul, in idipsum*, sed recte noster Interpres vertit, in semetipsa. Hoc enim loco, *justificari simul, vel pariter*, nihil est aliud, nisi non egere, ut aliunde justificentur.

11. *Desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel, et favum.*

Haec est conclusio ex superioribus, quasi dicat propheta, cum tam bona sunt praecepta Domini, certe praeponenda sunt omnibus divitiis et deliciis hujus mundi: nam *desiderabilia sunt super aurum et lapidem pretiosum multum*, idest, in maxima copia habitum; *et dulciora super mel et favum* idest, non solum super mel quodcumque sed etiam super favum plenum, et redundans melle purissimo. Positum est enim illud *et favum*, ad significandam copiam, ut correspondeat ei, quod dictum erat, *lapidem pretiosum multum*. In hebraeo est, *super aurum et topazion multum*, et super mel, et redundantiam favorum: sed interpretes sensum verterunt. Est autem topazius species lapidis pretiosi: sed propheta posuit speciem pro genere. Quam longe remota est haec veritas a sensu carnalium hominum? quotusque carnalium est, qui pro parvo lucro, vel exigua delectatione non contemnat omnia divina praecepta? et tamen verissimum est utiliorem, et jucundiorem esse legis observationem omnibus thesauris, atque omni voluptate.

12. *Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.*

Probat exemplo, sive experientia sua, verum esse, quod dixit. Nam, inquit. *servus tuus custodit ea*, praecepta, *et in custodiendis illis retributio multa* illi contingit, idest, experimento probabit servus tuus, se multa bona percipere, dum praecepta custodit. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, servus tuus docebit ea. Pagninus autem vertit, Servus tuus illustratur in eis. Sed septuaginta rectissime verterunt, custodit ea. Nam vox hebraea נזהר *nizhar*, tametsi in aliis conjugationibus docere, vel splendere significet, tamen in passiva conjugatione, qualis est hoc loco, significat custodire se, sive cavere, vel seipsum admonere. Itaque ad verbum sic verti potuisset, *servus tuus custodit se in eis*, idest, abstinet a peccando, praecepta tua custodiens, quod est idem cum eo, *servus tuus custodit ea*, idest, praecepta.

13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.*

Dixerat se, custodire mandata Dei; corrigit se atque excipit peccata ex ignorantia, quae vix caveri possunt. Quasi dicat, servus tuus cavet a peccatis, legem tuam servando, non omnino sed quantum patitur humana fragilitas. Pulchre in hebraeo שגיאות *sceghioth*, legitur ad verbum, *ignorantias quis intelligit?* Ubi opponit ignorantiam intelligentiae, demonstrare volens, esse difficillimum cavere peccata, quae ex ignorantia committuntur; et tamen quia vere peccata sunt, et caveri potuerunt, addit rationem, *ab occultis meis munda me*. Quod sequitur, *et ab alienis parce servo tuo*, non significat. ut Deus nobis ignoscat peccata aliena, ut vulgo hic locus citari solet; sed ut Deus custodit nos a sodalitate perversorum hominum. Homines enim bonae voluntatis, qualis erat sanctus David, ab ignorantia propriorum delictorum, et a seductione pravorum sodalium in primis cavere debent. Pro voce, *alienis*, habetur in hebraeo, זדים *zedim*. quod superbos significat. S. Hieron. vertit, *a superbis libera servum tuum*. Sed septuaginta legerunt זרים, *zarim*, non זדים, *zedim*: significat autem זרים, *zarim*, alienos. Sensus est fere idem, nisi quod secundum hebraeum, ut nunc se habet, significatur liberatio ab uno genere malorum, idest, a superbis: at secundum graecum textum, et veram hebraicam lectionem, significatur liberatio generalis ab omnibus perversis amicis. Nostra igitur lectio sic exponenda est, ab alienis, idest, ab iis, qui alienis moribus sunt, parce servo tuo, idest, parcendo remove illos ab amicitia servi tui.

14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.*

Reddit rationem, cur tantopere timeat improborum familiaritatem. Nam, inquit, si isti alienis moribus praediti, *non fuerint dominati mei*, id est, si per nimiam familiaritatem, non me sibi subjecerint, et ad suam voluntatem me non redegerint; *tunc immaculatus ero, et emundabor*. idest, mundus ero *a delicto maximo*, idest a peccato gravi, et mortali: omne enim mortale crimen maximum dici potest cum a Deo bono maximo avertat, et ad poenam gehennae planae maximam perducat. S. August. legit, *a delicto magno*, ut habetur in graeco, sed parum refert.

15. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Non solum tunc immaculatus ero, sed etiam *tunc erunt ut complaceant*, idest, fiet ut complaceant eloquia oris mei, et *meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, idest, hymni, quos in laudem tuam corde, et ore decanto, placebunt tibi semper, quia de mundo corde, et simplici ore prodibunt.

16. *Domine adjutor meus et redemptor meus.*

Placebunt, inquam, tibi cantica mea, ex gratia tua, non ex meritis meis, quia ut sim immaculatus, mundus a delicto maximo, et proinde placeant tibi verba mea. dono tuo habeo, *qui es adjutor meus et redemptor meus*, adjutor in bonis, et redemptor a malis.

PSALMUS XIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Psalmus hic videtur cantatus a Davide praevidente Christi adventum ad debellandas aereas potestates, quo etiam pertinent duo psalmi sequentes.

EXPLICATIO PSALMI XIX.

Cum David nullius hominis nomen exprimat, alloquitur sine dubio illum, in quem omnia justorum desideria, et omnium prophetarum vaticinia respiciebant. Ac quasi Christum videret in bellum adversus diabolum prodeuntem, et oratione se armantem, imminente passionis tribulatione, acclamat illi, *exaudiet te Dominus in die tribulationis*, idest, passionis, in qua, ut dicit Apostolus ad Hebr. 5. *cum clamore valido et lacrymis preces, supplicationesque offerens ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, exauditus est pro sua reverentia*. Exauditus est autem, non ut mortem evaderet; sed ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet, et confusio in gloriam, mortalitas in immortalitatem verteretur, sicut ipse ait Joan. 17. *Pater venit hora clarifica Filium tuum*. De hac exauditione loquitur propheta. Quo etiam pertinet quod sequitur, *protegat te nomen Dei Jacob*. Per nomen intelligi potest invocatio, sicut in eo loco, *in nomine meo daemonia ejicient*, Marci ult. Potest etiam intelligi potestas, sive auctoritas. ut Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei*. Potest denique simpliciter per nomen Dei, Deus intelligi: saepe enim in scripturis ponitur nomen pro persona cujus est nomen, ut cum dicit b. Petrus act. 4. *Non est aliud nomen sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri*: et cum s. Lucas ait in actis, in graeca editione, ὄχλος ὀνομάτων cap. 1. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*. Addidit propheta *nomen Jacob*. quia Jacob significat populum Dei, cujus populi Christus est caput: quasi diceret, protegat te Deus populi sui, ut protegendo te, qui es caput ejus populi, consequenter totus populus salvus fiat. Protectio vero petitur a telis inimicorum, ut non noceant; tunc autem vere nocuissent, si vel Christi resurrectionem vel Christi fidem, et nomen, vel ecclesiae propagationem impedire potuissent.

http://www.obrascatolicas.com

2. *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.*

Per *sanctum*, intelligit montem sanctum, qui dicitur Sion, ut explicatur in secunda parte versiculi. Dicebatur autem sanctus mons ille, propter praesentiam arcae Testamenti. Sed hoc loco videtur accipiendus mons Sion coelestis, de quo loquitur Apostolus ad hebraeos 12. *Accessistis ad Sion montem civitatem Dei viventis. Jerusalem coelestem*, etc. Nam meminit hoc loco propheta montis Sion, ut ostendat Deum ex altissimo monte suo omnia speculari, (nam et Sion specula interpretatur) ac proinde posse commode Christum praeliantem videre, atque inde illi suppetias mittere; locus tam altus, ut inde omnia videantur, non est mons Sion terrestris, sed coelestis. Itaque ait, *mittat tibi auxilium de sancto monte*, idest, de celsissimo coelorum habitaculo, unde omnia cernit; *et tueatur de Sion*, idest, de altissima illa specula, unde omnia prospicit.

3. *Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.*

Quia Dominus praeliaturus cum hoste generis humani, non solum oravit, sed etiam sacrificavit, idest, non solum obtulit orationem verbalem, ut sic loquar, sed etiam realem, quae est sacrificium; ideo propheta sicut de oratione verbali dixerat, *exaudiet te Dominus*, ita nunc dicit de oratione reali, *memor sit omnis sacrificii tui*, idest, non contemnat, sed semper in memoria habeat, et respiciat omnia sacrificia tua. *Et holocaustum tuum pingue fiat*, idest, acceptetur, ut solent acceptari holocausta ex animalibus pinguibus. Eo siquidem holocaustum est gratius, quo animal immolatum est melius et perfectius. Hinc est illud Danielis cap. 3. *Sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi*. Porro Christus obtulit multa sacrificia, et ad extremum, holocaustum; ideo dicit propheta, *memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat*. Sacrificia multa sunt passiones multae, quas pertulit Dominus pro gloria Dei dum viveret; holocaustum quo se ipse totum obtulit, est ipsa mors crucis. Additur hoc loco סלה, *Selà*, in hebraeo textu, quod significat *semper*. Itaque sensus est, memor sit Dominus semper omnium passionum, et ipsius mortis Christi. Videtur autem precatio Davidis, prophetia potius, quam precatio: vere enim semper viget, semperque vigebit coram Deo passio Christi, imo etiam ab initio mundi semper viguit, ac per eam nobis omnia bona donantur.

4. *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.*

Declarat finem orationis et sacrificii, quasi dicat, ad hoc te Deus exaudiat, et sacrificium tuum accipiat, ut pervenias quo pervenire cupis, et finem tibi propositum consequaris, nemoque sit, qui te ab illo prohibere valeat. *Tribuat tibi secundum cor tuum*, idest, det tibi, quod est secundum cor tuum, idest, quod cupis. *Et omne consilium tuum confirmet*, idest, et omne quod deliberasti stabiliat, ratum esse velit, et executioni mandari permittat, et concedat. In hebraeo, וכל עצתך ימלא *vecol hatsathecha iemalle*, habetur, *omne consilium tuum impleat*, quod est idem. Itaque sensus est, exaudiat te Deus, et accipiat sacrificium tuum ut destruas opera diaboli, ut hominem de captivitate liberes, ut vitam aeternam in te credentibus praebeas, etc. Hoc enim fuisse desiderium cordis Christi et consilium, et deliberationem, docent sacrae litterae. *Filius Dei*, inquit, Joannes *venit, ut dissolvat opera diaboli*, 1. Jo. 3. Et b. Paulus, *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*. 1. ad Timoth. 1. Et ipse Dominus, *venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat*. Luc. 12.

5. *Laetabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.*

Cum id factum erit quod petimus, videlicet, ut tu Rex noster victoriam de inimicis reportaveris, tunc *laetabimur* non solum corde, sed etiam voce (id enim significat vox hebraea, רנן *ranan*, in *salute tua*, idest, ob salutem tuam, idest, quia incolumis ex bello redieris, quae salus et incolumitas in nos redundabit: *et in nomine Dei nostri*, a quo tanta victoria processit. *magnificabimur*, magnos, videlicet, nos esse ducemus, et dicemus, non propter magnitudinem, quae in nobis sit, sed propter magnum Dominum, quem habemus. In hebraeo est נדגל *Nidgol*, idest, *vexillum erigemus*: sed septuaginta legerunt נדדל *Nigdal*, una litera transposita, idest, *magnificabimur*. Itaque in hebraeo irrepsit error vitio scriptorum, tametsi etiam lectio optimum sensum habeat.

6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.*

Iterum repetit faustam precationem, quasi dicat, impleat ergo Dominus omnes petitiones tuas, ex quibus tam multa bona sequutura sunt. *Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum*, idest, ideo audacter repeto, ut Dominus exaudiet te, et impleat petitiones tuas, quia nunc Domini illustratione cognovi omnino fore implendas. *Cognovi enim, quod Dominus salvum fecit*, idest, certissime salvum faciet Christum suum, et jam in praedefinitione sua salvum illum fecit, a morte excitavit, in coelo collocavit, hostes sub pedibus ejus subjecit.

7. *Exaudiet illum de coelo sancto suo, in potentatibus salus dexterae ejus.*

Qui dixerat salvum fecit, declarat illud esse dictum de salute in praedefinitione, non in executione. Nam ut, quod praedefinitum est, tempore suo impleatur, *exaudiet illum de coelo sancto suo*, et sic salvum faciet Dominus Christum suum. Illud, *in potentatibus salus dexterae ejus*, potest habere duplicem sensum: potest enim accipi potentatus pro potentia, et robore, et hoc magis proprie sonat vox hebraea, גבורה *ghebura*, et tunc sensus erit, *in potentiis*, idest, in magna potentia aderit Christo salus dexterae Dei, et quamvis verbum graecum, dynastia, et latinum *potentatus*, proprie significent imperium sive principatum; tamen possunt accipi pro potentia et robore, quomodo accipiuntur eadem vocabula in psal. 89. *Si autem in potentatibus octoginta anni*, etc. psal. 20. vers. ult. *Cantabimus et psallemus virtutes tuas*, ubi in graeco est δυναστείας. Potest enim accipi potentatus, pro principatu et imperio, ut verbum graecum dynastia, et latinum potentatus proprie significant, et tunc sensus erit, *exaudiet illum de coelo sancto ejus, et in potentatibus*, idest, quia in principatibus nimirum constituendis, vel conservandis, praecipue necessaria est salus dexterae ejus. Quamvis enim multa praesidia ad salutem principes habere videantur, ut equos, et currus, arma, et milites, arces, et munitiones, tamen ista omnia nihil sunt, si absit salus dexterae Dei: ideo recte subjungit.

8. *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.*

Pergit explicare victoriam Christi, quam futuram praevidebat, et ait, *hi in curribus, et hi in equis*, idest, alii adversariorum in curribus armatis confident, alii in equis ferocibus: et per haec duo nomina, intelligi vult omnia alia humana praesidia, quibus olim in bellis, tum ad praelium, tum ad fugam utebantur. *Nos autem* cum capite nostro Rege Christo non tam in curribus et in equis, *quam in nomine Dei omnipotentis per devotam precem invocato*, fiduciam nostram collocabimus. Porro idem est, nomen Domini invocare, et in nomine Domini invocare secundum scripturae sanctae phrasim. Neque multum refert, quod in hebraico textu habetur, נזכיר *nazchir*, commemorabimus: non enim loquitur David de qualicumque Dei commemoratione, sed de ea, quae fit ab iis, qui ejus nomen implorant, ab eoque auxilium petunt.

9. *Ipsi obligati sunt et ceciderunt; nos autem surreximus, et erecti sumus.*

Ostendit, quanto sit utilius in nomine Domini, quam in curribus, equisve confidere. Illi, qui in curribus, vel in equis confidebant, *obligati sunt, et ceciderunt; nos autem*, qui in Deo confidimus, *surreximus, et erecti sumus*. Et simul indicat miram rerum conversionem. Nam ante Christi victoriam, hostis humani generis sublimis, quasi in curribus et equis, minabatur dejectis hominibus ob originale peccatum; et similiter Principes Judaeorum, Herodes et Pilatus, aliique visibiles Christi hostes, quasi erecti insultabant Christo patienti, humilibusque ejus discipulis: sed paulo post illi omnes colligati et impediti corruerunt, isti vero surrexerunt, atque erecti in aeternum stabunt. In hebraeo habetur, כרעו *carehu*, incurvati sunt: unde aliqui putant latinam vocem esse corruptam et legendum, *obliquati* sunt, et non obligati sunt, sed falluntur. Nam latina lectio graecam imitatur; in graeco autem est συνεποδισθησαν, idest, *colligati sunt*, quasi compedibus, quod noster recte vertit, *obligati sunt*, idest, ligati et impediti, ne pugnare vel consistere possent, *ceciderunt*. Itaque septuaginta non tam ad verba, quam ad sententiam respexerunt.

10. *Domine salvum fac Regem et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*

Concludit conjungendo finem cum principio. Initio dixerat. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, nunc idem confirmat convertendo orationem ad Deum. *Domine salvum fac Regem* de tribulatione sua; et eodem modo *exaudi nos*, et *salvos fac in die, qua invocaverimus te*, idest, in die tribulationis nostrae, in qua non alium quam te invocabimus. In hebraeo sunt eadem verba, sed interpunctio est alia. Itaque s. Hieronymus et moderni ita legunt, *Domine salva. Rex exaudi nos in die qua invocaverimus te*. Sed cum nomen, המלך *hammelech*, possit verti Rex et regem, quia Hebraei non declinant nomina per casus et septuaginta Interpretes verterint, τὸν Βασιλέα, idest, *Regem*, et sic legerint omnes veteres Patres; non est magni facienda lectio modernorum Hebraeorum, cui post tempora septuaginta Interpretum interpunctio addita est. Porro s. Hieronymus fideliter vertit, sed textum habuit minus emendatum. Posset hic psalmus commode recitari, quando Christiani Principes proficiscuntur ad bellum contra infideles.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem Psalmus David.

Psalmus vigesimus connexus est cum praecedente decimo nono. Ille petebat a Deo, ut Christum regem cum hoste generis humani praeliaturum protegeret. Iste gratias agit, quod protexerit, exaltaverit, et coronaverit.

EXPLICATIO PSALMI XX.

1. *Domine in virtute tua laetabitur Rex et super salutare tuum exultabit vehementer.*

Adepta victoria, *Rex noster* Christus *laetabitur in virtute tua*, idest, ob virtutem, potentiamque tuam, per quam de hostibus suis foeliciter triumphavit. *Et super salutare tuum*, id est, de salute a te illi praestita, gaudebit et voce etiam *exultabit vehementer*. Itaque una pars versiculi aliam declarat.

2. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.*

Respondent haec verba iis, quae in psalmo superiore dicta fuerant, *tribuat tibi secundum cor tuum*, etc. phrasis hebraica est dare petitionem, pro eo quod est dare rem petitam, quomodo in 1. lib. Regum cap. 2. dicit Heli sacerdos Annae. *Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum*. Sic igitur hoc loco dicitur, *Desiderium cordis ejus tribuisti ei*: idest, id ei tribuisti, quod desiderabat. *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*, idest, non fraudasti eum ea re, quam volebant labia ejus, idest, quam se velle, et desiderare, labiis orationem fundendo, demonstravit. In summa dicit, datum fuisse Christo, quod corde desideraverat et labiis expetiverat.

3. *Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

Magna vere fuit Christo caussa laetandi, quod non solum habuerit, quod petiit, sed quod Deus praevenerit ejus desideria, et dederit ei maxima dona, antequam peteret. Praevenisti, inquit, eum in benedictionibus dulcedinis, in hebraeo est bonitatis, טוב *tob*, et similiter in graeco χρηστότητος. Itaque sensus est, Christum fuisse praeventum donis bonitatis Dei, quae fuerunt conceptio de Spiritu sancto, unio ad personam verbi, infusio omnium scientiarum et virtutum et ipsa Dei visio: quae omnia in primo instanti conceptionis illi data fuerunt, proinde praeventus fuit benedictionibus dulcedinis. Quod vero sequitur, *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, velut habetur in hebraeo. פז *paz, de auro perfecto*, vertetur referendum ad regnum, et sacerdotium, quod etiam ab ipsa conceptione habuit, propter quae Christi cognomen accepit: corona enim aurea, insigne est regium, et sacerdotale.

4. *Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi.*

Beneficia superiora praeventus accepit: at corporis gloriam et immortalitatem, et alia deinceps petiit et obtinuit. *petiit vitam*, cum imminente passione *preces et supplicationes obtulit ei, qui posset eum salvum facere a morte*, ut dixit Apostolus ad Hebr. 5. Deus autem tribuit ei *longitudinem dierum in saeculum et in saeculum*, idest, vitam sempiternam, *ut resurgens a mortuis jam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur*, ad Rom. 6. Ex hoc loco manifeste convincuntur, qui hunc psalmum ad litteram exponunt de Davide, quod facit Iansenius, vel de Ezechia quod facit Euthymius et ante eum Theodoretus; nam nec David, nec Ezechias habuit longitudinem dierum in saeculum et in saeculum saeculi.

5. *Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam, et magnum decorem impones super eum.*

Non solum vitam in saeculum saeculi dedit ei Deus, sed etiam *exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Phil. 2. Haec enim est vere *magna gloria, quam habuit in salutari Dei*, id est, in salute, qua illum salvum fecit Deus: et hinc *gloriam et magnum decorem*, idest, immensum honorem *impones super eum*, pro eo quod imposita illi fuit ab inimicis spinea corona tantae ignominiae, ut eo tempore *non esset species ei, neque decor*, ut cecinit Isa. cap. 53.

6. *Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi, laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

Post exaltationem ad dexteram Patris, et nomen super omne nomen, sequetur universalis benedictio, *coelestium, terrestrium, et infernorum*; quae numquam deficiet, de qua loquitur b. Paulus ad Philipp. 2. et Joannes Apocal. 5. Verba illa, *dabis eum in benedictionem*, significant, pones eum, ut communem benedictionis materiam, idest, facies, ut omnes illi benedicant. Graecus codex clarior est: habet enim δώσεις αὐτῶ εὐλογίαν *dabis benedictionem*, sed in hebraeo, תשיתהו ברכות *thescitheu berachoth*, habetur, *pones eum benedictiones*; sensus est idem. Quod autem additur, *laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, significat laetitiam consequentem illa omnia bona jam dicta: semper enim laetitia sequitur adeptionem boni. Illud, *cum vultu tuo*, significat coram te, et in praesentia tua.

7. *Quoniam Rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.*

Bona jam dicta praedicit fore omnino stabilia, et firma in aeternum. *Quoniam*, inquit, *Rex sperat in Domino*, idest, confidit in potentia infinita Dei, non in viribus humanis. *Et in misericordia Altissimi*, idest, bonitate illius, qui super omnes est, et cui subjiciuntur omnia, ideo *non commovebitur*, sive non nutabit, sed permanebit securus in aeternum.

8. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.*

Probat non commovendum Christum, neque regnum ejus, quoniam inimici ejus omnes peribunt. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*; idest, invenietur manus tua super omnes inimicos tuos, ut eos videlicet punias. Idem repetit dicens, *Dextera tua inveniat*, pro inveniet, *omnes qui te oderunt*. Textus hebraeus clarissimus est; *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet odientes te*. Sed Interpretes variare voluerunt. Videtur autem Propheta nunc alloqui Christum, non Patrem. Christus enim proprie est, quem Judaei, aliique persecutores oderunt et de eo dicitur in psal. 109. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

9. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos.*

Describit poenam inimicorum. *Pones*, inquit, eos, tuos videlicet inimicos, *ut clibanum ignis*, idest, facies eos undique aestuare, quomodo aestuat clibanus ardens: *in tempore vultus tui*, id est, in die irae tuae, quae in ultimo judicio manifestabitur. Idem repetit in tertia persona, quasi dicat, vere dixi, *pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui*. Nam Dominus Christus, *in ira sua conturbabit inimicos suos*, et tunc ad imperium Christi, devorabit eos ignis aeternus, et sic efficientur quasi clibanus ardens. Verbum Hebraeum, בלע *balah*, significat proprie deglutire; vel perdere, ac dissipare. Ideo s. Hieronymus vertit, *Dominus in furore suo praecipitabit eos*. Fortasse *conturbabit eos*, positum est, pro exturbabit eos; videlicet a facie sua in gehennam, et ibi devorabit eos ignis. Sic enim cohaerebit lectio hebraica, cum graeca et latina. Fortasse etiam vox hebraica, בלע *balah*, significat non solum deglutire, et perdere, sed etiam conturbare: nota enim erat septuaginta Interpretibus vis hebraicarum vocum magis, quam posterioribus Rabbinis. Sensus autem semper est bonus.

10. *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.*

Ne forte objiceret aliquis, posteros inimicorum Christi aliquando pro patribus surrecturos et molestiam Christo allaturos, addit Propheta, non solum inimicos Christi, sed omnes eorum filios ac nepotes atque adeo omne semen eorum periturum. *Fructum*, inquit, *eorum*, idest, filios et posteros, *de terra perdes*; et eliminabis, *et semen eorum a filiis hominum*, nimirum perdes.

11. *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.*

Juste punies eos, quoniam illi injuste tibi nocere conati sunt. Videtur David valde proprie, et subtiliter dixisse, *declinaverunt in te mala*, quoniam mala poenae directe ad Christum non pertinebant, in quo nulla fuit culpa, sed iniqui homines detorserunt, et declinaverunt mala, idest, contumelias, vulnera, plagas, mortem ipsam, a suo quasi itinere in Christum innocentem. *Cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire*, idest, mala voluntas in ipsis fuit perdendi Christum, et impediendi regnum ejus, sed non potuerunt perficere, quia Deus mala omnia convertit in bonum ipsius Christi, et fidelium servorum ejus.

12. *Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.*

Hic describitur summa impiorum calamitas, quod videlicet sunt destinati ad sola flagella et ad majorem calamitatem visuri sint electos Dei in summa gloria et foelicitate. *Pones eos dorsum*, idest, facies, ut nihil sint nisi dorsum, pars videlicet flagellis exposita: sic nimirum totos flagellabis, quasi toti sint dorsum. *In reliquiis tuis praeparabis*, seu diriges (ut sonat vox hebraea, תכנך *theconen*), *vultum eorum*, idest, diriges vultum eorum in re-

http://www.obrascatolicas.com

liquiis tuis, hoc est, ad considerandos electos tuos, quos tibi reliquisti, de quibus scriptum est, Rom. 9. *reliquiae salvae fient.* Vocem hebraeam, מיתריך *metharecha* s. Hieronymus vertit, funes tuos; sed septuaginta Interpretes recte verterunt. *reliquiis tuis*, quia vox illa utrumque significat. Locus hic obscurus est admodum; si cui nostra interpretatio minus placeat, audiat alias. Theodoretus, et Euthymius sic exponunt: *Pones eos dorsum*, id est, in fugam eos convertes, faciens ut terga vertant. *In reliquiis tuis praeparabis vultum eorum*, idest, in reliquias eorum, hoc est, in filios eorum *praeparabis vultum tuum*, idest, iram tuam. Volunt enim isti auctores hyperbaton esse in verbis Prophetae et propterea invertenda esse verba eo modo, quo diximus. An haec interpretatio literae et verbis inhaereat, lectores judicent. S. Hieronymus et s. Augustinus, nec non moderni, quisque suam interpretationem excogitaverunt.

13. *Exaltare Domine in virtute tua; cantabimus et psallemus virtutes tuas.*

Concluditur psalmus sancta acclamatione ad Christum Regem, et simul praedictione eorum, quae futura sunt post ultimum exitium omnium impiorum. *Exaltare Domine in virtute tua*, id est, qui aliquando apparuisti humilis, et tamquam infirmus crucifigi passus es, nunc in fortitudine, et potentia devictis hostibus et in gehennam detrusis, *exaltare* usque ad summum coelum; interim nos electi tui *cantabimus* voce, et instrumentis musicis resonabimus potentiam tuam, ut aliquando ad te perveniamus, et in saeculum saeculi te laudemus. Hic solum est observandum, per *virtutem* in utraque parte versiculi, non intelligi virtutes morales, sed potentiam, et robur, ut ex hebraicis, גבורתך *gheburathecha*, et graecis δυναστείας manifeste colligitur.

PSALMUS XXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.

Psalmus hic de passione et resurrectione Domini tam aperte loquitur, ut plane temerarium sit, ad alium sensum eum velle detorquere. Titulus respicit resurrectionem, quae significatur in illa voce, *susceptio matutina*. Resurrectio enim facta est tempore matutino, et per virtutem Dei suscipientis quodammodo Christum de sepulchro, et educentis eum ad auram vitalem, juxta illud psalmi tertii, *et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Vox hebraea אילת *aieleth*, significat *cervam*, vel, ut alii volunt, *stellam*. Sed septuaginta Interpretes recte verterunt susceptionem, quoniam apud ipsos verbum, איל *aial*, suscipere significat. Quod planum est ex psalmo 106. vers. 17. ubi vocem, אולים *evilim*, ipsi legerunt, אילם *aialem*, et verterunt, *et suscepit eos*. Neque longe absunt ab eodem sensu lectionis ex hebraeo, pro cerva matutina, sive pro stella matutina. Sensus enim est, pro Christo resurgente. Ipse enim resurgens recte comparatur stellae, quia surrexit plenus gloria, accinctus lumine sicut vestimento et de se ipse dicit Apoc. ult. *Ego sum stella splendida matutina.* Ipse quoque similis est cervo, sive cervae, tum quia cervo nihil nocent animantia venenata, imo ipse halitu suo serpentes de cavernis educit, et occidit, ut s. Hieronymus in hunc locum et Basilius in psalm. 28. scribunt. Christus autem *spiritu oris sui interficiet impium*, et nihil ei nocere poterunt omnes impiorum persecutiones. Tum etiam, quia cervus velocissime salit in altissimos montes, unde in Canticis saepe comparatur Christus hinnulo cervorum salienti in montes. Ipse enim in die resurrectionis velocissimo saltu ab inferis, et a morte ad vitam immortalem et gloriosam ascendit. Tum denique, quia cervus dicitur arte quadam naturali a senio se defendere et vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab inferis revocare, ut scribit Gilbertus serm. 14. in Cantica. Christus autem in die resurrectionis arte omnipotentiae et infinitae sapientiae suae vere corpus suum jam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Cerva vero potius, quam cervus dicitur, quia resurrectio proprie ad carnem pertinet. Sicut enim Christus in carne passus est, ita et in carne resurrexit.

EXPLICATIO PSALMI XXI.

1. *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.*

Loquitur David in persona Christi pendentis in Cruce, et in summo passionis dolore constituti, ut patet ex Evangelio, Matthaei 17. in quo legimus, Christum morti proximum dixisse: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quae sunt prima verba Psalmi hujus. Illud enim, *Respice in me*, non habetur in hebraeo, sed fuit additum a septuaginta Interpretibus declarationis caussa. Quod autem Christus queritur, se derelictum a Deo, non significat, eum fuisse derelictum a persona Verbi, quasi

esset dissoluta unio hypostatica, vel destitutum a gratia, et benevolentia Patris; sed significat permissum fuisse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta et mortem ignominiae plenam; a qua si Deus voluisset, eum facillime liberare potuisset. Neque orta est querimonia illa ab impatientia vel ab ignorantia, quasi Christus ignoraret causam suae passionis, aut non libenter ferret, se a Patre in illis doloribus derelictum; sed fuit querimonia illa, protestatio quaedam acerbissimae passionis. Quae enim in toto progressu passionis tanta animi aequitate Dominus omnia pertulerat, ut ne gemitus quidem exaudiretur; potuissent omnes credere, illum superiore aliqua virtute impassibilem redditum, dolores non sensisse. Ideo igitur vicinus morti protestatur se verum esse hominem, vereque passibilem, et a Patre derelictum in doloribus, passionis acerbitatem sensu doloris intimo et maximo habuisse. Ait igitur, *Deus Deus meus.* Christus in forma servi vocat Patrem Deum suum, quia in illa hora proprie eum colebat ut verum Deum, sacrificans illi sacrificium corporis sui sacrificium omnium, quae unquam facta fuerant, praestantissimum. *Respice in me*, rogat ut videat, ubi pro honore suo constitutus sit, recognoscat obedientiam filii sui, acceptet sacrificium pro genere humano oblatum. *Quare me dereliquisti?* non solum protestatio verae passionis, ut diximus, sed etiam admiratio quaedam esse videtur, quasi dicat, fieri ne potest, ut dilectissimum, et unigenitum filium in hunc doloris abyssum devenire permiseris? Similia sunt illa: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret?* Joan. 3. et illa Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Multi timentes, ne Christo peccati notam inurant, coacte exponunt. Aliqui legunt cum interrogatione. *Longe a salute mea verba delictorum meorum?* Sed talis interrogatio gratis fingitur, cum in nullo textu inveniatur. Alii exponunt, *Peccata mea*, cum nulla sint, *longe sunt a salute mea*, idest, non impediunt salutem meam. Sed facilius dixisset Propheta, Longe a morte mea verba delictorum meorum, si delicta non fuissent caussa mortis Christi. Alii conjungunt cum superioribus partem hujus sententiae sic: *Deus meus, quare me dereliquisti longe a salute mea?* Sed omnes textus habent interpunctionem aliam. Et deinde qui significabit illud, verba delictorum meorum? Alii denique considerant verbum hebraicum, שאגתי *Sciaagathi*, significare rugitum, non delictum, et interpretantur, *Longe a salute mea verba rugitus mei*, idest, rugitus meus, sive clamor meus, quo auxilium imploro, longe est a salute mea, idest, non potest impetrare mihi salutem. Caeterum septuaginta Interpretes sine dubio non legerunt, שאתי *sciaagathi*, sed, שגיאתי *sceghiathi* unica litera transposita, et recte verterunt, delicta, non rugitum. Sententia igitur simplex et vera haec est, *longe a salute mea verba delictorum meorum*, idest, merito me dixi derelictum in doloribus, quia delicta totius mundi, quae in me suscepi, non possunt conjungi cum mea salute. Necesse enim est ut patiar, et moriar, si ea purgare volo. Christum autem sibi tribuere posse nostra peccata, ac si sua essent, Scripturae passim docent. Joann. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* 1. Petr. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, Isai. 53. *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrorum*, 2. Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, idest, hostiam pro peccato. Sicut igitur hostia pro peccato non potest non immolari, si peccata purgari debeant: ita Christus hostia pro peccatis totius mundi factus, recte dicit, *Longe a salute mea sunt verba delictorum meorum*, idest, non possum mortem evadere, cum peccata totius mundi in me sint posita, ut pro eis poenas luam. Porro verba delictorum, phrasis est hebraica. Hebraei enim, utuntur nomine, דבר *dabar*, *verbi*, ad rem sive negotium in genere significandum. Itaque sensus est *verba delictorum meorum*, idest, haec ipsa res, quod tot peccata super me acceperim, pro quibus satisfaciam, *longe est a salute mea*, idest, non potest conjungi cum salute mea, ac per hoc in causa est ut mortem non evadam.

2. *Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi.*

Iterum alia ratione se derelictum ostendit sine spe salutis temporalis. *Clamabo*, inquit, *per diem, et non exaudies; et nocte*, supple, *clamabo, et non exaudies.* Est autem sensus; etiamsi clamem die ac nocte, non exaudies me, ut liberer a morte corporali. Videtur alludere ad duas orationes, quas fecit, unam de nocte in horto, alteram de die in cruce, sed non servat ordinem, quia sensus est ille, quem dixi, etiamsi clamem die, et nocte, non exaudies. Quod sequitur, *et non ad insipientiam mihi*, in hebraeo est, *et non silentium mihi.* Sed Septuaginta non videntur per, דומיה *dumiah*, unquam intellexisse *silentium*. Nam in ps. 61. vers. 1. vertunt *subjecta*, in ps. 64. vers. 1. vertunt, *decet*; hoc loco, *insipientiam*. Igitur vel aliquid aliud legerunt, vel noverunt hanc vocem recipere omnes istas intelligentias. Sensus autem hic esse videtur, *Clamabo die, et nocte, et non exaudies;* et tamen hoc *mihi ad insipientiam* adscribi non poterit, quia licet sciam me non exaudiendum, ut mortem temporalem evadam; tamen prudenter clamo, quia scio me exaudiendum, quoad principalem intentionem meam, quae est ut genus humanum redimatur, et ego non detinear in morte; sed resurgam ad vitam immortalem. Occurrit mihi alia expositio, in qua per diem intelligatur tempus vitae, per noctem tempus mortis, et hic sit sensus, *Clamabo per diem, et non exaudiet*, idest, clamabo, dum vivo, ut a morte liberer temporali, et hunc clamorem non exaudies; *et nocte clamabo, et non ad insipientiam mihi*, idest, clamabo postea, cum mortuus fuero, ut resurgam, et non ero insipiens, quia clamorem hunc nocturnum exaudies, in quem sensum recidit etiam lectio hebraica, ולילה ולא דומיה לי *velaila velo dumiali*, *et noctu, et non silentium mihi*, idest, clamabo de nocte, et tunc non silebis sicut siluisti ad cla-

http://www.obrascatolicas.com

morem diurnum; sed respondebis mihi, ac per hoc exaudies me. Et quia illud, *non exaudies*, potest etiam redditi, non respondebis, utrumque enim significat verbum, ענה *hana*, clariss me verti potuisset versiculus in hunc modum, *clamabo per diem et non respondebis mihi: clamabo per noctem, et tunc respondebis mihi*, vel secundum Septuaginta, *clamabo per diem, et non exaudies; clamabo per noctem, et non ero insipiens*, quia tunc exaudies.

3. *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.*

Probat se non insipienter de nocte clamaturum, etiamsi de die non sit exauditus, et se omnino exaudiendum, idque quatuor rationibus. Primo, quia Deus sanctus, et misericors sit. Secundo quia soleat invocantes se benigne audire, tertio, quia ipse in maxima pressura sit, quarto, quia in Deo ab ipsa sua nativitate confisus sit, eique soli adhaeserit. Prima ratio est in praesenti versiculo. *Tu*, inquit, *Domine omnino exaudies me*, quia *in sancto*, idest, in sanctitate *habitas*, totus sanctus, et pius es, et ad te malitia, vel crudelitas accedere non potest; et ideo tu es *laus* populi tui *Israel*, tum quia te laudat populus tuus Israel, tum propter te laudatur populus tuus Israel. Haec enim est maxima laus populi tui, quod habeat Deum omni ex parte sanctissimum. In hebraeo habetur sic, *Tu autem sancte, inhabitas laudes Israel*, idest, tu sanctus es, et ideo versaris assidue in ore populi tui te laudantis. Sed credibile est septuaginta Interpretes non legisse, קדוש *Kadosc*, sanctus, sed, קודש *Kodesc*, sanctitas, una litera transposita; et tunc verti debet, *tu autem sanctitatis habitator*, quod est idem cum eo quod nos habemus, *tu autem in sancto habitas laus Israel*: in numero multitudinis est in hebraeo: תהלות ישראל *theilloth, Israel*, sed quia id conjungitur cum Deo, ut sententia esset clarior, maluerunt Septuaginta vertere, *laus Israel*, quam laudes Israel.

4. *In te speraverunt Patres nostri; speraverunt, et liberasti eos.*
5. *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt, in te speraverunt, et non sunt confusi.*

Haec est altera ratio ab exemplis; et sententia perspicua est. Habentur autem multa ejusmodi exempla in libro Judicum. Quotiescumque enim filii Israel clamaverunt ad Dominum, misit eis Dominus salvatorem unum ex judicibus, ut Gedeonem, Sampsonem, Samuelem, etc.

6. *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.*
7. *Omnes videntes me deriserunt me, loquuti sunt labiis, et moverunt caput.*
8. *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

Haec est tertia ratio ducta a pressura Christi crucifixi. *Ego autem*, inquit, *sum vermis, et non homo*, idest, in tali statu sum hoc tempore, ut non solum minoratus ab Angelis, sed ab hominibus minoratus videar; nimirum *noris-imus virorum*, ut dixit Isaias cap. 53. imo infra omnes homines factus, cum e Barrabae, et latronibus postpositus sim. Itaque adeo factus sum vilis, ut vermis potius videar esse quam homo. *Opprobrium hominum*, de quo videlicet, homines erubescunt, quasi de homine dedecoroso, quod impletum est quando Petrus ipse juravit se non nosse hominem illum. *Et abjectio plebis*, Matth. 26. idest, quem etiam plebs vilissima populi pars, ita abjecit, ut diceret, *non hunc sed Barrabam*, Joan. 19. *Omnes videntes me deriserunt me*, idest, qui me in eo statu viderunt, irriserunt omnes, omnia videlicet hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, laici, Hebraei, Gentiles, quod impletum est, quando, ut scribit s. Luc. cap. 23. *Stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis*; et infra, *illudebant autem ei et milites. Loquuti sunt labiis et moverunt caput*: hoc etiam impletum fuisse docet s. Matthaeus cap. 27. *Blasphemabant eum moventes capita sua et dicentes, vah qui destruis templum Dei. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Easdem voces Judaeorum fuisse, testatur s. Matthaeus in eodem loco. *Confidit*, ajebant, *in Deo, liberet nunc eam, si vult.* Nec multum refert, quod Propheta dicit, *quoniam vult eum*, et Evangelista refert eos dixisse, *si vult.* Nam cum Propheta dicit *salvum faciat eum, quoniam vult eum*, subintelligitur, ut ipse dicit, quod perinde est, ac si dixisset, *liberet eum si vult eum*, idest, si amat eum, ut ipse dicit, *liberet eum* vel quandoquidem vult eum, ut ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus Prophetae illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba praenovit, et praedixit, quae Judaei in passione Christi dicturi fuerant. Pro, *speravit in Domino*, habetur nunc in hebraeo, גל *gol*, idest, *volve ad Dominum*; sed Rabbini male collocaverunt puncta. Debet enim legi גל *gal*, idest, volvit, ut legit s. Hieron. qui vertit, *confugit ad Dominum*, quod est idem cum eo, quod verterunt Septuaginta, *speravit in Domino*. Idem enim est, volvit, sive revolvit se ad Dominum, confugit ad Dominum, et speravit in Domino.

9. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae.*
10. *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meae Deus meus es tu, ne discesseris a me.*

Haec est ratio postrema ducta ab innocentia perpetua ipsius Christi. Illud *quoniam*, non est ubique nota causae, sed saepe ponitur loco conjunctionis, et, vel, autem. Aliquando etiam nihil significat, sed additur ornatus gratia. *Tu es, qui extraxisti me de ventre*, idest, a nativitate tuus sum, praesertim cum re vera non naturali modo, sicut caeteri homines, sed virtute tua singulari natus sum non reseratis claustris pudoris: sicut etiam absque viridi semine in utero Virginis conceptus fui. S. Hieron. vertit ex hebraeo, *Tu autem*

propugnator meus ex utero. Sed verbum, גחי *gochi* a radice, גרח *guach*, proprie nihil significat aliud, nisi *eductor meus ex utero.* Quid s. Hieronymus sequutus sit, fateor me nescire. *Spes mea ab uberibus matris meae*, idest, sicut tu me eduxisti ex utero, ita tu es, qui praecipue me aluisti: ubera quidem matris suxi, sed intelligo lac de coelo matri subministratum, et ideo in te ab uberibus matris confidere, et sperare didici. *In te projectus sum ex utero*, idest, prodiens ex utero, in sinum tuum cecidi, qui singulari providentia curam mei geris. *De ventre matris meae Deus meus es tu*, idest, sicut ab incipiente vita mea tu mihi singulari providentia adstitisti, ita et ego ab exordio vitae meae te colere coepi ut Deum meum. *Ne discesseris a me*, haec verba sunt apud hebraeos initium sequentis versiculi. Sed recte etiam ponuntur in textu graeco, et latino in fine superioris versiculi. Sunt enim veluti conclusio superioris rationis, ac si Christus diceret, quandoquidem in te projectus sum ex utero, ab eo tempore Deus meus es tu; ideo jure a te requiro, ut non discedas a me, praesertim cum jam instet gravissima, et ultima tribulatio mea, idest, mors corporis mei.

11. *Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.*

Posset fortasse hic versus exponi de propinquante passione, ac de moerore, et timore, quem Dominus in horto pati voluit. Sed certe multo probabilius est, totum hunc locum de propinquante morte esse intelligendum, tum quia Dominus in praeterito statim adjungit *Foderunt manus meas*; et, *diviserunt sibi vestimenta mea*: tum etiam quia paulo ante voces Judaeorum expressit, quas in se jam cruci affixum jactaverunt: tum denique quia primum psalmi versiculum Dominus in cruce pendens, ac morti proximus recitavit. Igitur juxta id quod dixerat, *non ad insipientiam mihi*, nimirum clamabo ad te, precatur nunc, ut Deus sibi adsit in ultima tribulatione, non ut liberetur a morte, sed ut non detineatur in morte. Peto, inquit, ut non discedas a me, quoniam *tribulatio*, videlicet ultima, et gravissima, *proxima est*, et *quoniam non est* alius, qui adjuvare me possit, ut sic moriar, ut mortem occidam.

12. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.*

Narrat crudelitatem hostium suorum, quos comparat tauris, leonibus, et canibus. Intelligit per inimicos Pontifices, et Pharisaeos, qui veluti tauri insultabant ei, quasi cornibus eum peterent, *dicentes, Vah qui destruis templum Dei, etc.* Matth. 27. Et qui veluti leones aperto ore famem suam demonstrabant, idest, desiderium ingens perdendi eum, unde et rugiebant dicentes, *tolle, tolle, crucifige eum*, Joan. 19. Et qui veluti canes mordebant eum, detrahentes videlicet ei, dum dicerent, *hunc invenimus subvertentem gentem nostram*, Luc. 23. Et, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, Joan. 18. Ex quibus detractionibus, falsisque calumniis tandem factum est, ut Dominus crucifigeretur: ideo statim subjungit, *foderunt manus meas, etc.* sed singula videamus. *Circumdederunt me vituli multi*: per vitulos non intelligit hoc loco vitulos quoscumque, sed vitulos grandiores, et cornigeros, qui etiam tauri dici possint. Nam quod sequitur, *tauri pingues obsederunt me*, est explicatio, sive repetitio; praesertim cum in hebraeo, אבירי בשן *abire bascian* ad verbum habeatur *fortes Basan obsederunt me.* Vocat vitulos *fortes Basan*, quia erant robusti, et pingues; nam Basan erat regio abundans optimis pascuis, unde pinguissimi tauri, et arietes prodibant. Dicuntur autem pontifices, et pharisaei fortes et pingues qui erant potentes et divites. Aliqui distinguunt vitulos a tauris, et per vitulos intelligunt plebem indisciplinatam, et imbellem; per tauros, pontifices et pharisaeos. Non est improbabilis expositio, sed probabilius arbitror id quod dixi.

13. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.*

Eosdem significat pontifices et pharisaeos, qui miro desiderio inhiabant morti ejus, ut supra diximus.

14. *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.*
15. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.*
16. *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.*

In his versiculis declarat, quomodo se gesserit contra inimicorum suorum crudelitatem; ac dicit, se non restitisse illorum violentiae, sed in omnibus humilitatem, patientiam, et mansuetudinem servasse. Juxta illud Isaiae cap. 50. *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me*: et illud s. Petri 1. epist. c. 2. *Cum maledicereturnon maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Itaque, inquit, *sicut aqua effusus sum*, idest, non restiti ullo modo, sed instar mollissimae aquae me praebui versandum, et impellendum in omnem partem. *Et dispersa sunt omnia ossa mea*, idest, omnis fortitudo dilapsa est a me, non quod vere potentiam amiserim, sed quod ea uti noluerim, et adversariis meis potentia sua uti permiserim juxta illud Luc. *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Itaque debilem, atque imbecillum me praebui ad resistendum, quasi solam carnem sine ossibus haberem. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*, idest, non solum exterius patientem, et mitem me praebui, sed etiam interius humilis corde sui, non intumuit, neque obduruit cor meum contra persecutores, nolens ignoscere, et ulcisci parans; sed contra potius factum est sicut cera liquescens ex affectu pio erga illos miserans illo-

http://www.obrascatolicas.com

rum caecitatem, et pro eis rogans, Luc. 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Illud, *in medio ventris mei*, significat in medio viscerum meorum. Sumitur enim in Scriptura venter, pro interioribus, ut Joan. 7. *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*; et cant. 5. *Venter meus contremuit ad tactum ejus. Aruit tamquam testa virtus mea*, idest, robur meum quasi exaruit omni viroro exhausto, quia videlicet ita me ligari, et vulnerari permisi, quasi impotens essem ad resistendum. *Et lingua mea adhaesit faucibus meis*, idest, ne verbis quidem adversarios laedere, aut de ipsorum injustitia conqueri volui. *Et in pulverem mortis deduxisti me*, idest, et sic tandem illis persequentibus, et me non resistente, tu Deus meus, sine cujus permissione nihil fieri potest, in mortem, et sepulturam adduxisti me. Vocatur enim pulvis mortis ipsa sepultura, quia mortui pulvere tegi solent.

17. *Quoniam circumdederuntme canes multi, concilium malignantium obsedit me.*
18. *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Declarat modum quo in pulverem mortis deductus est. *Quoniam*, inquit, *circumdederunt me canes multi*, idest, detractores multi, pontifices videlicet, et pharisaei, qui falsis criminationibus, subversionis populi, tributi denegati, regni affectati, et similibus Pilatum coegerunt ut me crucifigendum militibus traderet. *Concilium malignantium obsedit me*. Declaratio est verborum superiorum: canes enim multi nihil sunt aliud, nisi concilium, idest, coetus malignantium: isti, inquam, malignantes, *foderunt manus meas, et pedes meos*, non quidem manibus, sed auctoritate sua. In hebraeo legitur, כארי, *caari*, quod significat, *quasi leo*, sed septuaginta legerunt, כארו *caarù*, quod est foderunt. Et sic omnino esse legendum non dubium est; quia septuaginta numquam vertissent, *foderunt*, si legissent *caari*. Sanctus quoque Hieronymus ex hebraeo vertit, foderunt, ac per hoc legisse credendus est, *caarù*. In ipso etiam libro Massoreth ad cap. 12. Numeri, disserentes Rabbini de illis verbis, *occubuit ut leo*, quod est hebraice *caari*, monent in psalmo hoc legendum quidem esse *caari*, sed juxta codices emendatiores scribendum, *caarù*. Quamvis enim ex perfidia sua legere velint, *quasi leo*, tamen fatentur scriptum esse *caarù*, idest, foderunt. Denique sententia multo est clarior, *foderunt manus meas*, quam, *quasi leo manus meas*. Neque multum refert, quod, foderunt, hebraice, scribendum esset, כרו, *carù* non כארו *caarù*, quoniam litera א *aleph*, saepe redundat, et ideo paragogica vocatur ab hebraeis. *Dinumaraverunt omnia ossa mea*; idest, ex corporis extensione in cruce factum est, ut omnia ossa numerari possent. Addit vero David hoc de extensione, et numeratione ossium, ut intelligeremus crucifixionem. Alioqui enim per fossionem manuum, et pedum potuissent intelligi vulnera gladio facta, non clavis. In hebraeo habetur אספר *asapper*, in prima persona, *numerabo omnia ossa mea*. Sed facile est unius, vel alterius literae mutatione contigisse errorem. Certe sensus est clarior, si legamus, *numeraverunt*, quo modo sine dubio legerunt septuaginta Interpretes, et lectionem illam sequuti sunt s. Hieronymus, s. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius in expositione hujus loci.

19. *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

Addit ad supplicium Crucis, ignominiam nuditatis. *Ipsi*, inquit, curiose inspexerunt totum corpus meum, quoniam nudatum erat omnibus vestibus. Siquidem eas vestes diviserunt milites inter se, et super tunicam, quae supererat, sortem miserunt. Quae omnia impleta esse ad litteram, Joannes Evangelista cap. 19. testatur.

20. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice.*

Revertitur ad orationem, quam inchoaverat in principio psalmi, et rursum repetierat versiculo decimo et undecimo. Itaque jam tota passione sua exposita: rogat Deum pro celeri resurrectione: nam per eam perfecte liberabitur ab omni persecutione, et injuria adversariorum. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me*, idest, adversarii mei ad summam malitiae pervenerunt, atque in me omnes vires suas exercuerunt; jam tuum est non differre amplius auxilium, sed meam defensionem paterne suscipere. In hebraeo ad verbum sic legitur: *et tu Domine non longe fias, fortitudo mea ad auxilium meum festina*. Possent aliquo modo paucis mutatis concordari haec ipsa verba cum verbis graecae et latinae editionis, sed non videtur operae pretium in hac re laborare, cum sensus omnino sit idem.

21. *Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.*
22. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.*

Declarat, in quo velit auxilium sibi adesse. *Erue*, inquit, *a framea sive gladio animam meam*, idest, libera ab instrumento mortis vitam meam. Ponit enim gladium, qui mortis est instrumentum, pro quolibet instrumento mortis, quod in Scriptura frequens est. 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua*, Ezech. 33. *Si viderit gladium venientem super terram*, etc. Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an gladius?* Ponit vero animam pro vita, quod similiter in Scriptura usitatissimum est. *Et de manu canis unicam meam*. Per canem intelligit canes illos, de quibus supra dixerat, sed utitur numero singulari, vel per figuram collectionis, vel ad significandam unionem in malum inimicorum suorum. Per *unicam* vero intelligit eamdem vitam suam, quam unice diligebat, sicut par erat diligi vitam Verbi incarnati. *Salva me ex ore leonis*, illius de quo supra dictum est, *aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens. Et a cornibus unicornium humilitatem meam*. Antea dixerat, *tauri pingues obsederunt me*, nunc loco taurorum ponuntur unicornes, qui sunt indomitae bestiae, et tauris etiam ferociores, ut significet, nequitiam et crudelitatem inimicorum suorum non imminutam tot suppliciis fuisse, sed auctam. Porro his omnibus verbis non petit Dominus vitam temporalem suam salvari, sed (ut saepe diximus) petit vitam suam celeriter reparari, et ita reparari, ut non amplius pateat morsibus canum, vel unguibus leonum vel cornibus unicornium, aut taurorum. Illud, *humilitatem meam*, in hebraeo est, עניתני *hanitani*, quod s. Hieronym. vertit, *exaudi me*; Pagninus autem, *respondisti mihi*. Sed septuaginta interpretes non legerunt *hanitani*, sed ענותי, *henuthi*, una litera dempta, idest, *humilitatem meam*.

23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te.*

Nam incipit narrare fructum resurrectionis suae, qui est conversio mundi ad Deum. *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, idest, postquam resurrexero, mittam Apostolos in mundum universum, et per eos *narrabo*, inquit, *nomen tuum*, idest, notitiam divinitatis tuae manifestam faciam omnibus hominibus, qui fratres mei sunt propter assumptam carnem; et sic in *medio Ecclesiae laudabo te*, idest, non amplius in angulo Judaeae, sed in medio Ecclesiae magnae ex judaeis, et gentibus adunatae laudabo te, per ministros meos videlicet. Hunc locum adducit Apostolus ad hebreos 2. *Propter quod*, inquit, *non confunditur fratres eos vocare, dicens, nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te*.

24. *Qui timetis Dominum laudate eum, universum semen Jacob glorificate eum.*
25. *Timeat eum omne semen Israel, quoniam, non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.*

Quia dixerat *in medio Ecclesiae laudabo te*, quod erat implendum per fideles suos, ideo nunc ipsos fideles hortatur, ut Deum laudent. *Qui timetis Dominum*, idest, qui notitiam ejus habetis, eumque colitis. Timere enim Deum in Scriptura accipitur pro colere. Ita Jonae 1. Jonas interrogatus de populo, *ego*, inquit, *hebraeus sum. Deum qui fecit coelum et terram ego timeo*, et Daniel 6. *paveant omnes Deum Danielis*; et Judith 1. dicitur de Judith, *quod timebat Dominum valde*. Itaque sensus est, Vos qui Deum verum cognoscitis, et colitis, laudate eum. Et ne putemus fideles, quos alloquitur, esse paucos, utpote unam gentem judaeorum, addit, *universum semen Jacob glorificate eum et timeat eum omne semen Israel*, idest, glorificent, et timeant Deum omnes Israelitae, non tantum ii, qui sunt Israelitae secundum carnem, sed etiam qui sunt Israelitae secundum promissionem, quales sunt omnes gentiles ad Christum conversi. Vide s. Augustinum in epist. 200. alias 197. ad Asellicum, ubi demonstrat, christianos esse veros Israelitas, non carne sed spiritu, fide, et promissione; verba sequentia, *quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis*, hebraei faciunt novum versiculum, eique adjungunt totum versiculum sequentem. Sed septuaginta aliter interpunxerunt. Reddit igitur rationem Dominus, cur velit ab omnibus laudari Deum, quia videlicet exaudivit orationem, quam fuderat pro resurrectione, et gloria sua; pro victoria contra diabolum, et redemptione generis humani. Vocat autem se pauperem, quia talis erat tempore passionis, cum nudus, ac derelictus, fame, sitique laborans penderet in cruce. In hebraeo pro, *deprecationem pauperis*, habetur, ענות *henuth*, quod s. Hieronym. vertit, *modestiam*, et posset etiam verti afflictionem, *humilitatem, clamorem*, etc.

26. *Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

Idem repetit aliis verbis. In hebraeo legitur, *nec avertit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum exaudivit*: verisimile est, septuaginta legisse Jod, nunc habetur Vau, cum sint literae similes, et Jod sit nota pronominis primae personae, Vau autem tertiae. Sed sententia est omnino eadem. Nam si dicatur: *Nec avertit faciem suam ab eo*, per illud, *ab eo*, intelligitur, a paupere, de quo dictum est, *non despexit deprecationem, sive afflictionem pauperis*: pauper autem ille, Christus ipse est.

27. *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Hortatus fuerat fideles suos, ut Deum laudarent, nunc praedicit, id omnino futurum. *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, idest, laus quam ego tibi canam per fideles meos erit apud te, sive coram te in Ecclesia magna, non in coetu paucorum hebraeorum, sed in Ecclesia omnium gentium. Posset etiam hic locus exponi de laude, qua laudatur Christus in Ecclesia coram Deo. Euthymius legit, *a te laus mea*, unde videtur legisse ἀπὸ συ, sed in textu nostro habetur παρὰ συ apud te, et sic legunt Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et alii. Hebraica vox, מאתך *meitteca*, vertitur a s. Hieronymo, *apud te*; ab aliis, *a te*, utramque enim expositionem recipit. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*: per vota intelligenda videntur hoc loco vota sacrificiorum et oblationum, juxta illud Isa. 19. *Colent eum in hostiis et muneribus; vota vovebunt Domino, et reddent*. Christus enim cum videret holocaustum mortis suae gratissimum Deo fuisse, videtur quodammodo promisisse, se holocaustum illud per ministros suos frequentissime oblaturum, eo quo deceret modo, atque hoc est, quod nunc dicit, *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, idest, per ministros meos Sacerdotes novi testamenti, assidue immolabo sacrificium Deo gratissi-

http://www.obrascatolicas.com

mum; idque *in conspectu timentium* idest, colentium eum, ac per hoc verorum fidelium: non enim licet hoc sacrificium coram infidelibus immolare.

28. *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi.*

De hoc sacrificio *edent pauperes*, qui suam paupertatem, et egestatem spiritualem agnoscunt, *et saturabuntur*, quia gustabunt bonum, quod est super omne bonum, *et laudabunt Dominum*, gratias agentes Deo pro tam insigni beneficio illi omnes *qui quaerunt eum*: qui esuriunt, et proinde avide requirunt Dominum, *vivent corda eorum in saeculum saeculi*. Hic erit fructus illius refectionis, ut corda tam nobili cibo refecta vivant vita spirituali, vita gratiae interim, ac postea vita gloriae in saeculum saeculi. Sic enim veritas ait Joan. 6. *qui manducat hunc panem vivet in aeternum*. Sicut enim cibus corruptibilis vitam conservat ad tempus, ita cibus incorruptibilis vitam aeternam praebet. In hebraeo habetur, *vivet cor vestrum in aeternum*; sed una litera mutata, ex לבבכם *levauchem*, cor vestrum, fit לבכם *levavam, cor eorum*.

29. *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae.*

Reddit causam, cur in Ecclesia magna sit laudaturus Deum, quia videlicet convertentur ad Deum merito sacrificii crucis omnes gentes. *Reminiscentur*, inquit, principii, unde prodierunt, idest, recordabantur, se olim a Deo in primo parente conditos, quod per originale peccatum jamdudum oblivioni mandaverant, et ideo ligno et lapidi dixerant, *Pater meus es tu*: *reminiscentur*, inquam, primae creationis, *et convertentur ad Dominum universi fines terrae*, Jerem. 3. idest, omnes gentes, quae habitant orbem terrarum, usque ad ultimos ejus fines. Significantur autem per omnes gentes, non singuli homines totius mundi, sed ex omnibus gentibus aliqui.

30. *Et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.*

Declaratio est versiculi superioris. Id est enim converti ad Dominum omnes fines terrae, *adorare Dominum*, relictis idolis, omnes familias gentium, quae usque ad fines terrae propagatae inveniuntur. Porro adorare coram Domino, idem est quod adorare Dominum, quoniam vox hebraea, ישתחוו *isthachavu*, quam nos vertimus, *adorare*, proprie significat *incurvari*. Incurvari autem coram Domino, idem est, quod adorare Dominum.

31. *Quoniam Domini est regnum, et ipsi dominabitur gentium.*

Merito convertentur ad Dominum, et adorabunt eum omnes gentes, quoniam ipse est verus, et naturalis rex omnium gentium, ideo ipse deinceps, non daemones, dominabitur gentium.

32. *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.*

Quia dixerat, *edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, et adorabunt eum universae familiae gentium*, ne quis putaret, solos pauperes, et plebejos convertendos ad Dominum, adjungit de divitibus, et potentibus, *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae*, idest, ipsi etiam pingues terrae, qui abundant terrenis bonis, ipsi principes, imperatores, reges manducabunt de mensa Domini, et adorabunt, ac laudabunt communem Dominum, cujus est regnum super omnes gentes. Ponitur autem more prophetico preteritum pro futuro, *manducaverunt et adoraverunt*, pro manducabunt, et adorabunt. Et denique omnes, *qui descendunt in terram*, sive, ut sonat vox hebraea, וירדי עפר *jorede haphar, qui descendunt in pulverem*, idest, omnes mortales qui tandem per mortem resolvuntur in pulverem, *omnes*, inquam *cadent in conspectu ejus*, idest, genua flectent, et adorabunt. Atque ita vere generalis erit conversio gentium, quae est fructus dominicae passionis, et resurrectionis.

33. *Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.*

Concludit psalmum dicens, se deinceps perpetuo victurum ad gloriam Dei, et eidem Deo posteritatem suam fideliter serviturum. Ponit autem animam pro toto homine, quod in Scripturis, et praesertim in psalmis est frequens, *Anima mea*, idest, ego illi vivam, *et semen meum*, idest, posteritas mea regenerata per aquam, et Spiritum sanctum *serviet illi*. In hebraeo habetur, et anima ejus non vivet; sed manifeste apparet, Septuaginta non legisse, נפשו *naphscio, anima ejus*, sed נאשי *naphsci anima mea*. Solum enim extendenda est particula unius literae, ut ex una voce fiat alia. Sic etiam certum est, Septuaginta non legisse לא *lo*, non, sed לו *lo*, ei. Et cum sententia lectionis, quam habuerunt Septuaginta, longe clarior sit, imo cum sententia lectionis modernorum Hebraeorum nihil plane significet, non videtur posse dubitari, quin textus hebraicus sit corruptus vitio librariorum.

34. *Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*

Declarat quod dixit, *semen meum serviet ipsi*, dicens: *generatio ventura*, idest, populus novi Testamenti suscipiat bonum nuntium de Domino, et de justitia ejus, quae est justitia Fidei. Illud *annuntiabitur generatio ventura*, significat, annuntiabitur generatio venturae, sive nuntium accipiet generatio ventura. Est enim phrasis graeca, qualis habetur etiam Matth. 11. *Pauperes evangelizantur*, idest, pauperibus evangelizatur; et 1. Timoth. 1. Secundum Evangelium, quod creditum est mihi; nam in graeco ad verbum est, ὁ ἐπιστεύθην ἐγὼ *quod creditus sum*; sed Interpres mutavit phrasim graecam, quam reliquit Matth. 11. Itaque non est sensus, *annunciabitur Domino generatio ventura*, idest, adscribetur Domino generatio ventura, sed annunciabuntur de Domino, sive Dominus generationi venturae. Quod colligitur tum ex hebraeo, ubi habetur, לדור *laddor*, idest, *generationi*; tum quia idem repetitur, vel declaratus in sequentibus verbis, de more Davidis, *Annunciabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur*. Idem enim est, *generatio ventura*, et *populus qui nascetur*. Annunciabitur ergo Dominus generationi venturae, quia *annunciabunt coeli*, idest, coelestes homines, *justitiam Deo populo, qui nascetur*. Vocatur autem justitia Dei, justitia Fidei, quam Deus donat gratis credentibus in Christum, quae vere facit homines justos. Hoc enim praecipue docuit Evangelium, omnes esse peccatores, nec posse viribus propriis justificari, sed a solo Deo per Christi fidem veram justitiam expectandam. In hebraeo non habetur *generationi venturae*, sed post nomen, *generationi*, habetur interpunctio, ac deinde verbum, *venient*, quod conjungitur cum sequenti, *et annunciabunt*. Caeterum septuaginta Interpretes non habuerunt illam interpunctionem post nomen, *generationi*; et verbum, *venient*, legerunt in singulari, *veniet*, ac proinde recte legerunt, *generationi quae veniet*, idest, generationi venturae. Nomen coeli, cum dicitur *annunciabunt coeli*, non habetur in hebraeo, neque in greco textu; sed latinus interpres addidit explicationis gratia. Et legitur haec vox *coeli*, apud s. Hieronymum, et s. Augustinum in commentario hujus psalmi; sed non legitur a Theodoreto, et Euthymio graecis scriptoribus, quia (ut diximus) vetus latinus interpres eam addidit. Illud, quod habetur in fine, *quem fecit Dominus*, significat, populum istum novi testamenti peculiarem esse Dei populum, ab ipso Deo proprie regeneratum, et creatum in Christo in operibus bonis, ut dicit Apostolus ad Titum cap. 3. Similis est sententia in psalmo 117. *Haec dies, quam fecit Dominus.*

PSALMUS XXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem, Psalmus David.

Titulus indicat auctorem psalmi fuisse David: argumentum vero psalmi est eximia Dei benevolentia erga electos.

EXPLICATIO PSALMI XXII.

1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ibi me collocavit.*

In hoc psalmo describitur foelicitas electorum Dei per similitudinem ovium, quae ab eo optimo aliquo pastore reguntur. In eorum persona David, qui unus erat ex illis, dicit, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, quasi dicat, ovicula Dei sum, et quia Deus pastor est potentissimus, sapientissimus, et optimus; ideo confidenter dico, *nihil mihi deerit*. Haec vox est hominis foelicissimi in via, et in spe. Nam beati in patria, et in re, non dicunt, *nihil mihi deerit*, sed nihil mihi deest: siquidem fugit ab eis labor, et dolor, et jam intraverunt in gaudium Domini sui. At beati in via, et in spe non possunt dicere, nihil mihi deest cum sint obnoxii multis passionibus; sed recte dicunt, *nihil mihi deerit*, quia si esurierint, non deerit panis; si aegrotaverint, non deerit medicus, et sic de caeteris. Porro vox illa *regit*, in hebraeo, רעי *rohi*, et graeco textu ποιμαινει proprie significat, *pascere*, et idcirco sensus est, Dominus regit me pastorali modo sicut pastor regit oviculas suas. Quod autem dixit in summa, *nihil mihi deerit*, declarat per partes in sequentibus verbis: videntur autem haec esse, quibus oviculae egere solent; primo, pascua pinguia; secundo, aquae purae; tertio, ut reducantur, si forte erraverint; quarto, ut ducantur per commodas vias; quinto, ut a lupis, aliisque feris defendantur; sexto, ut fatigatae sustententur; septimo, ut si per tribulos, et saxa incedentes laedantur, refocillentur, et recreentur; denique, ut evoluto die, confectoque itinere, domum habeant, ubi requiescant. Haec omnia praestat abunde Deus electis suis, ac per hoc recte dicunt, *nihil mihi deerit*. Incipit David a primo, cum subjungit, *In loco pascuae, ibi me collocavit*, idest, non collocavit me in loco arido, vel deserto, sed in pascuis uberrimis, ubi salubrium herbarum maxima copia est. Particula, *ibi*, non habetur in hebraeo, neque est necessaria: addita est ab interprete graeco, et inde translata in latinam editionem, sed redundat. Porro pabula, sive pascua spiritualia rationabilium ovium Dei, quibus electi abundant, nihil sunt aliud,

http://www.obrascatolicas.com

nisi notitia Dei, Eucharistia, panis verbi Dei, Veritas ipsa. Haec enim est, quae vitam spiritualem sustentat, et auget.

2. *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

Attingit secundum, et tertium bonum oviculis necessarium. *Super aquam refectionis educavit me*, idest, non solum in loco herbis affluente collocavit me; sed etiam in loco vicino salubribus aquis; atque ita educavit, et aluit me optimo pabulo super rivos aquarum sito, ut possim ab aestu, et sitis ardore refrigerari. Parum refert, quod vox hebraea, מנוחות *menucboth*, et graeca ἀναπαύσεως, non tam refectionem, quam requiem significat. Idem enim est sensus. Qui enim salubribus aquis ardorem sitis extinguit, et requiescit, et reficitur. Spiritualis aqua, quae concupiscentiae ardorem rationabilium ovium restinguit, gratia Dei est, de qua Dominus in Evangelio, Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Nihil enim aeque reprimit carnalia desideria, quam gustus amoris Dei. Gustato enim spiritu desipit omnis caro. *Animam meam convertit*, hoc est tertium bonum, reductionis videlicet: neque enim potest homo suis solis viribus reverti ad Deum, sicut potest suis solis viribus averti. Ait igitur, bonus pastor errantem me quaesivit et reduxit, quod est beneficium magnum, atque electorum proprium, ut non sinantur errare perpetuo.

3. *Deduxit me super semitas justitiae, propter nomen suum.*

Quantum bonum commemorat. *Deduxit*, inquit, *me super semitas justitiae*, idest, ingredi fecit me per viam angustam praeceptorum suorum, ut juste viverem. Id vero fecit removendo occasiones peccandi, minuendo vires tentatoris, augendo charitatem, dulcescere faciendo justitiam, illustrando, inflammando, alliciendo, terrendo, aliisque innumerabilibus modis. Quos modos si adverteremus, non cessaremus omnibus momentis tam dulci pastori gratias agere, praesertim cum id faciat non propter merita nostra praecedentia, *sed propter nomen suum*, idest, *ut notas faciat divitias misericordiae suae in laudem gloriae gratiae suae*, ut dicit Apostolus Ephes. 1.

4. *Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Hoc est bonum quintum, defensio videlicet a lupis, aliisque sylvestribus feris. *Nam et si ambulavero in medio*, sive, ut habet hebraeus textus, בגיא צלמות *beghe tzalmaveth*, *in valle umbrae mortis*, idest, per loca tenebrosa, et periculis omnibus exposita ferarum, latronum, praecipitiorum, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Et vere incredibilis securitas est in corde diligentis Deum, dum recogitat, secum esse illum, cui nihil resistere potest. Frequentissima est in libris Prophetarum commemoratio *umbrae mortis*, quae proprie significat tenebras densas, quales adfert mors, quae privat omni lumine. Dicuntur enim caeci esse in tenebris, quia nihil vident, et multo magis mortui dicuntur esse in tenebris, quia nihil sentiunt. Hinc videlicet poetae loca mortuorum umbrosa, ac tenebris obsita esse dicunt. Hinc etiam scripturae sanctae passim conjungunt umbram mortis cum tenebris, ut unum per aliud explicetur. Job 3. *Obscurent eum tenebrae, et umbra mortis;* et cap. 1. *Ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine.* Isai. 9. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis*, ubi pro eodem accipitur, habitare in tenebris, et habitare in regione umbrae mortis. Quia vero loca tenebrosa multis periculis sunt exposita et non sine ingenti pavore per ea iter facere solemus, ideo David hoc loco dicit, *Et si ambulavero in medio umbrae mortis*, idest, in medio ingentium tenebrarum, ubi multa undique pericula circumstent, *nihil timebo, quoniam tu mecum es.*

5. *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

Sextum bonum explicatur, quod est sustentatio fatigati. Jam enim Propheta omissa similitudine ovium, loquitur proprie de hominibus: neque enim oves lassae sustentantur baculo; sed deferuntur in humeris pastorum. Et quamvis possent haec verba referri ad castigationem paternam, ut s. Augustinus fecit, tamen probabilius est ad litteram esse referenda ad sustentationem, ut ea referunt Theodoretus, et Eutymius. Nam vox hebraica, משענתך *mishantecha*, significat proprie, *fulcrum*, idest, *baculum fulcientem*, sicut etiam vox graeca βακτηρια, a sustentando deducitur, unde βακτηρευειν, est *baculo inniti*. Nisi placeat fortasse, virgam referre ad castigationem, et baculum ad sustentationem. Deus enim cum videt suos in via fatigari, lentiusque progredi quam par esset, utrumque adhibere solet, et verbum increpatorium, et consolatorium, ut altero excitet, altero sustentet. Sed utrumque tandem consolationem adfert, quoniam laetatur anima, cum videt profectum suum curae esse Deo.

6. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.*
7. *Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam praeclarus est!*

Hoc est bonum septimum, quod videlicet Deus electos suos in tribulationibus, quas in hac vita non possumus evadere, mirifice consoletur. Quare non est sensus horum versiculorum, quod Deus paraverit electis mensam, oleum, et vinum adversus hostes, quasi haec sint arma, quibus contra hostes pugnandum sit: sed sensus est Deum opponere tribulationibus magnis magnas consolationes, et sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines, sic ingeri a Deo suavitates, quae describuntur more humano, per similitudinem convivii, in quo sit mensa referta cibis optimis, adsit etiam unguentum pretiosum, quo aspergatur caput, nec desit vinum egregium, atque ad inebriandum, idest, exhilarandum aptissimum. Solebant enim veteres in magnis conviviis adhibere inter praecipuas delicias unguenta pretiosa, quod etiam servatum videmus in Evangelio Matth. 26. a sancta Maria Magdalena erga Dominum. Porro illa verba, *adversus eos, qui tribulant me*, clariora sunt in textu graeco et hebraico. Nam εξ εναντίας, graecum, et, נגד *neghed*, hebraicum, significant *e regione*, sive *ex adverso*, ut vertit s. Hieronymus. Proinde sensus est, e regione tribulationum, quas mihi ingerunt hostes mei spirituales, *tu parasti*, sive *ordinasti*, ut sonat verbum hebraicum, תערך *thaharoch*, consolationem ingentem, mensam videlicet opiparam. *Impinguasti caput meum oleo*, idest, unguento pretioso caput meum perfudisti, et sic exhilarasti faciem meam in oleo, et non deest ex gratia tua calix vini inebrians, et praeclarus, qui laetificet cor meum. Similis est sententia in 93. Psalm. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Et in Apostolo, 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Illud, *calix meus*, in textu Graeco est, *calix tuus*, et sic legunt Augustinus et Euthymius: sed in hebraeo habetur, כוסי *cosi*, *calix meus*, et sic etiam vertit s. Hieronymus. Probabile est, emendatiores codices graecos habuisse, τὸ ποτήριον μς, *calix meus*, quo modo legit s. Hieronymus in commentario, ubi exponit versionem septuaginta, et sic videtur legisse Theodoretus. Imo s. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam dicit, in editione septuaginta haberi, *calix meus*: et ex errore haberi in quibusdam codicibus, *calix tuus*. Proinde nostra lectio latina omnino retinenda est: sensus vero semper est idem. Calix enim ille et meus est, quia mihi datus; et Dei est, quia a Deo datus.

8. *Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitae meae.*
9. *Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

Hoc est ultimum bonum, quod perducit ad summum bonum. *Misericordia tua subsequetur me*, non ad tempus, sed perseveranter usque in finem, quod est donum proprium electorum. *Et ut inhabitem*, idest, et subsequetur me, *ut inhabitem in domo Domini*, in longitudinem dierum, idest, in aeternum. In hebraeo, et in graeco textu non habetur *ut*, sed solum *et*: contra autem nonnulli veterum, ut Augustinus, Hieronymus, Theodoretus in commentariis non legunt, *et*, sed solum, *ut*, et certe sine alterutro esset clarior lectio, nimirum sic, *misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae, ut inhabitem in domo Domini*, quomodo legunt patres; vel sic, *misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae, et inhabitabo in domo Domini*, quomodo vertit ex hebraeo s. Hieronymus: in his enim lectionibus nihil subaudiendum est. Tamen lectio nostra non est adeo obscura, ut non possit satis facile intelligi. Subauditur enim illud, *subsequetur*, quod paulo ante praecedit, nimirum, *misericordia tua subsequetur me, dum vivo*, ut recte vivam, *et subsequetur post hanc vitam*, ut in aeternum vivam. Quare s. Augustinus licet in textu non legerit, *et*, tamen in commentario addit, *etiam*, ut videatur illud subintellexisse. Porro pro voce, *inhabitem*, in hebraeo habetur, שבתי *Sciauti*, quod significat *redibo*. Caeterum septuaginta legisse videntur, ישבתי *iasciauti*, una literula addita, et sic recte verterunt, *ut inhabitem*; quomodo etiam legit s. Hieronymus, qui non vertit *redibo*, sed *inhabitabo*. Quare lectio hebraica post s. Hieronymi tempora depravata fuisse videtur.

PSALMUS XXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, prima Sabbati.

In hoc titulo pars illa, *prima sabbati*, non habetur in hebraeo, sed addita est a Graecis, fortasse quia in principio psalmi fit mentio creationis terrae, quae prima sabbati, idest, die Dominico facta est; vel quia solerent hunc psalmum die Dominico recitare. Quod quidam volunt additum esse, *prima sabbati*, quia illo die Dominus resurrexit, non mihi videtur probabile, cum hic psalmus non resurrectionem, sed ascensionem Domini manifeste praedicet: ascensionem autem non prima sabbati, sed quinta factam esse, notissimum est. Quod ad ascensionem hic psalmus proprie pertineat, testantur Cyprianus serm. de ascens. Hieronymus epist. 142. ad Damasum, Ruffinus in expositione Symboli, Gregorius Nyssenus, Joan. Chrysost. August. Leo, et alii in serm. de ascensione.

http://www.obrascatolicas.com

EXPLICATIO PSALMI XXIII.

1. *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Propositum Davidis est, ostendere ex innumerabili hominum multitudine solum Christum, et paucos alios, paucos inquam, si ad multitudinem aliorum conferantur, in domum Domini coelestem, et beatissimam intraturos: quare ne forte crederentur caeteri homines ad Deum non pertinere; sed ab alio aliquo principio creatos esse, quod postea Marcionistae, Manichaeique senserunt; praemittit hos duos versiculos, quibus docet, Deum Creatorem, ac Dominum esse totius orbis terrarum, et omnium rerum, quae in eo sunt. *Domini est terra et plenitudo ejus*, idest, et omnia quae in ipsa sunt, quaeque ipsam replent. Quod explicatur per alteram partem versiculi, *orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Declarat enim se, cum dixit, *Domini est terra*, intellexisse potissimum de terra habitabili, quae proprie dicitur תבל *tebel.* Hebraice, et graece οἰκουμένη, idest, orbis terrae habitabilis: et cum dixit, omnis plenitudo ejus, declarat, se intellexisse praecipue de hominibus, qui habitant in eo, non de caeteris rebus, quae in ipso sunt.

2. *Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina praeparavit eum.*

Probat Deum, Dominum esse orbis terrae, et omnium habitantium in eo, quoniam ipse fecit terram, et fecit eam supereminere aquis, ut esset habitabilis. Nam si vel aquis omnino careret, vel esset aquis undique cooperta, inhabitabilis esset. *Quia ipse*, inquit, *super maria fundavit eum*, idest, a fundamentis fecit orbem terrae, ac per hoc ex nihilo fecit, et fecit *super maria*, idest, ut superficies terrae esset altior superficie maris, et similiter *super flumina praeparavit eum*, idest, praeparavit orbem terrae ad habitationem hominum, et ideo fecit superiorem, et altiorem fluminibus; alioqui enim mare, et flumina terram obruerent, si altiora essent. Ex hoc autem, quod Deus terram habitabilem fecit, sequitur, ut sit etiam Dominus omnium hominum, tum quia homines ex terra facti sunt, et in terram revertuntur; tum quia terram incolunt, non ut Domini, sed ut coloni a Deo constituti, ut terram colant.

3. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?*

Cum omnes homines coloni, et servi Dei sint, et omnes pariter terram, quae Dei possessio est, incolant, *quis ascendet in montem Domini?* id est, erit ne aliquis ex tanto numero, et quis ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum, ubi proprie habitat Deus. Vocatur *mons Domini* (ut alias saepe diximus) domus coelestis, quae est vere sublimis, et sancta, de qua dicitur in alio psalm. 113. *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Qui hunc locum exponunt de monte Sion, qui erat in Jerusalem civitate Judaeae, videntur nullo solido fundamento niti posse, cum constet montem illum plenum fuisse hominibus omnis generis, ut plane ridiculum videatur de illo dicere, *quis ascendet in montem Domini?*

4. *Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

Respondet, quatuor conditiones requiri in eo, qui sit ascensurus montem Domini: prima est, ut sit *innocens manibus*, idest, nihil mali perpetraverit; altera, ut sit *mundus corde*, nihil mali cogitaverit, aut cupiverit; tertia, *ut non acceperit in vano animam suam*, idest, ut non frustra vitam a Deo acceperit, idest, non solum nihil mali fecerit, vel cogitaverit; sed etiam ea omnia bona cogitaverit, et fecerit, quae ad finem sibi a Deo constitutum obtinendum requiruntur: quarta, ut non juraverit dolose. Illud, *qui non accepit in vano animam suam*, aliqui detorquent ad juramentum, ut sequens particula sit explicatio superioris. Volunt autem legi, *qui non accipit in vano animam ejus*, idest, Dei; vel juxta puncta Rabbinorum, *qui non accipit in vano animam meam*, ut Deus loqui intelligatur. Verum haec expositio non videtur probabilis; tum quia sine causa Rabbini legi volunt, *animam meam*, cum vox hebraea habeat, נפשו *naphscio*, pronomen tertiae personae, non primae; et in tertia persona verterit s. Hieron. tum quia lectio illa, *animam meam*, נפשי *naphsci*, est omnino nova, et inaudita, cum Latini et Graeci hactenus in ea voce intellexerint relativum reciprocum, nimirum *animam suam*; tum denique, quia nomen Dei in vanum accipere, pro eo quod est falso jurare per Deum, habetur in Scripturis Sanctis, sed animam propriam, vel animam Dei in vanum accipere, pro falso jurare, nusquam legitur. Alii volunt animam suam in vano accipere, nihil esse aliud, nisi vana, idest, temporalia, et caduca cogitare et concupiscere: sed hoc jam comprehensum erat in illo *mundus corde*, et videtur coactum, et durum. Addidit vero Propheta quartam illam conditionem, de juramento doloso, ut in eo peccato, quod est unum ex maximis, cum sit pariter contra Deum, et contra proximum, comprehenderet omnia alia peccata, quae per instrumentum linguae committuntur: itaque is, qui dignus sit in montem Dei, idest, in coelum conscendere, debet undequaque esse perfectus, ita ut neque corde, neque voce, neque opere unquam deliquerit, et contra, bona omnia fecerit, quae ad ejus officium pertinebant. Hae vero conditiones non in alium, quam in Christum conveniunt. Is enim unus est, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ut dicitur 1. Petri 2. De reliquis, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, ut loquitur David in psal. 13. Et, *omnes nos quasi oves erravimus*, inquit Isaias cap. 53. Et Apostolus Paulus ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Proinde recte Dominus ipse ait Joan. 3. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* Reliqui sunt de terra terreni, ille solus de coelo, coelestis, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis per Ascensionem factus. Nec tamen sola persona Christi ascensura erat in montem Domini, sed ipse, et corpus ejus, quod est Ecclesia, quam lavit sanguine suo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, ad Ephes. 5. propterea sequitur:

5. *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.*

Hic, videlicet Christus, *accipiet benedictionem a Domino*, idest, copiosissima bona pro se, et *misericordiam a Deo salutari*, pro corpore suo quod est Ecclesia, cujus etiam respectu dicitur Deus salutaris ejus. Siquidem vita aeterna in regno coelorum, Christo justitia, fidelibus ejus misericordia est: nam etiamsi justi merentur ex condigno vitam aeternam; tamen ipsa eorum merita ex misericordia Dei nascuntur, et dona Dei verissime appellantur. Unde in psal. 102. dicitur, *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus*; et ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita aeterna.* In hebraeo habetur, *justitiam a Deo salutari suo*, et sic vertit s. Hieron. secundum quam lectionem totus hic versiculus Christo proprie conveniret. Tamen Septuaginta, qui verterunt misericordiam, videntur considerasse, justitiam in Scripturis aliquando accipi pro bonitate, imo etiam expresse pro misericordia, ut in psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus justitia ejus manet in saeculum saeculi.* Unde est illud in Evangelio Matt. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et mox: *Te igitur faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Itaque Septuaginta hoc loco non tam ad vocem, quam ad rem significatam respexerunt.

6. *Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Jacob.*

Hic jam manifestat Propheta illum unum innocentem manibus, et purum corde, qui ascendet in montem Domini, et accipiet benedictionem, et misericordiam a Deo, non esse solum caput, sed caput cum corpore, Christum cum Ecclesia. *Haec*, inquit, *est generatio quaerentium eum*, idest, iste, qui ascendet in coelum, est generatio quaedam hominum regeneratorum in Christo, quorum praecipuum studium est Deum quaerere, ad faciem Dei videndam anhelare, ad montem denique sanctum totis viribus niti. Et vere unum est, ac forte praecipuum signum electorum Dei suspirare ad patriam. Generatio enim filiorum hujus saeculi nihil minus quam Deum quaerit, nihil magis quam mortem horret; et si optio daretur, mallent in hoc saeculo semper vivere, quam dissolvi, et esse cum Christo. In textu graeco habetur, ἀυτὴ ἡ γενεὰ ζητῆν τὸν κύριον. *Haec est generatio quaerentium Dominum*, et sic legunt in commentario Hieronymus, Augustinus, Euthymius, et alii: tamen in hebraeo habetur, *quaerentium eum*, ut habet nostra editio Latina. Sensus omnino est idem: nam illud, *eum*, refertur ad Dominum, de quo dictum erat, *accipiet benedictionem a Domino.* Itaque septuaginta videntur explicasse pronomen, *eum*, quod est in Hebraeo. Quod sequitur, *quaerentium faciem Dei Jacob*, in Hebraeo est, *quaerentium faciem tuam, o Jacob.* Quo etiam loco Septuaginta explicuerunt sententiam obscuram textus hebraici, in quo subintelligitur, *Deus*, ut sensus sit, quaerentium faciem tuam, Deus Jacob: nisi forte per Jacob, in textu hebraico intelligatur coetus beatorum sive coelestis Jerusalem, et tunc in idem recidet, quaerere faciem Dei, et quaerere faciem Jacob. Quia nemo videt faciem Jacob, idest, coelestis patriae, qui non videat faciem Dei Jacob; cum totum negotium, totaque foelicitas illius beatissimi Jacob sit contemplari faciem Dei. Additur in hebraeo סלה, *sela*, idest, semper, quia non solum generatio haec Deum quaerit, sed semper Deum quaerit, idest, non fatigatur Deum quaerendo, neque sinit se abduci a quaerendo Deo, ut quaerat aliquid infra Deum.

7. *Attollite portas Principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.*

Cum praevidisset sanctus Propheta, inventum esse unum, qui ascendere dignus esset in montem Dei, idest, Christum, praedicit jam illum re ipsa ascensurum, et portas coeli aeternas illi aperiendas. Sed more poetico utitur prosopopeja, et alloquitur tum *principes coeli*, idest, Angelos, tum *ipsas portas*, ac jubet Angelis, ut aperiant, et portis, ut sinant se aperiri, imo sponte patefiant advenienti regi gloriae. Euthymius notat portas non aperiri, sed tolli, quia adveniente Rege solent portae civitatis auferri, et deponi in signum subjectionis. At non dicit David auferte portas, sed *attollite*, et non dicit portis, exite de medio, sed *elevamini.* Dicit igitur *attollite et elavamini*, quia portae coeli non sunt quasi in pariete, ut ad latera moveri debeant, sed quasi in tecto, vel laqueari ut sursum versus aperiendae sint. Unde etiam refellitur opinio eorum, qui volebant Prophetam loqui de domo aliqua in monte Sion terrestri, in quam introducenda erat Arca. In Hebraeo ad verbum, ut vertit s. Hieronymus, alloquitur Propheta solas portas, ac dicit, *attollite portae capita vestra, elevamini januae sempiternae, et introibit rex gloriae.* Dicuntur autem portae attollere capita, quando elevantur sursum versus, quia tunc attolluntur extremae partes earum, quae sunt in eis veluti capita. Et quamvis vox hebraea, ראשים *rascim*, significare possit non solum *capita*, ut vertit s. Hieronymus, sed etiam *Principes*, ut verterunt Septuaginta; tamen pronomen additum, quod Hebraei dicunt affixum, secundum communem phrasim hebraicam solet conjungi cum nomine immediate praecedente, et ideo illud ראשיכם *rasciechem*, deberet verti *capita vestra*, ut vertit s. Hieronymus, vel *principes vestros*, quod hoc loco non est ad propositum. Tamen quia septuaginta Interpretes

http://www.obrascatolicas.com

satis aperte, per ראשים *rascim*, intellexerunt *principes*, cum verterint, οἱ ἄρχοντες, et pronomen conjunxerunt cum nomine *portas*, dicendum est, vel in textu ipsorum pronomen affixum fuisse nomini, שערים *sceharim*, quod significat *portas*, non autem nomini, ראשים *rascim*, quod significat principes; vel posse pronomen affixum uni nomini, referri ad aliud nomen, quamvis rarissime, praeter regulam.

8. *Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.*

Introducit principes coelestis Jerusalem interrogantes, *quis sit ille rex gloriae*, non quod Angeli in die ascensionis Domini ignorarent Christum esse regem gloriae, sed ut exprimat admirationem, quam secum adferebat novitas illa, quod cerneretur verus homo corporalis ascendere super celos, non tamquam hospes, sed tamquam Dominus gloriosae, ac sempiternae civitatis. Respondet autem Propheta, regem gloriae esse Christum, Dominum fortissimum, et potentissimum, qui potentiam suam ostendit in praelio contra principem tenebrarum, quem devicit spoliavit, et alligavit.

9. *Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae.*
10. *Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.*

Fingit Propheta Angelos, qui coelo praesunt, quasi cunctari in aperiendis portis; et ideo rursus intonat, *attollite portas*, etc. quae non significant aliud nisi ingentem rei novitatem, quod corpus terrenum supra corpus coeleste, et caro humana supra ipsos Angelicos spiritur, cum incredibili totius naturae admiratione, et quasi stupore conscendat. Rursus igitur introducit Angelos interrogantes: *quis est iste rex gloriae*; quibus ipse respondet: *dominus virtutum*; *ipse est rex gloriae*. Audito autem nomine sibi notissimo, nimirum, *Dominus* virtutum, continuo aperiunt, et regem gloriae laeti suscipiunt. Dominus virtutum, in hebraeo est יהוה צבאות Adonai, *tsebaoth*, quod s. Hieronymus vertit *Dominum exercituum*. Quod nomen in prophetis frequentissimis tribuitur Deo, neque est commune Diis per participationem, sed proprium soli Deo proprie dicto, tum quia continet nomen quatuor literarum, proprium soli Deo vero, tum quia praeest exercitibus Angelorum, qui sunt pene innumerabiles, et potentissimi; et etiam quia soli Deo vero militant omnes creaturae. Nam ut habemus in psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus*, idest, pugnant ad imperium ejus. Expertus est quidem Pharao Deum esse Dominus exercituum, cum non solum per Angelos, sed etiam per minutissima animalia contra eum pugnaverit, videlicet per ranas, muscas, et culices; nec solum per animalia, sed etiam per res inanimatas, grandinem, ignem, tenebras, morbos, et similia. Porro translatio Septuaginta, qui verterunt, *Dominus virtutum*, in idem recidit. Nam per virtutes non intelliguntur virtutes morales, quae dicuntur ἀρεταί, sed vires, et potentiae, quae dicuntur δυνάμεις. Itaque *Dominus virtutum*, est Dominus virium, et potentiarum, quales sunt praecipue castrorum acies ordinatae. In vulgari etiam sermone exercitus armati dici solent, *les forces*. Ex his habemus, Christum dominum vere, ac proprie esse Deum, non creaturam, ut Ariani, aliique permulti haeretici voluerunt. Nam in hoc psalmo dicitur *Dominus virtutum*, sive *exercituum*, quod nomen in tota Scriptura sacra soli Deo tribuitur, necnon *rex gloriae*, idest, rex coelestis Jerusalem, quae est regio quod sine dubio soli Deo vero convenire potest. Additur in hebraeo סלה *Sela*, semper, ut significetur, Christum regem esse gloriae, non ad tempus, sed in omnem aeternitatem.

PSALMUS XXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

In hebraeo non habetur, *in finem*, sed solum, *psalmus David*: et non multum refert sive Septuaginta addiderint illud, in finem, sive exciderit ex textu hebraico. Hic psalmus est primus ex alphabeticis: habet enim tot versiculos, quot sunt literae alphabeti, nimirum viginti duos, et incipit primus versiculus a prima litera alphabeti, secundus a secunda, et sic deinceps. Una excepta litera, a qua nullus versus incipit, videlicet Caph, sed ut damnum hoc resarciatur, in fine psalmi post ultimam literam ponitur alius versiculus incipiens a litera phe; atque ita duo versiculi incipiunt a litera phe. Quid hujus rei causa fuerit, difficile esset divinare. Similes psalmi alphabetici sunt 33. 35. 110. 111. 118. et 144. Cur alphabetici scribantur psalmi, nulla melior occurit ratio, quam ut consulatur memoriae. Argumentum psalmi est oratio devotissima, qua petitur remissio peccatorum, et gratia bene vivendi. Convenit autem haec oratio homini incipienti despicere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis.

EXPLICATIO PSALMI XXIV.

1. *Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.*

In hoc versiculo, qui est unus apud Septuaginta, quia continet integram sententiam, sunt duo secundum Hebraeos: incipit enim secundus ab illis verbis, *in te confido*, quia ibi ponitur secunda litera alphabeti. *Ad te Domine levavi animam meam*, idest, non inveniens in creaturis ullis quietem, sed ubique spinas, et tribulos, pertaesus vitae prioris, animam meam abstractam ab effectu, quo inhaerebat terrae, ad te levavi, tibi per cogitationem assiduam, et amorem a te inspiratum inhaerere coepi; a te auxilium contra tentationes expecto, et quia *in te confido, non erubescam*, idest, non recedam a te confusus, auxilio non impetrato, ita et cogar erubescere coram inimicis meis. In textu graeco additur εἰς τὸν αἰῶνα, in aeternum, sed id non habetur in hebraeo, neque legitur a s. Hieronymo, s. Augustino, et Theodoreto in commentariis, sed a solo Euthymio ex veteribus. Itaque recte non est receptum in editione latina.

2. *Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.*

Explicat quod dixerat, *non erubescam*, quia tunc erubesceret si irrideretur ab inimicis, tamquam frustra sperasset in Deo. In hebraeo, יעלצו אויבי לי אל *al iahalzu oiebai li* habetur, *Neque exultent inimici mei*; sed idem sensus est, siquidem exultatio inimicorum species irrisionis est, per inimicos autem intelligi possunt tum homines mali, tum etiam daemones, quorum exultatio, et irrisio intolerabilem confusionem pareret, si eam serio cogitaremus. Reddit postea causam, cur omnino confidat se non confundendum, *quoniam*, inquit, *universi, qui sustinent te, non confundentur*. id est, quia longo experimento, exemplis nostrorum majorum, et ex ipsis verbis tuis didicimus neminem confundi, neque a spe sua excidere ex iis, qui te sustinent, idest, qui in te confidentes patienter auxilium tuum expectant. Sustinere Dominum in Scripturis frequentissimum est, et significat expectare Dominum cum certa spe auxilii.

3. *Confundantur omnes iniqua agentes, supervacue.*

Duplicem sensum hic versiculus habere potest, primo enim sensus esse potest, ut significetur: confundendos eos, qui sine causa peccant, idest, ex ignorantia, vel infirmitate; sed ex malitia. Isti enim non cogitant de poenitentia, neque de peccato abjiciendo; et ideo, si forte sperant aliquid a Deo, spes eorum praesumptio est. Ita Theodoretus, et Euthymius. Potest etiam esse alius sensus, fortasse magis litteralis, ut significetur, confundendos inimicos justorum tum visibiles, tum invisibiles, quia frustra inique agunt dum vexant homines justos: non enim consequuntur finem sibi propositum, nimirum et justos perdant, et ad gehennam perducant: cum e contrario illa vexatio sit eis virtutis exercitatio, et meritum gloriae sempiternae. Retorquet igitur Propheta confusionem in hostes, quasi dicat, Ne sinas Domine, ut ego confundar, quod fieret, si inimici mei irriderent, et de perditione mea exultarent, sed contra confundantur ipsi, dum cernunt, se supervacue ac frustra inique egisse, ut me ad impatientiam provocarent.

4. *Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.*

Per vias Domini intelligimus legem Domini quae vere est via, qua itur ad Deum. *Nam si vis ad vitam ingredi*, Dominus ait, Matth. 19. *serva mandata*. Cum itaque postulasset Propheta auxilium Domini contra tentationes, explicat quod auxilium potissimum habere desideret, atque ait, *Vias tuas Domine demonstra mihi*, idest, fac me ambulare per vias praeceptorum tuorum: *et semitas tuas edoce me*, idest, ostende mihi angustum iter justissimae legis tuae: sic enim evadam omnes irrisiones inimicorum, et non ego confundar, sed confundentur ipsi, qui frustra me suis tentationibus exagitant. Porro cupit doceri legem Domini, non quoad intelligentiam speculativam, sed quoad praxim, id est, cupit gratiam, quae persuadeat voluntati, ut libeat implere mandata.

5. *Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.*

Idem repetit, et addit rationem. *Dirige me*, inquit, *in veritate tua*, idest, ex me facile declino ad dexteram, vel ad sinistram, deserens viam mandatorum tuorum, propter temporales prosperitates, vel adversitates, ideo tu dirige me ducens auxilio gratiae tuae per viam rectam in veritate tua, idest, in lege tua, quae verissima via est. *Nam omnia mandata tua veritas*, psalm. 118. *Quia tu es Deus Salvator meus* idest, ideo a te auxilium hoc peto, quia tu solus, qui Deus es, potes salvare animam meam. Non est enim alius medicus, qui noverit curare morbos animarum, et multo minus qui possit sanitatem perfectam reddere, nisi Deus: et praeterea hoc a te peto, et spero impetraturum. quia te sustinui tota die, id est, perseveranter, et patienter expectavi medicinam tuam, neque aliunde consolationem accipere volui. Magni meriti est apud Deum, tempore tentationis non deficere a spe coelestis auxilii, neque humanas consolationes requirere.

6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.*

Quando Deus sinit animam tentationibus agitari, vel in peccatis haerere, videtur oblitus misericordiae suae; ideo justus diu luctatus cum tentatione, vel videns se non posse liberari a lapsu in peccata, quod summopere cupit, clamat ad Deum, ut recordetur miserationum, et misericor-

http://www.obrascatolicas.com

diarum suarum antiquarum. Inter miserationem, et misericordiam hoc interest, quod miseratio significat actum miserendi, misericordia habitum virtutis, et idem fere discrimen invenitur in verbis hebraicis, quamvis sint magis dissimilia inter se, quam latina. Quod hic habemus, *miserationes*, in hebraeo est רחמיך *rachameca*, quod amorem, et viscera paterna proprie significat, unde est illud psal. 102. *Sicut miseretur pater filiorum*, quod autem hic habemus, *misericordias*, in hebraeo est, חסדיך *chasadecha*, quod pietatem et probitatem, ac misericordiae virtutem significat. Itaque sensus est, recordare Domine, te ab aeterno misericordem fuisse, nec solum misericordem, sed etiam misereri solitum; et viscera paterna exhibere erga filios tuos. Proinde hoc tibi esse proprium et naturale. Illud, *quae a saeculo sunt*, in hebraeo, כי מעולם המא *chi meholam hemma*, et graeco est ἀπὸ τς ἀιῶνος εἰσίν, quia a saeculo sunt, et sic legunt s. August. et Theodoretus. Tamen s. Hier. in commentario, et Euthymius legunt, ut nos habemus, *quae a saeculo sunt*; ex quo apparet, textus graecos et latinos olim fuisse varios. Sensus est idem, sive dicamus, reminiscere, quod ab aeterno misericors es, sive reminiscere misericordiae tuae, quae ab aeterno est.

7. *Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris.*

Pulchre opponit reminiscentiae oblivionem, quasi dicat, reminiscere misericordiae tuae, et obliviscere peccatorum meorum. Nam unum est causa alterius: tunc enim Deus reminiscetur misericordiae suae, quando non vult amplius reminisci peccatorum nostrorum; sed ea remittit, ac delet, ac si aeternae oblivioni mandentur. Commemorat autem peccata juventutis et ignorantias, idest, delicta commissa ex infirmitate, et ignorantia; tum quia istis magis, quam aliis convenit misericordia, juxta illud Apostoli, 1. Timoth. 1. *Misericordiam consequutus sum quia ignorans feci*, quia forte David non alia peccata habebat: et haec oratio justi hominis est, cui cum peccatis levibus certamen est; tum etiam quia, ut notat Eutymius, peccata ex malitia non remittuntur per solam orationem, sed dignis poenitentiae fructibus indigent. In hebraeo non habetur ignorantias meas, sed, פשעי *Pesciahai*, idest, *scelera mea*. Quia vero septuaginta verterunt, ἀγνοίας, idest, *ignorantias*, et de eorum eruditione, et fide dubitare non possumus, et re vera magis congruit cum peccatis adolescentiae ignorantia, quam scelus; cogimur dicere vocem hebraicam generalem esse, et tam scelera, quam peccata leviora significare.

8. *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.*

Declarat, quod dixerat, reminiscere misericordiae tuae, et obliviscere delictorum meorum. Hoc enim totum fit, cum Deus recordatur hominis peccatoris secundum misericordiam suam.

9. *Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

Confirmat ipse se in spe impetrandi, affirmans Dominum bonum, et justum esse; et ideo libenter corrigere solere delinquentes. Sic enim exercet misericordiam ergo hominem, et justitiam erga hominem, et justitiam erga peccatum. Pro, *dulcis*, in hebraeo est, טוב *to*, quod proprie bonum significat: et in graeco quoque χρηστὸς, bonum potius, quam dulcem significat. Proinde illud, *dulcis*, quod est in nostra editione latina, pro bono, accipiendum est pro *legem dabit*: in hebraeo est, יורה *jore*, id est, *docebit*, et in graeco νομοθετῆσαι, idest, *legislatorem*, seu *praeceptorem se exhibebit*. Itaque non est sensus, Deum legem dare quomodocumque, sed legem dare eam docendo, et persuadendo, ac per hoc faciendo, ut observetur. Respondent enim haec verba verbis superioribus, *vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, dirige me, in veritate tua, et doce me*. Quod enim petebat, nunc affirmat, Deum concedere solitum esse. Hic igitur est sensus, *dulcis et rectus Dominus est*, et ideo amat homines, et odit peccata; ac propterea legem suam demonstrat, ac persuadet delinquentibus in via hujus vitae, ut ipsi etiam ex iniquis, et malis, justi et boni efficiantur.

10. *Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.*

Declarat quod dixerat, *legem dabit delinquentibus*, ac dicit non de omnibus delinquentibus id esse intelligendum, sed solum de mansuetis, et mitibus, qui non resistunt Domino docenti, imo cupiant doceri. *Diriget*, inquit, *mansuetos in judicio*, idest, ducet per viam rectam legis suae (quae judicium etiam in Scripturis appellatur, ut diximus in explanatione psalmi 18.) homines humiles et mites. Deinde hoc ipsum declarat aliis verbis, dicens, *docebit mites vias suas*, id est, mitibus dabit gratiam cognoscendae et amandae, ac per hoc implendae legis. Hoc loco annotandum est, non excludi superbos omnino a gratia Dei, sed ordinem assignari. Superbi siquidem non sunt perfectionis capaces, de qua proprie agitur in hoc psalmo, nisi prius timore concepto poenitentiam agant, et tumore deposito mites humilesque reddantur. Itaque primum gratia Dei superbos, atque obstinatos emollit, et conterit, deinde contritis, et humiliatis demonstrat vias suas, et dirigit eos in judicio.

11. *Universae viae Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.*

Addit ad id quod dixerat, non solum a Deo dirigi mansuetos, sed omnia opera Dei erga tales homines esse misericordiam et veritatem, idest, misericordiam et justitiam, quatenus justitia accipitur pro fidelitate et veritate, quae quod promittitur implere facit. *Viae Domini* hoc loco vocantur opera Dei, quibus Deus ad nos quodammodo venit; nisi forte magis placeat, per vias Domini intelligere morem Dei sive regulam, et quasi legem, qua Deus utitur. Itaque via Domini semper significat legem, quam nobis dat, ut per eam, quasi per viam rectam ascendamus ad ipsum; aliquando legem qua ipse utitur, cum per opera descendit ad nos. Et quia jam multa dixerat David de via Domini priore, idest, de lege nobis data: nunc adjungit aliquid de via Domini posteriore, idest, de lege, quam ipse sibi posuit, et quam servat erga nos. Ergo inquit, *universae viae Domini, misericordia et veritas*, id est, lex sive regula, sive modus procedendi Dei consistit in misericordia, et veritate, ut misericorditer promittat, et fideliter impleat quod promisit. At cum quibus utitur Deus hac lege? cum *requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus*. Vocat testamentum Dei pactum illud, quod fecit cum hominibus, quando legem dedit, ut ipsi sint populus ejus, et ipse Deus eorum. Quod quidem pactum vocatur etiam in Scripturis testamentum, quia continet promissionem haereditatis, et quia morte testatoris confirmandum erat, sicut re vera confirmatum est in morte Christi, in cujus rei signum Moyses aspersit sanguinem in populum dicens, *hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*, Exod. 24. et Hebr. 9. Vocat autem testimonia Dei, ipsam legem, quam Deus dedit, quoniam ut alias diximus, per legem testificatur nobis Deus voluntatem suam. Cum illis igitur Deus utitur lege misericordiae et veritatis, qui requirunt pactum cum Deo initum, ut illud observent, et similiter requirunt legem Dei, ut eam impleant, idest, cum hominibus bonae voluntatis, Deum timentibus, et diligentibus. In hebraeo habetur pro voce testamentum, ברית *berith*, quod proprie pactum significat. Sed septuaginta vertere solent διαθήκην, idest, testamentum, propter rationem jam dictam. Sic etiam pro voce, *requirentibus*, in hebraeo est, נצרי *nozere*, custodientibus: sed idem est sensus. Qui enim requirunt pactum, quod forte jam obliti erant, ad hoc requirunt, ut custodiant.

12. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.*

Ex universali lege, qua Deus utitur erga timentes se, colligit propheta bonam spem se habere posse de remissione suorum peccatorum. *Propter nomen tuum Domine*, idest, ut manifestetur misericordia et veritas tua, *propitiaberis peccato meo, quod multum est*. Potest autem dici multum, vel propter multitudinem, sicut dicitur multus populus, juxta illud apostoli Jacobi cap. 3. *in multis offendimus omnes*: vel propter magnitudinem, et gravitatem; quia viri sancti etiam parva peccata, magna existimant, et vere magna sunt, si magnitudo ejus, qui offenditur, consideretur.

13. *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.*

Facit propheta more amantium, qui nunc suspirant ad rem amatam, nunc eam laudant, nunc itérum suspirant. Amat vir justus gratiam Dei, cupiebat remissionem peccatorum, donum recte vivendi et placendi Deo, ideo nunc hoc ipsum petit; nunc laudat gratiam istam et foelicitatem enarrat timentium Deum; idest, eorum qui gratiam istam consequuti sunt, nunc revertitur ad hoc ipsum desiderandum et postulandum. Itaque in hoc versiculo; et duobus sequentibus narrat bona, quae assequuntur timentes Deum. *Quis est*, inquit, *homo qui timet Deum?* quasi dicat, nunc prodeat in medium homo vere timens Deum et audiet ex me suam foelicitatem. Quod sequitur, *legem statuit ei in via, quam elegit*; multi volunt esse initium foelicitatis, quam propheta enarrandam suscepit, quasi dicat, iste timens Deum, hoc in primis habebit, quod Deus eum instruet de lege sua in via, quam elegit, idest, in statu vitae quem elegit. Ita Theodoretus et Euthymius. Non rejicio expositionem; sed magis litteralem puto aliam, quam insinuant Hieronymus et Augustinus. Est enim consuetudo prophetae idipsum in eodem versiculo bis repetendi vel declarandi in una parte versiculi quod in altera dictum est. Hunc igitur sensum esse existimo, *quis est homo qui timet Deum?* Quis, inquam, est ille, quem Deus instruxit de lege sua in via, quam ipse homo elegit; idest, in recto itinere bene vivendi et eundi ad Deum, quod ipse voluntarie jam elegit, sic enim una pars versiculi declarat alteram. Ille enim est homo timens Deum, qui dono Dei elegit viam, qua itur ad Deum quae est observatio mandatorum. Illa verba *legem statuit ei*, in hebraeo, יורנו *jorennu*, et graeco νομοθετήσει unicum tantum verbum est, quod significat docere, instruere, praecipere, praeceptorem se exhibere et similia. Itaque verti poterat, quis est ille, quem Deus docuit? proinde *legem statuit ei*, significat, legem dedit in corde ejus, idest, instruxit et docuit eum. Et pronomen *ei*, explicandum est (ut sanctus Hieronymus facit) per relativum, quem, vel cui, idest, quem docuit de lege vel cui dedit legem in corde. Haec enim est recta interpretatio verbi hebraici.

14. *Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus haereditabit terram.*

Haec est foelicitas timentis Deum, quod *anima ejus*, idest, ipse timens Deum *in bonis demorabitur*, idest, bonis fruetur non ad breve tempus, aut per transitum, sed permanenter, et stabiliter. Quae sententia verissima est: nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut ait Apostolus ad Rom. 8. Proinde timens Deum semper fruetur bonis, quia si res bene cedent, fruetur bono prosperitatis; si contra, fruetur bono patientiae et spe magni praemii in regno coelorum. Ita semper erit laetus. Nec ipse solum in bonis morabitur, sed etiam filii ejus propter ipsum haereditabunt terram, idest, terram possidebunt. In Scripturis enim, ut exposuimus in psal. 15. pro eodem accipitur haereditare et possidere. Dicuntur autem filii timentium Deum possessuri terram, quia pacifice habitabunt in terra, et nemo eis nocebit, in eo sensu, quem attigimus; quia bonis omnia cooperantur

http://www.obrascatolicas.com

in bonum, et ipsae tribulationes convertentur in gaudium.

15. *Firmamentum est Dominus timentium eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.*

Haec est ratio, cur timentes Deum in bonis semper morentur, quoniam non innituntur rebus caducis, et perituris, sed Deus ipse est firmamentum eorum idest, in Dei amicitia, et auxilio fundatas habent spes suas. In hebraeo est, סוד *Sod*, quod secretum significat, et ideo s. Hieron. vertit, secretum Domini timentibus eum, supple, *revelatur*. Sed septuaginta videntur legisse, יסוד *jesod*, *fundamentum*, una literula addita, quae facili negotio ex textu hebraico temporis progressu excidere potuit. Et sine dubio melius congruit hoc loco fundamentum, sive firmamentum quam secretum. Cur autem timentes Deum jure innitantur Deo, ut solidissimo fundamento ratio est, quia *testamentum*, idest, pactum Domini, hoc eis manifestat; quia enim timentes Deum optime norunt, et saepe recogitant, Deum pepigisse foedus cum hominibus, ut sit eorum Deus, et quasi amantissimus parens, si ipsi leges ejus servaverint; ideo ex hoc pacto intelligunt in Deo tamquam in firmissimo fundamento, quiescere posse. Haec est sententia hujus loci, sed quia verba latinae editionis obscura sunt, ex verbis graecis dilucidanda erunt. Vox illa *testamentum* nominativi casus est in graeco, videlicet διαθήκη, et sic etiam intelligi debet in hebraico, et latino. Illud, *ut manifestetur illis*, in graeco δηλώσει αὐτοῖς, *manifestabit eis*, idest, pactum Domini manifestabit timentibus Deum, quod Dominus firmamentum eorum sit, idest, ex pacto illo cognoscent Dominum esse firmamentum timentium se. In eumdem sensum exponi possunt verba hebraica, וברית להודיעם *ubritho lehodiham*, *et pactum ejus ad docendum eos*: sic enim est ad verbum, et sensus est, et pactum Domini erit ad docendum eos, idest, docebit eos, quod Dominus firmamentum sit timentium se. In eumdem igitur sensum oportet etiam accommodare verba latina. Et testamentum ipsius ut manifestetur illis, idest, testamentum sive pactum ejus supple faciet, ut manifestetur illis id quod paulo ante dictum est, videlicet Deum esse firmamentum timentium se.

16. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Laudata paulisper foelicitate timentium Dominum revertitur ad eam optandam et petendam: oculi mei semper ad Dominum, idest, assidue respicio mentis oculis Deum tamquam ab illius auxilio totus pendens. Efficacissimum orandi genus est, habitu miserabili respicere eum, a quo auxilium speres, et magis inopiam ostendendo, et modeste tacendo, quam odioso clamore benignitatem divitis implorare. *Sicut oculi ancillae*, ait idem Propheta in psalm. 132. *in manibus Dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, idest, ideo tam intente in Deum respicio quoniam ipse tandem, ut spero, liberabit me ab omni periculo tentationum quae veluti laquei ubique nobis in hac vita insidiantur. Posset etiam illud, *oculi mei semper ad Dominum*, referri ad intentionem semper Deo placendi, neque ullo modo aliquid admittendi contra ipsius voluntatem. Posset quoque referri ad contemplationem divinae pulchritudinis, quam semper ob oculos habent, qui serio diligunt Deum. Sed prima explicatio videtur maxime litteralis.

17. *Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego.*

Quia ipse Deum semper respicit, merito petit, ut respiciatur a Deo: hoc enim est, quod tacite petebat, cum oculos intentos in Deum habebat, nimirum ut misericorditer respiceretur ejus solitudo et paupertas. Dicit se *unicum* idest solum et desolatum, vel quia re vera destitutus fuisset ab amicis, et cognatis; vel quod magis probo, quia ipse se animo ab aliis omnibus separaverat, et in Deo solo spem omnem posuerat. Dicit autem *pauperem*, quia humilis erat, et se virtutibus, ac meritis vacuum arbitrabatur.

18. *Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt, de necessitatibus meis erue me.*

De tentationibus peccatorum hunc locum intelligo potius, quam de temporalibus adversitatibus. Erat enim et hic unus ex illis, qui cum Apostolo gemunt, et dicunt, Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*, etc. et, *miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Necessitates autem, a quibus liberari cupit, videntur esse molestissimae illae concupiscentiae, quae velimus, nolimus, nos vexant, et aliquando in peccatum pertrahunt. *Multiplicatae sunt*, in hebraeo habemus, הרחיבו *hirchibu dilatatae sunt*. Sed quoniam verbum Hebraicum, צרות *tsaroth*, angustias proprie significat, pro quo nos habemus tribulationes, et angustiae, cum dilatantur, desinunt esse angustiae; ideo ad tollendam ambiguitatem septuaginta prudenter vertunt, non ut verba sonant, *angustiae dilatatae sunt*, sed ut sensus erat, *tribulationes multiplicatae sunt*. Siquidem hoc loco dicuntur angustiae dilatatae, non quia perierunt, sed quia creverunt. Quod enim dilatatur, utique crescit. Posset etiam fieri, ut septuaginta non legissent, הרחיבו *hirchibu. dilatatae sunt*, sed, הרבו *hirbu, multiplicatae sunt*, demptis duabus litteris. Sanctus etiam Hieronymus eodem modo vertit *tribulationes multiplicatae sunt*: proinde si corrupta sit hebraica lectio, post tempora s. Hieronymi corrupta est.

19. *Vide humilitatem meam, et laborem meum et dimitte universa delicta mea.*

Pergit in oratione, ac petit sibi remitti peccata, in quae aliquando tentatione vincente prolabitur. Quamvis enim affligatur timens Deum, et multum

laboret resistendo concupiscentiis, tamen septies in die cadit justus; sed hinc etiam justum esse probatur, quod sordes, quas minus caute ambulando contrahit, studiose flendo, et orando abluit. Per humilitatem hoc loco non intelligit virtutem humilitatis, sed abjectionem, et vilitatem: vilescit enim sibi vir justus vehementer, cum immaculatus esse cupit, et tamen sordes non evadit. Pro verbo dimittere, in hebraeo est, שא *Sa*, quod s. Hieron. recte vertit, *porta*; *porta*, inquit, *omnia peccata mea*, et quamvis sensus sit idem, tamen habet nescio quam vim illud, *porta*: significat enim timorem quemdam, sive sollicitudinem hominis amantis Deum ne forte Deus multitudine peccatorum offensus ad iram provocetur: ideo clamat, *porta omnia peccata*, quasi dicat, etsi multa sint, tamen non fatigeris ignoscere, supporta imbecillitatem meam.

20. *Respice inimicos meos: quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.*

Ab alio loco ducit argumentum, videlicet a multitudine, et crudelitate hostium, quasi dicat, vidisti Domine humilitatem, et laborem meum, vide etiam hostium meorum spiritualium multitudinem et crudelitatem, atque iniquitatem. Hostes qui nos ad peccata pertrahere tentant, et ignitis jaculis concupiscentiam accendere non cessant. Daemones sunt, quos *spirituales nequitias* Apost. Ephes. 4. vocat: eos innumerabiles esse notum est, nec minus est notum odio iniquitatis, idest, odio iniquissimo in nos ardere. Dicitur odium iniquum sive iniquissimum, cum quis alium sine caussa odit, a quo videlicet nullam accedit injuriam. Potest etiam dici odium iniquum vel iniquissimum, cum quis alteri nocere studet, solo studio nocendi, non ut ipse inde aliquid lucretur. Tale omnino est odium diaboli erga genus humanum, ac potissimum erga electos: neque enim homines diabolo injuriam ullam fecerunt, sed ille ab initio invidentia excaecatus, hominem perdidit. *Invidia diaboli*, inquit Sap. cap. 2. *mors intravit in orbem terrarum*. Et nunc fideles tentationibus exagitat, non ut ipse commodum reportet, sed quia delectatur in perditione justorum.

21. *Custodi animam meam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.*

Cum tot hostibus, ac praesertim invisibilibus circumdatus sim, non sufficio meis viribus illis resistere; ideo ad te recurro, ut tu custodias animam meam, et custodiendo liberes, et eruas de manibus eorum. Nam non solum dicuntur liberari, et erui de manibus hostium, qui jam capti sunt, sed etiam qui muniuntur, ne capiantur; et qui sine dubio caperentur, nisi adjuvarentur. *Eruisti me*, inquit, idem Propheta psal. 93. *ex inferno inferiore*, idest, fecisti, ne caderem in infernum inferiorem. Potest etiam sensus esse, custodi animam meam in hoc carcere corporis, in quo captivus detineor, nam lex membrorum captivum me ducit in lege peccati, Rom. 7. et postea, suo tempore erue me.

22. *Innocentes et recti adhaeserunt mihi quia sustinui te.*

Quia dixerat in praecedenti versiculo, *non erubescam quoniam speravi in te*, adjungit rationem, cur timeat erubescere, si a Deo deseratur. Et ratio haec est, quoniam multi *innocentes et recti*, exemplo ipsius commoti adhaerebant illi, ob id potissimum, quod videbant eum sperare in solo Deo. Qui certe cogerent eum erubescere, et confundi, si a spe sua frustraretur. Quare illud *non erubescam*, aliter accipitur in principio psalmi, aliter hoc loco. Nam in principio psalmi sensus erat, non erubescam coram inimicis irridentibus; hoc loco sensus est, non erubescam coram amicis diligentibus, et dolentibus. In hebraeo habetur ad verbum וישר יצרוני תם *thom vaioscier itseruni*, *innocentia et rectitudo conservabunt me*: sed non est inusitatum, ut abstractum sumatur pro concreto, et futurum pro praeterito, idest, *innocentia et rectitudo*, pro innocentibus et rectis et conservabunt, pro conservarunt. Sed pro voce hebraica, יצרוני *itseruni*, quae significat conservabunt me, sive conservarunt me, videntur legisse septuaginta, יצרוני *itsoruni*, unico puncto mutato, quae vox deducitur, a צרר *tsarar*, et significat *alligabunt*, sive *alligaverunt se mihi*, quod est idem cum eo, quod septuaginta verterunt, *adhaeserunt mihi*. Recta igitur est interpretatio graeca, et latina, sed Rabbini non recte legerunt dictionem hebraicam, et ideo non recte puncta omnia subjecerunt.

23. *Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.*

Quoniam David non solum unus erat de populo Dei, sed erat etiam princeps, et caput aliorum, ideo posteaquam oravit satis diu pro se, adjungit orationem pro toto populo suo et orationem generalem, quoniam non facile poterat descendere ad singularum personarum necessitates, et angustias. *Libera*, inquit, *Deus Israel ex omnibus tribulationibus:* Ubi vox illa Israel, est in casu accusandi, ut cognoscitur ex articulis additis in codicibus hebraicis, et graecis. Sensus igitur est, non mihi satis est, si solus ab angustiis meis liberer, sed peto etiam, ut liberes Israelem, populum scilicet Israeliticum ab omni genere tribulationum.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem Psalmus David.

In hebraeo non habetur pro titulo nisi simplex nomen *David*, seu potius *Davidi*. Argumentum vero idem est, quod psalmi septimi. Cum enim David gravissimis calumniis accusaretur, quasi regnum invadere appeteret, et propterea exulare, et latibula quaerere cogeretur: scripsit hunc psalmum in quo Deum innocentiae suae testem adducit, eumdemque Deum pro liberatione sua precatur.

EXPLICATIO PSALMI XXV.

1. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor.*

David cum rege causam habens, Deum quodammodo appellat, qui rex regum est: neque enim alius erat tunc in terris, quem appellare posset. *Judica me Domine*, idest, sis tu Domine judex meus, non sinas a Saule me judicari, sed assume tu hoc judicium. *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, idest, audacter provoco ad judicium Dei, quoniam conscientia mea, quam solus Deus videt, me non reprehendit, nam in innocentia ambulavi, idest, innocenter vixi. *Et in Domino sperans non infirmabor*, idest, in Dei justitia confidens, non deficiam in hoc judicio, sed praevalebo. Illud, *non infirmabor*, hebraice est, לא אמעד *lo emhad*, *non deficiam*, sive, *non vacillabo*; proinde, non infirmabor, significat, non ero infirmus ac debilis, ut causa eadam.

2. *Proba me Domine et tenta me, ure renes meos, et cor meum.*

Quia dixerat se innocenter vixisse, probat hoc Dei testimonio, qui falli et fallere nequit: non enim Deo dicitur, *proba et tenta*, quasi ipse aliquid ignoret, sed ut aliis nota faciat, quae ipse solus videt. Itaque s. David fretus bona conscientia et sinceritate cordis sui, dicit Domino, *proba me et tenta me*, idest, explora diligenter, an ita sit, inspice intimos et profundissimos recessus cordis mei; quin etiam, *ure renes meos et cor meum*, idest, examina cogitationes, et appetitiones meas, ea diligentia, qua probatur aurum, cum igne examinatur. Non enim hoc loco, ut ego quidem existimo, petit David probari se ac tentari per adversitates, vel renes suos et cor suum aduri igne tribulationum, cum potius contra liberationem ab adversis in hoc psalmo petat; sed postulat, ut dixi, probari se ac tentari per exactam explorationem, et inspectionem, et quia Deus omnia exactissime videt, et perspicit, sententia hujus loci est, ut Deus notam faciat hominibus innocentiam servi sui, et calumnias inimicorum re ipsa, et factis refellat.

3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos, est, et complacui in veritate tua.*

Reddit causam, cur velit probari et tentari, quoniam conscientia ejus bonum illi testimonium dabat, quasi dicat, peto, ut probes me, quoniam per vias tuas ambulavi, nam *omnes viae tuae misericordia et veritas*: psalm. 24. *Et misericordia tua ante oculos meos est*, idest, semper aspicio et considero misericordiam tuam, ut illam imiter et juxta eam cum proximis vivam; et similiter, *complacui mihi in veritate tua*, sive placuit mihi veritas tua, et ideo juxta illam ambulavi. In hebraeo est, התהלכתי *hithallacthi*, idest, *ambulavi in veritate tua*; proinde septuaginta non tam verbum, quam sensum inspexerunt, quod etiam fecerunt in psalmo 34. num. 17.

4. *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.*
5. *Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.*

Recte, meo judicio, Theodoretus haec exponit de conventibus gentilium idolatrarum in suis profanis templis, a quibus David semper abhorruit, dum exullavit apud regem Philistinorum. Haec enim opponuntur iis, quae postea in eodem psalmo habentur, *Domine dilexi decorem domus tuae*; et paulo ante, *circumdabo altare tuum Domine*; et infra, *in ecclesiis benedicam te Domine*. Vocat coetum idolatrarum concilium vanitatis, quia nihil inanius idolis quae sunt falsae imagines. Quod significat Apostolus cum ait, *scimus, quia idolum nihil est in mundo*, 1. Corinth. 8. et passim in scripturis, idola vocantur vana, vel vanitates, ut Deuter. 32. *ipsi me provocarunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis*. 1. Reg. 12. *Nolite declinare post vana; quae non proderunt vobis, neque eruent vos quia vana sunt*: vide etiam 3. Reg. 16. 4. Reg. 17. Hieremiae 2. et alibi. Iidem idololatrae recte dicuntur iniqua agentes, quia summa iniquitas est cultum soli Deo debitum, rebus creatis exhibere. Quod autem dixerat *concilium vanitatis*, in sequenti versiculo dicit *ecclesia malignantium*, et quos vocaverat *iniqua agentes* vocat impios, quod vocabulum proprie in idolorum cultores convenit. In hebraeo pro *iniqua gerentibus*, נעלמים *nahalamim*, quod significat occultis, vel pueriliter ludentibus: nam, עלם *halam*, est *occultari*, et, עלם *helem*, est puer. Dicuntur autem occulti, hypocritae simulatores, derisores et in genere omnes iniqua agentes, ut septuaginta recte vertunt, quia *omnis qui male agit odit lucem*, ut dicitur Joan. 3. Sed idololatrae, rectissime etiam dici possunt pueriliter ludentes, quia quomodo pueri fingunt ex argilla domunculas et varia animantia, sic idololatrae, ex varia materia fingunt Deos, propterea Moyses idololatriam lusum vocavit: *sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, Exod. 32. quem lusum, idololatriam fuisse docet Apostolus, 1. Cor. 10. nom. 7.

6. *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine.*

Posteaquam dixerat se odisse conventicula infidelium idololatrarum, inter quos tunc versabatur, adjungit se e contrario summo amore prosequi tabernaculum Domini, et conventum Sanctorum, ac breviter describit, quid sit facturus cum Deo adjuvante ab exilio in patriam revocatus fuerit. *Lavabo*, inquit, *inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine*, idest, lavabo manus ante ingressum tabernaculi, ut homines pii facere solent, et circuibo cum psallentibus altare tuum. In hebraeo habetur, ארחץ בנקיון כפי *erchats benikaion chappai*, *lavabo in innocentia manus meas*, sed idem est sensus: nam lavare manus in innocentia est hoc loco, lavare manus more innocentium, sive ut innocentes facere solent, quod idem significat, lavare manus inter innocentes, sive cum innocentibus. Quod autem ad sententiam attinet, aliqui volunt allusisse Davidem ad lotionem manuum, quae fit aliquando in signum innocentiae, quomodo Pilatus lavit manus coram Judaeis, dicens, *innocens ego sum a sanguine justi hujus*. Matth. 27. quasi diceret, ecce lavi manus, noli ea inquinare sanguine justi hujus, ideo non audeo illum condemnare, quod et nos vulgo dicimus cum nolumus admisceri negotio, in quo sit periculum peccandi, *io me ne lavo le mani*. Caeterum probabilius et magis consentaneum ad sequentia esse judico, si dicamus, Davidem loqui de ritu Hebraeorum, qui ante ingressum tabernaculi tum se ipsi, tum hostias purificabant, quas lotiones Apostolus ad Hebr. 9. vocat *varia baptismata, et justitias carnis* et quoniam lotio illa externa signum esse debebat internae puritatis; ideo David ait: *lavabo inter innocentes manus meas*, idest, lavabo manus in signum verae puritatis internae ut innocentes faciunt, non autem lavabo manus cum hypocritis, qui manus puras et cor sordidum gerunt. Illud autem quo sequitur, *et circumdabo altare tuum*, referunt aliqui ad multitudinem victimarum, quibus undique altare implendum esset. Sed verius mihi videtur, ut referatur ad choros canentium in circuitu altaris: nam in psalmo sequenti habetur, *circuivi et immolavi hostiam vociferationis* etc. et hoc loco statim subjicitur, *ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua*.

7. *Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.*

Explicat, ad quid altare Domini circumdare velit, nimirum, inquit, ut choris canentium immistus, audiam laudes Domini, et ipse etiam eas canam. In hebraeo habetur, si puncta recipiamus, *ut audire faciam vocem laudis*: sed si puncta mutentur, legi potest, ut legerunt septuaginta et s. Hieronymus, *at audiam vocem laudis*. S. Augustinus acute et pie docet hoc loco adversus Pelagianos, eos tantum audire vocem laudis Dei, qui intimo sensu percipiunt, quidquid habent donum esse Dei: in cordibus enim istorum, qui habent aures audiendi, omnia ipsorum bona merita, omnesque virtutes, laudem gratiae sonant: contra autem qui de justitia sua praesumunt, deque suis meritis tument, quasi illa a se ipsis, non a Deo acceperint, non audiunt vocem laudis Dei, sed vocem laudis proprie.

8. *Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.*

Ostendit Propheta, nulla alia de causa magis sibi molestum fuisse exilium, nisi quia tabernaculum Domini videre non poterat, animus enim erga Dei amorem vehementer incensus, nihil pulchrius in terris judicat eo loco in quo praesentia Domini clarius se ostendit. Vocatur autem tabernaculum, in quo erat arca foederis, *domus Dei et locus habitationis gloriae ejus*, quoniam saepe in eum locum descendebat nubes lucida, in signum praesentiae Dei, *qui lucem habitat inaccessibilem*, ut Apostolus dicit, 1. Tim. 6. et quia in eodem loco erat oraculum, ex quo Deus responsa dare solitus erat. In haebraeo habetur, *dilexi habitaculum domus tuae*, pro eo quod nos habemus, *dilexi decorem domus tuae*: fortasse septuagiuta non legerunt, מעון *mahon*, habitaculum: sed נועם, *noeam*, literis inversis, quod significat decorem.

9. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.*

Quoniam Deum judicem initio appellavit, et innocentiam suam, cujus idem Deus testis erat, exposuit; concludit, orans, ut pro se sententia pro-

http://www.obrascatolicas.com

feratur. *Ne perdas*, inquit, *cum impiis animam meam*, idest, non me condemnes, quemadmodum impios condemnare soles: posuit animam, pro vita sive pro tota persona sua, ut alias spe, per *viros sangninum*, intelligit homicidas, quales erant, qui eum persequebantur: porro vox illa *Deus*, non habetur in hebraeo, neque in graeco, neque legitur a Hieronymo et Augustino; tamen legitur a Theodoreto et Euthymio, ex quo intelligimus, in graecis eorum codicibus non defuisse.

10. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.*

Declarat, qui sunt impii, et viri sanguinum, de quibus dixerat versu superiore, ac dicit, eos esse, qui perverse judicant accepta munera: notat enim peccata principum, qui sunt judices populorum. Pulchre autem dicit, *in quorum manibus iniquitates sunt*; sic enim in ea parte corporis ponit iniquitatem, per quam accipiuntur munera, ut ostendat acceptionem munerum causa fuisse iniquitatis.

11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, et miserere mei.*

Repetit causam, cur non debet condemnari cum impiis, quia videlicet *in innocentia ingressus sit*, idest, innocenter vixerit, *redime me et miserere mei*, idest, libera me a praesenti calamitate, et deinceps miserere, ne iterum in eamdem incidam: passim enim in scripturis ponitur *redimere*, pro liberare, idest, species pro genere, nisi forte Spiritus sanctus insinuare voluerit omnem liberationem electorum de quacumque tribulatione, dici posse redemptionem, quia pretio sanguinis Christi nostri redemptoris acquiritur.

12. *Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.*

Respiciunt haec verba particulam ultimam superioris versiculi, videlicet, *et miserere mei*: quasi dicat, pretii liberationem a praesenti calamitate, quia innocenter vixi, peto etiam, ut miserearis in futurum, quia *pes meus stetit*, idest, stabilitus et fixus est in rectitudine, ac per hoc non facile recedam a recto itinere legis tuae, et pro gratiarum actione *benedicam et laudabo te* hymnis et psalmis *in ecclesiis*, idest, in piorum conventibus. Est autem haec, ut Euthymius notat, prophetia, quod re vera tempore novi testamenti, in omnibus ecclesiis, psalmi Davidici assidue concinendi essent.

PSALMUS XXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, priusquam liniretur.

In hebraeo non habetur pro titulo, nisi *David*, reliqua sunt addita a septuaginta, ut intelligeremus, hunc psalmum compositum fuisse a Davide, antequam regnare inciperet, durante videlicet persecutione Saulis. Nam tametsi David linitus oleo fuisset a Samuele, cum adhuc puer esset; tamen illa unctio fuit privata non publica, et adhibita potius ad designandum quam ad consecrandum regem. Postea vero Saule occiso, unctus fuit David in regem publice, ac solemniter, ut constat ex lib. 2. Reg. cap. 2. Et de hac posteriore unctione intelligendus est titulus hujus psalmi. Videtur autem hic psalmus scriptus fuisse proxime post superiorem, Davide adhuc in exilio et tribulatione constituto: sed quia post orationem psalmi praecedentis magna consolatione spiritus affectus fuerat, et Deo revelante cognoverat, ad majus quoddam regnum quam sint terrena, se vocari; ineffabili desiderio ad coeleste regnum suspirare, ac temporalia omnia, sive adversa, sive prospera contemnere coepit. Convenit idem psalmus omnibus electis, qui jam inuncti sunt unctione gratiae, atque ad regnum coeleste designati, et ad unctionem gloriae, per quam vere regnare incipiunt, tota animi devotione suspirant.

EXPLICATIO PSALMI XXVI.

1. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?*

Tribulatio tenebras adducit, prosperitas lucem et serenitatem: perturbat enim, et confundit animum tribulatio, ut non facile videat, quid facto opus sit, atque inde ad impatientiam, vel aliquod aliud peccatum provocatur. Sed si Deus lumine divinitus immisso tenebras disjiciat, continuo cernit animus momentaneam, et levem esse tribulationem, quae in umbra noctis magnum horrorem incutiebat, et simul cernit protegente se Deo, tribulationem non solum non posse nocere, sed etiam mirifice profuturam. Hoc Dei beneficium expertus David in persona sua et omnium electorum canit, *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* quasi dicat, ignorantia et infirmitas timidum me in tribulatione reddebant, sed cum Dominus illustraverit jam mentem meam, meque aperte cernere fecerit, nullam temporalem calamitatem gravem, aut diuturnam esse et amoris divini unguento sanaverit infirmitatem meam, neminem timeo: veritas enim tenebras, *et charitas foras mittit timorem*, ut ait Joan. 1. Joan. 4.

2. *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?*

Addit aliud argumentum, quod sibi ipsi persuadet, nullum timorem deinceps esse admittendum. Dominus, inquit, non solum illuminat et sanat, sed illuminatum et sanatum non deserit, sed protegit assidue scuto providentiae et benevolentiae suae, *a quo igitur trepidabo? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ut ait Apost. Rom. 8. Si rex cohorte mortalium militum stipatus non timet, cur timeat servus Dei stipatus protectione omnipotentis et immortalis imperatoris? sanctus Martinus, apud Sulpicium, *ego*, inquit, *signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, cuneos hostium penetrabo securus*: nimirum ex iis erat, qui dicere poterant, *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?*

3. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.*
4. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.*

Describit effectum protectionis Dei, et praeteritum pro futuro ponit, more prophetarum ad designandum rerum certitudinem. Sensus igitur est. Ex protectione Dei fiet, ut cum appropinquabunt super me, quasi prostratum et dejectum ii, qui nocere mihi cupiunt, et quasi canes, aut leones famelici carnibus meis saturari desiderant; tunc isti ipsi qui tribulant me, et inimici mei sunt, debiles fient, et corruent: et ita conatu suo, non mihi, sed sibi nocebunt. Hoc verissimum esse, non solum Davidis, sed Christi et Martyrum, atque adeo sanctorum omnium exempla demonstrant. In hebraeo et graeco habetur, *tribulantes me et inimici mei*. Latinus interpres omittit illud, *et*, sed res est parvi momenti: pro, *infirmati sunt*, s. Hieron. vertit, *impegerunt*, sed verbum hebraicum *chaselu*, utrumque significat.

5. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*
6. *Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.*

Addit ad ea, quae dixerat, ut spem et fiduciam plenissimam se in Deo habere demonstret, non solum se non timere singulos hostes, sed neque integra castra, et ea non in tentoriis quiescentia, sed in acie praeliantia. Illud, *in hoc ego sperabo*, varie exponitur, propterea quod, tum in hebraeo, זאת *zoth*, tum in graeco ταύτη, vox est generis foemININI. S. Augustinus exponit, *in hac petitione*, Theodoretus, *in hac spe*; Euthymius, *in hoc meo corde*; graece καρδία est generis foeminini; sed videtur latinus interpres rectissime vertisse, *in hoc ego sperabo*: consideravit enim hebraeos carere neutro genere, et pro eo uti genere foeminino: proinde, illud, זאת *zoth*, non significare, in hac spe, vel in hac petitione, vel in hoc corde, sed absolute in hoc, idest, in hac re, videlicet, quod Deus sit illuminatio et salus et protectio mea, ut supra dictum est. Itaque graeci posuerunt ταύτη, non quod careant neutro genere, sed quia voluerunt ad verbum reddere quod erat in hebraeo, sed latinus non tam vocem, quam significationem respexit.

7. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.*

Mirum est cur latinus interpres non verterit, *unum petii a Domino*: nam hoc etiam loco in hebraeo habetur genus foemininum pro neutro. Voluit igitur in hac voce reddenda imitari graecum interpretem, et vertere ad verbum. Sensus tamen est, *unam petii*, idest, unum petii, sive unam rem petii. Plerique intelligunt hunc locum de domo Domini, ubi erat arca Dei, et propitiatorium, et volunt hunc esse sensum, *unum petii a Domino, hoc requiram*, ut de hoc exilio revertar, et liceat mihi assidue versari in tabernaculo Domini, ubi est arca Dei et propitiatorium etc. Sed certe mihi sententia s. Augustini, qui exponit de domo coelesti, non solum vera, sed etiam litteralis esse videtur. Nam non dicit David, cupere se habitare prope domum Domini, sed in ipsa domo Domini: notum autem est, non habitasse unquam Davidem in domo Domini, sed in palatio proprio, quod longe aberat a tabernaculo, et praesertim antequam arca deferretur in montem Sion: et potuisset undique si voluisset, quando rex erat, habitare juxta tabernaculum Domini. Praeterea similis est hic locus illi, qui habetur in psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*, quod certe non convenit nisi habitatoribus domus Dei, quae est in coelo. Denique numquam David, vir sanctus et perfectus, rem aliquam temporalem tanto affectu peteret, ut diceret, *unam petii, hanc requiram*, quasi nihil aliud petendum sit. Explicat igitur hoc loco Propheta radicem veram confidentiae in Deum, et cur non timeat malum aliquod temporale: radix enim est ardens charitas in Deum: qui enim ardenter diligit summum, atque aeternum bonum, nihili facit omnia temporalia. *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram*, idest, nihil temporale appeto, non magni facio jacturam omnium aliarum rerum, modo unam rem habere merear; ideo de hac una sollicitus sum, hanc unam petii, hanc unam petam, ut videlicet inhabitem in domo Domini, non ad tempus, sed *omnibus diebus vitae meae*, idest, quamdiu durabit vita sanctorum cum Deo, quae si.

http://www.obrascatolicas.com

ne dubio non habebit finem. Valde proprie dictum est *ut inhabitem in domo Domini*: nam hic in terris, quamvis amici, imo filii Dei sumus, tamen non habitamus sed ambulamus cum Deo: nec in domo sed in tentorio requiescimus.

8. *Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.*

Docet, cur in domo Domini habitare desideret, quia videlicet ibi perfecta foelicitas est. Multi latini codices habent *ut videam voluntatem Domini*: sed recte correcti sunt in edictione Sixti V. et Clementis VIII. et positum *ut videam voluptatem Domini*, ut habebant emendatissimi codices manuscripti. Per voluptatem autem hoc loco, non est accipienda actio delectationis, sed objectum, idest, pulchritudo, venustas, suavitas. Nam vox hebraea, נועם *noham*, proprie pulchritudinem significat: vox autem graeca τερπνότης potest delectationem et voluptatem significare, quam vocem latinus interpres accepit sed significat etiam venustatem et pulchritudinem, et pro pulchritudine hoc loco vocem illam Theodoretus accepit. Quare vox latina voluptas, si cum hebraea et graeca convenire debeat, accipienda est pro voluptate objectiva, idest, pro pulchritudine et venustate. Quod ipsum etiam verbum videndi, sive contemplandi requirit: non enim proprie videmus actionem delectationis, sed rem delectabilem. Itaque s. Hieronymus vertit, *ut videam voluptatem Domini*. et s. Augustinus legit, *ut contempler delectationem Domini*, et exponit per delectationem, speciem delectabilem. Si quis tamen omnino vellet, voluptatem hoc loco accipere pro ipsa actione capiendi delectationem, non deberet intelligere per *voluptatem Domini*, delectationem, qua fruitur Dominus, sed quae percipitur ex Domino, idest, ex visione pulchritudinis Domini, atque ita sensus in idem recideret. Porro s. David hoc loco omnino proprie foelicitatem expressit; quae ex sententia solidioris scholae in actione nobilissima potentiae omnium praestantissimae erga summum objectum, idest, intellectuali Dei visione, consistit, ex qua ineffabilis voluptas et delectatio sequitur. Illud autem quod additur, *et visitem templum ejus*, s. Augustinus legit, *et protegar a templo ejus*. In qua lectione, nescio quos codices sit sequutus; hebraeus enim et graecus nihil habent, quod ad protectionem referri possit. Vox hebraea, בקר *bakker* significat proprie quaerere, inspicere, oculis perlustrare, praesertim illucescente die: unde, בקר *boker*, hebraeis significat mane, quia tunc primum depulsis tenebris requirimus, et perlustramus ea quae latebant. Sic etiam vox graeca ἐπισκέπτεσθαι significat considerare, attendere, visitare. Sensus igitur est, ut videam pulchritudinem Domini, et deinde novam illam lucem visitem, idest, oculis perlustrem et requiram totum illud coeleste Dei templum, et omnia, quae in eo sunt. Nam re vera post visionem Dei, nihil jucundius occurrere potest, quam spectaculum illius coelestis patriae, et divinae illius domus, in qua sunt omnes beati, quae merito templum dicitur, cum non sit domus, aut civitas profana, sed sacratissima, cum in ea nihil profanum agatur, sed assidue sacrificetur hostia laudis et jubilationis.

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui.*

Reddit rationem cur tam audacter petat habitare in domo Domini, et videre pulchritudinem ejus; quia gustare jam coepit, quia dulcis est Dominus, et pignus amoris ejus jam tenet, quasi brevissime diceret, audeo petere gloriam, quoniam percepi gratiam. Sunt autem verba omnia metaphorica, non enim proprie absconditus fuit David in tabernaculo Domini, cum quaereretur a Saule, sed sensus horum verborum est, tempore praesentis vitae, in qua dies mali sunt, tam singulari providentia Deus me defendit ac protexit, ac si in intima et abditissima parte tabernaculi sui me collocasset. Ex hac autem tanta Dei gratia, et benevolentia spem concipio, me aliquando ad domum Domini preventurum, quod unum peto, et requiro. Idem vero significatur in utraque parte versiculi: nam *abscondi in tabernaculo*, non est poni in quacumque parte tabernaculi, sed *in abscondito tabernaculi* collocari, ubi a malis omnibus protegatur. In hebraeo et graeco, illud, *in die malorum*. conjungitur cum prima parte versiculi, *abscondit me in tabernaculo suo in die malorum*. Sed in codice latino conjungitur cum secunda parte, hoc modo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. Perinde est, ubi ponatur interpunctio, cum sensus sit idem: tamen prior interpunctio habetur etiam in libris patrum, Augustini et aliorum, et fortasse in latino codice interpunctio non tam deservit intelligentiae, quam cantui.

10. *In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

Alia metaphora idem significat, nimirum se a Deo singulari providentia protectum ac defensum ac se in arce munitissima, et altissima collocatus fuisset. Similis metaphora est apud Isaiam cap. 33. *Iste* justus videlicet, *In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus*. Itaque sensus est, *In petra exaltavit me*, idest, posuit me in loco sublimi et munito, *et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, idest, ex eo quod in loco tutissimo, et altissimo, jam consisto, factum est, *ut caput meum sit exaltatum super inimicos meos*, idest, sim superior et victor inimicorum meorum. Porro per has metaphoras, non solum describitur protectio, et defensio hominis justi, cui nihil nocere possunt omnium adversariorum machinationes, juxta illud s. Petri, 1. Epist. cap. 3. *Et quis est qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* Sed etiam indicatur modus, quo vir justus ad hanc securitatem pervenit; modus enim est ascensio mentis per contemplationem in Deum, et res aeternas. Qui enim serio meditatur aeterna, et ardenter Deum amat, jam est in altissima, et

munitissima petra constitutus, ut nihil ei nocere possit, cum terrena omnia jam illi viluerint.

11. *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis; cantabo, et psalmum dicam Domino.*

In Hebraeo conjungitur prima vox hujus versiculi cum superiore, et pro *circuivi*, legitur, *circuitibus meis*, ut sit integra sententia, *Exaltavit caput meum super inimicos meos circuitibus meis*: vel, ut vertit s. Hieron. *qui sunt in circuitu meo*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, סביבותי *sebibothai*, ut nunc est in hebraeo, et, significat *circuitibus meis*, sed, סבותי *sabbothi*, idest, *circuivi*, unica literula dempta, et punctis mutatis. Igitur Propheta per contemplationem supra terrena omnia exaltatus, erumpit in admirationem operum Dei, et laudem opificis omnipotentis. *Circuivi*, inquit, idest, mente perlustravi omnia opera Dei, quae sunt in coelo, et in terra. *Et immolavit in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*, idest, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod est coelum, quo per contemplationem ascendi, magna voce, ex magna admiratione procedente, laudavi Deum, quae laus sacrificium est illi gratissimum. Sic enim alibi legimus, *immola Deo sacrificium laudis*: et rursum, *sacrificium laudis honorificabit me*. Nec solum, inquit, immolavi hostiam vociferationis, sed et deinceps pergam assidue idem facere, *cantabo*, *et psalmum dicam Domino*.

12. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei, et exaudi me.*

Reddit ad id, quod dixerat, *unam petii a Domino, hanc requiram*. Atque in una petitione se exaudiri postulat, flagrans nimirum ardenti desiderio videndi dilectum. *Exaudi*, inquit, *Domine vocem meam, qua clamavi ad te*, videlicet vocem illam, qua clamavi, *unam petii a Domino, hanc requiram*, etc. *miserere mei*, hoc exilium aegre ferentis, *et exaudi me*.

13. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.*
14. *Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo.*

Haec non tam egent explicatione, quam pia meditatione, et imitatione. *Tibi dixit cor meum*, idest, tibi loquitur desiderium meum: *Exquisivit te facies mea*, idest, oculi mei interiores qui sunt in facie animae meae, tuam pulchritudinem requirunt, caetera omnia fastidiunt. *Faciem tuam Domine requiram*, idest, hoc semper erit studium meum, ut conspectum tuum quaeram, non solum ut in alio saeculo revelata facie vultum tuum videam; sed etiam in hoc saeculo, hoc unum satagam, ut me respicias, et respiciendo illumines et accendas. *Ne avertas faciem tuam a me*, idest, noli quaeso cessare a me respiciendo, ne simul lumen obscuretur, et charitas refrigescat. *Ne declines in ira a servo tuo*, idest, ne sinas me in peccata labi, ne forte iratus a me recedas. Recte hoc loco s. Augustinus observat, timorem castum, non servilem exprimi in his verbis: timor enim servilis cupit abesse dominum, ne puniat, ac ideo non diceret, ne declines, sed abi et declina: timor autem castus, qui dilectum vere amat, nihil magis timet, quam ne dilectus recedat. In textu graeco, post illa verba, *tibi dixit cor meum*, additur, κύριον ζητήσω, *Dominum requiram*; sed ea verba non habentur in hebraeo, neque leguntur ab Hieronymo, et Augustino, quamvis a Theodoreto, et Euthymio legantur. In hebraeo non habetur pronomen, te, ubi legimus, exquisivit te facies mea, sed absolute exquisivit facies mea: caeterum subintelligitur, et ideo additum est ab interpretibus graecis et latinis.

15. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.*

Quia dixerat, *ne declines in ira a servo tuo*, considerans se suis viribus non posse cavere peccata, ob quae in iram incurrimus, clamat ad Deum, ut adjuvare non cesset. In hebraeo habetur, adjutorium meum fuisti, sed septuaginta Interpretes non videntur legisse, היית *haijtha*, idest, fuisti, sed, היה *hehie*, quod significat *esto*: nam est similitudo maxima inter has voces si removeantur puncta, quae tempore septuaginta Interpretum nondum erant apposita. Sensus autem semper est verus et ad rem faciens: nam si legamus, *adjutor meus fuisti*, *ne derelinquas me*, erit repetitio ejusdem orationis, quae magnum affectum exprimit. Porro in verbis illis. *Ne derelinquas me, neque despicias me*. videtur latinus interpres invertisse ordinem: Nam in hebraeo et graeco textu prius est, *ne despicias*, sive *ne abjicias me*. quam, *ne derelinquas me*. Pro illo autem, ne despicias, Graeci habent vocem valde significantem, ἀποσκοραχίσης, quae apud Euthymium deducitur, vel a scoria, vel a corvis. et significat projici, quomodo projicitur scoria, vel quomodo projiciuntur ad corvos cadavera. Petit igitur justus auxilium Dei ne peccet, et si forte peccaverit, non projici a facie Dei, quomodo projicitur scoria, vel non projici ad infernales corvos, et non solum non projici, sive despici, sed neque absolute relinqui, et dimitti, sed benigne curari et sanari: ideo enim addit, *Deus salutaris meus*. Salvatoris enim non est despicere ac desere miserum, sed salvare, et curare.

16. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.*

Magna ratio redditur, cur aequum sit Deum adjuvare; quia videlicet nemo sit illo amantior. Notanda est phrasis hebraica, qua Deum in tertia persona reverentiae causa Propheta alloquitur; non enim dicit, *Tu autem assumpsisti me*, sed, *Dominus autem assumpsit me*. Similis est phrasis in Genesi cap. 31. num. 35. ubi Rachel dicit patri suo, *Ne irascatur Dominus meus*, *quod coram*

http://www.obrascatolicas.com

te assurgere nequeo; et lib. 3. Reg. cap. 1. num. 27. dicit Nathan Davidi. *Numquid a Domino meo rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum Domini mei regis post eum?* Illud igitur, *Dominus assumpsit me*, idem est, ac si dictum esset, *tu autem Domine assumpsisti me*, sive *collegisti me*, ut proprie significat vox hebraica, יאספני *jaaspeni*. Est autem in his verbis quaedam figura aptissima ad explicandum beneficium Dei: non enim puer erat David, ut egeret parentem auxilio, neque magnum erat in illa aetate relinqui a parentibus, qui oneri potius quam auxilio esse potuissent. Sensus igitur horum verborum est, ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi jacentem, atque omni injuriae expositum: tu autem Domine, ita abjectum et desolatum, benignissime collegisti, et fovisti: vere enim si quis fragilitatem naturae humanae consideret, et hostium invisibilium potestatem, et quantopere Dei gratia in omnibus actionibus egeamus, nullo modo negare poterit, nos infantibus a parentibus neglectis rectissime comparari. Porro s. Ezechias, usque adeo rem hanc intelligebat, ut non infanti, sed pullo hirundinis se ipse comparaverit, Isaiae 38. *Sicut pullus*, inquit, *hirundinis sic clamabo.*

17. *Legem pone mihi Domine in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.*

Quia se comparaverat infantulo, quem Deus collegerat, recte jam petit, ut se ambulare doceat: petit igitur gratiam implendi mandata divina, quam gratiam in toto psalterio frequentissime petere solet; nec immerito, cum ea sit via ad illam coelestem domum Dei, quam unam se toto corde desiderare paulo ante professus est, pro, *legem pone mihi Domine in via tua*, in hebraeo est, הורני יהוה דרכך *horeni* Adonai *darchecha*, *doce me viam tuam*, sive ut vertit s. Hieron. *ostende mihi viam tuam*. In graeco est unum verbum, νομοτέθησον, quod secundum etymologiam significat, *legem ponere*, ut latinus interpres reddidit. Caeterum accipitur etiam pro docere, erudire, praeceptorem se exhibere: proinde hoc loco *legem pone mihi in via tua*, significat, *erudias me circa viam*, idest, circa legem tuam: quod in alio psalmo legimus, psal. 22. *vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me*. Ac ut alibi dicimus non postulat Propheta notitiam solam legis, sed internam unctionem, qua sibi a Spiritu sancto intime persuadeatur, servandam esse Dei legem. Idem fere significant verba sequentia, *et dirige me in semitam rectam*, idest, duc me per viam mandatorum tuorum, quae est vere semita recta, idest, justissima, sed angusta, nisi magis placeat, per illud, *doce me viam tuam*, postulari lumen internum: per illud, *et dirige me in semitam rectam*, postulari pium affectum implendi mandata divina: quod additur, *propter inimicos meos*, vel ut s. Hieronymus vertit, *propter insidiatores meos*, significat, valde necessariam esse gratiam Dei in hac peregrinatione, propter multitudinem hostium, tum visibilium, tum invisibilium, qui nobis utique insidiantur ut a recta via legis divinae nos deducant, et ad invia, et praerupta vitiorum nos perducant.

18. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

Pergit in eadem petitione: petit enim non tradi in animam, idest, voluntatem et desiderium hostium praecipue invisibilium. Similis phrasis est Luc. 23. *Jesum vero tradidit voluntati eorum:* idem enim est, *voluntati eorum*, et *in voluntatem eorum*, sed illa est phrasis latina, haec hebraica. Itaque sanctus Hieronymus vertit, *Ne tradideris me animae tribulantium me*. Sequentia verba, *Quoniam insurrexerunt in me testes inqui*, a multis referuntur ad falsa testimonia, quae dicebantur adversus Davidem: quod quidem non improbo, sed videtur mihi sensus magis cohaerere cum praecedentibus, et sequentibus verbis, et cum argumento totius psalmi, si referamus haec verba ad tentationes Doemonum, sive hominum, qui falsis promissis, vel minis hominem justum ad impatientiam, vel alia peccata deducere conantur juxta psal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*. In hebraeo habetur, Insurrexerunt in me, עדי שקר *hede scecher*, *testes falsitatis*, sive *mendacii*: proinde illud, *testes iniqui*, accipiendum est, pro testes falsi, qui inique agunt, dum falsa pro veris obtrudunt, ut ad iniquitatem impellant. Quod additur, *et mentita est iniquitas sibi*, non tam est interpretatio, quam explicatio verborum hebraicorum: in hebraeo enim non habentur, nisi duae voces, ויפח חמס *vipheach chamas*, quas voces s. Hieronymus vertit, *et apertum mendacium*. Alii reddunt, *et loquens rapinam*. Sed septuaginta Interpretes acutissime, et verissime transtulerunt: nam illud, ויפח *vipheach*, tametsi a verbo, יפח *japhach*, significet loqui, unde Neoterici vertunt, *loquens*: tamen potest deduci a verbo, פוח *phuach*, quod significat *illaqueari*, unde est nomen, פח *phach*, *laqueus*. Et vox illa, חמס *chamas*, licet significare possit rapinam et mendacium, tamen frequentissime accipitur pro iniquitate. Intellexerunt ergo septuaginta Interpretes, hic significari ipsam iniquitatem a seipsa illaqueatam, dum videlicet homines, vel doemones iniqui, in propriam perniciem, falsitatis laqueos justo tetenderunt. Quod aliis verbis dixit Daniel, cap. 12. iniquis illis senioribus Susannae accusatoribus: *Et tu mentitus es in caput tuum*. Ait igitur David, *insurrexerunt in me testes iniqui*, falsitatem et mendacia obtrudentes, *et illaqueata est iniquitas*, idest, *sed iniquitas mentita est sibi*, idest, nemini nocebit, nisi proprio auctori.

19. *Credo videre bona Domini, in terra viventium.*

Reddit rationem, cur mentita sit iniquitas sibi. Ego enim, inquit, invitis omnibus inimicis meis, *credo*, idest, certo confido, *me visurum bona Domini*, idest, illa bona, quae ipsi etiam Domino bona sunt, quae illum beatum reddunt, quae sola sunt vera bona, idque *in terra viventium*, idest, in regione illa, ubi mors locum non habet. In hebraeo habetur initio versiculi una vox, לולא *lule*, quam aliqui vertunt, *mihi*, et melius s. Hieronymus, *autem*, *Ego autem credo videre*, etc. A septuaginta Interpretibus, fuit omissa, quia non erat magni momenti quantum ad sensum.

20. *Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

Concludit per apostrophen ad seipsum, sectandam esse patientiam et fiduciam in Deum, quasi dicat, Ergo anima mea, quia desideras in domo Dei habitare, quia tam multa pignora divini amoris habes, quia credis videre bona Domini in terra viventium, noli deficere in tribulationibus, neque terrenas consolationes respicias, sed *patienter expecta*, *confortare in Domino*, *viriliter age*, dum transeant dies malî, et adveniant dies boni. In hebraeo ad verbum habetur, ut vertit s. Hieronymus *expecta Dominum*, *confortare*, *et roboretur cor tuum*, *et expecta Dominum*. Similiter in graeco ὑπότεινον κύριον, sunt eaedem voces in principio, et in fine. Sed latinus interpres varietate gaudet, ideo initio posuit, *expecta Dominum*, et in fine, *sustine Dominum*. Patientia cum fiducia conjuncta vires addit, et vires additae patientiam et fiduciam augent. Ait igitur, *Expecta Dominum*, idest, patienter, et cum fiducia expecta auxilium et consolationem Domini. Hinc *viriliter age*, seu roborare autem non armis exterioribus, sed *confortetur cor tuum*, excita animum audacter perge. Hinc vero, multo magis confide, et cum patientia *expecta* consolatorem, et adjutorem *Dominum*, qui sine dubio cum sit fidelis et justus, *veniens veniet, et non tardabit*, ut dicitur Abac. 2.

PSALMUS XXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus, ipsi David.

Nunc psalmum de Davide fugiente Saulis persecutionem exponunt Theodoretus, et Euthymius. Sed repugnant multa, primo quod in titulo id non indicetur, sicut alias fere semper fieri solet, cum ad historiam psalmus respicit. Secundo quod in hoc psalmo, is, qui loquitur, appellat se Regem; David autem eo tempore nondum Rex erat. Tertio, quod in eodem psalmo dicit is, qui loquitur, se exauditum, et refloruisse carnem suam: quod certe Davidi pro eo tempore, quo Saulem fugiebat, convenire non potest. Recentiores aliqui exponunt de Davide jam Rege, et perfecte liberato a persecutione Saulis. Sed si ita esset, non diceret, *Ad te Domine clamabo, ne sileas a me*; sed diceret, *Ad te Domine clamavi*, etc. Videtur igitur praeferenda s. Augustini, et s. Hieronymi expositio, qui in persona Christi psalmum a Davide cantatum fuisse volunt: David enim, qui simul praevidebat passionem, et glorificationem Christi, convenienter ea conjungere potuit, sicut etiam fecit in psalmo 21, cujus psalmi longissimi, et pulcherrimi, hic, quem explicandum in manibus habemus, videtur esse quasi compendium.

EXPLICATIO PSALMI XXVII.

1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.*

Verba sunt Christi in cruce pendentis, ac postulantis celerem resurrectionem. Pro illo, *Deus meus* in hebraeo est, צורי *tsuri*, *petra mea*, sive *fortis meus*: et quamquam hoc ipsum nomen ponitur ad significandum Deum, et recte Septuaginta verterunt, *Deus meus* tamen ex vi hebraicae vocis, intelligimus hoc loco invocari Deum, quia potentissimus est, et potest morti imperare, ut Christum cito restituat. Pro, *ne sileas a me*, s. Hieronymus vertit, *ne obsurdescas mihi*. Sed sciendum est, verbum, חרש *charas*, significare tacere, silere, surdum se ostendere. Itaque sensus est, *ne sileas*, quasi non audieris vocem meam, ne veluti surdum te mihi exhibeas. Illud, *a me*, idem est, quod mihi, ex hebraica phrasi. Breviter petit exaudiri se, et responderi sibi, facturum Deum, quod petitur. Quod sequitur, *ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum*, continet caussam, cur velit sibi responderi, quia videlicet, nisi

http://www.obrascatolicas.com

Deus exaudiat, et respondeat, erit ipse similis aliis hominibus mortalibus, qui per mortem dissolvuntur, atque ad inferos descendunt non redituri. *Ne quando taceas a me*, id est, ne forte tu non exaudias, et hinc fiet, ut ego per omnia similis fiam *descendentibus in lacum*, idest, iis, qui moriuntur et ad inferos descendunt, sine spe resurgendi, nisi in die novissimo. Posset etiam sensus esse, si non exaudias, ero similis hominibus mortuis: sicut enim mortui nihil omnino possunt, ita homo sine Dei adjutorio nihil omnino potest. Vox hebraea, בור *bor*, significat *cisternam*, *lacum*, *profundam foveam*: potest igitur accipi pro sepulchro sed melius pro loco subterraneo animarum; sicut Isaiae 14. *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci*; et cap. 38. *Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam*: quomodo etiam accipitur in illa oratione Ecclesiastica, *Libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, etc.*

2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

Quod antea dixerat, *ne sileas*, et *ne taceas*, nunc clarius dicit, *Exaudi Domine vocem deprecationis meae*: volebat enim Deum respondere, ut id signum esset exauditionis, Illud. *Domine*, non est in hebraeo, sed solum, *exaudi vocem deprecationis meae*. S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam, existimat esse additum ab aliquo explicationis gratia: fortasse etiam excidit ex nostris codicibus quibus septuaginta usi sunt, aderat. Illud, *dum oro ad te*, in hebraeo significantius habetur, בשועי *besciavvehi*, *dum clamo ad te*, idest, dum oro *cum clamore valido*, ut Apostolus loquitur ad Hebr. 5. Illud, *dum extollo manus meas*, significat a signo, eamdem ipsam orationem: solebant enim Hebraei manus in altum tollere, cum orabant, cujus ceremoniae pleni sunt libri sacri: sed et gentiles eumdem ritum imitabantur. Itaque idem est, dum *oro ad te*, *et dum extollo manus meas ad templum tuum*. Allusit vero interim Propheta ad manus Domini in cruce extensas, et ad caelum sublatas, tunc enim verissime dicere potuit Dominus *dum clamo ad te*, *et dum extollo manus*, *etc.* quando de cruce oravit. Pro voce, *ad templum* in hebraeo est, דביר *devir*, quod proprie *oraculum* significat, unde Deus responsa dabat. Sed hoc loco sive templum, sive oraculum, pro coelesti templo, et oraculo accipitur.

3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

Solus Christus id vere dicere potuit: ipse enim solus fuit omnibus modis *segregatus a peccatoribus*, ut dicit Apostolus ad Hebr. 7. Et sicut solus fuit, in quem peccatum cadere non potuit, ita justissime petit, ut non judicetur, et non pereat cum peccatoribus, sed ipsam potius mortem occidat, et resurgens ex mortuis, de mortis Principe, et de ipsa morte gloriose triumphet. Recte in editione Sixti V. et Clementis VIII. emendatum est, *ne trahas*, quod antea legebatur, *ne trahas*: nam cum tam vox hebraica, תמשכני *thimscecheni*, quam graeca, συνελκύσεις significet trahere, verisimile est ob literarum similitudinem, vitio librariorum, irrepsisse, in editionem latinam, *ne tradas*. Illud, *ne perdas*, non habetur in hebraeo, sed additum est explicationis gratia. Itaque sensus est, ne trahas me ad interitum cum caeteris hominibus, qui peccatores sunt, cum ego peccator non sim.

4. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.*

Describit peccatores ab eo peccato quod universalius est, et communius. Nam idcirco in alio psal. 115, psal. 43. dicitur, *Omnis homo mendax*; et in alio: *Ab homine iniquo et doloso eripe me*: et de Christo dicit Apost. Petr. 1. Epist. cap. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, quasi dolus, fere tam late pateat, quam peccatum. Certe plurimi sunt, qui volunt videri amici, bene velle proximis et tamen ab amore proprio excaecati, malum habent in corde, idest, odio, vel invidentia erga eosdem proximos afficiuntur.

5. *Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.*
6. *Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.*

Haec non imprecatio, sed prophetia est, ut alias saepe monuimus: significatur enim his verbis, id omnino futurum, ut mali male pereant, nisi videlicet ex malis boni fiant. Sensus igitur est, *Dabis peccatoribus secundum opera eorum*, idest, afflicies et poena, quam merentur opera eorum. *Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, supple, dabis eis, idest, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt, et adinvenerunt varios modos vexandi justos; ita tu per sapientiam invenies varios modos cruciandi peccatores, et denique *reddes eis retributionem suam*, idest, ipsi retribuerunt justis mala pro bonis; sed tu eam retributionem convertes in caput ipsorum, facies enim ut illis noceat, non justis.

7. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus destrues illos, et non aedificabis eos.*

Hinc apparet fuisse prophetiam, non imprecationem id, quod duobus superioribus versiculis continetur: non enim dicit, Destrue eos, sed *destrues eos*, vel ut habetur in hebraeo, יהרסם *jeersem*, *destruet eos*. Significatur his verbis radix omnium malorum: radix enim est, nolle intelligere opera Domini, non applicare animum ad consideranda, et cognoscenda mirabilia opera Dei, quae fecit in creatione, in redemptione, in gubernatione generis humani: si quis ista consideret, vix

fieri potest, quin in Dei amorem mirifice exardescat. Hinc 1. Cor. 2. B. Paulus ait, *Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent*: et ipse Dominus Luc. 19. *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua quae ad pacem tibi*; et infra: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*. Quod attinet ad verba, in latina editione est aliqua obscuritas, quae non est in hebraica, neque in graeca; nam in his editionibus legitur, *quoniam non intellexerunt in opera Domini, et in opera manuum ejus*; vel, ut s. Hieronymus reddit, *quoniam non intellexerunt opera Domini, et opus manuum ejus*: illa enim praepositio, *in*, adjungitur utrique nomini ex phrasi hebraica, sed secundum usum linguae latinae, ex utroque loco tolli potuisset. Latinus autem interpres ex priori loco sustulit, in posteriore reliquit; ideo sententiam obscuriorem reddidit. Cur autem Propheta cum dixisset, *non intellexerunt opera Domini*, adjunxerit, *et opera manuum ejus*, ratio esse videtur ut explicaret, se loqui praecipue de illo opere, quod ipse facit per se, non per secundas causas, quale opus fuit creatio coeli, et terrae, incarnatio verbi, miracula Christi, resurrectio, et ascensio Domini, et similia. Ait igitur, quoniam peccatores non intellexerunt opera Domini, et praecipue opera illa, quae manibus suis, idest, per se immediate fecit, ideo tu Domine destrues illos, *et non aedificabis*, idest, destrues illos, et cum destruxeris, non te poenitebit destruxisse, ideo numquam amplius aedificabis eos. Alludit Propheta ad vocem operis manuum Domini, quod opus est quasi aedificatio quaedam, quasi diceret, quia non intellexerunt aedificationem Dei, Deus illos destruet, et numquam amplius aedificabit. Id optime quadrat in civitatem, et templum, et ipsum regnum Judaeorum, quae omnia Deus ob Judaeorum infidelitatem destruxit, nec unquam amplius aedificabit. Quadrat etiam in singulos peccatores, qui non intelligunt se esse aedificationem Domini, et ad imaginem ejus conditos, et pretio sanguinis Domini redemptos, et tam multa beneficia naturae, et gratiae in se collata; ideo tandem ita destruentur, numquam amplius reaedificandi, ut nihil remaneat, nisi ruina aedificii, idest, unde poenam sentire perpetuo possint. In hebraeo habetur in tertia persona destruet, et non aedificabit: fortasse librariorum vitio, prima litera hebraica, quae indicat personam, mutata est; fortasse ultima litera graeca, ex qua persona intelligitur, vitio librariorum addita est; fortasse Interpretes, non tam ad verbum, quam ad sensum respexerunt.

8. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.*

Transit Propheta ad gloriam resurrectionis Domini praedicendam, et in persona Christi gratias agit Deo, dicens, *Benedictus*, *Dominus*, idest, benedicatur ab omnibus Dominus, *quoniam exaudivit vocem deprecationis meae*.

9. *Dominus adjutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.*

Explicat, in quo exaudita sit oratio sua, ac dicit, *Dominus adjutor meus*, *et protector meus*, supple, solet esse. Ideo *in ipso speravit cor meum*, id est, fretus auxilio, et protectione Dei non recusavi praelium subire cum diabolo, et cum ipsa morte, nec spe mea frustratus sum, quoniam adjuvit me Deus, ut plane victor evaserim; in hebraeo, עזי ומגני *huzi umaghinni*, idest, pro, adjutor et protector, habetur, *fortitudo et scutum*. Ex quo intelligimus, accessisse a Deo auxilium interni roboris, et protectionem externi praesidii.

10. *Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.*

Describit effectum auxilii et protectionis, qui fuit gloriosa resurrectio, ob quam toto corde laudaturum se dicit Deum. *Refloruit caro mea*, id est, caro mea, quae per mortem exaruerat, non solum rediit ad vitam, sed ad florem aetatis, sanitatis, laetitiae, venustatis maxime rediit. *Et* ideo, *ex voluntate mea*, idest, *ex corde confitebor ei*, confessionem laudis, et gratiarum actionis. In hebraeo nunc legitur, *Gavisum est cor meum, et in cantico meo confitebor ei*. Itaque pro, *caro mea*, legitur, *cor meum*; pro *voluntate mea*, legitur, *cantico meo*. Nam quod pro, *refloruit*, legatur, *gavisum est*, ut s. Hieronymus vertit, non multum refert: nam verbum, עלז *halaz*, significat laetari, exultare, et per metaphoram, reflorere, ut recte verterunt Septuaginta, quia dum arbores reflorescunt, suo modo exhilarari et exultare videntur. Cur autem viri illi doctissimi verterint, *caro mea*, ubi nunc est, לבי *libbi*, et *voluntate mea*, ubi nunc est, משירי *misciri*, quae non significant nisi *cor meum*, et *canticum meum*, non potest reddi alia ratio, nisi quia non ita legerint, ut nunc habemus in nostris codicibus, sed verba transposita, et mutata postea fuerint: nam si pro, משירי *misciri*, legatur, בשרי *besciari*, quod significat *caro mea*, et illud, לבי *libbi*, transferatur paulo ulterius, efficietur lectio, quam habuerunt Septuaginta, et quam recte interpretati sunt; nimirum haec erit lectio, ויעלז בשרי ולבי אהדנו *vajahaloz besciari velibbi ahodennu*, idest, et refloruit caro mea, et ex corde meo, sive voluntate mea confitebor ei.

11. *Dominus fortitudo plebis suae, et protector salvationum Christi sui est.*

Haec est materia confessionis, de qua dixit, *confitebor ei*, quod videlicet *Dominus sit fortitudo plebis suae*, quod ostendit, dum tam petenter protexit salutem Christi sui, qui est caput totius plebis, et a quo fortitudo et salus totius populi dependet. Ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *Domi-*

http://www.obrascatolicas.com

nus fortitudo mea; alii vertunt, *Dominus fortitudo eis*, et hoc sonant verba, quae nunc sunt in biblis, sed Septuaginta non videntur legisse, לסו *lamo*, quod est, *eis*, sed, לעמו *lehamo*, idest, *plebis suae*. Dicit autem, *protector salvationum*, non protector salvationis, fortasse quia protector fuit ad multiplicem salutem, videlicet ut caro mortua non corrumperetur, ut sanguis effusus non periret, ut non solum anima corpori, et sanguis venis restitueretur, sed ut adderetur immortalitas, impassibilitas, agilitas, splendor, et si quae sunt alia, quae ad corpus gloriosum requiruntur.

12. *Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae, et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.*

Christo, qui caput est Ecclesiae, glorificato, hoc superest, ut corpus ejus, idest, populus Dei, qui est peculiaris haereditas Dei, quam acquisivit sanguine suo, pariter glorificetur. Dicit igitur Christum, *Salvum fac populum tuum*. Ut autem salvum facias, *benedic* justificando, *rege* conservando, et protegendo in via, *exalta* glorificando, quae glorificatio usque in saeculum duret.

PSALMUS XXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Psalmus David, in consummatione Tabernaculi.

Hic titulus non habetur in hebraeo, sed solum, *psalmus David*: reliqua addita sunt vel a septuaginta Interpretibus, vel ab aliis; et duobus modis legitur, et intelligitur titulus hujus psalmi. Nam s. Basilius, Theodoretus, et Euthymius legunt, *psalmus David in exitu tabernaculi*; et significari volunt, praecipi sacerdotibus, et levitis exeuntibus de tabernaculo, ut praeparent quae necessaria sunt ad cultum Dei. S. Hieronymus et Augustinus legunt, ut nos habemus in editione vulgata, *Psalmus David in consummatione tabernaculi*: et sensum esse vult s. Hieronymus, hunc psalmum compositum fuisse quando David perfecit tabernaculum, et collocavit in eo arcam Domini. Quod attinet ad argumentum, volunt nonnulli ad litteram in toto fere psalmo agi de potentia Dei, et velle Davidem hortari populum ad laudandum Deum, qui potentiam suam solet manifestare admirandis operibus, quae solo verbo, sive imperio facit. Alii quorum sublimior interpretatio, et dignior Davidico spiritu esse videtur, volunt, in hoc psalmo celebrari Evangelicam praedicationem. Congruit vero titulus, *in consummatione tabernaculi*: nam cum David tabernaculum foederis intelligeret figuram esse Ecclesiae, quae *tabernaculum Dei cum hominibus* dicitur in Apocalypsi, cap. 21. et simul etiam spiritu revelante cognosceret, instrumentum, quo tabernaculum hoc novum perficiendum erat, fore praedicationem Evangelicam, ideo in consummatione tabernaculi illius umbratici, Spiritu Sancto inspirante, cantavit praeconia vocis Domini, qua tabernaculum verum constituitur. Nos utramque explicationem breviter persequemur.

EXPLICATIO PSALMI XXVIII.

1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.*

Cantaturus Propheta laudes potentiae divinae, excitat filios Dei peculiarem, cui notus erat Deus (nam *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus*), ut habetur psalm. 75. ut potentiam illam honorent, victimis eo tempore consuetis, et etiam praedicatione vocis, et inclinatione corporis. Sed juxta posteriorem intelligentiam, cantaturus laudes vocis divinae, per quam perficitur tabernaculum, idest, Ecclesia, quae est mater omnium filiorum Dei, invitat ipsos filios Dei, ipsos vocatos illa voce coelesti, ut Deo sacrificent sacrificium laudis. *Afferte*, inquit, *filii Dei, filios arietum*, idest, vos per sanguinem agni immaculati effecti filii Dei, afferte agnos, offerte sacrificium gratiarum actionis, et laudis: sic enim explicat ipse idem Propheta in sequenti versiculo: *Afferte Domino gloriam*, etc. In hebraeo non habetur, *Afferte Domino filii Dei*, sed solum, הבו ליהוה בני אלים *habu* Adonai *bene Elim*, *Afferte Domino filios arietum*. Fortasse in editione quam habuerunt septuaginta Interpretes, erat utraque pars versiculi, et postea successu temporis excidit pars prior; fortasse etiam non erat nisi pars posterior; sed ea duobus modis interpretata est, et altera interpretatio, quae erat in margine, irrepsit in textum, et hinc nata est lectio, quam nos habemus. Nam si vox אלים *Elim*, legatur ut modo se

habet, significat arietes; si legatur unica litera addita אלהים *Eloim*, significat Deum: proinde eadem sententia reddi potuit, *Afferte Domino filii Dei*, et etiam, *Afferte Domino filios arietum*. Neque desunt in editione vulgata alii loci, in quibus duae interpretationes ejusdem sententiae simul inveniuntur in textu. Certe s. Basil. in commentario hujus psalmi scribit, in multis exemplaribus addita esse haec verba, *Afferte Domino filii Dei*. Ex quo intelligimus, non fuisse haec verba in omnibus exemplaribus graecis, sed solum in aliquibus. Sed undecumque haec verba in editione nostra accesserint, satis bene cum sequentibus cohaerent, habentur in omnibus latinis codicibus, etiam antiquissimis.

2. *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

Haec est declaratio sacrificii, quod ut offeramus Domino, Propheta nos admonet. *Afferte*, inquit, *Domino gloriam et honorem*, idest, voce et opere glorificate Dominum: nec solum voce et opere Deum laudate, sed etiam corporis inclinatione illum veneramini, et per veram adorationem supremum Dominum agnoscite, ac protestamini. In hebraeo pro voce, *honorem*, habetur, עוז *hoz*, quod proprie *fortitudinem, potentiam*, sive *imperium* significat. Ex quo intelligimus, honorem, quem juxta editionem graecam et latinam Deo debemus, esse honorem confessionis potentiae, et imperii Domini: tunc enim Deum vere honoramus, cum ejus potentiam, et imperium agnoscimus, et confitemur. Et est valde ad propositum hoc loco honor potentiae, cum in toto psalmo Dei potentia laudetur. Pro, *nomini ejus*, in codicibus hebraicis cum punctis Rabbinorum habetur, nominis ejus: quae lectio faciliorem sensum habet, quam nostra. Sed quia editio graeca habet, nomini ejus, et eodem modo ex hebraeo vertit s. Hieron. oportet Septuaginta interpretes, et s. Hieron. aliter legisse, quam Rabbini legerunt. Nimirum illi legerunt, כבות שמו *chavod scemo*, *gloriam nomini ejus*; isti vero, כבוד שמו *chevod scemo*, gloriam nominis ejus. Sensus igitur est, *Afferte Domino gloriam nomini ejus*, idest, afferte gloriam Domino, idest, nomini ejus, celebrantes videlicet nomen, famam, notitiam Domini. Pro voce, *atrio*, in hebraeo est, הדרת *hadraht*, *decore*, seu *pulchritudine*, in graeco est, αὐλῇ, unde s. August. et alii legunt, *aula*. Caeterum facile est videre, septuaginta Interpretes non legisse, הדרת *hadrath* sed, חדרת *chadrath*, unica litera simillima immutata: illa enim vox, si legatur per ה, significat decorem, si per ח significat atrium, et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus; nisi Septuaginta viros, qui omnium judicio sapientissimi erant, imperitiae arguere velimus; ut omittam, quod magis convenit cum verbis, *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*, quam *in decore* sancto ejus. Porro vox graeca αὐλῇ, non significat id, quod nos latine dicimus *aulam*, sed vestibulum, sive atrium subdiale, proinde qui legunt in aula, retinent sonum vocis gracae: qui legunt in atrio, retinent veram tam hebraicae, quam graecae vocis significationem. Per hoc atrium sanctum, in quo Deum adorare jubemur intelligitur tum ipsum tabernaculi Judaici vestibulum, ad quod omnibus promiscue aditus erat, cum in tabernaculum soli sacerdotes intrare permittentur: tum potissimum Ecclesia Catholica, quae est velut atrium seu vestibulum tabernaculi coelestis: nam in Ecclesiam et boni, et mali passim admittuntur, sed in tabernaculum coeleste illi soli ingredientur, qui dicere poterunt Christo, ut in Apocalypsi legimus, *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes*, Apoc. 5.

3. *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

Hic jam incipit explicare Propheta, cur nos invitaverit ad laudandam et celebrandam potentiam Dei. Causa enim est, quia *vox Domini* mirabilia operatur tum in corporalibus elementis, tum in spirituali fabrica Ecclesiae. Describit primum operationem Dei in aquis, deinde in aere, tum in igne, postremo in terra, quae sunt partes principales mundi hujus inferioris nobis maxime noti. Prima operatio Dei in aquis describitur in 1. cap. Genesis, cum dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: et ibidem, *dixit Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*; et ibidem, *dixit Deus. Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida*. Tunc igitur facta est *vox Domini super aquas*, cum Deus imperavit, ut aquae dividerentur, et divisae congregarentur in locum unum, idest, in cavernas terrae, et terra habitabilis fieret. Haec ipsa vox dicitur *tonitruum*. *Deus majestatis intonuit*, quia quomodo tonitruum nos continuo prosternit, et obedire cogit: sic ad imperium Domini continuo aquae recesserunt, et in loca humiliora se receperunt. Fuit autem haec vox, et hoc tonitruum Dei super aquas multas, quia tunc aquae undique totam terram cooperiebant, proinde erat quasi immensa aquarum abyssus super terram. Hoc ipsum clarius describit idem David in psal. 103. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquae*, idest, immensitas aquarum undique terram vestiebat, ita ut super omnes montes starent aquae. *Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis*, idest, ab imperante Deo aquae recesserunt, quasi a tonitruo fugerent, et tunc apparuerunt montes editi, et campi depressi. *Terminum posuisti, quem non trasgredientur, neque convertentur operire terram*, idest, non solum aquae ad vocem Domini recesserunt, et terram aridam, atque habitabilem reddiderunt, sed ab eadem voce Domini terminum acceperunt, quem transgredi numquam audebunt. Jam vero secundum alteram expositionem describitur initium Evangelicae praedicationis, quae coepit, cum Deus ipse per se Christo in aquis Jordanis baptizato, evangelizavit toti mundo Jesum Christum esse filium suum; quod

http://www.obrascatolicas.com

est quasi compendium totius Evangelii. Igitur *vox Domini super aquas*, est illa magnifica Dei vox in baptismo Christi audita, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matthaei 3. Tunc enim *Deus majestatis intonuit, et intonuit super aquas multas*, quia tunc institutum est baptisma, et data virtus omnibus aquis totius mundi ad filios Dei regenerandos. S. Augustinus, per vocem Domini super aquas, intelligit vocem Christi super populos, quia dicitur in Apoc. cap. 17. *Aquae multae populi multi sunt*: et addit, ideo dictum esse, *Deus majestatis intonuit*; quia majestas divina erat in carne humana Christi tamquam in nube, et proinde vox Domini ex humana carne, erat quasi tonitruum ex nube. Elegans, et vera expositio; sed superior, quae est patrum Graecorum, videtur magis litteralis.

4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.*

Utrique interpretationi laus haec vocis Dominicae optime quadrat. Nam vox Domini jubentis, ut aquae in principio creationis rerum omnium dividerentur, et aquae inferiores in cavernas terrae sese reciperent, et non reverterentur operire terram, non fuit inanis, et sine effectu, ut pleraque tonitrua esse solent, quae nihil praeter ingentem sonitum habent; sed fuit vox plena virtute, et gloria, atque ad eam continuo est consequutus effectus. Sic etiam vox Evangelicae praedicationis ab ipso Deo inchoatae, et a Christo, et Apostolis propagatae, non fuit inanis verborum strepitus, qualis multorum oratorum, et philosophorum est; sed fuit vox efficacissima, et signis, atque prodigiis confirmata. Ad efficaciam verbi pertinet illud, *in virtute;* ad gloriam miraculorum illud, *in magnificentia*, sive splendore et decore, ut sonat vox hebraica, הדר *hadar*. Apostolus Paulus. 1. Cor. 12. *Praedicatio mea*, inquit, *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis*: et 1. Thessalonic. 1. *Evangelium meum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu sancto.*

5. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.*

Juxta priorem interpretationem transit Propheta ab operatione Dei in aquis ad operationem in aere. Significat autem his verbis, *vocem Domini*, idest, imperium Domini, excitare ventos ac tempestates, quas in psalmo 148. vocat, *spiritum procellarum, quae faciunt verbum ejus*. Et sane mirabilis est potentia Dei, quae rei tam exili, ac tenui tantam virtutem attribuit, ut etiam maximas arbores in momento confringat, et prosternat, quod multi homines magna vi et longo tempore vix facerent. Nominat autem Propheta *cedros*, et *cedros Libani*, quae cedri sunt arbores durissimae, et maximae, et eae nusquam majores inveniuntur, quam in Libano monte. Jam vero juxta posteriorem interpretationem, *cedri Libani*, ratione sublimitatis sunt homines excelsi, sive magnitudine potentiae, sive splendore sapientiae, sive gloria eloquentiae: ratione boni odoris, quem cedri spirant, sunt homines deliciis, et voluptatibus dediti. Denique ratione densitatis et duritiei, qua mirum in modum cedri pollent, sunt homines obstinati, et pertinaces in paternis erroribus. Has omnes cedros Evangelica praedicatio magnifice confregit, et ad humilitatem et mansuetudinem Christianam, nec non ad fructus dignos poenitentiae faciendos perduxit. Exemplorum plenae sunt historiae.

6. *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum Filius unicornium.*

Ex hebraeo juxta priorem intelligentiam habetur sensus facilis, et pulcherrimus: sic enim legimus in hebraeo *et saltare faciet eas sicut vitulum, Libanum et Sarion sicut filium unicornium*; et sensus est, non solum vox Domini confringet cedros Libani, sed etiam integras Cedros radicibus evellet, et exilire faciet ea facilitate, qua vituli saliunt. Nec solum cedros Libani, sed ipsos etiam montes, Libanum, et Sarion saltare faciet ea facilitate, qua filius unicornium salit. Cui sententiae similis est illa in psalmo 113. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*. Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit, vox praedicationis evangelicae non solum confringet cedros Libani, idest, viros quamvis excelsos, et obstinatos ad humilitatem fidei christianae inflectet. sed etiam easdem cedros eradicabit, et in alium locum exilire faciet, idest, ab affectibus terrenis penitus abstrahet, et ad vitam pene Angelicam transferet: quod Apostolis, et Apostolicis viris convenit, qui non solum fideles, sed religiosissimi et perfectissimi evaserunt, ut non tam homines, quam terrestres Angeli viderentur. Nec solum cedros singulas, sed integrum montem cedris plenum sive integras cedrorum sylvas exilire faciet Evangelica praedicatio, idest, non solum hunc, aut illum virum, sed ingentem hominum multitudinem, catervasque integras ad fidem, et religionem, vitamque perfectam adducet. Sed videndum est, quid graeca, et latina editio habeat, inter quas hoc solum interest, quod in graeca legitur et *comminuet eas tamquam vitulum Libanum*, in latina vero, *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*. Quamvis autem s. Basilius et Euthymius legant, *Libanum*, tamen probabile est, in editionibus graecis emendatioribus fuisse, *Libani*, ut legunt s. Hieronymus et Augustinus, et codex antiquissimus, quo utitur in psalmis canendis Ecclesia s. Petri Romae. Et quidem verba illa priora, *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*. possunt non difficulter concordari cum verbis hebraicis: nam dum cedri magno impetu confringuntur, et comminuuntur, certe fragmenta exiliunt, et sparguntur in varias partes. Itaque sensus erit, et comminuet eas, cedros videlicet, ac per hoc per fragmenta et frustra exilire faciet quomodo vituli montis libani exilire, et saltare solent. Sed verba sequentia, *et dilectus quemadmodum filius unicornium*, difficilius cum hebraicis vocibus,

quae nunc habentur in bibliis, concordari possunt: nam *Sirion*, pro quo nos habemus, *dilectus*, significat montem Hermon, Deuteron. 3. et *loricam*, 1. Regum. 17. et 3. Reg. 22. Oportet igitur, ut septuaginta Interpretes, vel aliquid aliud legerunt, vel certe intellexerint vocem illam, quae significat montem Hermon, et loricam, res videlicet tam dissimiles, significare etiam dilectum, quibus habenda fides est, cum ipsi doctissimi essent, et linguae hebraicae peritissimi. Posita autem hac lectione juxta priorem intelligentiam, hic erit sensus: *Et comminuet eas*, nimirum cedros, et comminuendo exilire faciet fragmenta cedrorum, *sicut vitulum Libani*, idest, sicut solet vitulus per montem Libani; *et dilectus quemadmodum filius unicornium*, idest, ut salit dilectus filius unicornium. Dicitur autem dilectus filius unicornium, quod sit speciosum animal, praesertim quando juvenculus unicornis est. Alii sic exponunt, et comminuet Cedros durissimas, quomodo comminui possunt tenerrimi vituli, et tenerrimi filii unicornium: sed nostra expositio magis accedit ad lectionem hebraicam. Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit, praedicatio evangelica non solum confringet cedros Libani, id est, homines potentes et sapientes humiliabit, sed etiam comminuet ut vitulum Libani, idest, rediget altissimas Cedros ad parvitatem exigui vituli, qui pascitur in monte Libano. Per vitulum autem recte intelligitur Christus qui non solum humilis, et mansuetus fuit more lactentis vituli, sed etiam immolatus in sacrificium Deo: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*, idest, et tunc quando Cedri Libani confractae fuerint, apparebit dilectus, qui est Christus dilectissimus Patri et desideratus cunctis gentibus: apparebit inquam, non amplius ut inermis vitulus, sed ut filius fortissimi unicornis. Majestas enim divina, et omnipotentia Christi tunc primum apparere coepit, cum per evangelicam praedicationem piscatorum, oratores, et philosophi, et ipsi etiam Principes mundi credere coeperunt in Christum. De viribus unicornis sive rinocerontis, vide Job 39.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.*

In prima parte hujus versus quae apud hebraeos est versus integer, transit Propheta ab operatione Dei in aere ad operationem in igne, ac dicit, *Vocem Domini*, idest, imperium, et potentiam Domini, *intercidere*, i. test, dividere *flammas ignis*, quod fit, quando imperante Domino, varia mittuntur a nubibus, quasi e coelestibus caminis, fulmina in terras quibus nihil terribilius, et formidabilius mortalibus accidere solet: potest etiam illa intercisio, sive divisio flammarum non solum referri ad multitudinem, et varietatem fulminum, sed etiam ad subtilitatem et acumen ipsorum fulminum: quae enim acuuntur, dividuntur, ac interciduntur, ut ad subtilitatem redigantur: porro nihil est omnino in rebus corporalibus acutius, subtilius, penetrabilius coelesti fulmine, unde est illud in cantico Mosis, Deuter. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum*. Juxta alteram intelligentiam, *vox Domini*, idest, Evangelica praedicatio *dividit flammas ignis*, dum per eam Spiritus Sanctus in cordibus hominum jaculatur ignem divini amoris, multis et variis modis: in cujus rei signum apparuerunt in die Pentecostes super credentes, *dispertitae linguae tamquam ignis*, Act. 2. In altera parte versus celebrat Propheta potentiam Dei operantis in terra, ac dicit. *Vocem Domini concutere et commovere desertum*. Verbum hebraicum, יחיל *jachil*, significat, *parturire faciet*, ex quo intelligimus, concussionem et commotionem, quae in graeca et latina editione exprimitur, non esse simplicem terrae motum, aut concussionem ex fragore tonitrui in deserto peculiariter resonantis, ut aliqui volunt; sed esse concussionem et commotionem ad parturiendum. Itaque significatur hoc loco mirabilis potentia Dei, quae sicut montem Libani potest, cum voluerit, Cedris omnibus spoliare, et desertum facere: ita e contrario potest ipsum desertum Cades ubi nihil nasci solet, unica concussione parturire facere, et continuo arboribus et animalibus replere. Simile est quod dicitur in psalmo 106. *posuit flumina in desertum, terram fructiferam in salsuginem*; et paulo post, *posuit desertum in stagna aquarum, et collocavit illic esurientes et constituerunt civitatem habitationis, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas*. Sed juxta alteram intelligentiam significatur, ad evangelicam praedicationem convertendas esse etiam barbaras nationes, quae antea caruerant cultura spirituali, et irrigatione gratiae Dei, ut comparatione aliarum nationum desertae dici possent. Quid si etiam hic significari dicamus, vera deserta paritura fuisse infinita agmina Monachorum, ac per hoc, ut loquitur s. Hieronymus in epist. ad Heliodorum, futura deserta vernantia floribus Christi? Nam in hoc ipso deserto Cades, fuisse plurima monasteria tempore s. Hieronymi, testatur ipse in vita s. Hilarionis.

8. *Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.*

Juxta priorem intelligentiam Propheta, qui Dei potentiam laudavit in elementis omnibus, aqua, aere, igne, et terra, nunc laudat in animantibus, et plantis, paulo post laudaturus in hominibus. Dicit igitur, *Vox Domini praeparantis cervos*; ubi ponit loco exempli, operationem Dei in cervis. Nam ut habemus in lib. Job cap. 39. cervae summa difficultate pariunt, et causa videtur esse, quia tam perfectos foetus edunt, ut illi statim ad pastum pergant, nec redeant ad matrem, ut in eodem loco dicitur. Mira igitur Dei potentia in eo cernitur, ut cervas parere faciat. In Hebr. habetur, קול יהוה יחולל אי לות *kol* Adonai *jecholel aialoth*, *Vox Domini parere faciens cervas;* vel s. Hieronymus vertit, *Vox Domini obstetricans cervis*. Idem significant verba graeca et latina, *Nam praeparare cervos*, nihil est aliud hoc loco, nisi praeparare ad pariendum. Nomen cervos, commodius

http://www.obrascatolicas.com

legeretur, cervas: nam in hebraeo est nomen foemininum, et in graeco est nomen commune ἐλάφης. Sed recte etiam potest intelligi, praeparantis cervos: nam ponitur nomen masculinum ad exprimendum cervos in genere, non distinguendo sexus: quasi diceretur, *Vox Domini praeparat cervos*, idest, speciem cervinam ad partum, quae species sine peculiari providentia Dei parere non posset. In verbis sequentibus, *Et revelabit condensa*, sive ut in hebraeo apertius legitur, *aperiet sylvas*, significatur operatio Dei in arboribus, et sensus est, Deo nihil esse clausum, sed omnia pervia; ipse enim omnia penetrat, etiam densissimas sylvas, et ubique operatur; et ideo, *In templo ejus omnes dicunt gloriam*, idest, omnes creaturae Deum laudant, et glorificant in hac rerum universitate, quae est veluti templum ejus. In hebraeo est, כלו *chullo omne in ipsum*, sive totum hoc *dicet gloriam*: ideo exposuimus, *omnes*, idest, omnes creaturae: non enim loquitur solum de hominibus, sed de toto eo, quod dictum erat, idest, aqua, igne, etc. Juxta alteram intelligentiam sublimiorem, *vox Domini praeparat cervos*, cum evangelica praedicatio praeparat homines spirituales alta petentes et venenatos serpentes spiritu suo occidentes, ad partum mirabilium operum: quid enim majus, et mirabilius, quam ut homo infirmus operetur opera meritoria vitae perpetuae? Et cum vox Domini cervos omnes parere fecerit, tunc demum, *revelabit condensa*, i est, ut exponit s. Basilius in secunda expositione hujus psalmi, *revelabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium*, in extremo judicio, juxta Apost. 1. Cor. 4. et tunc tam erit evidens justitia Dei, ut in magno illo theatro, et templo omnes omnino, tam boni, quam mali sint glorificaturi Deum. Tunc enim *curvabitur Christo omne genu*. Philip. 2. at omnes vel inviti, vel libenter dicent, *justus es Domine, et rectum judicium tuum*, psalm. 118. sic in templo ejus omnes dicent gloriam. S. Augustinus per illud, *revelabit condensa*, intelligit revelationem Sacramentorum et arcanorum scripturae sanctae, quae viris sanctis et perfectis, quasi cervis alta petentibus, aperiuntur.

9. *Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus Rex in aeternum.*

In hebraeo est יהוה למבול ישב *Adonai lammabbul jasciab. Dominus diluvium inhabitat*, et sic et am ex graeco legunt Basilius, et Augustinus: et tamen Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam magis probat nostram lectionem, nimirum, *inhabitare facit*, et sic dicit se transtulisse. Eodem modo legit Euthymius. Et certe graeca vox κατοικεῖν utrumque significat, *inhabitare*, et *collocare*, idest, habitare facere: vox hebraea parva mutatione facta in eamdem significationem adduci potest. Retenta igitur nostra lectione, juxta priorem intelligentiam, redditur causa, cur omnia dicant gloriam Deo. Causa enim est, quia *Deus diluvium inhabitare facit*, idest, copiosum imbrem effundit super terram, ex quo rebus omnibus alimentum producitur et vita sustentatur et ipse idem Deus sedebit rex et Dominus in aeternum, omnia videlicet regens, omnia gubernans, omnia disponens. At juxta posteriorem intelligentiam Dominus cum in extremo judicio revelaverit condensa, et ab omnibus justitia ejus laudata fuerit, tunc diluvium inhabitare faciet, effundens omnia genera bonorum in bonos et omnia genera malorum in malos et sic nullo penitus resistente, sublato de medio omni alio principatu et regno Daemonum, atque hominum impiorum, *sedebit Dominus rex in aeternum*. Referunt hoc diluvium, alii ad diluvium Noe, alii ad baptismum, et quia sunt auctores graves et magni nominis, non audeo improbare.

10. *Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.*

Haec est conclusio psalmi, in qua juxta priorem intelligentiam, Propheta, qui laudavit Dei potentiam in omnibus aliis rebus mundi hujus inferioris laudat postremo in hominibus, idest, *in populo suo*, cui dandam esse dicit a Deo *virtutem*, idest, robur et vires contra omnes adversarios, et iis omnibus superatis, dulcissimam quietem et pacem. At juxta posteriorem intelligentiam, concludit psalmum, promittens Domino *virtutem*, idest, potentiam et robur in hac peregrinatione ad resistendum tentationibus, *et benedictionem*, ac pacem sempiternam in aeterna vita. Non videtur hoc loco praetereunda pia quorumdam observatio, qui vocem Domini septies in hoc psalmo repetitam, septem Ecclesiae sacramentis ita accommodant, ut vocem Domini super aquas, Baptismo; vocem Domini in virtute Confirmationi; vocem Domini in magnificentia, Eucharistiae; vocem Domini confringentis cedros, poenitentiae; vocem Domini concutientis desertum, ordini; vocem Domini intercidentis flammam ignis, matrimonio; vocem Domini praeparantis cervos unctioni extremae convenire velint.

PSALMUS XXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Cantici, in dedicatione domus David.

Hic titulus indicat psalmum et voce, et instrumentis musicis cantatum, quod in praefatione annotavimus ex b. Hilario, et idipsum docet in commentario hujus psalmi s. Basilius. Ex eodem titulo colligimus, hunc psalmum compositum fuisse a Davide, quando domus ejus in Jerusalem magnificentissime extructa, dedicata fuit. Tunc enim intellexit David regnum suum a Deo confirmatum et stabilitum fuisse, et ideo in gratiarum actionem hunc hymnum cecinit Deo. Habetur haec historia lib. 2. Reg. 5. et lib. 1. Paralip. 14. videtur autem hic psalmus duplicem sensum habere, ut psalmus superior, unum historicum, alterum propheticum, utrumque litteralem. Et quidem recte post consummationem tabernaculi, quod est Ecclesia militans in terris, sequitur dedicatio domus, quae est Ecclesia stabiliter quiescens in coelis, cujus fundamentum, quod est Christus, jam dedicatum est, cum ad vitam immortalem et gloriosam pervenerit.

EXPLICATIO PSALMI XXIX.

1. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*

David confirmato regno, arce Sionis munita, et de nomine suo civitate David appellata, denique domo regia magnificentissime exstructa, Deum agnoscens tantorum beneficiorum auctorem, tributum illi offert gratiarum actionis, ac dicit, *exaltabo te Domine*, id est, quamvis tu Domine altissimus sis, ut re ipsa altior fieri non possis, tamen apud eos, qui altitudinem tuam minus agnoscunt, exaltabo te praedicatione mea, et faciam quod in me est, ut te altissimum esse omnes agnoscant. *Quoniam suscepisti me*, de imo videlicet ac de profundo humilitatis suscepisti et exaltasti in solium regni. Nam vox hebraea, דלה *dalà*, *exaltare* significat. Itaque ait, ut exaltasti me et ego exaltabo te, non tribuens meis viribus exaltationem meam, sed magnificentiae tuae: tu exaltasti me, et ego humiliabo me, ut exaltem te. *Nec delectasti inimicos meos super me*: hoc ex illa exaltatione consequutum est, ut inimici David qui plurimi fuerunt, et cum longissimo tempore ad necem quaesierunt, non habuerint materiam gaudendi ex ejus interitu, quem avidissime expetebant, sed contra dolendi ex illa exaltatione quam impedire totius viribus conabantur. Jam vero prophetico sensu loquitur David in persona Christi et electorum, tum omnium, tum singulorum, quos in coelesti regno quasi exaltatos praevidebat, e quorum numero ipse quoque futurus erat. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*, idest, nunc vere te Domine cogitatione et voce exaltabo, cum ex mea exaltatione cognoscam sublimissimam altitudinem tuam: ex ima terra et profundo miseriarum, ex ipsa mortalitate suscepisti et exaltasti me ad gloriam resurrectionis et immortalitatis, atque adeo ad regnum coeleste, et sempiternum. *Nec delectasti inimicos meos super me*, quia non permisisti, ut potirentur desiderio suo, quo in sempiternum interitum meum anhelabant doemones et homines mali. Gavisi sunt quidem impii Judaei, cum a Pilato extorserunt sententiam mortis in Christum et non raro laetantur mali cum bonis, vel opibus, vel etiam vita spoliare possunt: sed eorum laetitia tam brevis est et tam longum adducit dolorem ut merito somnium potius laetitiae, quam vera laetitia dici debeat.

2. *Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me.*
3. *Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum.*

Revocat Propheta ad memoriam angustias suas quas ante regnum adeptum passus est, ut ostendat verum esse, quod paulo ante dixit: *nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamavi ad te*, cum in periculis mortis tam saepe versarer et ob id aegritudine animi contabescerem; sed tu Domine sanasti aegritudinem illam meam et a morte propinqua ita me liberasti, ac si ex ipso inferno me eduxisses. Illud autem, *salvasti me a descendentibus in lacum*, idem significat, sed est loquutio paulo obscurior. Sensus est, salvasti me, vel ut habetur ad verbum in hebraeo, חייתני *chiithani, vivificasti me a descendentibus in lacum*, idest excitasti me a mortuis: nam per descendentes in lacum intelliguntur mortui. Dicitur autem David excitatus a mortuis quia a morte propinqua, et certissima liberatus fuerat. At juxta propheticam intelligentiam, Christus plane ad litteram dicere potest *sanasti me*, idest vulnera mea

http://www.obrascatolicas.com

in cruce accepta et *eduxisti ab inferno*, idest, e limbo animam meam et *vivificasti me* per resurrectionem, atque ita a mortuis excitasti. Denique sancti omnes dicere poterunt, cum domus aeterna dedicabitur *sanasti me*, perfectissima sanitate corporis et animae *et eduxisti ab inferno animam meam* quia non permisisti, ut in infernum damnatorum descenderem et *salvasti* seu *vivificasti me a descendentibus in lacum*, quia vitam et salutem aeternam mihi donasti. Idem habetur in psal. 102. *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam meam.*

4. *Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriae sanctitatis ejus.*

Et David acceptis temporalibus beneficiis, et unusquisque sanctorum acceptis beneficiis aeternis parum esse judicans, si ipse solus Deo gratias agat, hortatur alios qui similia beneficia perceperunt ut Deum laudare non cessent. Illud, *confitemini memoriae sanctitatis ejus*, hunc sensum habet, confitemini confessione laudis, idest laudate memoriam sanctam ejus quod videlicet vestri memor fuerit memoria sancta, memoria pia, memoria paterna, non ad puniendum, sed ad justificandum: passim enim in lingua hebraica ponitur nomen substantivum in secundo casu pro adjectivo in primo casu. Quod enim frequenter legimus *in nomine sancto ejus*, vel *in templo sancto ejus*, in hebraeo est *in monte*, vel *in templo sanctitatis ejus*. Itaque s. Hieron. qui hoc loco posuit *memoriae sanctitatis ejus*, in psal. 97. versu ultimo posuit *memoriae sanctitatis ejus*. Et vero magnum est hoc Dei beneficium et memoria gratissima recolendum, quod cum nos, qui Dei ope semper indigemus, saepe obliviscamur illius, ille qui bonorum nostrorum non eget, semper recordetur nostri et praecipue recordatus sit, cum misit ad nos filium suum, Salvatorem mundi, quod ipsum idem David in psal. 8. miratur, cum ait, *quid est homo, quia memor es ejus?*

5. *Quoniam ira in indignatione ejus et vita in voluntate ejus.*

Reddit rationem, cur dixerit, laudandam esse memoriam sanctam, quam de nobis habet Deus. Ratio enim est, quia Deus, si nos punit, id facit *ex indignatione*, quam peccata nostra provocant, idest, ex justo judicio, sed alioqui in voluntate et electione ejus non est poena, sed vita. Itaque per iram intelligitur poena et castigatio, quae dicitur ira, quia est effectus irae: per indignationem, intelligitur justum Dei judicium, ut s. Basilius et alii exponunt. In hebraeo habetur, *quoniam momentum est in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus*. Sed septuaginta interpretes non videntur legisse רגע *regah*, quod significat momentum, sed רגז *rogez*, quod significat iram, fortasse etiam legerunt. *ragah*, et verterunt iram, quia vox illa, non solum significat momentum, sed etiam scissionem, proinde intellexerunt, sensum esse, in indignatione Dei esse scissionem, idest occisionem et mortem, sed in voluntate Dei esse vitam: sed pro scissione posuerunt iram, quia saepissime in scriptura ponitur ira pro poena. Caeterum sensus etiam, quem ex hebraeo exprimit s. Hieron. non est contemnendus: vere enim respectu electorum, de quibus in hoc psalmo agitur *momentum est in indignatione Dei*, idest, brevissima et momentanea est indignatio Dei in electos peccantes, quia statim poenitentibus ignoscit, nam in voluntate ejus non est ira, sed vita. Porro haec omnia in Christum caput electorum mirifice quadrant. Nam *Pater filio suo non pepercit*, Rom. 8. sed tamen ira, idest punitio fuit in Christo ex indignatione contra peccata nostra, et fuit castigatio illa brevissima; sed vita et resurrectio Christi fuit plane ex voluntate et electione Dei.

6. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia.*

Sanctus Hieronymus vertit *in matutino laus*; sed vox hebraea, רנה *rinna*, significat proprie *jubilationem*, sive *exultationem*, in qua est conjuncta laus cum laetitia; proinde non est discrepantia inter versiones. Sensus igitur est, unde probari, iram sive momentum, esse in indignatione Dei; sed in voluntate et beneplacito ejusdem esse vitam electorum suorum, quia post fletum ex castigatione et poenitentia natum, statim succedet laetitia et laus jubilationis ex remissione et reconciliatione: nam inter vespere et mane, idest inter noctem et diem nihil est medium. Recte autem tribuitur tempus nocturnum fletui et diurnum laetitiae, tum quia cum peccamus, recedit a nobis lux gratiae divinae, cum reconciliamur redit; tum quia tempus hujus vitae, in quo peccata deflemus, et prae desiderio patriae gemimus et suspiramus, tempus est nocturnum, quia non videmus Deum, qui est sol justitiae: tempus autem vitae futurae, *in quo exultabimus laetitia inenarrabili et glorificata*, ut loquitur s. Petrus, 1. epist. c. 1. tempus erit diurnum, quia videbimus Deum sicut est. Sed in Christo ad litteram impletum est hoc vaticinium: nam ad vesperam cum dolore mortuus est et in matutino cum laetitia resurrexit.

7. *Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum.*

Vicissitudinem irae et vitae, fletus et laetitiae quam demonstravit Propheta superioribus versiculis generatim: nunc demonstrat in particulari, loquens tum in persona sua, tum in persona electorum Dei. Ac primum in persona sua dicit, se antequam in regnum exaltaretur, aliquando tanta pace et bonorum temporalium copia abundasse, ut existimaret sibi illa perpetuo adfutura. Videtur autem respicere ad illud tempus, in quo post caedem Goliath Philistaei, ut habetur 1. Reg. 18. diligebatur a rege, a filio regis, atque ab omni populo, ita ut paulo post fieret tribunus et gener regis. De hoc igitur tempore dicit, *ego autem dixi in abundantia mea*, idest dum bonis omnibus abundarem, *non movebor in aeternum*, idest tam bene fundata est haec foelicitas mea, ut semper duratura videatur.

8. *Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem.*

Reddit rationem, cur dixerit, *non movebor in aeternum*, atque id facit per apostrophen ad Deum quasi diceret, ideo dixi, *non movebor in aeternum*, quia tu *Domine praestitisti virtutem*, idest robur ac viros, *decori meo*, idest foelicitati meae, idque *in voluntate tua*, idest in beneplacito tuo, quia ita placuit tibi, ita voluisti et decrevisti. In hebraeo habetur *monti meo*, pro decori meo: sed septuaginta non legerunt, הרי *hareri*, idest *monti meo*, sed הדר *hadari*, *decori meo*, unica litera, eaque simillima mutata; et, ut saepe diximus, in ejusmodi vocum ambiguitatibus, videtur omnino praeferenda lectio septuaginta interpretum, et editionis vulgatae.

9. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

Hic non declarat rerum vicissitudinem, quae tamen ex Dei providentia pendet. *Avertisti*, inquit, *faciem tuam a me*, idest paulo post, in medio cursu foelicitatis destituisti me favore tuo, et permisisti, ut in odium regis inciderem, *et factus sum conturbatus*: inde enim exilium, fuga, mortis periculum et alia mala exorta sunt. Sed haec omnia longe adhuc melius conveniunt in vicissitudines, quas patiuntur electi, cum peregrinantur in terris. *Ego autem*, inquit electus quilibet, *in abundantia mea*, idest, dum gratia Dei et spirituali consolatione abundabam, *dixi, non movebor in aeternum: etiamsi oportuerit me mori tecum non negabo*, dixit unus ex primariis electis, Matth. 26. *Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem*, idest robur meum non ex me erat, sed ex te, quia tu praestiteras virtutem decori meo, idest, pulchritudo animae meae, quae ex luce sapientiae et justitiae oritur, a tuo adjutorio conservabatur. *Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus*, idest ut punires praesumptionem meam, dimisisti meipsum mihi et continuo cecidi, et conturbatus sum. Quod attinet ad Christum, possunt hi tres versiculi tribui Christo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, idest ut ea omnia dicat in persona membrorum suorum. Possunt etiam Christo tribui in persona propria. Nam quemadmodum ipse dixit in Cruce, Matth. 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me;* Ita dicere potest, *avertisti faciem tuam a me*, non aversione inimicitiae, sed aversione defensionis et auxilii tempore passionis. Itaque sensus erit, *ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum*, idest humanitas mea iniuncta prae omnibus consortibus suis abundantissimae gratiae, ipsi nimirum fonti gratiarum Deo hypostatice unita dixit: *non movebor in aeternum*, idest nihil mihi nocere, nihilque me perturbare poterit. *Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem*, id est, quia tu Domine pulchritudini, et excellentiae meae, qua praesto omnibus hominibus et angelis, addidisti robur et potentiam, nodum videlicet insolubilem hypostaticae unionis, idque *ex voluntate tua*, cui nemo resistere potest. *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus*, idest nihilominus tamen manente, vinculo hypostaticae unionis, et illaesa pulchritudine gratiae, avertisti ad tempus pro salute hominum faciem tuam a defensione mea: voluisti, ut calix amarissimae passionis non transiret a me, sed biberem illum: ideo *conturbatus sum*, coepi pavere, taedere et moestus esse, et dixi, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Neque hinc colligi debet, Christi animam aliquid ignorasse vel aliquid inopinatum ei contigisse: nam verum est, nihil ei nocere, vel eam turbare potuisse, nisi ipsa voluisset, sed admisit, in se furentium manus, et turbavit semetipsum. Et sicut Christus dixit ad Patrem, *avertisti faciem tuam a me*, ita dicere potuisset, averti faciem divinitatis meae ab auxilio humanitatis meae, et sciens et volens conturbatus sum.

10. *Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.*
11. *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*
12. *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?*

Haec omnia videntur accipienda pro tempore praeterito, neque est insolitum, ut apud hebraeos futurum ponatur pro praeterito. Itaque David in sensu historico dicit, se tempore tribulationis et periculi, clamasse ad Dominum, atque inter caetera allegasse, non esse utilem Domino mortem suam, quia mortuus non posset Deum laudare. *Ad te Domine clamabo*, idest cum te avertente faciem factus sum conturbatus, non desperavi de misericordia tua: sed ad te clamavi et deprecatus, dixi, *quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem*, idest, quid tibi Domine proderit effusio sanguinis mei, dum ego ab inimicis occisus, putrescam in sepulchro? Certe pulvis non confitebitur tibi confessionem laudis. Juxta sensum altiorem et propheticum, Christus in passione ad Dominum clamasse et orasse, se dicit, quod impletum fuit, quando, ut Apostolus loquitur ad Hebr. 5. *Cum clamore valido et lacrymis, preces obtulit ad eum, qui posset eum salvum facere a morte*. Tunc igitur ait, *quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* id est, quae utilitas erit gloriae Dei et saluti humani generis in sanguine meo in cruce effuso, dum caeterorum hominum more, corpus meum in sepulchro putrescit et corrumpitur? Nam *nisi Christus resurrexisset, inanis esset fides nostra*, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 15. et neque ipse redivivus annunciasset Apostolis veritatem Dei, neque homines mortales qui sunt ex se pulvis et cinis, facti essent spirituales, et filii Dei, qui Domine confiterentur et annunciarent aliis hominibus veritatem, idest fidelitatem et justitiam Dei. Denique possunt haec eadem verba tribui singulis electis, qui post lapsum in culpam, poenitentia ducti, clamaverunt ad Deum

http://www.obrascatolicas.com

pro remissione peccati, ut possent Domino confiteri et annunciare aliis peccatoribus veritatem promissionum Dei.

13. *Audivit Dominus, et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.*

Ex hoc versiculo perspicuum est, verba versiculi decimi recte explicata fuisse pro tempore praeterito. Affirmat igitur Propheta tum in persona sua, tum in persona Christi et electorum, clamorem suum a Deo fuisse exauditum. In hebraeo legitur, *audi Domine, et miserere mei, Dominus esto adjutor meus.* Sed eaedem voces hebr. שמע יהוה וחנני יהוה היה עזר לי *scemah* Adonai *vechonneni* Adonai *heieh hozer li*, sub aliis punctis reddunt lectionem, quam nos habemus. Proinde certum est, septuaginta interpretes aliter legisse, quam s. Hieron. et hebraei posteriores legerint: neque dubitandum est, septuaginta interpretum auctoritatem in iisdem vocibus legendis praevalere debere.

14. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.*

Hic est effectus exauditionis David, ex misero exule rex potens effectus; Christus ex mortuis resurgens et de ipsa morte triumphans, electus quisque ex valle lacrymarum ad patriam coelestem perveniens justissime dicit *convertisti planctum meum in gaudium mihi.* In hebraeo, pro *in gaudium*, est in chorum, sed per chorum hebraice, מחול *machol*, intelligitur instrumentum musicum. Sensus est idem; sed vox hebraea videtur paulo elegantius respondere voci praecedenti, ac si latine diceretur, *convertisti planctum in cantum.* Quod sequitur, *conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia*, significat mutationem vestis lugubris in vestem laetitiae convenientem. Dicit autem Propheta; conscidisti, et non exuisti, vel spoliasti, quia quod exuitur, remanet integrum; quod scinditur, destruitur, ut usui deinceps esse non possit. Itaque significatur hoc loco saccus miseriae vel mortalitatis, et passibilitatis plane destructus, ut numquam amplius usui sit futurus in sanctis, ac multo minus in Christo, qui *resurgens a mortuis, jam non moritur*, ut dicitur Rom. 6.

15. *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.*

Hic est ultimus finis gloriae Christi et sanctorum omnium, laus Dei, *beati qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.* Illud, et non compungar, in hebraeo est, ולא ידם *velo iddom.* Psal. 83. *et non taceat:* ut sensus sit, ut gloria mea cantet tibi laudem, et gratiarum actionem et numquam taceat, numquam cesset a laude. Cui recte subjungitur, *in aeternum confitebor tibi*, idest semper laudabo, numquam silebo. Sed quamquam haec lectio satis cohaeret cum reliquis verbis, tamen idem vocabulum hebraicum, ידם *iddom* significat silere, et excidere sive succidere: et hanc significationem elegerunt septuaginta interpretes, et legerunt in prima persona, *et non compungar*, quod est idem cum eo *et non succidar.* Est autem sensus, cantet tibi gloria mea, et non gemitus meus, ex timore mortis, vel peccati: vel, cantet tibi gloria mea, et non amplius compungar aculeo mortis, vel peccati.

PSALMUS XXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem Psalmus David, pro Ecstasi.

In hoc titulo nihil est novi nisi illa vox Ecstasis, quae non habetur in hebraeo, et fortasse non est addita a septuaginta interpretibus, sed ab aliquo alio interprete: nam in quibusdam solum exemplaribus illam se invenisse Theodoretus testatur. Sanctus quoque Hieronymus eam non habet neque in versione sua ex hebraeo, neque in commentario, ubi exponit versionem septuaginta interpretum. Quicumque illam particulam addidit, eam accepit ex versiculo 28. hujus psalmi. *Ego autem dixi in excessu mentis meae.* Significat autem ecstasis mentis excessum, cum animus intendit in rem aliquam, ut quasi corpus proprium deseruisse videatur. Oritur autem iste excessus, vel ex divina aliqua revelatione, quae rapit mentem in arcanum aliquod intuendum, vel ex vehementi passione timoris, vel amoris. Hoc autem loco, videtur intelligenda ecstasis ex timore repentino, et maximo, quo David correptus fuit, cum audivit Absalonem filium et omnem populum contra se conspirasse. Quae historia habetur 2. Reg. 15. Videtur autem ad litteram psalmus de Davide fugiente persecutionem Absalonis intelligendus, ut Theodoretus, et Eutymius volunt. Sed potest etiam ad ecclesiam inter persecutionum angustias gementem, accommodari.

EXPLICATIO PSALMI XXX.

1. *In te Domine speravi non confundar in aeternum, in justitia tua libera me.*

David rex fugiens persequentem Absalonem, omni humano auxilio destitutus, ad Deum recurrit, ac dicit, *in te speravi*, et ideo confido quod numquam frustrandus mea spe sim, quia tu omnipotens et fidelissimus es. Igitur justa hanc spem meam, *libera me in tua justitia*, idest ob justitiam, qua impios punire soles, et innocentes liberare.

2. *Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.*

Quia persecutio urgebat, et amici David 2. Regum 17. per nuncios ei significaverant, ut non quiesceret; se fugere perseveraret, nisi opprimi vellet; ideo petit velociter exaudiri, et de imminenti periculo erui.

3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.*

Verba sunt clara, quia septuaginta interpretes exposuerunt verba metaphorica, quae sunt in codice hebraico, היה לי לצור מעוז *heieh li letsur mahoz*, et sic enim legitur ad verbum. *Esto mihi in petram fortissimam, et in domum munitissimam ad salvandum me.* Vocatur autem hoc loco petra fortissima, vel saxea rupes in sublimi posita, vel domus sive arx fortissimis lapidibus constructa; et tunc verba sequentia erunt explicatio praecedentium, ut sensus sit. Esto mihi o Deus, instar petrae durissimae, idest, instar domus, sive arcis munitissimae, in quam tuto confugere possim. Dicuntur autem omnia plane ad rem propositam aptissime. Nam David fugiebat per campestria deserti, ubi nulla arx, in quam confugere posset.

4. *Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me et enutries me.*

Hic etiam exposuerunt septuaginta metaphoras vocum hebraicarum: sic enim legimus in hebraeo, כי סלעי ומצודתי *chi salhi umtsudathi. Quoniam petra mea, et munitia mea tu es*, idest, sis tu mihi loco arcis lapidea, et munitae quoniam munitionem aliam habere non possum. Quod sequitur. *Et propter nomen tuum deduces me, et enutries me*, optime respondet historiae. David enim ob repentinam fugam, neque quo iturus esset sciebat, neque unde alimenta conquireret: unde divina providentia factum est, ut ei Siba occurreret cum ducentis panibus, et centum alligaturis uvae passae et duobus utribus vini. Itaque ait, *propter nomen tuum*, idest, in gloriam nominis tui deduces me ad locum tutum, et ad nutrimentum cibos providebis. Recentiores aliqui vertunt, *duces me, et duces me.* Quod mirum est, cum vocem hebraicam, נהל *nahal*, non solum septuaginta, sed etiam s. Hieron. tum hoc loco, tum in psal. 23. significare velint, *enutrire*, vel *sustentare*.

5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.*

Non solum, inquit, duces me ad locum tutum, et ibi enutries, sed etiam liberabis de insidiis, quas veluti laqueum absconditum tetenderunt mihi: vocat enim laqueum, occultam conjurationem factam cum Absalone in Hebron contra se nihil tale metuentem, neque cogitantem. Ad illud, *quoniam tu es protector meus*, additur, Domine in textu Graeco, sed supervacaneum esse affirmat s. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam.

6. *In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.*

Quamvis bona spe dixerit, *educes me de laqueo hoc*, tamen quia de vita nondum securus erat, addit, *in manus tuas commendo*, vel, ut habetur in hebraeo, אפקיד רוחי *aphkid ruchi*, et graeco textu παραθήσομαι τὸ πνεῦμα μου, *commendabo spiritum meum*, idest, curae tuae commendabo vitam meam. Quoniam tu saepe alias *redemisti me de morte*; tu, inquam, Domine quia es *Deus veritatis*, idest, Deus verissimus, vel Deus fidelissimus. Propter hunc locum suspicantur aliqui totum psalmum intelligendum esse de Christo: ipse enim in cruce pendens dixit, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Sed etiamsi psalmus non intelligatur ad litteram de Christo, tamen potuit Dominus haec verba de hoc psalmo accipere cum spiritum suum Deo Patri commendare vellet: quomodo etiam s. Nicolaus moriens, hunc psalmum usque ad verba, quae nunc exponimus, pronuntiavit, et nos frequentissime iisdem verbis utimur. Certe verba illa ejusdem versiculi, *redemisti me Domine Deus veritatis*, non recte tribuuntur Christo, cum sit ipse redemptor, non redemptus. S. Augustinus Christo tribuit priora verba, *In manus tuas commendo spiritum meum*: posteriora tribuit populo Christiano, *redemisti me Domine Deus veritatis*: vult enim s. Augustinus in hoc psalmo frequenter mutari personas, et nunc loqui Prophetam, nunc vero Christum, nunc autem populum. Quod quidem recte, et pie dicitur, cum my-

http://www.obrascatolicas.com

stica explicatio quaeritur: sed cum sensus litterae investigatur, non videntur mutationes personarum intelligendae, ubi non est distinctio, sive interpunctio, quae nobis finitam sententiam: hoc autem loco sine tali interpunctione continuantur verba totius versiculi in omnibus codicibus, hebraeo, graeco, et latino.

7. *Odisti observantes vanitates supervacue.*
8. *Ego autem in Domino speravi, exultabo, et laetabor in misericordia tua.*

Reddit aliam rationem, cur in manibus Dei commendaverit vitam suam: quia videlicet Deus odio habere soleat eos, qui non sperant in suo adjutorio; sed in rebus vanis, quae nullum auxilium adferre possunt. *Odisti*, inquit, *observantes vanitates*, idest, somnia vel auguria, vel responsa daemonum; quod fecit Saul qui consuluit pythonissam. Potest etiam nomine vanitatis intelligi industria, vel astutia humana, sive quodcumque consilium et auxilium hominum, quod sine Deo, vel contra Deum nullas vires habet, ideo additur *supervacue*, quia frustra nituntur homines in rebus vanis. *Ego autem*, inquit, non observavi, neque aspexi res vanas, ut in illis confiderem: sed *speravi in Domino*, et ideo *exultabo, et laetabor in tua misericordia*, quia nimirum sperantes in Domino misericordia divina non deserit. Ex hebraeo legunt recentiores. *odivi observantes vanitates*: et vere vox hebraea, שנאתי *sanethi*, significat odivi; sed septuaginta, et s. Hieron. legerunt, שנאת *sanetha*, quod significat, odisti: proinde mutatio textus facta est post tempora s. Hieronymi. Sensus semper est verus, sed melius cohaeret cum sequentibus nostra lectio; non enim recte conjungitur, *odivi vanitates*, cum illo, *ego autem speravi*.

9. *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.*
10. *Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.*

Allegat praeterea beneficia, ut gratum se ostendens, provocet Deum ad similia concedenda. Sensus est, *exultabo et laetabor in tua misericordia*, quoniam pignus habeo misericordiae, liberationem ex persecutione Saulis: tunc enim *respexisti humilitatem meam*, idest, abjectionem et afflictionem meam: haec enim omnia significat vox hebraea, עניי *honii*: *salvasti etiam tunc animam meam*, idest, de angustiis in quibus necessario haerebam, neque inde me eximere poteram: in Hebraeo ad verbum est, ידעת בצרות נפשי *jadahtha betsaroth naphsei. Scivisti angustias animae meae*, sed sensus est idem: voluerunt enim Septuaginta non verbum verbo reddere, sed utcumque sententiam explicare. Idipsum reperitur, vel explicatur sequenti versiculo: *Nec conclusisti me in manibus inimici*, idest, non permisisti ut Saul, qui me quaerebat ad necem, voto suo potiretur: sed statuisti *in loco spatioso pedes meos*, idest, fecisti, ut ex angustiis, in quibus haerebam, liberatus ambulare possem, quocumque vellem quasi in aperto, et libero campo constitutus.

11. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.*

Ex recordatione praeteritorum beneficiorum orat pro futuris, et narrat calamitates suas. *Miserere mei Domine quoniam tribulor*, idest, sicut alias cum tribularer misertus es mei, ita et nunc miserere mei, quoniam iterum me tribulatio invasit. Incipit deinde tribulationes praesentes enumerare. *Conturbatus est in ira oculus meus*. Illud, *in ira*, est ambiguum; nam potest intelligi de ira Dei, et de ira Davidis. Malim cum s. Augustino intelligere de ira Dei; constat enim ex lib. 1. et 2. reg. Davidem in persecutione Absalonis, et in omnibus aliis persecutionibus numquam exanduisse, sed mitissimum, et patientissimum semper fuisse. Itaque sensus erit, *in ira tua*, qua peccatum meum punis, *conturbatus est oculus meus*, idest, oculus corporalis prae lachrymis caligavit, vel, oculus interior obtenebratus est; conturbata est etiam *anima mea*, dum timore magno concussa est, et denique conturbatus est *venter meus*, venter, inquam, interior animae meae, idest, memoria, quae est receptaculum cogitationum. Ita breviter sanctus Propheta omnium trium animae partium meminit, dum per oculum intellectum, per animam voluntatem, per ventrem memoriam intelligi voluit.

12. *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.*

Ad senium jam David pervenerat, et vere dicit *defecisse vitam suam in dolore*, idest, aetatem consumptam in continuo moerore, *et annos in gemitibus*. Nam primis triginta annis persecutiones fere continuas passus est: deinde ad regni gubernacula admotus, primis septem annis bellum gessit cum progenie Saul: postea multa bella gessit cum vicinis nationibus, tum cum proprio filio. Denique ipsa gubernandi sollicitudo, si quis non perfunctorie, sed cum timore Dei serio fungi velit officio, gemere facit sub onere.

13. *Infirmata est in paupertate virtus mea et ossa mea conturbata sunt.*

Praeter afflictiones totius vitae praeteritae, accessit haec ultima tribulatio, in qua propter inopiam debilitatus vires pristinas amisit. Idem enim significat *virtus infirmata est*, et, *ossa mea conturbata sunt*; nam per ossa intelligitur robur, sicut etiam per virtutem. Haec ad litteram verissima esse, historia lib. 2. reg. cap. 15. 16. et 17. aperte docet. Fugit enim David sine ullo commeatu, et perrexit ad loca deserta, nec solum pedibus sed etiam nudis pedibus iter fecit, unde postea ab amicis commeatu adjutus fuit. In hebraeo pro *paupertate*, legitur, בעוני *bahavoni*, iniquitate, et sic

vertit s. Hieron. *infirmata est in iniquitate virtus mea*: sed septuaginta non legerunt. עוני *havoni*, ut legit s. Hieronymus, sed, עני *honi*, in qua voce sunt eaedem literae, una dempta, sed puncta diversa, et illud, *iniquitatem*, hoc, *paupertatem* significat. Uterque sensus est verus, nam etiamsi debilitas ex inopia alimentorum nata erat, tamen inopia illa ex iniquitate persequentium et iniquitas persequentium ex peccato Davidis, quod eo modo puniebatur a Deo, sine dubio procedebat.

14. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.*

Explicat aliam calamitatem suam ex notissima persecutione exortam, quod videlicet coeperit despici a vicinis populis, qui audierunt tam turpem ejus fugam: et noti ejus, atque amici coeperint timere, ne si illi adhaererent, de vita periclitarentur apud Absalonem; si forte is victor evaderet. Quod attinet ad verba, illud *super omnes inimicos meos* in hebraeo est, מכל צוררי *miccol tzorerai*, quod potest exponi, *ab omnibus inimicis meis*, item, *apud omnes inimicos meos*: quae ultima expositio placuit s. Hieronymo, qui vertit ex hebraeo, *apud omnes hostes meos*: et videtur etiam placuisse septuaginta Interpretibus, nam verterunt παρὰ πάντας τοὺς ἐχθροὺς μου, quod significat, *ad omnes*, *apud omnes*. Sed lectio latinae editionis concordat cum secunda intelligentia vocis hebraeae, quae est valde propria, idem enim est *prae omnibus*, et *super omnes*. Prima intelligentia placuit quibusdam recentioribus qui exponunt, *ab omnibus*, idest, propter omnes. Omnes intelligentiae habent rectum sensum; itaque si legas, *super omnes inimicos meos*, sensus erit, *ego factus sum opprobrium vicinis, et timor notis*, magis quam unquam has miserias passi sint alii inimici mei, quamvis impii et injusti, et sic exponit s. August. Si legas, *apud omnes inimicos meos*, sensus erit, scientibus et ridentibus inimicis factus sum opprobrium vicinis meis, et timor notis meis, et hanc expositionem sequitur Theodoretus. Si legas, *ab omnibus inimicis meis* sensus erit, multitudo et saevitia inimicorum meorum effecit, ut essem opprobrium vicinis et timor notis. Illa conjunctio, *et* cum dicitur *et vicinis*, recte restituta est vulgatae editioni, nam adest in hebraeo, et graeco, et legitur ab antiquis patribus.

15. *Qui viderunt me foras fugerunt a me: oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.*

Declarat id quod dixerat, *et timor notis meis*, quasi dicat, multi ex notis meis qui viderunt me ita fugientem, et afflictum, *foras fugerent*, idest, longe a me recesserunt, timentes vitae suae, si mihi jungerentur. Atque ita *oblivioni datus sum a corde* idest, cor eorum non recordatur mei, neque de me cogitat, non secus ac si mortuus et sepultus essem, existimant enim de me jam actum esse: in hebraeo habetur interpunctio post particulam foras, hoc modo, *qui viderunt me foras, fugerunt a me*; et ideo quidam legi volunt, *foris*, non *foras*. (vox enim hebraea בחוץ *bachutz*, utrumque significat) et sensum esse volunt, *qui viderunt me foris*, idest, extra palatium nudis pedibus, capite cooperto sine ullo insigni regio, *fugerunt a me*. Sed quamquam haec etiam intelligentia recta sit, tamen non cogimur admittere interpunctionem codicis hebraici, quae addita est a Rabbinis, cum in graeco nulla sit interpunctio et patres constanter legant, foras, non foris.

16. *Factus sum tamquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

Nec solum, inquit, amici, et noti obliti sunt mei, et me dereliquerunt; sed etiam apud vicinos, qui in circuitu habitant, contemptui habitus sum quasi *vas perditum*, idest, confractum, ad omnia inutile, quod vel inde patet, quia ego ipse vituperantes me audivi. Videtur autem hoc loco Propheta mentionem facere vituperationis Semei, qui in faciem illi maledicere, et in eum lapides jacere ausus est, nimirum existimavit, Semei, Davidem a regno ejectum nullius potentiae deinceps futurum, sed tamquam vas inutile in cloacam projiciendum. Maledictio haec describitur lib. 2. reg. cap. 16. Et quamvis in loco illo 2. reg. solius Semei maledicentis mentio fiat: tamen credibile est plures alios eodem tempore male loquutos fuisse de Davide, ut verum sit, quod hic dicitur, *vituperationem multorum*. In hebraeo, pro, commorantium, est, מגור *magor*, quam vocem s. Hieronymus vertit congregationem, alii vertunt pavorem: sed potest commode etiam verti commorationem: nam verbum, גור *gur*, unde fit מגור *magor*, significat *commorari incolere, peregrinari*, etc. itaque sensus erit, *audivi vituperationem multorum commorationem in circuitu*, idest, qui habent commorationem in circuitu: sed Septuaginta sententiam clarius vertere voluerunt, ideo posuerunt, *multorum commorantium in circuitu*.

17. *In eo dum convenirent simul adversum me accipere animam meam consiliati sunt.*

Narrat historia 2. reg. cap. 17. post maledictionem Semei, consilium initum coram Absalone, de Davide occidendo, atque hoc est, quod in hoc versiculo commemoratur: quasi dicat Propheta, dum in praesentia maledicor, et vituperantes me audio; in absentia consilium de me necando in Hierusalem initur.

18. *Ego autem in te speravi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae.*

Ostendit vir Sanctus, inter tot angustias, se non despondisse animum: propterea quod spem suam non potuisset in auxilio fallaci hominum, sed in

http://www.obrascatolicas.com

Deo omnipotente, cui nemo resistere potest. *Ego autem in te speravi Domine*, quare? quia *dixi* in corde meo *Deus meus es tu*, magnum habeo protectorem, sine cujus nutu nemo mihi vitam eripere potest. Nam *in manibus tuis sortes meae*, idest, sortes vitae, vel mortis meae non pendent a sorte, sed a manu tua, idest, a potentia, et voluntate tua. In hebraeo habetur, בידך עתותי *bejadecha hittothai, in manu tua tempora mea*; et fortasse, quod nunc legimus in graeco, κλῆροι, quod significat *sortes*: legendum esset, καιροί, quod significat, *tempora*. Nam non desunt antiquae versiones ex graeco, quae habeant, tempora mea. Sic certe legitur in officio Missae non semel, et psalterio Ecclesiae s. Petri Romae. Sensus autem est idem: nam *in manu tua tempora mea* nihil est aliud, nisi a tua voluntate pendent tempora vitae, et mortis meae; non vivam, nisi quamdiu tu volueris, neque moriar, nisi quando tu volueris.

19. *Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.*

In hoc versiculo nulla est difficultas, et concordant omnes editiones.

20. *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua, Domine non confundar quoniam invocavi te.*

Eamdem petitionem inculcat, sed additis argumentis ad Deum flectendum appositis. *Illustra faciem tuam super servum tuum*, idest, ostende faciem tuam sive respice in me, haec enim omnia idem significant. Sicut enim propter peccata Deus nobis irascitur, et avertere dicitur faciem, sive nubem opponere, et nos non respicere; ita e contrario quando reconciliatur, dicitur convertere faciem, nosque respicere, et illuminare vultum suum super nos, ut nos luminosos efficiat. Petit igitur primum reconciliationem cum Deo, si forte adversus sit; et addit pro argumento, se servum ejus esse promptum ad ejus obsequium, et obedientiam. Addit deinde, *salvum me fac*, hoc enim sequitur post reconciliationem, ut salvum faciat, et liberet eum, qui reconciliatus sit, et adjungit argumentum, dicens, *In tua misericordia*, idest, non ob merita mea, sed ob misericordiam tuam addit postremo tertium argumentum, *non confundar, quoniam invocavi te*. Pertinent enim ad bonum, et fidelem Dominum, qui promisit auxilium confidentibus in se, ut non confundat eum, qui tanta fiducia ipsum invocare non cessat.

21. *Erubescant impii, et deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.*

Prophetica imprecatio est, et continuo adimplenta. Nam Achitophel, qui erat praecipuus consiliarius Absalonis, et consilium dederat perniciosissimum adversum David, dissipante Deo consilium ejus, confusus est, et non ferens confusionem suam, laqueo se suspendit, et sic ad infernum deductus est impius, et *muta facta sunt labia dolosa*. Habetur historia lib. 2. reg. cap. 17. Vocatur autem Achitophel *impius*, quia filium ad necem patris concitabat: et labia ejus recte dicuntur dolosa quia simulaverat longo tempore, se amicum et fidelem Davidi, et postea oblata occasione perfidiam suam prodidit. In hebraeo, pro *deducantur*, habetur, ידמו *iddemù*, quod s. Hieronymus vertit *taceant*: sed Septuaginta non videtur legisse, ידמו *iddemù*, sed, ידחו *iddechù*, quod significat *expellantur*, a verbo, נדח *nadach*.

22. *Quae loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et abusione.*

Haec verba conjunguntur in hebraeo cum superioribus in eodem versiculo: in nostra editione constituunt novum versum, sed quoad sensum pendent a superioribus: declarant enim labia illa dolosa Achitophelis juste obmutescere debuisse; quia *loquebantur contra justum*, idest, contra Davidem qui nullam injuriam fecerat, neque ipsi Achitopheli, neque Absaloni; et loquebantur *iniquitatem*, idest, consilium iniquitate plenum, *et hoc in superbia et abusione*, idest, cum maxima arrogantia, et *contemptu*. Pro abusione, tam in hebraeo ובוז *vabuz*, quam in graeco ἐξουδενωσει, est vox significans *contemptum*; et sic legunt s. Augustinus, et psalterium s. Petri. Proinde abusio in latina editione, non est accipienda pro simplicia abusione, sed pro ea quae nascitur ex contemptu, sive pro ipso contemptu: dicitur enim Achitophel, hoc loco, *loquutus sum in superbia et abusione*, quia superbe contemnebat Davidem, et sic abutebatur ejus nomine.

23. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te!*
24. *Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.*

Jam Sanctus Propheta exanditum se sentiens, ac divina consolatione percepta, exclama, prae admiratione, *quam magna multitudo*, etc. In Hebraeo solum habetur מה רב טובך *mah rab tubecha, quam multa bonitas* sive *dulcedo tua*: sed Septuaginta explicare voluerunt admirationem Prophetae, ideo dixerunt, *quam magna multitudo dulcedinis*, etc. Sed quia videtur quaedam contradictio in his verbis, cum primo dicat *quam abscondisti*, et deinde, *quam perfecisti in conspectu filiorum hominum*, ideo s. Augustinus conjungit illud, *in conspectu filiorum hominum*, non cum verbo, *qui sperant*, ut sensus sit, Deus abscondit multam dulcedinem timentibus se: quam eis daturus est in alia vita, nunc interim sinens eos angustiis premi: eam vero dulcedinem *perfecit sperantibus in se in conspectu filiorum hominum*, idest, iis qui libere ostendunt hominibus, se esse Dei servos, et sperare in Deo et non timent confiteri id quod sunt. Theodoretus et Euthymius volunt conjungi illud, *In conspectu filiorum hominum*, cum verbo, perfecisti, et hunc sensum tradunt, Deus tempore tribulationis abscondit a timentibus se magnam dulcedinem, idest, mercedem, et praemia, ut eos exerceat: sed paulo post eamdem mercedem, et eadem praemia palam ostendit in conspectu filiorum hominum, ut servos suos bene sperare jubeat. Sic ad tempus Davidi abscondit dulcedinem, cum videlicet is fugeret filii persecutionem: sed paulo post perfecit illi suam bonitatem, cum eum reduxit in regnum cum maxima gloria. Id ipsum accidet omnibus justis, quibus nunc absconduntur praemia, sed in die judicii palam apparebunt. Potest adferri etiam alius sensus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te*, idest, vere multiplex est consolatio tua Domine, quam infundis intus in abscondito cordis timentium te, idest, eorum, qui te colunt et diligunt, et filiali timore venerantur. Hoc est enim *manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, ut in Apocalypsi cap. 2. legimus. Hoc experiebatur qui dicebat, psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam*; et ille 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo in omni tribulatione nostra*. Et si tempore tribulationis tanta est multitudo dulcedinis in corde militantis, quanta erit tempore gloriae in corde triumphantis. *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*, id est, eam dulcedinem perfecisti, perfectam, cumulatam, copiosissimam infudisti in corde sperantium in te, qui videlicet renuunt consolari nisi in te: hoc autem totum fecisti *in conspectu filiorum hominum*, idest, ex adverso, sive ex opposito filiorum hominum, idest, quanto illi magis multiplicant dolore exterius, tanto magis tu multiplicas consolationes interius. Nam vox hebraea, נגד *neghed*, et graeca ἐναντίον, proprie significat e regione, sive ex opposito, ut etiam notavimus in psalmo 23. proinde, ut verbum hebraicum concordet cum latino, et graeco, illud, *in conspectu*, non tam referendum est ad visionem, quam ad oppositionem: illa enim dicuntur esse inter se in conspectu, quae e diametro opposita se respiciunt. Sed et illud praeterea verum est, hanc dulcedinem infundi in cordibus timentium Deum *in conspectu filiorum hominum*; idest, videntibus et stupentibus filiis hujus sacculi, qui filios Dei suis persecutionibus vexant: nam quamvis filii hominum, idest, carnales homines non norint illam dulcedinem, imo ne suspicari quidem possint qualis sit, cum palatum animae nimis infectum habeant, tamen vident effectum ejus, dum intuentur, et obstupescunt patientiam, mansuetudinem, hilaritatem, et pacem sanctorum. Sic igitur miro modo datur sanctis abscondita quaedam dulcedo in conspectu filiorum hominum, dum ea dulcedo in se latet, et in effectibus patet.

25. *Abscondes eos in abscondito faciei tuae, a conturbatione hominum.*
26. *Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.*

Declarat modum quo sancti viri dulcedinem Dei in tribulatione percipiunt: id enim fit, cum sancti per amorem, et contemplationem rapiuntur in Deum, et in ipso Deo inveniunt domum refugii: juxta id quod in hoc eodem psalmo dicitur, *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii*: qui enim in Deo delitescere norunt, nihil faciunt omnes tribulationes, ac si ad eos minime pertinerent. *Abscondes* inquit, *eos*, videlicet timentes te, *abscondito faciei tuae*, idest, in loco abdito, quod est in facie tua: nam qui raptus est ad contemplandam faciem Dei, et qui se a Deo videri attentissime cogitat, quique observat nutus Dei; et qui pulchritudinem ejus considerans accenditur in ejus amorem, jam habitat in latibulo tutissimo a conturbatione hominum, idest, ab omni malo, quod homines conturbare solet. *Proteges eos*, idest, eosdem timentes te, *in tabernaculo tuo*, idest, in teipso, in quo tu habitas. Deus enim non habet aliam domum, sive aliud tabernaculum in quo capi possit, nisi seipsum; et qui per amorem et contemplationem in Deo habitant, altissimum posuerunt refugium suum, non accedet ad eos malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo eorum, ut dicitur in psalmo nonagesimo. Proteguntur autem in hoc tabernaculo ab omni malo, non solum factorum, de quo dictum est in superiori versiculo, sed etiam verborum, quod hic dicitur, *a contradictione linguarum*, quia nihil curant sermones hominum, qui Deum testem habent. Quod si facies Domini tam insigne latibulum sive tabernaculum est hominibus timentibus Deum, dum per speculum et in aenigmate cernitur: quid erit quando videbitur sicuti est? tunc vere habitatio nostra erit in Hierusalem, quae est visio pacis, de qua dicitur psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.*

27. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

Quae dixerat generatim de consolatione divina, quam viri justi in tribulatione percipiunt: applicat ad se, qui unus est ex illis, et inde gratias agit Deo. *Benedictus*, inquit, *sit Dominus quoniam mirificavit*, idest, mirabilem *misericordiam* erga me ostendit, *in civitate munita*, idest, abscondens me in abscondito faciei suae; quod est veluti civitas munitissima, ut jam mihi nihil nocere possit. s. August. legit, *in civitate circumstantiae*, in quo nescio quos latinos codices sit sequutus. Nam vox hebraea, מצור *matsor*, munitionem significat: vox graeca περιοχὴ *ambitum* designat, atque inde s. Augustinus *circumstantiam*, accepit: sed Theodoretus et Euthymius graeci auctores, intelligunt per *ambitum*, moenia, sive aggeres, quibus civitates muniuntur, ut sensus sit, *In civitate ambitus*, idest, in civitate moeniis, vel aggeribus munita. Et s. Hieron. non solum in versione ex hebraeo, sed etiam in commentario ubi exponit versionem Septuaginta, legit, *ix civitate munita*.

28. *Ego autem dixi in excessu mentis meae, projectus sum a facie oculorum tuorum.*

Accusat ipse se diffidentiae, quam passus fuerat initio persecutionis. *Ego autem dixi in exces-*

http://www.obrascatolicas.com

su mentis meae. idest, ex tempore quo prae nimio terrore quasi mentis inops factus eram, dixi apud me, *Projectus sum a facie oculorum tuorum*, idest, non placet tibi, ut amplius regnem; vel ut diutius vivam, ideo abjecisti me a benigno aspectu tuo, et favore, atque auxilio tuo solito me destituisti. Extat dubitationis hujus vestigium in lib. 2. reg. cap. 15. *Si invenero gratiam*, inquit, *in conspectu ejus reducet me; si dixerit mihi, non places, presto sum faciat mihi quod bonum est coram se.* Pro voce, in excessu mentis, in hebraeo est, בחפזי *bechophzi*, quod ad verbum significat, in festinando me, idest, dum *festinarem*, sive, in obstupescendo et pavendo me, idest, dum obstupescerem et paverem: nam verbum, חפז *chaphaz*, significat festinare, et obstupescere, ac pavere, et omnia sunt vera: nam David illud dixit, cum festinaret egredi ex Hierusalem, et pavore ac stupore correptus esset. Hunc stuporem graeci verterunt, *ecstasim*, et latini *excessum mentis.*

29. *Ideo exaudisti vocem orationis meae dum clamarem ad te.*

Sententia perspicua est. *ideo*, inquit, ne diffiderem de bonitate tua, cum me in tanta constantione videres, continuo *exaudisti vocem orationis meae, dum clamarem ad te.* Illud, *ideo*, posset etiam verti, vere, sive certe, est enim adverbium multa significans.

30. *Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.*

31. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.*

Hortatur in fine psalmi homines pios, qui similia patiuntur, ut non cessent diligere Dominum, atque in eo sperare, quoniam etiam si ad tempus impii videantur impune grassari, tamen brevi poenas acerbissimas dabunt. Illud *veritatem requiret Dominus*, s. Hieronymus vertit *servat Dominus*: vox hebraea, אמונים *emunim* utrumque significat *veritatem et fidelitatem*; et etiam *fideles*, et sensus in idem recidit. Illud *abundanter* על יתר *hal iether*, in hebraeo et latino ambiguum est, utrum conjungi debeat cum verbo *retribuet*, an cum verbo facientibus: sed ex graeco apparet conjungendum esse cum verbo facientibus, et eodem modo s. Hieronymus vertit ex Hebraeo. *retribuet*, inquit, *his qui satis operantur superbiam*; et s. Augustinus *retribuet his, qui multum superbiunt*; eodem modo Theodoretus, et alii veteres.

PSALMUS XXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipse David intellectus.

Hic titulus indicat Davidi post commissum peccatum, per Dei gratiam apertos fuisse oculos mentis, ut intelligeret, quam graviter deliquisset, quod antea carnali delectatione occaecatus, intelligere non potuerat. Indicat etiam idem titulus, psalmum esse obscurum, atque ad eum penetrandum dono intelligentiae opus esse. Jure hic idem psalmus a sancto Gregorio, et aliis inter septem poenitentiales numeratur, cum totus consumatur in peccato proprio deflendo et in cohortandis hominibus ad poenitentiam.

EXPLICATIO PSALMI XXXI.

1. *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*
2. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.*

Nemo melius novit, quam dulcis sit sanitas, quam is, qui amissam deflet. Propheta David tunc primum vero agnovit, quam dulce sit carere peccatis, quando amaritudinem peccati gustavit. Haec est causa cur psalmum poenitentiae ordiatur a laude indulgentiae, et innocentiae: haec enim sanam reddunt animam, et opponuntur aegrotationi, quae contrahitur ex peccatis. Incipit ab indulgentia, tum ut a minoribus ad majora progrediatur, tum quia illa erat recentissima ejus sanitas. *Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Exclamatio est et praedicatio boni, quod est indulgentia, quasi dicat, O quam sunt illi felices, qui posteaquam peccaverunt, non despiciuntur a Deo, sed per gratiam ejus excitati, convertuntur ad poenitentiam, et perveniunt ad indulgentiam. *Et quorum tecta sunt peccata*, idem repetitur aliis verbis, nam peccata cum remituntur, absconduntur, et teguntur, ut nusquam appareant; sed de hac voce paulo post

plura dicemus. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Transit ab indulgentia, quae est moliorum, ad innocentiam, quae est paucissimorum, ac dicit, O vere beatus, ac felix quicumque ille est, qui nihil fecit, quod in peccatum reputari potuerit, cui profunde Dominus, cujus rectissimum judicium est nihil omnino ad peccatum imputavit! Nec solum facto non peccavit, sed *nec dolus inventus est in spiritu ejus*, idest, neque verbo, neque cogitatione peccavit: spiritus enim ad utrumque spiritum referri potest, ad illum, quo sapimus, et dicitur cor, aut mens, et ad illum quo loquimur, et dicitur spiritus oris sive labiorum. De priore dicit Apostolus, 1. Cor. 2. *Quis enim scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* De posteriore, 1. Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente.* Porro innocentiam hoc loco intelligimus, non naturalem, vel operibus propriis sine dono Dei acquisitam, quae nulla est; sed eam, quam Deus paucis quibusdam singulari gratiae suae dono impertivit, quibus ita remisit peccatum aliena voluntate contractum, idest, originale, ut non permiserit eos peccatum mortiferum propria voluntate committere: quod est genus excellentius remissionis. Proinde omnis innocentia annexam habet remissionem aliquam peccati, et de omnibus, Christo excepto, dici potest, *omnes peccaverunt, et egent gratia Dei.* Itaque Apostolus ad Rom. 4. hunc psalmi locum adducit, ad probandum, neminem justificari ex operibus praecedentibus gratiam; et ait, *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiae Dei: sicut et David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quibus verbis Apostolus Prophetam exponit, ac dicit, Davidem non vocare beatos eos qui propriis operibus justitiam adepti sunt, sed eos, quibus Deus per gratiam peccata remisit, justitiamque donavit. Porro videtur mihi Propheta singulares quosdam homines respexisse, cum ait, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, etc. videlicet sanctum Job, qui de se ait cap. 27. *Non recedam ab innocentia mea: justificationem meam, quam coepi tenere non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Item Abelem, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, quorum nulla peccata in scripturis leguntur. Fortasse etiam in spiritu praevidebat Hieremiam, et Joannem Baptistam in utero sanctificatos, et ipsam Deiparam Virginem excellentiori privilegio, a peccato originali, et ab omni actuali praeservatam. Quod attinet ad verba, in hebraeo habetur in singulari, אשרי נשוי פשע *ascre nesui peschah, Beatus, cui remissa est iniquitas, et cujus tectum est peccatum*: sed mutatis punctis, potest legi, *beati quorum remissae sunt iniquitates*, quam lectionem esse verissimam, satis magno argumento nobis est editio Septuaginta ab Apostolo confirmata. Rursus in codice graeco habetur, ἐν στόματι αὐτοῦ *in ore ejus* pro eo quod est in Hebraeo, *berucho*, et in latino, in spiritu ejus: sed s. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam testatur, illud in ore ejus, esse ex translatione Symmachi: Septuaginta vero, et omnes alios Interpretes vertisse, *in spiritu ejus*, ut in hebraeo. Haeretici hujus temporis, tria falsa dogmata ex his versiculis statuere conantur: ac fortasse Spiritus sanctus ideo titulum fecit huic psalmo, *intellectus*, quia praevidebat a multis perperam intelligendum. Dicunt igitur illi, justificationem in solo peccatorum remissione, non in justitiae infusione consistere. David enim absolute dicit, *beatos*, idest justos, *quibus sunt remissa peccata.* Addunt praeterea, hanc ipsam remissionem peccatorum, non esse remissionem peccatorum veram, sed imputativam, quia videlicet Deus non tollat peccata, sed tegat, et non imputet. Denique colligunt ex hoc loco, nullam esse necessariam satisfactionem post remissionem culpae: quia si poenam, quamvis temporalem, exigeret Deus ab homine justificato, non vere diceret se non imputare peccatum; quomodo enim non imputat, si punit? Sed Propheta sanctus, qui in titulo posuit, intellectus David, intelligebat omnino remissionem peccati non fieri a Deo sine infusione justitiae, ac per hoc intelligebat per justificationis gratiam homines fieri ex impiis, non solum non impios, sed etiam vere justos: sicut enim sol corporalis non expellit tenebras nisi lucem infundat; sic etiam sol justitiae, et Pater hominum non remittit peccata, nisi per gratiam sive justitiam, quam infundit. Quare sanctus Paulus ad Rom. 4. citans hunc locum psalmi, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, ita loquitur: *Sicut et David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus*: quibus verbis Apostolus indicavit, in remissione, seu non imputatione peccati vere includi justitiam. Sed tam prior, quam posterior error adhuc apertius refellitur in declaratione vocum, tegi, et non imputari. Dicuntur enim peccata tegi hoc loco, non quod sint, et non videantur, sed quod abolita sint, et eorum loco justitia successerit: et ideo vere tecta sint, et abscondita etiam oculis Dei, cui nihil tegi, vel abscondi potest eorum, quae usquam extant. Quocirca idem Propheta variis metaphoris utitur ad remissionem peccatorum significandam, ut quod uni deest per alteram supplcatur. Sed illa praeter caeteras insignis est in psalmo 50. *Asperges me Domine hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.* Quo loco dicitur peccatorum remissio non solum tegere maculam, sed vere abluere, et non solum vere abluere, sed addere nitorem: nec solum tollere nigredinem, sed addere albedinem tam veram, ut nivis candorem superare dicatur: quid est autem tollere maculam et addere nitorem nisi tollere peccatum et infundere gratiam? quid auferre nigredinem, et ponere candorem, nisi auferre injustitiam et donare justitiam? Quod idem legimus in primo cap. Isaiae. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Porro sancti patres Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum; Augustinus, et Gregorius Papa in commentario hujus psalmi, ut

http://www.obrascatolicas.com

ostendant peccata tegi,non esse manere et non videri, sed plane tolli, ut ideo non videantur, quia non sunt: dicunt peccata tegi a Deo in justificatione, quomodo vulnera teguntur emplastro a medico, per quod emplastrum ita vere curantur, et tolluntur, ut nusquam appareant. Origenes quoque lib. 4. in epist. ad Rom. et Theodoretus, in hunc locum dicunt his vocibus significari, peccatum ita funditus eradicari, ut ne vestigium quidem remaneat. Jam vero quod attinet ad vocem imputationis toto coelo aberrant adversarii. Peccata enim non imputari in Scripturis sanctis est, non adscribi ad reatum, sive non referri in rationes, vulgo Italice dicimus, *Non si mettere a conto*. Sap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* idest, quis exiget a te rationem si perierint omnes homines? vel quis te ob hoc reum faciet? et Ezechielis 33. de peccatore poenitente dicit Deus, *Omnia peccata quae peccavit, non imputabuntur ei*, idest, non reddet rationem de eis. 2. Paralip. 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt*, idest, facile condonabit, nec revera exiget rationem, de eo quod minus parati sint, Job 42. *Ut non imputetur vobis stultitia*. 2. Timoth. 4. *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur*: et in epist. ad Philemonem. *Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa, ego reddam*, idest, adscribe rationibus meis, ego debitor tuus esse volo. Caeterum duobus modis potest non imputari peccatum. Primo, si revera aliquis non peccaverit, et proinde nihil debeat: et hoc modo intelligitur id, quod ex libro Sapientiae citavimus. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Nam etiamsi perirent omnes homines, non culpa Dei perirent proinde non posset hoc imputari Deo. Et eodem modo nos supra exposuimus verba Davidis. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* idest, qui nihil mali propria voluntate fecit, ob quod reus ac debitor sit coram Deo. Secundo, si peccatum remissum, et condonatum fuerit, ut jam non sit, quod imputetur: et sic intelliguntur omnes aliae sententiae supra citatae: et sic etiam multi intelligunt locum psal. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, idest, beatus vir, a quo Deus non vult exigere rationem peccati, quia jam illud remisit, et donavit; et hanc expositionem non rejicimus, sed superiorem anteponendam existimamus, quia melius continuatur cum verbis sequentibus: *Non est in spiritu ejus dolus*. Tertius modus imputationis, quem finxerunt haeretici, ut non imputari peccatum, sit peccatum quidem haerere in anima peccantis, sed non reputari peccatum a Deo, nullo exemplo Scripturae probari potest, sed apertissime potius improbatur, cum Scriptura dicat, tum alibi, tum psalm. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium*: nam si Deus odit, et vult perdere iniquos, certe dum manet in eis iniquitas, imputatur eis peccatum. Et quis credat Deum justum judicem, et qui non accipit personas, non imputare peccatum, sed imputare justitiam eo tempore, quo homo adhuc in sordibus peccati versatur, et quidquid agit, ex Lutheranorum placitis peccatum est? Pulchre sanctus Justinus Martyr in dialogo cum Triphone refellens errorem similem errori Lutheranorum, ait *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, idest, cui poenitenti Deus peccata remittet, non sicut praedicatis vosmetipsos fallentes, et alii quidam vestri similes asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non reputabit eis Dominus peccata: haec ille. Hoc quod diximus de non imputatione peccati, potest ostendi ex contrario ex imputatione justitiae. Nam imputari justitiam in Scripturis, non est reputari hominem justum, cum re vera justus non sit; sed est reputari justum divino judicio, quod falli nequit, eum qui verissime justus sit. Siquidem illud Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*, quod allegatur ab Apostolo Paulo ad Rom. 3. et ab Apostolo Jacobo cap. 2. nihil aliud significat, nisi actum illum credendi fuisse in Abrahamo opus justum, et pro tali reputatum a Deo. Et illud psalmi 105. *Stetit Phinees, et cessavit quassatio, et reputatum est ei ad justitiam in generatione et generationem usque in sempiternum*. quid aliud significat, nisi zelum illum Phinees, quo interfecit impios quosdam, fuisse opus justissimum, et a Deo pro tali habitum, ut propterea confirmaverit filiis et nepotibus Phinees Sacerdotium in longissima tempora. Eodem pertinet illud quod est in cap. 4. ad Rom. *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Quid enim hoc est, nisi mercedem juste deberi ei, qui operatur opus dignum mercede? non igitur imputari est reputari ac si esset, sed reputari sicuti est. Et quod in eodem loco saepius repetit Apostolus, *fidem reputari ad justitiam*, non significat fidem non esse, sed reputari justitiam: sed significat fidem per charitatem operantem verissimam esse justitiam, non ex operibus gratiam praecedentibus acquisitam, sed a Deo donatam et infusam, ideo pro vera justitia a Deo reputari, et acceptari. Sic igitur peccatum non imputari, non significat, peccatum manere, sed non puniri: sed significat nihil esse in homine justificato, quod in peccatum reputari possit. Ex his facile intelligitur unico verbo solvi posse, quod Lutherani objiciunt de satisfactione: nam si non imputetur peccatum, quia innocenter aliquis vixit, non mirum erit, si nulla satisfactio requiratur ab eo, cui hoc modo peccatum non imputatur: sin autem non imputatur, quia remissum est per gratiam; tum si remissum fuerit quo ad culpam et poenam aeternam, non imputabitur ad culpam et poenam aeternam, sed adhuc imputabitur ad poenam temporalem: sicut factum videmus in Davide, cui dictum est a Propheta *Dominus transtulit peccatum tuum a te, non morieris: sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morietur*. Ubi videmus non imputari peccatum quo ad mortem propriam et imputari quoad mortem filii, et Davidem fuisse justificatum, et tamen debuisse dolorem magnum de morte filii tolerare, in poenam peccati commissi. Quod si aliquando peccatum remittatur omnino quoad omnem poenam, tunc etiam non imputabitur ad ullum reatum vel debitum.

3. *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.*

Proposita beatitudine justificatorum, deflet miseriam suam, quasi dicat: Illi quidem sunt beati, sed ego miser sum, qui non solum innocentiam non servavi, sed longo tempore distuli per confessionem peccati indulgentiam quaerere; et ideo post agnitam culpam meam, coepi tam assidue clamare et rugitu me ipse macerare, ut debilitata sint, et attrita ossa mea, idest, fere consumptum omne robur meum. *Quoniam tacui*: re vera longo tempore David peccatum adulterii tacuit, imo multis artibus occultare conatus est: primo enim Uriam multis modis inducere tentavit, ut cum uxore propria dormiret; ut filius ex adulterio conceptus, ipsius Uriae proprius putaretur. Et cum Urias ad domum propriam accedere nollet, adjecit David crimen homicidii, ut Uria sublato, et illius vidua in uxorem continuo ducta, partus qui post novem menses expectabatur, crederetur esse Davidis non adulteri, sed mariti. Nec tamen vidua illa in uxorem assumpta, continuo confessus est, sed expectavit ut filius nasceretur. Et ne tunc quidem peccatum deflere coepisset, nisi a Propheta Nathan admonitus fuisset. Itaque annum fere integrum et fortasse etiam diutius David in coeno peccati jacuit, et confessionem distulit. Propterea dicit, *quoniam tacui*, et non continuo peccatum confessus sum, sed abscondere, et occultare volui, ideo *Inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die*, idest, post agnitum peccatum tota die pro indulgentia clamare coepi, et tam diu, ac tanto affectu clamavi, ut ossa mea debilia et vetusta facta sint. Vox hebraea, בלו *balu*, significat *inveteraverunt*, et etiam consumpta sunt, sive attrita sunt, ut vertit sanctus Hieronymus, proinde illud, *inveteraverunt*, non est referendum ad tempus, sed ad debilitatem: quomodo accipitur illud Thren. 3. *Vetustam fecit pellem meam*, idest, attritam, nigram, etc. Illud etiam *dum clamarem*, in hebraeo ad verbum est, בשאגתי *besciaagathi, dum rugirem*, ex quo intelligimus clamorem illum fuisse clamorem doloris, et compunctionis, qui recte rugitus dici potest, non autem clamorem exultantis in peccato, vel superbe jactantis peccata sua, ut aliqui exponunt. Neque putamus fuisse rugitum ex corporali morbo, ut alii volunt: non enim scriptura prodit Davidem aegrotasse illo tempore: et aliquid sine scripturae testimonio affirmare divinare est; sed rugitum poenitentiae, ut cum Theodoreto nos exposuimus.

4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in aerumna mea dum configitur spina.*

Multa mala propter peccatum Davidi contigerunt nam filius natus ex adulterio infans mortuus est, et filia nomina Thamar ab Amon fratre per incestum polluta est, et idem Amon ab Absalone fratre occisus est, et Absalon adversus patrem dimicans, et ipse caesus est; quae omnia summos dolores Davidi attulerunt, ut 2. lib. Regum narrat historia. De his igitur divinis flagellis dicit, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*, idest, assidue, sine intermissione flagella super me ingeminare non cessas: dicitur enim gravare manus super aliquem, qui non leviter eum, sed graviter percutit. *Conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina*, idest, propter hujusmodi flagella conversus sum ad cognitionem gravitatis peccati mei in aerumna mea, dum spina tribulationis configitur mihi, idest, tribulatio, atque aerumna mentis oculos aperuerunt, quos carnis illecebra et voluptas clauserant. Posset etiam per spinam intelligi cum sancto Hieronymo stimulus conscientiae, ut sensus sit, *conversus sum in aerumna mea*, dum stimulus conscientiae pungit. In hebraeo et graeco additur *mihi, dum configitur mihi spina*: ideo in latino subintelligi debet. In hebraeo habentur alia verba atque alius sensus, *conversus est viror meus in siccitates aestatis*, idest, omnia mea bona perierunt, quomodo viror, et humor in aestate solis ardore siccatur et perit. Sed Septuaginta legerunt aliter, quam nunc habeatur in codicibus hebraicis: nam pro, נהפך לשדי *nehephach lesciaddi, conversus est viror meus*, legerunt, נהפכתי לשדי *nehephacti lescioddi*, quod est, *conversus sum in aerumna mea*, et sic etiam legit sanctus Hieronymus, qui vertit ex hebraeo, *versatus sum in miseria mea*. Illud vero quod sequitur, בחרבוני קיץ *becharbone kaits*, in siccitates aestatis, legunt Septuaginta, בחרבוני קוץ *becharboni kots*, *dum adurit me spina*, quod idem est cum eo, quod nos habemus, *dum configitur spina*, dum enim configitur spina certe adurit, et vastat, quod significat verbum חרב *charab*. Itaque minima mutatione punctorum, et unius vel alterius literae similis, videmus inveniri posse lectionem, quam septuaginta Interpretes habuerunt: veriorem autem esse lectionem, quae erat in codicibus septuaginta Interpretum, ea, quae nunc est in codicibus nostris, quibus Rabbini puncta addiderunt, dubitare non possumus.

5. *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.*

Ex conversione ad cognoscendam peccati magnitudinem, de qua dixit in versiculo superiori, factum est, ut peccatum suum non amplius taceret, neque occultaret, sed palam confiteretur Deo, et hominibus. In hebraeo habetur in futuro, אודיעך *hodiahacha, cognitum faciam*, sed ponitur futurum pro praeterito, cujus temporis est verbum, quod sequitur, כסיתי *chissithi, abscondi*. In graeco non habetur *tibi*, sed in hebraeo habetur, et in graeco subintelligitur. Porro illud, cognitum tibi feci, non significat Deo fuisse ignotum, antequam David illud confiteretur, sed loquitur more humano. Judex enim etiam si sciat delictum rei, quia ipse vidit fortasse illud committi; tamen non dicitur scire juridice, nisi reus ex testimonio plurium testium sit convictus, aut ipse reus aperte confiteatur, adactus fortasse ad confessionem per tormenta. Sic igitur Deus viderat quidem Davidem peccantem; sed volebat eum aperte confi-

http://www.obrascatolicas.com

teri; ideo flagella quasi quaestionem adhibuit. Tum vero David confiteri coepit, nec ait solum *peccavi Domino*, quod ante flagella dixit privatim ad Nathan prophetam, sed publice notum fecit Domino peccatum suum: idest, juridice confessus est, et per scripturam psalmorum toti mundo peccatum suum manifestavit: ideo verissime addit, et injustitiam meam non abscondi.

6. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.*

Ad solatium poenitentium declarat ineffabilem Dei misericordiam, quam in se ipse expertus est. Quamvis enim Deus, *qui lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, 1. Joan. 2. summo odio prosequatur tenebras peccatorum, et nisi peccator resipiscat, paratus sit eum projicere in tenebras exteriores ad summum, et sempiternum cruciatum: tamen ita propensus est ad ignoscendum, si quis ex corde poenitentiam agat, ut ipsam etiam confessionem miserendo, et parcendo praeveniat. Videtur respicere tempus illud, quo Nathan Propheta Dei nomine exprobravit illi peccatum suum; et ipse continuo compunctus, dixit, 2. reg. 11. *Peccavi Domino*, et Nathan subjunxit, *dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*. Videns enim tam subitam indulgentiam, cogitavit quod erat verum, remissionem peccati priorem fuisse ipsa confessione, sed non priorem interna contritione, in qua simul fuit odium peccati, amor Dei, propositum confitendi, et satisfaciendi: ait igitur, *Dixi confitebor*, idest, compunctus corde statui continuo confiteri *adversum me iniquitatem meam*, meque reum et peccatorem aperte fateri; et tu non expectasti vocem illam, qua dixi *peccavi Domino*, sed ex paterna et ineffabili benignitate, *remisisti impietatem peccati mei*: quod ex Propheta tuo Nathan cognovi, qui ait, *Dominus transtulit peccatum tuum a te*. In hebraeo habetur, עון חטאתי *havon chatathi*, *iniquitatem peccati mei* in graeco, τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου, *impietatem cordis mei*, et sic legunt veteres in commentariis, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, latinus Interpres videtur accepisse, *impietatem*, ex graeco; *et peccati mei*, ex hebraeo. Sed omnia in idem recidunt: nam impietas cordis dicitur, quia corde concipitur; impietas peccati dicitur, quia peccando committitur. Idem etiam Davidis peccatum, et fuit iniquitas respectu Uriae, et fuit impietas respectu Dei.

7. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.*
8. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.*

Exemplo suo dicit Propheta multos futuros, qui discant orare Deum pro indulgentia peccatorum, ut hoc modo liberentur a magnis malis quibus aliquando peccatores involvendi sunt. *Pro hac*, graeci Interpretes, Theodoretus et Euthymius, et cum eis s. Augustinus exponunt *pro hac impietate*, quia impietas graece et latine est generis foeminini: sed vox hebraea est generis masculini, et non concordat cum ea illud, *pro hac*, quod etiam in hebraeo est generis foemININI, על זאת *hal zoth*, ideo cogimur dicere, *pro hac*, significare, pro hac re, sive pro hoc: nam hebraei utuntur genere foemININO pro neutro. Et posset etiam recte verti, *propter hoc*, sive *super hoc*. Itaque sensus erit, hac de causa, idest, quia tu tam clementer ignoscis poenitentibus, *orabit ad te*, idest, fiduciam te orandi sumet *omnis sanctus*, id est, omnis pius; omnis vere poenitens, qui incipiens odisse impietatem suam, incipit induere pietatem tuam. Orabit autem *in tempore opportuno*, idest, antequam tempus misericordiae finiatur, dum haec vita durat, dum ad poenitentiam Deus invitat. *Quaerite Deum*, inquit Isaias, *dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est*. Isai. 35. Quod sequitur, duplicem habet sensum; unus est, orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, *ut in diluvio aquarum multarum, aquae illae ad eum non appropinquent*, idest, ut in die novissimo; quando veluti diluvium quoddam inundabunt super impios omnia genera poenarum, et praeterierit tempus opportunum orationis et poenitentiae, tunc ipsi salvi sint ab ejusmodi poenis. Hic sensus in hebraeo clarissimus est: sic enim ad verbum sanctus Hieronymus vertit, *pro hac orabit ad te omnis misericors tempus inveniens ut cum inundaverint aquae multae, ad illum non accedant*. Et hunc sensum sequitur Theodoretus, quamvis paulo aliter exponat, nimirum sic, *pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, ut cum inundaverint aquae multarum tribulationum, ad illum non accedant*, idest, illum non perturbent, sed illis omnibus superior sit, easque imperterritus perferat. Alter sensus est, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, et recte ac sapienter faciet: nam *in diluvio aquarum multarum, cum inundaverint mala super omnes impios in die novissimo, sicut inundaverunt aquae diluvii temporibus Noe*, tunc *impii ad eum*, idest, ad Deum *non appropinquabunt*: non enim erit amplius tempus opportunum: Ideo Isaias ait, *Invocate eum dum prope est*, nam aliquando proculerit, ut ad eum appropinquare non possitis. Sic exponunt s. Augustinus, et alii. Uterque sensus verus est, sed prior videtur magis litteralis; nam illud, *ad eum non approximabunt*, non videtur posse secundum literam referri ad Deum, cum nulla sit facta mentio Dei in verbis praecedentibus. Itaque illud, *verumtamen*, pro copulativa particula accipiendum est, ut Euthymius recte monet; et vox hebraea, רק *rac*, non solum significat, verumtamen, sed etiam, certe, vere, etc.

9. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.*

Accepta indulgentia, quoad culpam, petit etiam indulgentiam quoad poenam, liberationem videlicet a tribulatione, in quam incidit propter peccatum. Videtur autem loqui de persecutione, quam

patiebatur ab Absalone filio, de qua in toto psalmo superiore loquutus est; fortasse etiam loquitur de tentationibus daemonum, quae perpetuo nos circumdant et tribulant. *Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me*. Quasi dicat, non habeo tutum refugium, nisi in misericordia tua, quoniam undique deficiunt amici, et undique cingor ab inimicis: Ideo tu qui solus es, *exultatio mea*, idest, causa omnis meae laetitiae, erue me ab hostibus circumdantibus me. In hebraeo habetur, *Tu es refugium meum ab angustia*, vel, *ab hoste, custodies me: exultationibus liberandi circumdabis me*. Sed manifeste apparet puncta Rabbinorum et aliquam literarum mutationem totum hunc locum perturbasse. Septuaginta Interpretes non legerunt, תצרני *tizzereni, custodies me*, a נצר *nazar*, sed, צורריני *tsurereni*, obsidebit me, sive circumdabit me, a צור *tzur*, et futurum ponitur pro praeterito, ideo verterunt, *qua circumdedit me*. Neque legerunt, רני פלט *ronne pallet, exultationibus liberandi*, sed, רני פלט *ronni pallet, exultatio mea libera, sive erue*. Sanctus quoque Hieronymus ex hebraeo vertit, *laus mea*, unde legit, *ronni*, non *ronne*, ut hodie habetur in Bibliis hebraicis. Denique non legerunt Septuaginta, תסובבני *tesobebeni, circumdabis me*, sed מסובבני *mesobebeni, a circumdante me*.

10. *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

Respondet Dominus orationi servi sui, ac pollicetur auxilium, quod petebatur. Tria promittit: primo, prudentiam interiorem, ut possit cavere insidias hostium et discernere amicos ab inimicis, dum dicit, *Intellectum tibi dabo*, idest, intelligentem, prudentem te faciam. Secundo, auxilium externum singularis providentiae Dei, sine quo in multis periculis homines, etiam prudentissimi versantur, et hoc significat illud, *instruam te in via hac qua gradieris*. Nam in hebraeo est ואורך בדרך זו תלך, *vehoreca bederech zu thelech, ostendam tibi viam, per quam ambules*: in graeco vero συμβίβω σέ ἐν ὁδῷ ταυτῃ *comitabor te in via*, sive, *simul tecum gradiar*. Ex quibus omnibus intelligimus aliud *instruam te in via*, significare directionem, et ducatum in omnibus actionibus. Dicitur enim Deus ostendere viam et comitari nobiscum ut dux itineris, quando auxilio gratiae suae facit, ne erremus in via morum et ne in pericula, et insidias hostium, praecipue invisibilium, incidamus. Tertio perseverantiam in gratia, quod est maximum beneficium, et proprium electorum Dei, *Firmabo*, inquit, *super te oculos meos*, non avertam oculos a te, sed perseveranter et stabiliter oculo benignitatis te aspiciam, proinde auxilium internum prudentiae, et aeternum providentiae semper tibi aderit. In hebraeo habetur, deliberabo super te oculo meo, sive, ut vertit s. Hieronymus, *cogitabo de te oculo meo*. sed mutatio unius puncti, ex oculo meo, reddere potest, *oculis meis vel oculos meos*, itaque in illa voce nulla est difficultas. Suspicor autem pro voce, איעצה *ihaza*, cogitabo, vel deliberabo, Septuaginta legisse, אעצם *ehatsem, firmabo*, vel *roborabo*: quomodo enim fieri potest, ut viri doctissimi per verbum, יעץ *iahaz*, quod significat, *deliberare consilium inire, cogitari*; intellexerint firmare, et roborare; Si tamen lectio hebraica, ut modo se habet, cum graeca, et latina concilianda sit, oportebit subintelligere vocem semper, ut sensus sit, *cogitabo semper de te oculo mentis meae;* quod est idem cum illo, *firmabo super te oculos meos*.

11. *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.*

Hortatur nunc demum Propheta fideles omnes tam bonos quam malos, ut ab exemplo suo discant mala, quae consequuntur peccatum, et bona quae consequuntur poenitentiam et virtutem, ipse enim omnia expertus erat. Ac primum ad malos conversus dicit, *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*, idest, nolite duci solis sensibus, cum ratione praediti sitis: nolite sicut equi, et muli hinnire ad uxores proximi vestri, sicut ego feci: nolite tamquam indomiti, et feroces equi, vel muli, pauperes, atque humiles morsu, et calcibus impetere, ut ego adversus Uriam feci.

12. *In camo et fraeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Praedicit mala, quae eos sequentur, qui equos et mulos imitari voluerint, cogentur enim tribulationibus, vel ad Deum converti, vel certe impedientur, ne noceant aliis quantum vellent. Sed more Prophetico hanc praedictionem exprimit David per modum imprecationis, *In camo*, inquit, *et fraeno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te*, idest, capistro, et fraeno quasi equos, et mulos coercebis, qui recusant, ut homines ratione praediti, sponte accedere ad te per obedientiam. Ridicule Calvinus contendit, non esse legendum *in camo*, sed *in lupato*, quasi multum intersit inter haec vocabula, et quasi ipse sapientior sit septuaginta Interpretibus, qui vertunt εν χαμῷ, unde est nostrum *in camo*, et s. Hieronymo, qui ex hebraeo vertit *in camo*, et s. Augustino, Theodoreto, et aliis veteribus, qui omnes legunt *in camo*. Porro camus funem significat sive capistrum, quo alligantur equi. Sed hoc loco metaphorica vocabula sunt *camus et fraenum*, et ponuntur ad significandas calamitates, aerumnas, quibus Deus utitur ad coercendos homines a peccatis, id quod exponitur sequenti versiculo. In hebraeo habetur in singulari, עדיו *hedio, maxillam ejus*; sed non solum Septuaginta, sed etiam s. Hieronymus vertit in numero multitudinis, *maxillas eorum*. Ex quo intelligimus puncta non recte in nostris bibliis ubique esse collocata: nam secundum alia puncta, eadem vox significat *maxillas eorum*.

http://www.obrascatolicas.com

13. *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

Haec est declaratio cami et fraeni, quasi dicat Propheta, peccator impoenitens, et qui complacet sibi in peccato, multis flagellis atteretur, tum in hac vita, tum in futura. Quamvis enim interdum peccatores florere videantur, tamen ipsum peccatum est gravissima poena, quae parit alias poenas sine numero, sollicitudines, anxietates, timores, pericula, remorsum conscientiae, et similia; neque his contentus Deus justus judex, multa alia flagella adjungit, et nisi peccator resipiscat, et oret ad Deum in tempore opportuno; sine dubio ad flagella sempiterna perveniet. Contra justus, qui sperat in Domino, et non confidit in vanitate mortalium, ab ipsa misericordia divina undique circumdabitur, ut nulla parte flagellum ad eum accedere possit. Porro misericordia divina fons est omnium bonorum; ideo cum dicitur, *misericordia circumdabit sperantem in Domino*, significatur cumulus omnium bonorum, quo abundantissime fruuntur qui uni Deo adhaerent. Nam, et saepe diximus, quid nocere potest ei, cui omnia cooperantur in bonum? et cujus omnes passiones convertuntur in gloriam? Ideo recte concluditur psalmus his verbis.

14. *Laetamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.*

Sicut in principio beatos dixit justos, ita nunc in fine eosdem hortatur ad laetitiam, quae est etiam quasi ex obliquo exhortatio ad perseverandum in justitia, ut perseverare possint in laetitia. *Laetamini in Domino justi*, id est, magnam habetis o justi materiam gaudendi, sed *in Domino*, qui vobis est causa tantorum bonorum, quibus affluitis; non est cur tristemini ob temporalia detrimenta, pro quibus rependetur vobis in aeternitate mensura bona, conferta, coagitata, et supereffluens, et hic interim spiritualis consolatio non vos deseret. *Et gloriamini omnes recti corde*; idem aliis verbis repetitur: Nam gloriam, hoc loco non est efferre seipsum laudibus, ut sonat vox latina, sed est jubilare, ut sonat vox hebraea והרנינך *veharninu*, idest, cum laetitia laudare Deum, et non semel in Scripturis gloriari accipitur pro laetari, et exultare, ut cum dicit Apostolus ad Rom. 5. *Sed et gloriamur in tribulationibus*. Verbum quod proprie significat in hebraeo *gloriari*, habetur psalm. 51. in principio. *Quid gloriaris in malitia?* Hoc autem loco non est idem verbum, sed aliud, quod significat *jubilare*. Per *rectos corde*, intelligimus justos: nam ex rectitudine cordis oritur rectitudo verborum et operum: illi autem sunt justi, quorum corda, voces, et opera, conformia sunt rectissimae regulae, quae est lex divina: ex qua rectitudine fit, ut Deus placeat homini, et homo placeat Deo; et quidquid tandem volente, vel permittente Deo accidat homini, aequo animo accipiatur; atque ita sit in corde non solum justitia, *sed etiam pax et gaudium in Spiritu Sancto*, idest, regnum Dei, ut Apostolus interpretatur ad Roman. 14. proinde rectissime David ait, *Beati quorum remissae sunt iniquitates*, etc. et *laetamini in Domino, et exultate justi*, etc. quia soli justi sunt beati et vero solidoque gaudio perfruuntur.

PSALMUS XXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

Psalmus David.

Hic psalmus caret titulo apud hebraeos. Illud autem, *psalmus David* positum est a septuaginta Interpretibus, qui tamen disertis verbis admonuerunt, nullum se titulum in hebraicis codicibus reperisse. Argumentum psalmi est exhortatio ad justos homines, ut Deum laudent, ob ejus maximam potentiam, providentiam, et bonitatem: hortatur autem justos, tum quia non est speciosa laus in ore peccatoris; tum quia potentia, providentia, et bonitas Dei ipsis potissimum justis utilissima est.

EXPLICATIO PSALMI XXXII.

1. *Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.*

Exultatio quae hic ponitur, significat laudem cum laetitia. S. Hieronymus vertit, *Laudate justi Dominum*: sed vox hebraea, רננו *rannenu*, utrumque significat; ideo plenus sensus est, laudate cum exultatione, idest, laudate non inviti, non tristes, non negligenter, sed ex magno affectu jubilante, exultantes in cordibus vestris, laudate Dominum non solum animo, sed etiam voce. Reddit rationem cum addit, *rectos decet collaudatio*,

quasi dicat, vos justos invito potissimum ad laudandum Deum, qui vobis potissimum convenit laudare Deum, per rectos intelligit justos, ut etiam diximus in fine psalmi superioris. Sed congruit hoc loco, ut justi dicantur recti, quia rectis placet Deus, qui est ipsa rectitudo, et quod placet libenter laudatur. Distortis non placet Deus, cujus opera et judicia rectissima sunt, et ideo non quadrant voluntatibus iniquorum: inde iniqui et distorti non libenter Deum laudant, sed reprehendunt et blasphemant. Pro verbo *decet*, in hebraeo est nomen, נאוה *navah*, speciosa, et sensus est, in ore rectorum speciosa est laus: atque huc allusit Ecclesiasticus cap. 15. cum ait, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Pro voce, collaudatio in hebraeo, תהלה *thehilla*, et graeco est, αἴνεσις, *laus*: sed latinus Interpres posuit, *collaudationem*, ut significaret debere justos non solum sigillatim, sed etiam conjunctim laudare Deum.

2. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi.*

Hortatur rursus justos, ut confiteantur Domino confessionem laudis non solum voce, sed etiam instrumentis musicis, quae erant in usu illius gentis. Mystice autem significatur, ut Deum laudemus non solum verbis, sed etiam operibus, ac praesertim perfecta observatione decalogi significati per psalterium decem chordarum Matth. 6. *ut videntes caeteri homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est*. Notant hoc loco Basilius et Augustinus, citharam resonare ex parte inferiore, psalterium ex parte superiore. Unde colligitur, Deum esse laudandum ex cognitione, quae habetur ex creaturis, unde existit sonus citharae, et ex ea, quae habetur ex revelatione divina in scripturis sanctis, unde existit sonus psalterii.

3. *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.*

Conjungit quasi per epilogum, quae dixerat in duobus versiculis superioribus. Dixerat, ut voce laudaremus et instrumentis psalleremus: utrumque conjungit, et monet ut omnia accurate et diligenter fiant. *Cantate ei canticum novum*; hoc pertinet ad illud, *Exultate in Domino*: etc. Jubet autem ut exultantes laudemus Deum cantico aliquo non usitato, et veteri, sed recens composito accommodate ad rem praesentem. *Bene psallite in vociferatione*; pertinet ad id quod subjunctum est, *Confitemini in cithara*, etc. et jubet, ut hoc ipsum bene et accurate fiat et non frigide, ac summissa voce, sed magno cum sonitu, quo magnitudo affectus significetur. Itaque illud, *in vociferatione* non debet referri ad voces humanas, sed ad voces instrumentorum musicorum s. Hieronym. vertit, *in jubilo*, et s. Aug. legit, *in jubilatione*. Vox hebraea, בתרועה *bitruhah*, significat *jubilationem*: vox graeca ἀλαλαγμῶ *geminatum clamorem*. Recte monent ss. patres Basil. et August. canticum novum opponi cantico veteri. Canticum vetus est quod solet canere homo vetus, qui *natus ex carne caro est*, Joan. 3. et terrena sapit ac in terrenis delectatur, et hic Deum laudat, cum bona temporalia ab eo recipit: ac canticum novum canit homo novus, qui renovatus spiritu mentis suae, coelestia sapit et in aeternis delectatur, et Deum semper laudat, etiam cum flagellatur, quia novit illa etiam cooperari in bonum. Sic etiam per illud, bene psallite ei in vociferatione, admonemur dum psallimus, bene facere hoc divinum opus, attente, devote, magno cum affectu, et cordis jubilo. S. Benedictus in regula sua monet, psalmodiam esse opus Dei, et ideo caeteris omnibus operibus anteponendam. Et s. Bernard. sermon. 47. in Cantica. Vos, inquit, moneo dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus, muliebre quidquam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu, et affectu voces sancti Spiritus depromentes.

4. *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.*

Incipit explicare rationes, cur Deus sit tanto affecto laudandus, quae sumuntur, ut diximus, a bonitate, potentia et sapientia ejus. De bonitate dicit, *Rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide*, idest, quia verba et facta Domini justissima, fidelissima, et sanctissima sunt: hoc est quod psal. 144. aliis verbis, dicitur, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis*. Verbum Domini intelligitur mandatum, prohibitio, promissio, comminatio, et haec omnia rectissima, et fidelissima sunt: nihil enim jubet Deus nisi bonum, nihil prohibet nisi malum, et quae promittit, vel comminatur fidelissime praestat. Ideo *rectum est verbum Domini, et fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, psal. 134. opera vero Domini verbis conformia sunt: ideo *dicuntur esse in fide*: idest, fidelia, justa, sancta, et dicitur Deus *sanctus in omnibus operibus suis*. S. Basilius, et s. August. in commentario hujus psalmi, per fidem intelligunt hoc loco fidem Catholicam, et exponunt, opera Dei dici esse in fide, quia ex operibus Dei, ut ex fabrica coeli et terrae inspecta homines moventur ad fidem, ut videlicet credant in Deum opificem tanti operis: vel dicunt opera omnia esse in fide, quia omnia opera bona, quae Deo placent, sunt in fide tamquam in semine, vel radice: non enim placent Deo quae fiunt ante fidem, sed quae nascuntur ex fide. Ambae sunt piae, veraeque sententiae, sed non videntur litterales explicationes.

5. *Diligit misericordiam in judicium: misericordia Domini plena est terra.*

Sanctitas verborum et operum Domini nascitur ex sanctitate voluntatis. *Deus* enim *diligit misericordiam et judicium*, idest amat primum largi-

http://www.obrascatolicas.com

ri dona gratiae suae, et postea secundum opera uniuscujusque reddere praemia, vel supplicia, atque ita omnes viae Domini misericordia et veritas. In hebraeo habetur, diligit justitiam et judicium, sed septuaginta interpretes scientes confundi duas illas voces, צדק *zedech*, *et* חסד *chesed*, idest justitiam et misericordiam, saepe vertunt justitiam, ubi legunt, *chesed*, et aliquando (ut hoc loco) vertunt *misericordiam*, ubi legunt, *zedech*: quod si interpretari velimus verbum hebraicum ut sonat, dicendum erit in prima parte versiculi declarari bonitatem voluntatis divinae ex parte justitiae ; in altera parte, nimirum *misericordia Domini plena est terra*, declarari eamdem bonitatem ex parte misericordiae. Sed juxta nostram lectionem dicendum est in prima parte declarari bonitatem ex parte misericordiae et justitiae : in secunda doceri misericordiam latius patere quam justitiam, et esse, ut alibi dicitur psal. 118. *Super omnia opera ejus*: nam ad misericordiam pertinet tollere miseriam et defectum : nihil autem est quod non indigeat misericordia Dei, cum omnia omnino creata defectum aliquem patiantur. Sed res corruptibiles, quae sunt infra lunam, tanto plures, et majores defectus patiuntur, quam res incorruptibiles, quae sunt supra lunam, ut respectu corruptibilium non videantur incorruptibilia ullum habere defectum, ideo dicit Propheta, *misericordia Domini plena est terra* : nam per terram intelliguntur omnia corruptibilia ; terra enim sedes est non solum hominum mortalium et animalium terrestrium et omnium plantarum, sed etiam piscium et avium: quamvis enim aves volitent in aere, et pisces perambulent semitas maris; tamen et illae et isti quiescunt in terra. Porro omnia corruptibilia egent multiplici misericordia Dei, creante, conservante, movente, nutriente, reparante. Sed homines mortales, praeter ista omnia, egent misericordia praeveniente, comitante, subsequente, indulgente peccata, armante contra daemones, dirigente, protegente etc. Itaque rectissime dicitur, *misericordia Domini plena est terra*. Hoc loco illud etiam considerandum est, misericordiam perfectam, ad quam pertinet tollere omnes defectus, esse propriam solius Dei, quia non potest tollere omnes defectus nisi qui caret omni defectu, ac per hoc est infinitae perfectioni, actus purus, aeternus, omnipotens: itaque recte Ecclesia canit, *Deus cui proprium est misereri*.

6. *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Transit a laude bonitatis ad laudem potentiae, cujus primarius, maxime conspicuus effectus, est fabrica coeli. Auget autem potentiam Dei, quod tantam molem non solum fecit, sed sine labore, sine mora temporis, sine ministris, sine machinis, solo verbo fecit, et eis aeternam stabilitatem attribuit. Alludit autem Propheta ad creationem mundi, quae describitur in primo cap. Gen. per ea verba. *Dixit Deus, fiat firmamentum, et factum est firmamentum, et vocavit firmamentum coelum*. In hebr. habetur, בדבר יהוה שמים נעשו *bidbar* Adonai *sciamaim nahasu, verbo Domini coeli facti sunt*, sed interpretes, verterunt *firmati sunt*, ut declararent coelos factos esse incorruptibiles. Quod sequitur, *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, posset videri repetitio quaedam. Nam *verbum et spiritus oris*, idem fere sunt, et firmitas coelorum pro eodem accipi posset, nisi in hebraeo esset vox, צבאם *tzebaam*, quae significat *exercitus eorum*, sive *ornatus eorum*, ut vertit s. Hieronym. Septuaginta interpretes, pro eodem accipiunt virtutem et exercitum, quia re vera exercitus militum est virtus, idest potentia et robur principis. Per virtutem, sive exercitum, sive ornatum coeli intelliguntur stellae, quae sunt veluti castrorum coelestium acies ordinata, et simul mirifice coelum ornant, et virtutes suas variosque influxus in haec inferiora diffundunt. Quamvis autem per *verbum Domini, et spiritum oris ejus*, possit imperium Domini simpliciter accipi, tamen sine dubio Spiritus sanctus insinuare voluit per haec verba mysterium sanctissimae Trinitatis, quod tempore novi testamenti revelandum erat. Neque movere nos debet, quod videatur propheta creationem coeli tribuere Verbo et creationem stellarum Spiritui Sancto, quasi Dominus Pater per Verbum coelos fecerit, per Spiritum Sanctum stellas. Nam propter unitatem essentiae, quae est virtus operatrix, indivisa sunt opera Trinitatis, et ideo cum dicitur Deus pater per Verbum creasse coelos, intelligitur non sine Spiritu sancto id fecisse: et cum dicitur Virtus, sive exercitus coelorum esse a Spiritu oris Domini, intelligitur esse etiam a Verbo, quod ab ejusdem Patris ore procedit, et a quo Verbo Spiritus ipse procedit.

7. *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.*

Pergit explicare potentiam Dei, qui non solum coelos et stellas Verbo fecit, sed etiam ea facilitate omnes aquas, quae initio creationis mundi operiebant undique terram, coegit in loca inferiora et profundiora terrae, qua facilitate implet homo utrem unum aqua, vel recondit pecunias in arca, vel loculis. *Congregans sicut in utre aquas maris*, idest congregans est, sive congregat Deus aquas maris in locum unum, ac si utrem impleret, idest facillime, nulloque negotio. Idem repetitur sequentibus verbis, *ponens in thesauris abyssos*, idest ponit Deus abyssos, multitudiem videlicet, et profunditatem aquarum, quae erant super terram et pertingebant usque ad coelum; ponit, inquam, omnem illam aquarum immensitatem in angustiis terrae cavernis, ac si reconderet pecunias in thesauris. Abyssum esse aquarum multitudinem, quae initio creationis erat super terram, perspicuum est ex 1. cap. Genes. *Et tenebrae erant super faciem abyssi*. Per thesauros significatur, aliquando copia rerum pretiosarum, ut eo loco, *simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro*. Matth. 16. aliquando significatur per thesaurum locus ejusmodi rerum pretiosarum, ut arca, vel loculi, ut in verbis illis, *omnis scriba doctus in regno coelorum profert de thesauro suo nova et vetera*, et de Magis legimus, apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. In hac posteriore significatione accipitur hoc loco thesaurus. Dicit autem Propheta in tempore praesenti *congregans et ponens*, cum tamen, ab initio haec facta sint, quia Deus ita semper conservat, quod initio fecit, ut vere dici possit semper id facere. In hebraeo pro *utre*, habetur, נד *ned*, quod acervum significat : sed septuaginta, et s. Hieron. legerunt נאד *nod*, quod *utrem*, significat. Et haec est verior lectio, et melius explicat congregationem aquarum in locum unum, idest in cavernas terrae, quam Propheta significare volebat. In hebraeo et graeco deest propositio, *in*, et legitur, *congregans sicut utrem aquas maris* : sed omnino subintelligitur, et recte habet nostra editio, *sicut in utre*. Et non deerant olim graeca exemplaria quae haberent, *in utrem*, ut notat s. Basilius; et s. August. semper legit in utrem. Qui legunt, *sicut utrem*, existimant significari nubes, quae intumescunt sicut utres et postquam aquam effuderint, detumescunt: sed litteralis sensus est is, quem supra posuimus.

8. *Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.*

Ex iis quae dicta sunt de potentia Dei, occasione accepta, David hortatur homines ut Deum timeant, ejusque mandata praedicari formident. *Timeat igitur*, inquit, *omnis terra Dominum*, tantae potentiae et majestatis: et mox explicat idipsum dicens, *omnes inhabitantes orbem* (hoc est eorum omnis terra) commoveantur, idest contremiscant ab eo Domino, videlicet aliquid jubente.

9. *Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.*

Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Optima ratio, cur solus Deus timendus sit quia videlicet quidquid est extra Deum nihil nobis nocere potest, nisi Deus permiserit; et contra, nihil est extra Deum, quod nos ab ejus ira defendere possit: omnia enim ab ejus nutu dependent, a quo habent, ut sint. Ratio autem, cur Deus omnia fecerit verbo est, quia verbum ejus plenum est potestate et auctoritate; ita ut si mandatum atque imperium, cui nihil resistet: ideo adjungitur, *ipse mandavit et creata sunt*. In hebraeo habetur ad verbum, הוא אמר ויהי *hu amar vaiehi, ipse dixit, et fuit; ipse mandavit, et stetit*. Sed sensus est idem: significant enim verba hebraica, *ipse dixit*, et omnis creatura facta est: *ipse mandavit*, et omnis creatura existere coepit.

10. *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.*

Venit tandem Propheta ad sapientiam, ut ostendat omni ex parte Deum esse laudandum. *Dominus dissipat consilia gentium*, idest, ita supereminet sapientia Dei supra omnem omnium hominum sapientiam, ut quidquid homines consultando deliberant; quamvis consilia eorum sapientissima et prudentissima videantur, Deus in momento infatuare, dissolvere, irritum facere possit. Idem repetitur sequentibus verbis cum dicere *reprobat autem cogitationes populorum*, idest, Deus reprobat tamquam stultas cogitationes populorum omnium: nec solum populorum, sed etiam ipsorum principum, qui consiliariis in omni doctrinarum genere abundant, consilia, deliberationesque ut plane insipientes et inutiles reprobat. Et vere mirabilis est sapientia Dei, quae sapientes in astutia sua comprehendit, et ineffabili ratione ita nonnumquam consilia illorum infatuat, ut quae utilissima sibi esse judicant, et perniciem et interitum illis adferant. In hebraeo non habetur illud, *et reprobat consilia principum*, fortasse excidit injuria temporum, vel incuria librariorum.

11. *Consilium autem Domini in aeternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem.*

Dominus quidem inscrutabili sapientia sua dissolvit humana consilia, ut finem sibi propositum non assequantur. Contra autem, humana prudentia nihil omnino potest adversus consilium Dei : quidquid enim semel decrevit Deus, stabile in aeternum erit. *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus*, Isai. 45. Non est autem consilium Dei consultatio quaedam praecedens electionem; neque sunt in Deo multae cogitationes, sed unico et simplicissimo actu ab aeternitate decrevit Deus, quidquid unquam facturus est. Sed scriptura accommodat se nostrae imbecillitati nostrisque verbis utitur, ideo dicit, *consilium Domini in aeternum manet*, idest, quod Deus quasi consultando decrevit, nullo modo dissolvi potest, nec impediri quominus executioni mandetur. Idem repetitur aliis verbis, cum additur, *cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem*, idest, quae Dominus cogitavit facere nullo tempore impedientur, sed fient prorsus eo modo, quo ipse fieri voluit. Nec tamen ita se accommodat Scriptura nostrae infirmitati, ut non sit veritas in ejus verbis : nam etiamsi non est in Deo consilium praecedens electionem, tamen est in Deo quidquid perfectionis reperitur in consilio, cognitio videlicet omnium mediorum ad assequendum finem utilium : et quamvis in Deo una sit et simplicissima cogitatio, ea tamen aequiparatur innumerabilibus cogitationibus, quas in se eminentissimo modo continet.

12. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in haereditatem sibi.*

Ex iis quae dicta sunt de potentia, sapientia et bonitate Dei, colligit Propheta beatum esse populum, cujus Deus non est aliquod idolum inutile, sed ille potentissimus, sapientissimus, et optimus Dominus, cujus laudes explicatae sunt: tunc autem vere, perfecteque foelices, ac beati su-

http://www.obrascatolicas.com

mus, quando et nos magnum illum Dominum pro Deo habemus, et ipse nos pro peculiari suo populo habet: ideo Propheta utrumque conjungit cum dicit, *beata gens, cujus est Dominus Deus ejus*, idest, beati sunt illi homines, qui pro Deo non agnoscunt nisi unum illum Dominum, *cujus verbo coeli firmati sunt*, etc. et simul, *beatus populus, quem elegit Dominus in haereditatem sibi*, idest, beati sunt illi homines quos ille idem magnus Dominus elegit in populum peculiarem, et quasi propriam possessionem et haereditatem. Sunt autem ista duo ita connexa, ut separari non possint, illi enim soli Deum verum pro Deo suo habent, qui illum fide, et spe, et charitate colunt: illi autem soli Deum fide, et spe, et charitate colunt, quos ipse elegit in haereditatem sibi, quos per gratiam praeordinavit, vocavit, et justificavit. Vera prorsus et in imo corde recondenda sententia: nam quidquid homo habeat, etiamsi totum mundum lucretur, egenus et miser est si Deo careat, qui solus totum animae sinum replere potest: et contra, qui Deum habet, etiamsi aliis careat, beatus, et dives est, quia in Deo sunt omnia: praeterea, imago Dei est homo, imaginis bonum, totaque perfectio est, exemplari suo simillimum esse: tunc autem vere similes Deo, ac per hoc beatissimi erimus, quando *videbimus eum sicuti est*, ut dicitur, 1. Joan. 3. nam et ipse Deus ideo beatus est, quia videt se sicuti est. Itaque qui Deum numquam videbunt, semper Deo dissimiles, ac per hoc semper miserrimi erunt. Denique quidquid infra Deum est vel est homine vilius, ut omnia corporalia, vel par, ut Angeli quibus in resurrectione aequales erimus: nihil autem nos perficere, foelicesque ac beatos reddere potest, nisi quod est nobis melius, atque perfectius, igitur illi soli vere beati sunt, qui adhaerent Deo, et unus spiritus fiunt cum eo, idest, qui diligunt Deum, et diliguntur a Deo, qui quidem hic interim spe beati sunt, sed re ipsa beati erunt, quando tam foelici vinculo inhaerebunt Deo, ut ab eo excidere nulla ratione possint.

13. *De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.*
14. *De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.*

Probat quod dixit, beatam esse gentem, cujus Deus est Dominus ille, qui fecit coelum: probat autem ex eo quod cum Dominus de coelo tamquam altissima specula, videat omnes homines, et cognoscat, non posse ullum hominem propriis viribus salvum fieri, quamvis alioqui fortissimus aut potentissimus videatur: tamen Deus oculo paterno peculiariter populum suum respicit, et illum adjuvat, ac salvat, ut merito dictum sit initio psalmi, *Exultate justi in Domino*. Ait igitur, *De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum*, sive (ut est in hebraeo בני האדם *bene haadam*), *vidit omnes filios Adam*, idest, Dominus de coelo a quo nihil occultari potest, non solum videt populum suum sed videt omnes homines, et intelligit quid quisque possit. Idem vero significant verba sequentia *De praeparato habitaculo suo*, idest, de sede, quam sibi ipse paravit, et stabilivit, (nam *coelum coeli Domino, terram dedit filiis hominum*, ut est in psal. 113.) *respexit* ac respicit omnes habitatores terrae. Sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit, *de firmissimo solio suo*, pro eo quod nos habemus, *de praeparato habitaculo suo*: sed verba hebraica utramque significationem recipiunt.

15. *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

Declarat Propheta, Deum non vidisse de coelo filios hominum, eo modo, quo nos videmus ea, quae sunt longe posita, confuso videlicet, et crasso modo, sed vidisse distincte, et subtilissime omnia opera eorum, idest, quid possint operari, vel operentur: vel mente, vel corpore. Itaque vidit omnes cogitationes, omnia desideria, omnia dicta, omnia facta, praeterita, praesentia, et futura omnium, et singulorum hominum. Et probat Deum haec videre potuisse, quia ipse *formavit corda singulorum*, idest, creavit animas singulorum hominum, ac per hoc etiam creavit corda, hoc est, mentes et voluntates, a quibus omnia hominum opera oriuntur: qui enim corda fingere potuit, idem sine dubio corda scrutari potest. In hebraeo habetur qui finxit, יחד *iachad*, idest, *pariter* corda eorum, sed illud, *pariter*, non significat eodem tempore, ut Origenes, et alii errantes crediderunt. Nam sanctus Leo in epistola ad Turibium Asturiensem Episcopum cap. 10. docet, fidem Christianam habere animas ante corpora non fuisse. Igitur illud, *pariter*, non refertur ad idem tempus, sed ad eumdem auctorem; ac si Propheta dixisset, *qui finxit omnia corda* nullo excepto: non enim unum cor ipse formavit, alia vero aliis formanda reliquit, sed ipse pariter omnia, ipse unus finxit omnia. In graeco habetur, κατὰ μόνας, idest, *seorsim, sive solitarie*: quod sanctus Basilius refert ad cordis puritatem et simplicitatem, ut sensus sit, qui finxit corda separata ab omni impuritate, sive ut Euthymius addit, separata ab aliorum animantium natura. Sed videtur rectius intellexisse antiquus latinus Interpres, qui vertit *singillatim*, idest, seorsim singula, id enim magis congruit cum lectione hebraica, et cum verbis sequentibus; dicit enim Propheta, Deum formasse omnia corda, ut inde colligat, Deum intelligere omnia opera eorum: haec autem ratio id requirit, ut Deus formaverit omnia, et singula corda, non ut separaverit ab impuritate, vel ab aliis animalibus. Ex hoc etiam loco colligitur aliud dogma ecclesiasticum, quod videlicet Deus non creavit quasi in confuso omnes animas, cum creavit animam primi hominis, quasi in illa fuerint omnes, et ex illa fiant omnes, sicut re vera tunc creavit quodammodo omnes homines; quia in uno erant omnes, et ex uno fiunt omnes, quantum ad generationem carnis: sed creavit Deus singillatim omnes animas, non unam ex alia, sed ipse singulas ex nihilo distincte, ac separatim. Scio sanctum Augustinum in epist. 28. non existimare, ex hoc loco solide probari creationem animarum, quia in psal. 50. dicitur, *Cor mundum crea in me Deus*. Sed responderi potest, in psal. 50. tractari de sanctificatione, non de naturali creatione: hunc autem locum requirere, ut verba proposita de naturali creatione intelligamus; cum inde colligatur Deum omnia corda scrutari, quia omnia ipse formavit.

16. *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.*

Explicat quid viderit ille, qui omnia videt, videlicet hoc vidit, neminem propria virtute liberari posse a malis, quae nos circumstant; sed egere omnes misericordia Dei; ponit autem exemplum in iis, qui videntur maxime de suis viribus posse gloriari, quasi dicat, vidit Deus quod *non salvatur rex per multam virtutem*, idest, non sufficit regi ad propriam salutem, seu vitam tuendam, multa virtus, idest, multa potentia, multus exercitus, multa vis pecuniarum. *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae*, idest, sicut regi non sufficit robur aliorum, qui illi serviunt; ita fortissimo viro non sufficit robur proprium. Non est in hebraeo nomen gigantis, גבור *ghibbor*, sed in genere nomen robusti et fortis viri: sed septuaginta Interpretes posuerunt nomen gigantis, quia illi solent esse fortissimi, et caeteris hominibus formidabiles, ut de gigante Goliath legimus in primo libro regum, cap. 17.

17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suae non salvabitur.*

Tria sunt quae possunt hominem eripere ab instanti periculo, vires alienae ut custodiae militares, vires propriae, velocitas equi: illae, si resistendum sit; ista, si fugiendum. Docuerat psalmista, non sufficere duo priora, nunc addit neque tertium sufficere, et habemus exemplum omnium in libris regum; 1. regum 31. Saulem enim regem non potuerunt a nece defendere ingentes copiae militares; 1. Reg. 17. Goliath gigantem robustissimum David puer occidit; 4. Regum 9. Joram filium Achab veloci curru fugientem sagitta velocior interemit. *Fallax equus ad salutem*, idest, fallitur qui confidit salutem suam velocitate equorum: velocitas enim illa multis modis impediri, vel praeveniri potest, ideoque fallax est. *In abundantia virtutis suae non salvabitur*, idest, equus in virtute sua, qua abundat, vel si ea maxime abundet, quae virtus in velocitate consistit, non salvabitur cum sessore suo, idest, neque se, neque sessorem a periculo liberabit. In hebraeo habetur active, *non salvabit*, nimirum sessorem suum: sed idem verbum hebraicum mutatis punctis fieri potest conjugationis passivae, et eo modo legerunt septuaginta Interpretes, quos Interpres Latinus sequutus est. Et quidem lectio, *non salvabit*, quam habet s. Hieronymus, clarior est. Lectio vero nostrae editionis, non salvabitur, requirit ut subintelligatur aliquis, videlicet, non salvabitur cum sessore suo: neque enim dubium esse potest, quin de salute hominis potius, quam de salute equi hoc loco agatur. Porro quae dicta sunt de salute corporali, multo magis intelligenda sunt de salute spirituali, ad quam obtinendam nemo sufficiens est, sine praeveniente, comitante, et subsequente gratia Dei.

18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.*
19. *Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.*

Concludit Propheta ratiocinationem suam, qua, ut supra diximus probat beatam esse gentem, cujus Deus est Dominus. Nam videt quidem Deus omnes homines, et intelligit, quam parum possint, nisi ipse adjuvet: sed tamen peculiariter in homines justos dirigit oculos suos, ut eis de coelo auxilium praebeat, tum ut a mortis periculo liberentur, tum ut commode sustententur in vita. *Ecce oculi Domini super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus*: per timentes et sperantes pulchre describuntur ii, qui vere sunt justi et amici Dei. Nam timor sine spe, timor servilis est, spes sine timore praesumptio est. Timor cum spe charitatem veram declarat, idest, amorem liberalem quo diligitur Deus, ut amicus, ut pater, ut sponsus: qui enim tali amore flagrat, et vehementer timet, ne dilectum offendat, et secure confidit, ac sperat, misericordiam dilecti sibi numquam defuturam. *Ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame*. Haec est causa, cur Dominus respicit oculo paterno timentes, et sperantes in se, ut videlicet haec duo beneficia illis tribuat, liberationem a periculo mortis, et alimenta dum vivunt. Quia justi timent Deum offendere, liberat illos Deus a timore ne offendantur, praesertim circa vitam, quae est fundamentum omnium bonorum: quia sperant in misericordia ejus, praestat illis perpetuam misericordiam, dum alit eos in fame. Quae duo beneficia possunt intelligi tam de salute corporali, et temporali, quam de spirituali, et sempiterna. *Eruit Dominus a morte animas*, idest, vitam timentium se, dum singulari providentia liberat eos a variis mortis periculis, a quibus propria virtute sua, vel suorum liberari non potuissent. Deinde sic liberatos sustentat in vita, prospiciens eis de omnibus ad vitam necessariis, et praesertim tempore famis quo multi alii rerum omnium penuria laborant. Sed spiritualiter eruit animas eorum a morte, dum vel non sinit eos labi in peccatum, quod est mors animae; et si forte peccaverint, mox illos per salubrem poenitentiam ad gratiam, quae est vita animae, revocat, et utroque modo animas eorum a morte sempiterna liberat. Viventes autem Deo per inhabitantem Spiritum sanctum, alit in fame, dum in hoc deserto, per quod ad terram promissionis tendimus, deserto plane sterili, et inaquoso, alit. Manna pluente de coelo, ei potat aqua de petra scaturiente, idest, coelestibus consolationibus reficit, ac sustentat: alit autem, non satiat; et sitim temperat, non extinguit, quia saturitas servatur in aliam vitam, in qua satiabimur dum apparuerit glo-

http://www.obrascatolicas.com

ria Domini, et inebriabimur ab ubertate domus Domini, et voluptatis torrente potabimur.

20. *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est.*

Hactenus Propheta justos Dei servos allocutus est, eosque ad exultandum in Domino, et laudandum Deum, patrem indulgentissimum, et misericordissimum exhortatus est. Nunc introducit justos respondentes, ac dicentes, Anima nostra sustinet Dominum: intelligunt justi, quid spiritus sibi velit, cum eos ad exultandum, et laudandum invitat, nimirum intentionem Spiritus sancti esse, ut per hoc ipsi animentur ad perseverandum in justitia, et ad inhaerendum Deo, neque ab eo recedendum ob quantascumque persecutiones, ac demum ad Deum laudandum magis opere, quam verbis. Itaque respondent se tot beneficiis Dei confirmatos, constantissime in ejus timore, ac amore parmansuros. *Anima nostra*, inquiunt, *sustinet Dominum*, idest, quidquid acciderit, non nos separabit a charitate Dei, neque ad alium consolatorem respiciemus, sed expectabimus patienter consolationem de coelo, scientes scriptum esse Abac. 2. *si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit.* Dicitur autem anima sustinere Dominum, hebraica phrasi, qua tribuitur animae id, quod toti homini convenit, praesertim quando agitur de re spirituali. Sic dixit Isaias cap. 26. *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae : anima mea desideravit te in nocte.* Et Hieremias Thren. 3. *Bonus Dominus sperantibus in se, animae quaerenti illum.* Et beatissima virgo Lucae 1. *Magnificat anima mea Dominum. Quoniam adjutor et protector noster est.* Reddunt justi rationem cur tam constanter Dominum expectare decreverint, quia videlicet sciunt ex experimento cognoverunt a Domino in bonis se adjuvari, et a malis protegi potentissime, et fidelissime.

21. *Quia in eo laetabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.*

Posteaquam responderunt justi primarie intentioni Spiritus sancti, respondent nunc secundariae quae erat, ut exaltarent in Domino, sicut in primis psalmi verbis dictum est. Dicunt igitur se id facturos libentissime, *in eo laetabitur cor nostrum*, idest, *exultabimus in Domino, et in nomine sancto ejus speravimus*, idest, quia *in nomine sancto ejus speravimus*. Nam quia speraverunt in Domino, adjuti ab eo atque protecti sunt, et ideo experimento proprio edocti, quam bonus et potens Dominus sit, exultant in eo, et confitentur nomini ejus. Quod attinet ad verba, in hebraeo habetur, *quia in eo laetabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus*: sed primum, *quia*, positum est, pro, *et*, vel pro, *certe*, vel vacat. Sicut contra in latina editione illud, *et*, cum dicitur, *et in nomino sancto ejus speravimus*, positum est pro *quia*. Itaque clarissima lectio esset, et in eo laetabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus. Porro sperare in nomine Domini, non est sperare in literis, aut sono nominis, sed sperare in Domino per nomen significato ; et habere videtur vim quamdam majorem hic loquendi modus, quam si dicatur simpliciter, sperare in Domino; nam sperare in nomine Domini, est sperare in ipso Domino nominatim, et proprie appellato ; dicitur vero nomen Domini sanctum, quia dignum est, ut ab omnibus honoretur, et ideo summum scelus committitur, cum blasphematur.

12. *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.*

Concluditur psalmus per orationem, ut saepe alias, et est oratio aptissime cohaerens cum superioribus verbis, et cum toto psalmo; quia enim aliquoties dictum est, Deum misereri sperantium in se, et justi dicunt se in Domino speravisse et egent semper nova misericordia propter continua pericula, ideo concludunt. *fiat misericordia tua Domine super nos*, idest, non cesset, sed perseveret, imo addatur semper nova misericordia super nos, *quemadmodum speravimus in te*, idest, sicut de tua bonitate futurum speravimus, et nobis ipsi promisimus.

PSALMUS XXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Davidi, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.

Hic titulus ad duas historias referri potest, quae habentur lib. 1. Reg. cap. 21. prior historia narrat, Davidem fugientem a facie Saul regis venisse ad Achimelech sacerdotem, atque ab eo panes, et arma postulasse, neque ei indicasse fugam suam, sed simulasse secretum regis negotium se habere, ob quod tantopere festinaret. Posterior historia refert Davidem confugisse ad Achis regem Philisthaeum; sed cum servi ejus regis incitare coepissent dominum suum in necem Davidis, tum Davidem insaniam et fatuitatem simulare coepisse, atque ea ratione mortem evasisse. Theodoretus ad priorem historiam titulum refert : sed s. Basilius, s. Augustinus, s. Hieronymus, et Euthymius, referunt ad posteriorem. Et haec est verior sententia, primo, quia in priore non immutavit David vultum, sed officium : in posteriore vero vultum immutavit, ut videretur esse, qui non erat: secundo : quia ubi nos legimus, *et dimisit eum*, in hebraeo est, ויגרשהו *vaigarescehu*, quod significat, *et expulit eum*, sive, *et projecit eum*, vel, *et repudiavit eum*, quod nullo modo convenit cum priore historia, sed tantum cum posteriore : non enim Achimelech sacerdos expulit Davidem, sed Achis rex cum expulit, ut insanum et furiosum. Ex quo etiam refellitur sententia eorum, qui *divisit eum*, sic intelligunt, divisit David regem Achis, vel sacerdotem Achimelech: non enim David dimisit, idest expulit, sed expulsus fuit, et dimissus. Tertio, quia in hoc psalmo David gratias agit Deo, quod ex magno periculo liberaverit eum: nullum autem periculum passus est David apud Achimelech , sed maximum apud Achis. Quarto, quia in titulo hujus psalmi juxta codicum hebraicorum et graecorum fidem, non habetur Achimelech, ut haberi deberet, si titulus priorem historiam respiceret : sed Abimelech. Et sic legunt et exponunt Basilius, Augustinus et alii veteres, excepto Theodoreto. Latini etiam codices vulgatae editionis, quos vidi, habent Abimelech, excepta editione Sixti V. in qua habetur Achimelech, quod vitio librariorum, vel impressorum factum videtur; cum repugnet omnibus codicibus, et facile fuerit errare ob vocum similitudinem. Cur autem Achis dictus sit Abimelech, rationem reddit s. Basilius. Abimelech erat nomen commune regibus Philistinorum, sicut Pharao erat nomen commune Aegyptiorum et Caesar imperatoribus Romanorum. Probat autem s. Basilius Abimelech fuisse nomen commune regibus Philistinorum, ex cap. 20 et 26. Genes. Porro quod in titulo dicitur. *immutavit vultum suum*, in hebraeo, בשנותו את טעמו *bescianotho eth tahemo*, est, *immutavit sensum suum*, quod in idem recidit : nam immutare sensum, est hoc loco simulare stultitiam et de viro sensato facere se insensatum, quod fecit David torquendo os, et oculos, et collabendo, et impingendo in ostia domus more ebriorum et salivae copiam emittendo ad similitudinem epilepticorum : haec enim narrantur in primo lib. reg. cap. 21. Argumentum psalmi, est gratias agere Deo pro beneficio liberationis a periculo illo mortis imminentis et hac occasione exhortari omnes ad amandum Deum et sperandum in eo. Intelligebat enim vir pius, suam illam omnem industriam, quam adhibuit simulando stultitiam, parum fuisse profuturam, sine adjutorio et favore divino.

EXPLICATIO PSALMI XXXIII.

1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Psalmus est alphabeticus : incipit enim primus versus a prima litera alphabeti, secundus a secunda, et sic de caeteris, quod videtur ideo factum, ut facilius memoriae mandaretur, et saepe a fidelibus cantaretur. Incipit igitur magno affectu gratias agere, quasi diceret. Nullo unquam tempore obliviscar beneficium hodiernum, sed pro eo, *benedicam Dominum in omni tempore*, idest, quamdiu vixero: et idipsum repetens, *semper*; inquit, *laus ejus in ore meo*. Itaque illud, *semper*, non significat omni momento, omne die, omni nocte, quasi nihil aliud agendum sit: sed significat id esse faciendum suo loco et tempore, sed usque ad finem vitae, imo etiam usque ad finem saeculi cantabuntur psalmi isti, et sic per alios benedicet Deum David id omni tempore. Potest etiam hic locus spiritualiter intelligi, quod justi semper Deum laudant, et cum beneficia recipiunt, et cum flagella patiuntur,

http://www.obrascatolicas.com

juxta illud s. Job cap. 1. *Dominus dedit. Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

2. *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et laetentur.*

Nec solum, inquit, ego benedicam Dominum ob hoc beneficium in omni tempore, sed etiam alii benedicent: quicumque enim hoc audierint, laudabunt me, quod tam mirabili arte eluserim illum regem, et simul Deum laudabunt ac benedicent, qui me per illam artem de mortis periculo liberavit. *In Domino laudabitur anima mea*, idest, ego laudabor ab omnibus, ad quos hujus rei fama perveniet; sed laudabor in Domino, ac per hoc laus praecipua referetur ad Dominum, qui singulari providentia sua mihi bonum consilium inspiravit, et juvit, ut foelicem sortiretur effectum. In hebraeo, verbum *laudabitur* תתהלל *thithallel*, est cujusdam conjugationis, quae significat actionem in se ipsum: itaque secundum proprietatem vocis hebraicae, *laudabitur anima mea*, significat, anima mea laudabitur a se ipsa, idest, gloriabitur; et quia ponitur anima pro toto homine, sensus erit, ego ipse ob hoc factum mirifice gloriabor, non in me, sed in Domino, quo protegente et adjuvante periculum evasi. Admonemur ex hoc loco, non semper esse vitium gloriari, et facta propria laudare, sed tunc solum, cum vel gloriamur de re quae laudem non meretur, vel non agnoscimus auctorem primarium omnium bonorum, Deum: *Qui gloriatur*, inquit Apostolus 2. Corinth. 10. *in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Quod sequitur, *audiant mansueti, et laetentur*, significat ad eos proprie pertinere communicationem hujus laetitiae, quibus similia pericula solent esse communia, quales sunt homines mites, et patientes: qui enim hujusmodi sunt, et saepe a potentioribus opprimuntur, et facile Deum experiuntur adjutorem. *Audiant*, inquit, *mansueti*, humiles, Deum timentes, mei similes, quod mihi accidit, *et laetentur*, ac Dominum benedicant. In hebraeo sunt haec verba temporis futuri, ישמעו וישמחו *iscmehu veijsmachu, audient, et laetabuntur*: sed quia imperativus apud hebraeos caret tertia persona, ad eam exprimendam utuntur hebraei tertia persona futuri: proinde recte verterunt graeci et latini interpretes, *audiant, et laetentur.*

3. *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.*

Convertit sermonem ad ipsos mansuetos, quos jusserat audire, et laetari, atque illos hortatur, ut non solum singuli apud se Deum laudent, sed cum ipso conjuncti pariterque uniti Dominum glorificent. *Magnificate Dominum mecum*, idest, Dominum, qui solus vere magnus est, magnum esse confiteamur et eum, qui vere solus altissimus est, voce etiam nostra altissimum esse praedicemus, *et ejus nomen*, idest, notitiam et famam, vel potentiam, et majestatem coram hominibus extollamus. Placet enim Deo valde, ut fideles non solum seorsim in cubiculis, sed etiam conjuncti in ecclesiis *unanimes, uno ore ipsum honorificent*, ut Apostolus monet ad Rom. 15. Illud, *in idipsum*, saepe jam diximus nihil significare aliud, nisi pariter, una, conjunctim, etc.

4. *Exquisivi Dominum, et exaudivit, me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

Explicat nunc Propheta causam, cur benedicere velit Dominum omni tempore: quia videlicet expertus sit eum liberatorem optimum, et potentissimum. *Exquisivi Dominum*, idest, cum angustiis premerer ad Dominum confugi, ejus auxilium quaesivi, ad eum cum fiducia accessi, *et exaudivit me*, solita sua benignitate et misericordia, et effectus exauditionis in eo se prodidit, quod *liberavit me ex omnibus tribulationibus meis*, quasi dicere velit, conatus est me Saul rex, et manu sua, et per satellites suos occidere, et protegente Domino manus ejus effugi: fugiens autem prae festinatione, neque arma, neque cibum capere potui, et continuo adfuit misericordia Domini, quae mihi per Achimelech Sacerdotem panes, et arma providit: paulo post per imprudentiam incidi in manus Achis regis Philistaeorum, sed eodem inspirante, adjuvante, et protegente Deo, mirabili et insolita arte periculum declinavi. Itaque *ab omnibus tribulationibus*, quae huc usque mihi acciderunt, *eripuit me* benignissimus Dominus, et amantissimus pater, Deus.

5. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

Hic jam incipit exhortatio pulcherrima, et efficacissima ad amorem, et timorem Dei, et ad projiciendam in eum omnem sollicitudinem nostram *accedite ad eum*, vel, ut sonat vox hebraea, *respicite in eum*, idest, quotquot in tribulatione estis, *accedite* per fidem et orationem ad Deum, *respicite* in auxilium ejus, *et illuminamini*, idest, percipite lumen consolationis et laetitiae, rejecta tristitia obnubilante: lux enim laetitiam significat, juxta illud psal. 96. *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia.* Potest autem altiore, et mystico sensu hic locus ita exponi. *Accedite ad eum* per conversionem, *et illuminamini* per gratiam justificationis: nam illuminatio divina vitam spiritualem confert; unde dicit Apostolus ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus;* et Christus ipse ait, Joan. 8. *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, sed *habebit lumen vitae*: et in psal. 35. legimus, *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*; ubi pro eodem ponitur, *Fons vitae* et *fons luminis*. Denique ideo baptismus apud veteres dicitur *illuminatio*, quia per eum homines mortui peccato regenerantur, et de tenebris mortis veniunt ad lumen vitae. *Accedite* igitur *ad eum* per conversionem, et poenitentiam, et ipse convertetur ad vos, et vultu suo lucidissimo, et maxime vitali, quippe qui sol est increatus, et fons vitae, *illuminabit* et *vivificabit* vos. *Et facies vestrae*

non confundentur, idest, accedite securi, nolite timere repulsam, exaudiet, et excipiet vos: neque patietur rubore confundi facies vestras. Dicitur enim confundi facies vestras, quando qui petit non impetrat, et ideo cum rubore discedit. Sic lib. 3. reg. cap. 2. dicit Bethsabee regi Salomoni, *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* In hebraeo, pro *accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur*, habetur, *respexerunt ad eum et illuminati sunt, et facies eorum non confundentur*; sed facile est videre quid Septuaginta legerint: nam illud הביטו *hibbitu respexerunt*, legerunt, הביטו *habbitu*, respicite, quomodo etiam legit s. Hieronymus: quia vero accessus ad Deum per conversionem, est accessus oculorum interiorum, non pedum; ideo idem est *accedite et respicite*, nimirum accedite oculo fidei, convertite faciem, respicite in Deum. Sic etiam illud, נהרו *naharu*, potest esse praeteritum indicativi modi, et etiam imperativi: saepe enim defectiva inflectuntur more perfectorum. Certe non solum Septuaginta, sed et Hieronimus vertit eam vocem per modum imperandi: et quidem s. Hieronymus vertit, *confluite*, et Septuaginta, *illuminamini*, quia verbum נהר *nahar*, et *confluere*, et illuminari significat, sed illuminamini magis cohaeret cum praecedenti verbo, *respicite*, et ideo communiter est recepta versio septuaginta Interpretum. Denique Septuaginta, et s. Hieronymus non legerunt, פניהם *penehem*, facies eorum, sed, פניכם *penechem, facies vestrae.* Itaque tota discordia codicum hebraeorum a graecis, et latinis nascitur ex punctis male collocatis a Rabbinis, vel ex libris minus correctis, quos nunc habemus.

6. *Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum: et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.*

Probat exemplo suo, secure accedendum esse ad Deum tempore tribulationis. Nam, inquit, *iste pauper*, David videlicet, omni ope destitutus, ita ut etiam panem a Sacerdote mendicaret, *clamavit* cum fide et fiducia, pulsavit ardenti prece ad ostium divinae clementiae, et *Dominus* continuo *exaudivit eum et ab omni tribulatione liberavit eum.*

7. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.*

Probavit exemplo, nunc probat ratione, accedendum esse ad Deum cum omni fiducia. Ratio est quoniam *Angelus Domini*, cui Deus ipse mandavit, ut custodiat homines justos, ut dicitur in psalmo 90. cum videt hominem in periculo, continuo adest, et more castrorum circumdat protectione sua hominem illum, ut nihil ei nocere possit. *Immittet Angelus Domini*, subintelligitur, *ipse se, en circuitu timentium eum.* In hebraeo sensus clarior est: sic enim ad verbum legimus, חנה מלאך יהוה סביב ליראיו *chone malach* Adonai *sabb ib lireau', castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum*, et eripiet eos. Mira potentia angelorum, ut unus angelus vicem exercitus suppleat. Ex quo sequitur, ut maxima securitas et pax esse debeat in corde timentium Deum, qui tali custodia muniuntur.

8. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*

Pergit in exhortatione; et quia dixerat, accedite ad eum, et probaverat exemplo, et ratione, esse accedendum ad Deum tempore tribulationis, nunc hortatur ad experiendum, ut etiam ipsi proprio experimento discant rem ita se habere. *Gustate*, inquit, *et videte, quoniam suavis est Dominus*, idest, experimentum sumite, facite periculum, incipite re ipsa jactare in Deum omnem sollicitudinem vestram, inhaerendo illi, dimissis omnibus consolatoribus aliis, *et videte*, idest, cognoscite, quoniam dulcis est Dominus omnibus inhaerentibus sibi. Et vere quid suavius fingi potest, quam animum praeditum charitate, conscientia bona, corde puro, fide non ficta requiescere in sinu summi boni: vere *beatus vir, qui sperat in eo*, idest, qui pacem habet ad Deum, et certa spe recumbit in eo. Sicut autem illud, *accedite et illuminamini*, exposuimus altiore quodam sensu de insipientibus, qui illuminantur per justificationem: ita quod hic dicitur, *gustate, et videte*, potest exponi de proficientibus, qui post regenerationem spiritualem incipiunt nutriri, et crescere, juxta illud s. Petri in epist. 1. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis quoniam suavis est Dominus*, ubi s. Petrus hunc locum psalmi citat in eum sensum, quem nos modo persequimur. Sanctus etiam Paulus cap. 6. ad hebraeos, conjungit illuminationem cum gustatione, cum ait: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt quoque bonum Dei verbum*, etc.

9. *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.*

Post exhortationem ad experiendum, quam dulcis sit Dominus, hortatur Propheta ad timorem Domini, idest, ad observantiam mandatorum, sive, quod est idem, ad perseverandum in justitia, et charitate Dei, quae est fundamentum fiduciae per quam accedimus ad Deum et gustamus beneficiorum ejus suavitatem. Rectissime etiam conjunguntur haec verba superioribus secundum altiorem alium sensum: nam sicut accedendo incipimus, et gustando proficimus, ita timendo perficimur; non enim hic agitur de timore servili, sed de timore casto, et filiali, qui convenit sanctis, et perfectis. *Timete*, inquit, *Dominum omnes sancti ejus*: timor enim iste includit perfectam charitatem, quia qui perfecte diligit, vehementissime timet, ne in aliquo dilectum offendat, et ideo diligentissime conformat se voluntati Dei, et servat in omnibus verbum ejus: qui autem sic servat verbum ejus, *in hoc charitas Dei perfecta est*, ut ait s. Joannes in

http://www.obrascatolicas.com

epist. cap. 2. De hoc timore dicitur Job. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*: Ecclesiast. 1. *Plenitudo sapientiae est timere Deum*, et cap. 25. *Timor Domini super omnia*: et Isa. 11. dicitur de Christo, *Et replebit eum spiritus timoris Domini*. Denique Eccles. ult. *Time Deum, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*; quasi dicat, in hoc consistit tota perfectio hominis, et omne ejus bonum in hac vita, ut timendo Deum custodiat omnia mandata ejus; et hoc significant verba sequentia in altiore sensu, *quoniam non est inopia timentibus eum*, sive, ut proprie significat vox hebraica, מחסור *machsor, non est defectus timentibus eum*, idest, nihil deficit timentibus eum: hoc enim est esse perfectum, nihil ei deesse. Et vere quid potest deesse amico Dei, cujus sunt omnia; cum amicorum omnia sint communia? Quod si aliquando justissimis viris deesse videntur temporalia, vere tamen eis nihil deest, cum eis detur patientia, quae longe melior est divitiis: neque dicitur proprie carere divitiis, qui divitias non desiderat: animus enim dives debet esse, non arca. Sed tamen idem Propheta, sive potius idem Spiritus sanctus, qui verbis suis instruit sapientes, iisdem verbis humiliore sensu acceptis, instruit etiam insipientes eosque hortatur, ut Deum timeant, quoniam non est inopia timentibus eum, idest, quoniam Deus temporalia subministrat servis suis, neque eos destituit tempore necessitatis. Et sunt in scripturis, et in historiis de vitis sanctorum exempla sine numero, quibus probatur, Deum mirabili providentia prospicere solitum esse servis suis ea, quae ad vitam necessaria sunt.

10. *Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Idipsum explicat comparando impios cum timentibus Deum, quasi dicat Propheta non solum non erit inopia timentibus Deum; sed contra, erit inopia magna non timentibus eum, etiam si divites antea fuerint. In hebraeo, pro *divites*, est, כפירים *chephirim, leones* sive *leunculi*: vocat enim Propheta divites impios, metaphorice leones, quod aliena rapiant. Dicit igitur, divites impios non semel Deo ipsos puniente, ad extremam inopiam esse redactos. *Divites eguerunt et esurierunt*, idest, qui divites fuerunt, egere et esurire coeperunt, quia divitiae instabiles sunt, et fallaces, et multis, variisque periculis expositae. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono*, idest, qui non in divitiis, sed in Deo spem suam positam habent, quales sunt, qui Deum timent, illi etiam si pauperes sint non minuentur omni bono, idest, non deerit illis ullum bonum: est enim phrasis hebraica, et in scripturis frequentissima, ut ponatur in propositione negante, *non omne*, pro nullo. Nos diceremus nullo bono minuentur, pro eo quod hebraei dicunt, non minuentur omni bono. Sic in psalm. 48. *Cum interierit non sumet omnia*, idest, cum interierit nihil sumet: sic in Apocalypsi cap. 22. *Et omne maledictum non erit amplius*, idest, et nullum maledictum erit amplius. Porro illud, *divites eguerunt et esurierunt*, habet etiam alium sensum magis reconditum, quod videlicet ii, qui divitias temporales amant, quamtumvis divitiis abundent, semper egent, et esuriunt: quia semper appetunt plura, quam habeant: *inquirentes autem Dominum*, quia rem infinitam quaerunt, quae major est ipsorum desiderio, juxta illud s. Joannis 1. epist. cap. 3. *Major est Deus corde nostro: non minuentur omni bono*, quia summo bono inhaerentes, in eo habent omnia bona.

11. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.*

Posteaquam Propheta hortatus est homines ad timorem Domini, docet quae sit utilitas hujus timoris, et in qua re timor iste sit positus. *Venite*, inquit, *ad me*, venite ad scholam Spiritus sancti, qua nulla utilior inveniri potest, *audite me*, vel potius spiritum Domini per linguam meam loquentem. Sic enim David ipse loquitur lib. 2. cap. 2. *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Timorem Domini docebo vos*, idest, docebo quanta sit utilitas timoris Domini, et quid sit iste timor Domini, ad quem tamquam ad summum omnium bonorum, tam saepe vos in psalmis, et tam vehementer exhortor.

12. *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?*

Explicat his verbis Propheta utilitatem, et finem timoris Domini, quod videlicet timor Domini pariat veram vitam, et dies bonos, idest, vitam foelicissimam, quam justi praegustant in hoc saeculo, dum *Regnum Dei, quod est justitia, pax, et gaudium, in Spiritu sancto*, Rom. 14. in corde suo habent et in alio saeculo perfecte possidebunt, quando absorpta erit mors in victoria. Quis, inquit, est homo qui vult vitam; quasi dicat, promisit me timorem Domini esse doctorum: nunc igitur adimpleo promissionem meam, ac dico finem timoris Domini esse, id quod omnes cupiunt, sed pauci assequuntur, videlicet, veram atque beatam vitam. Sed qui nunc finem assequi volunt, debent media assumere, quae mox subjungam. Quis igitur est, qui vult vitam? idest, qui dicunt se velle vitam beatam; et tamen non ingrediuntur viam, quae ad illam ducit, non videntur vere ac serio velle vitam beatam, sed umbram solum, et imaginem vitae: ideo interrogo, quis est qui vere ac serio vult vitam: quis vere diligit videre dies bonos, dies foelices, ac beatos. In hebraeo, אהב ימים לראות טוב *oheb jamim liroth tob*, habetur paulo aliter, *diligit dies ad videndum bonum*; et quamvis sensus idem sit, tamen potest fieri, ut in codicibus antiquis fuerit in numero multitudinis טובים, *tobim*, bonos, quod nunc est, טוב, *tob*, bonum: et quod legerint veteres, non per gerundium, sed per infinitivum illud, *ad videndum*: eadem enim vox apud hebraeos facit infinitivum et gerundium, unica litera superaddita in principio. Nam non solum septuaginta Interpretes, sed etiam

s. Hieronymus, et ipse s. Petrus in epist. 1. cap. 3. legit, *dies videre bonos*, non autem *dies ad videndum bonum*.

13. *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.*
14. *Diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam.*

Docet jam sanctus Propheta, quibus modis timor Domini perducat homines ad vitam, et dies bonos, ac dicit, perfectam observationem mandatorum Dei, sive abstinentiam ab omni peccato verborum, operum, et cordis, esse rectam viam ad vitam, juxta illud Domini, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, haec autem legis observatio et fuga omnis peccati a Dei timore proficiscitur: proinde timor Domini est, qui per legis observationem ad veram vitam, diesque bonos pervenire nos facit. *Prohibe linguam tuam a malo*, idest, cave ne Deum offendas peccato linguae mentiendo, pejerando, detrahendo, rixando, etc. Incipit autem a peccatis linguae, quia sunt frequentiora, et difficilius caventur: propter quod s. Jacobus ait cap. 3. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Et labia tua ne loquantur dolum*, prohibuit generatim omnia peccata linguae, sed voluit etiam in specie prohibere perniciosa mendacia, quia sunt multo graviora caeteris, et ex quibus multa alia mala oriuntur. *Diverte a malo et fac bonum*: a peccato linguae transit ad peccata operis, et primum monet, ut vitentur peccata commissionis, cum ait, *Diverte a malo*, quale est homicidium, adulterium, etc. Deinde addit, *et fac bonum*, ut vitentur etiam peccata omissionis, qualia sunt, cum parentes non honorantur, cum Deus tempore suo non colitur, cum omittuntur elemosynae, orationes, jejunia et similia bona opera. *Inquire pacem, et persequere eam*. Hic tandem adjungit, ut caveantur peccata cordis, irae, odia, invidentiae, et caeterae pravae animi affectiones: ut vera pax, et tranquillitas in omni negotio procuretur, et teneatur. Recte autem dicit Propheta, *inquire pacem*, quia boni viri officium est non tam pacem cum omnibus habere, quam optare, et quaerere: saepe enim aliorum culpa pax obtineri non potest: ideo et Apostolus ait ad Rom. 12. *Quod in vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes*. Et Propheta David in ps. 121. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Nec solum cum aliis, sed etiam nobiscum ipsi perfectam pacem habere non possumus in hac valle miseriarum. *Video enim*, ait Apostolus ad Rom. 7. *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*. Quamvis autem perfectam pacem nobiscum ipsi habere non possimus; tamen inquirenda pax est, domando membra jejuniis, et carnem spiritui subjiciendo, ut aliquando discat non repugnare, vel minus repugnare imperio mentis. Denique inquirenda illa pax est totis animi viribus, quae nos manet in coelesti Hierusalem: qui enim ad pacem illam, ut par est, toto corde anhelant, facile contemnant bona, et mala temporalia omnia, ac per hoc habent etiam in hoc mundo pacem ad Deum, quam unam respicit timor Domini filialis.

15. *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.*

Probat quod dixerat, observantes mandata Dei, et caventes peccata habent vitam, et dies bonos. Ratio autem est, quia Dominus perpetuo respicit viros justos, et semper exaudit preces eorum; quomodo enim non habebunt dies bonos, qui sub omnipotente custode vitam degent? Nam si justi cognoscunt mala imminentia, et clamant ad Deum, inveniunt apertas, et intentas aures ejus: si forte non cognoscant, Deus pro illis vigilat, et liberat a malis plurimis, quae justi ipsi nec vident, nec intelligunt: ad hoc enim sunt *oculi Domini super justos*, ut custodiat eos a malis, ad quae ipsorum oculi non pertingunt. Mira Dei bonitas! quem non delectet tam bonum Dominum toto corde diligere, et filiali affectu timere? quis ista considerans, non clamet cum Propheta, *Confige timore tuo carnes meas*? et in alio psalmo, *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum*? At non semper justi exaudiuntur a Deo, imo semper exaudiuntur: sed si non facit Deus, quod ipsi petunt, ideo non facit, quia non expedit eis. Medicus est, et si non exaudit, ut amara potio non sumatur, exaudit, ut per eam potionem morbus curetur.

16. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Ex comparatione impiorum auget Propheta beneficium justorum; nam sicut oculi Domini super justos vigilant, ut eos custodiat: ita etiam *vultus Domini*, idest, oculus Domini (nam vultus in hebraeo dicitur, פנים *panim*, a verbo, פנה *pana*, quod est aspicere) *vigilat super facientes mala*, id est, super iniquos, non ut eos custodiat, sed *ut perdat de terra memoriam eorum*, idest, ut funditus exterminentur, et pereant, non ipsi solum, sed filii, et nepotes, et posteri omnes, donec eorum memoria penitus aboleatur. Hoc non semper fieri videmus, quia vel ipsi impii prius resipiscunt, quam tempus ultionis adveniat, vel filii, et nepotes non imitantur peccata parentum, vel alia de causa, justo Dei judicio differuntur ejusmodi poenae: sed psalmus cantat id, quod ut plurimum fieri solet, et quod habetur in primo capite decalogi: *Ego sum Deus tuus, fortis, zelotes, qui visito iniquitates in tertiam et quartam generationem in his qui oderunt me*. Exod. 20.

17. *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Probat quod dixit, *Oculi Domini super justos*, etc. exemplis patrum, quae in sacris historiis leguntur, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mosis, Iosue, Gedeonis, et aliorum, et forte etiam spiritu praevidebat et canebat liberationem Danielis de lacu leonum, trium puerorum de fornace ardente,

http://www.obrascatolicas.com

Susannae de morte, ad quam ob falsum crimen damnata erat, et aliorum plurimorum. Neque repugnant huic versiculo exempla Machabaeorum, qui de tormentis, et morte liberati non fuerunt, sicuti non exempla Apostolorum, et martyrum, et ipsius Christi qui ab inimicis et persecutoribus injuste supplicia gravissima pertulerunt. Isti enim verissime de omni tribulatione liberati sunt, qui ut Ecclesia canit, *Compendio mortis sacrae vitam beatam possident*. Verissime etiam isti clamantes ad Deum exauditi sunt, quia dedit illis Deus aliquid melius, quam sit liberatio de temporali calamitate; dedit enim eis pretiosum patientiae donum, et pro eadem patientia coronam gloriae sempiternae.

18. *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.*

Declarat modum Propheta, quo Deus justos de tribulatione liberat; et videtur pluribus verbis explicare, quod brevissime dixit in psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum*, idest, cum ipso sum per patientiam in hac vita, *eripiam eum per mortis soporem, et glorificabo eum* per gloriosam resurrectionem. Ita nunc dicit, *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde*, idest, justos, qui ob angustias, et persecutiones corde afflicto, et tribulato sunt, Deus non deserit; sed prope adest patientiam subministrans, et consolationem coelestem admiscens, ut fortiter sustinere possint: neque hoc diu durabit: nam paulo post *humiles spiritu salvabit*, idest, illos ipsos humiliatos et afflictos corde et spiritu (nam in hebraeo est, דכאי רוח *dacchee ruach*, *contritos spiritu*) ob gravitatem tribulationis eruet de omni angustia.

19. *Multae tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.*

Hoc pertinet ad illa postrema verba versiculi superioris, *humiles spiritu salvabit*: idem est enim ac si dixisset, *humiles spiritu salvabit*: et ita salvabit, ut etiamsi plurimae sint eorum tribulationes, tamen de omnibus omnino liberabit eos. *Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, ut in Apocal. dicitur cap. 21. Hinc admonemur, non promitti fidelibus in hac vita carentiam inopiae, morborum, ignominiae, persecutionum, calumniarum, oppressionum; sed promitti consolationem spiritualem praesenti tempore, et plenam, atque perfectam liberationem in futuro. In hebraeo, צדיק *tsadik*, habetur in singulari numero, *multae tribulationes justi, et de his omnibus liberabit eum Dominus*: sed in sensu nulla est discordia: non enim Propheta significare voluit, unius tantum justi multas esse tribulationes; sed uniuscujusque justi, ac per hoc omnium justorum.

20. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.*

Videntur haec ad resurrectionis gloriam pertinere, ad quam sine dubio pertinet, quod in Evangelio Luc. 21. Dominus dicit, *Et capillus de capite vestro non peribit*; recte enim dici potest non esse confractum, quod statim post confractionem integrum, et fortius ac pulchrius repraesentatur. Quamvis igitur justorum ossa, et membra omnia dissipentur; et vel a feris devorentur, vel in mare projiciantur, vel ab igne consumantur, custodit tamen Dominus amnia illa in sinu providentiae suae, et nihil omnino ex eis peribit, sed integra omnia et gloriosa in resurrectione restaurabuntur. Alii tamen exponunt hunc locum de ossibus interioribus, idest, de fortitudine animi, quae in sanctis, in maximis etiam persecutionibus, Domino custodiente, non deficit.

21. *Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum delinquent.*

Ne putarent impii, suos quoque cruciatus, et miserias in morte finiri; quod athei, vel qui Dei providentiam, aut animae immortalitatem non credunt sibi falso persuadent, adjungit Propheta, *Mors peccatorum pessima*, quia videlicet initium erit cruciatum aeternorum, sicut mors sanctorum pretiosa est, quia requiem, et gloriam inchoat sempiternam. *Et qui oderunt justum delinquent*, idest, et ii qui justum vexant, et odio habent, omnes videlicet justorum persecutores, qui existimant se victores esse, et multum lucrari cum justos deprimunt, spoliant, occidunt; tandem *delinquent*, idest, aberrabunt a via verae foelicitatis, et dicent, id quod legimus in lib. Sapientiae, cap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, lassati sumus in via iniquitatis et perditionum, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia? transierunt illa tamquam umbra*, etc. In hebraeo pro illis verbis, mors peccatorum pessima, habetur ad verbum, תמותת רשע רעה *themotheth rasciah rahah*, *interficiet impium malitia*. Et quamvis sensus sit idem, et sine dubio pessima sit mors eorum, quos malitia interficit, quia malitia non mortem solum temporalem, sed etiam sempiternam adducit: tamen omnia credibile est septuaginta Interpretes aliter legisse, et ideo aliter transtulisse. Illud igitur, תמותת *themotheth*, quod est verbum, et significat, *interficiet*, ipsi legerunt, תמותת *themuthath*, quod est nomen in regimine, et significat *mors*. Nam in hebraeo sunt literae omnes eaedem, et sola puncta mutari debent, quae a Rabbinis addita sunt et saepe non recte. Posito autem nomine *themuthath*, sequens vocabulum non potest verti impium sed *impii* sive *peccatoris*, et tertia vox non potest reddi malitia, sed mala, vel pessima, quamvis verbum hebraeum, utrumque significet. Itaque recte septuaginta verterunt, *Mors peccatorum pessima*. Quod sequitur, *et qui oderunt justum delinquent*, ex hebraeo multi vertunt, *et qui oderunt justum, desolabuntur*: sed vox hebraica utrumque significat *delinquere et desolari*, et refertur tam ad poenam, quam ad culpam, sed quia septuaginta verterunt, πλημμελήσει quod verbum *delinquere*, *peccare*, *errare* significat, et s. Hieron. ex hebraeo

reddidit, culpabuntur, non debemus ab hac posteriore significatione recedere. Quia tamen delinquere potest accipi pro eo, quod est delinquere in alium, sive laedere, et nocere: et pro eo, quod est delinquere in seipsum, idest, errare a scopo, sive deficere in cursu, et amittere bravium, hoc posteriore modo nos paulo ante accepimus, et exposuimus. Siquidem dubium esse non poterat, quin impii delinquerent in homines justos, sed dubium esse poterat, an laedendo justos, laederent magis seipsos: et hoc Propheta affirmat dicens, *Odientes justum delinquent*, idest, nocentes justis, sibi ipsi magis nocebunt, quia errabunt a fine ultimo, quem omnes homines desiderant, et qui solus beatos ac foelices reddit possessores suos; et in hoc sensu, *delinquent*, idem est quod, *desolabuntur*: nulla enim est desolatio major, quam amittere vitam aeternam.

22. *Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.*

Concludit psalmum praedicendo justis contrariam sortem ei, quae praedicta est impiis: *Redimet Dominus*, ab omni servitute, atque adeo ab omni malo animas *servorum suorum*, cum eas de carcere corporis eduxerit, et ideo mors justorum optima, ut merito dixerit Balaam. *Moriatur anima mea morte justorum, et sint novissima mea horum similia*. Num. 23. *Et non delinquent omnes qui sperant in eo*, idest, et non errabunt a scopo, non deficient in cursu, pervenient omnino ad bravium supernae foelicitatis, *omnes*, qui non in suis viribus, sed in Deo confidunt. Est autem hoc loco advertendum, non satis esse spem qualemcumque, sicuti nec fidem mortuam, ad vitam aeternam obtinendam: sed hoc loco tribui spei adeptionem beatitudinis, quia sermo est de spe justorum timentium et diligentium Deum, quam Apostolus Petrus vocat *spem vivam*, 1. Petri 1. Haec plane spes et fiducia, quae nascitur ex patientia, ex bonis operibus, ex testimonio conscientiae bonae juxta illud, *Patientia probationem operatur, probatio vero spem*, Rom. 5. et illud, *Qui bene ministraverint gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu*, 1. Timoth. 3. et illud, *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum*, 1. Joan. 3. Haec inquam, spes viva, et perfecta recta perducit ad rem, idest, ad gloriam sempiternam: ut quod speravimus, aliquando possideamus.

PSALMUS XXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum psalmi videtur esse oratio Christi ad Patrem adversus persecutores suos, et corporis sui, quod est ecclesia. Fortasse etiam, ut Theodoretus, Euthymius, et alii volunt, orat ipse David pro liberatione sua, et contra Saul regem, aliosque persecutores suos. Sed quia Propheta erat, et de Christo, ut plurimum loquebatur in psalmis, ut colligitur ex verbis Domini Luc. ult. ideo cum s. Augustino, et s. Hieronymo, sensum principalem ad Christum pertinere censemus.

EXPLICATIO PSALMI XXXIV.

1. *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.*

Propositio generalis est, qua petitur auxilium contra persequutores. Sed ex hebraeo textu sententia explicanda est. Siquidem in hebraeo habetur ad verbum, רבה יהוה את יריבי *ribah Adonai eth jeribai*. *Judica Domine judicantes me*, sive, *litiga cum litigantibus mecum*. Nam ab eadem voce formatur verbum et participium, seu nomen verbale: et quamvis hebraea vox, ריבה *ribah*, sit ambigua, et possit referri tum ad judicium tum ad litem: tamen graeca et latina editio declaraverunt esse referendam ad judicium. Itaque sensus erit, *Judica judicantes me*, idest, justo judicio condemna eos qui me injusto judicio condemnarunt, quales fuerunt principes hebraeorum, Annas, et Caiphas, et principes Ethnici, Pilatus, et Herodes, qui Christum injuste judicarunt, et multi principes, qui sanctos martyres iniquissimo judicio condemnarunt. Quod autem nos legimus, *judica nocentes me*, eumdem sensum habet: qui e-

http://www.obrascatolicas.com

nim injuste judicat, sine dubio nocet. Et quia persecutores Christi, et Ecclesiae videri volebant, quasi secundum leges, atque ex zelo justitiae Christum, et servos ejus morti adjudicare; revera autem non judices, sed hostes erant, et cum vera pietate pro superstitionibus suis bellum gerebant; ideo subjungit psalmus, *Et expugna impugnantes me:* vel ut clarius habetur in textu hebraeo, לחם את לחמי *lecham eth lochamai*, et graeco ubi est similis allusio verbi, et participii, *pugna contra pugnantes mecum*, idest, suscipe causam meam, et bellum meum, ut expugnante te inimicos meos, ego manus eorum effugium, et victoriam referam.

2. *Apprehende arma, et scutum, et exurge in adjutorium mihi.*

Declarat illud *expugna impugnantes me*, et quia qui pugnat debet instructus esse armis, tum quibus repellat ictus adversarii, tum quibus adversarium feriat, ideo in hoc versiculo meminit armorum prioris generis, in sequente vero posterioris. Nam pro eo quod nos legimus, apprehende arma et scutum, in hebraeo est ad verbum, *apprehende clypeum, et scutum*: sed graeci et latini Interpretes pro prima voce verterunt, *arma*, ne rem eamdem bis ponerent, sed per arma intellexerunt arma defendentia, et protegentia: id enim omnium consensu significat. מגן *maghen*, a verbo, גנן *ganan*, quod est *protegere*. Porro *clypeus, et scutum* Dei est bona ejus voluntas; juxta illud psalm. 5. *Domine ut scuto bonae voluntatis tuae, coronasti nos.* Item aequitas sive justitia. Sap. 5. *Sumet scutum inexpugnabile aequitatem.* Et quidem benevolentia Dei clypeus est, quo Deus nos protegit. Plane enim securus est, quem Deus amat, et de illo dici potest, *scuto bonae voluntatis tuae coronasti eum* Justitia Dei, quae in scripturis vocari solet aequitas, scutum est, quo Deus ipse protegit a judiciis, et calumniis hominum impiorum quantumvis enim Deus severe, et atrociter impios puniat, semper justissime punit, et ideo, non timet Deus jacula linguarum, vel judiciorum; juxta illud, *ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris*, psal. 50. Et de hoc dicitur, *Sumet scutum inexpugnabile aequitatem*, quando videlicet Deus ad judicium novissimum veniet, et armabitur in ultionem inimicorum. Quare non sine causa bis hoc loco ponitur nomen clypei, sive scuti, quoniam utroque simul Deus armatur, cum et nos misericorditer protegit, et juste se ipse defendit.

3. *Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animae meae, salus tua ego sum.*

Hic jam loquitur de armis ad laedendum aptis, et per frameam intelligit gladium, ut s. Hieronymus vertit, et sensus est, evagina gladium, et stringe illum contra persecutores meos. Illud enim, *effunde frameam*, significat facilem, et promptam gladii evaginationem, qualis est cum gladius politus, et laevis est; tunc enim nullo labore eximitur, et quasi funditur e vagina: contra autem gladius rubigine confectus, vix magno labore nudari potest. Illud autem, et *conclude*, intelligitur de conclusione gladii qui manu acriter stringi debet, ut firmiter teneatur et fortius feriat. Verbum enim hebraicum, סגור *segor*, *claudere et stringere* significat. Sed quia framea, et vox hebraica, חנית *chanith*, et graeca ῥομφαια non gladium sed spiculum vel lanceam significat: ideo potest etiam sic exponi hic locus, *effunde frameam*, idest, jace spiculum, seu lanceam in hostes, *et conclude adversus eos, qui me persequuntur*, idest, claude viam, pone obstaculum, ne hostes accedant. Porro gladius et lancea Dei est ira ipsius, idest, justitia vindicativa, qua impios punit. Sic enim legimus Deuteron. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis*, et Sapient. 4. *Acuet diram iram in lanceam.* Nam et gladius et lancea, arma sunt offensiva. Mirabile prorsus spectaculum animae fideli objicitur, cum cogitat Deum pro se stare armatum scuto et gladio, sive lancea, et audit illum in corde dicentem, *salus tua ego sum.* Quamvis enim satis sit ad omnem securitatem, id quod Apostolus dicit, Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos* tamen Spiritus sanctus, ut adhuc potentius; infirmitatem nostram sustentaret, describit Deum non quomodocumque, sed armatum omni armorum genere pro Ecclesia et singulis fidelibus suis adversus hostes visibiles et invisibiles pugnantem. *Dic animae meae salus tua ego sum.* Non satis est ad animi tranquillitatem, ut Deus pugnet pro nobis, sed necesse est ut id nobis innotescat, ideo petit Christus pro corpore suo, ut id reveletur, et loquente Spiritu sancto ad cor, fiducia oriatur. Quamvis autem magis proprie Deus medicus dici possit, quam salus; rectissime tamen salus dicitur, quia medici, et medicamenta non semper sanant, nec intime penetrant substantiam rei, quam sanare cupiunt: Deus autem sanat semper, et intimae illabitur animae; et sicut fieri non potest, ut sanitate praesente homo non sit sanus, etiam si omnia alia absint: ita fieri nequit, ut Deo volente sanare et per gratiam suam praesente, anima non sit sana, etiamsi omnia alia desint.

4. *Confundantur et revereantur quaerentes animam meam.*

Describit exitum impiorum, quos Deus arma capit, ac primum dicit, *confundantur et revereantur*, idest, erubescant ob amissam victoriam qui quaerunt me interficere: idem enim significant illa duo vocabula, *confundantur et revereantur.* Non enim hic agitur de reverentia erga alium, sed de pudore, quo suffundi solet, qui cadit causa. Illud, *qui quaerunt animam meam* ambiguum est. Aliquando enim accipiunt in bonam partem, ut in eo loco psal. 118. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam*, id est, non habeo refugium ullum, neque est, qui me noverit, et requirat, ut defendat. Aliquando in malam partem accipitur, ut hoc loco, et alibi saepius: ubi quaerere animam, est conari ad tollendam animam, idest vitam.

5. *Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.*

Non solum igitur confundantur, et pudore afficiantur, sed etiam *avertantur retrorsum*, idest, recedant victi et confusi, *qui cogitant mihi mala*, idest, qui meditantur necem meam.

6. *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.*

Addit tertio, ut non solum erubescant, nec solum recedant, sed celeriter fugere cogantur, et dispergantur in varia loca. Pulvis enim a vento in varias partes magno impetu, velociterque dispergitur. Augetur autem hoc loco celeritas fugae, et dispersio, tum ex parte pulveris, tum ex parte venti. Nam pro pulvere in hebraeo est, מוץ *mots*, quod significat *glumam*, ut diximus in explicatione primi psalmi, idest, pulverem levissimum, ex minutissimis et aridissimis paleis conflatum. Et pro vento corporali, hic ponitur *Angelus Domini*, qui Spiritus est vivens, et longe potentior, et efficacior omni vento. Fiant igitur sicut pulvis levissimus, qui ab omni vento facile rapi potest, et tamen non levis ventus, sed *Angelus Domini sit coarctans, et impellens eos.*

7. *Fiat via illorum tenebrae et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.*

Addit ultimo, ut non solum dispergantur, et fugere cogantur, sed etiam sine ullo remedio in exitium praecipitentur. Fugientes enim juvari solent, scientia viarum, itinere tuto, et stabili, aut certe si via sit lubrica, tarditate ambulationis. Hic autem ista omnia remedia cessant: imprecatur enim Propheta impiis, ut fugere cogantur in tenebris, et per viam lubricam, ut neque oculi, neque pedes officio suo fungi possint et instante post eos, ac vehementer urgente Angelo Domini, ut necesse sit eos in praecipitium, et exitium ruere. Haec omnia implentur hoc tempore in Judaeis, aliisque persequutoribus Christi et Ecclesiae, qui justo Dei judicio versantur in tenebris ignorantiae, et in lubrico concupiscentiae et persequente eos ira Dei, quotidie labuntur in majora peccata et ad sempiternam mortem summa velocitate festinant. Sed manifestius implebuntur in die judicii: tunc enim impii confundentur, et pudefient confusione ineffabili et avertentur retrorsum in praecipitium gehennae divina potestate coacti, idque absque ullo remedio, quo modo sine remedio ruit, et corruit in exitium, qui in tenebris per lubricum alio persequente festinare compellitur.

8. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobaverunt animam meam.*

9. *Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.*

In primis septem versiculis loquutus est Propheta in persona Christi, et omnium justorum de persecutionibus generatim: in sequentibus versiculis explicat tria genera persecutionum, quas pati solent justi ab impiis. Nam primum fraudibus, et insidiis justos vexant, deinde falsis testimoniis eosdem appelunt, postremo aperta vi non verbis tantum, sed etiam factis justos opprimunt. Dicit igitur de primo genere, *quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui*, idest, quoniam quidem nulla injuria a me lacessiti, mihi insidias struere non cessant; ideo precor Deum, ut providentia sua faciat, ut insidiae illae in perniciem ipsorum convertantur. Quae imprecatio, ut alias meminimus, non tam imprecatio, quam prophetia est. Vere enim providentia Dei hoc agit, ut insidiae, vel solis noceant insidiatoribus, vel prius et magis illis, quam aliis: quomodo fax accensa, ut comburat domum, se ipsam prius incipit comburere et consumere, quam domum; et saepe domui nihil nocet: ita malitia insidiantium, statim incipit animum insidiantis vastare; aliis autem, vel nihil nocet, vel longe minus: quia minus est malum poenae, quam malum culpae. Quod attinet ad verba, illud, *absconderunt mihi interitum laquei sui*, s. Augustinus, legit, *absconderunt mihi laqueum corruptionis suae;* sed hebraei graecique codices cum nostra editione concordant; sensus autem idem est. Dicitur enim *interitus laquei*, mors, quae paratur per instrumentum laquei, et dicitur laqueus interitus, sive corruptionis, laqueus, qui paratur, sive tenditur ad capiendum, et occidendum. In hebraeo habetur, רשתם *risetam*, rete, non laqueus, sed parum refert, utrumque enim instrumentum est ad capiendum aptum. Illud, supervacue, in hebraeo est, חנם *chinnam*, idest, gratis, sicut paulo ante; sed Interpres variare voluit. Itaque sensus est, *supervacue*, idest, *sine causa*, cum nullam a me, injuriam acceperint, exprobaverunt animam meam, idest, probro me affecerunt, tendentes mihi laqueos, et retia quasi ferae sylvestri. In hebraeo autem sic habetur, חפרו *chapheru*, idest, foderunt: sed septuaginta legisse videntur, הרפו *charephu*, una litera transposita; id enim significat, *exprobaverunt.* Quamvis si legamus, *foderunt animae meae*, idem erit sensus, nimirum sine causa foderunt foveam deceptionis vitae meae, ac per hoc pudore me affecerunt. Illud autem, *veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit, apprehendat ipsum, et in laqueum cadat in ipsum*, multo clarius est in hebraeo, videlicet sic, *veniat illi*, nimirum insidiatori, *calamitas quam ignorat*, id est, calamitas insperata, et inopinata. Et declarat, quae sit ista calamitas, addens, *rete suum*, sive *laqueus suus quem abscondit mihi, capiat ipsum*, et sic *incidat* in ipsam calamitatem, quam

http://www.obrascatolicas.com

mihi paraverat. Sententia tamen eadem est, nisi quod septuaginta pro calamitate in utroque loco ponere maluerunt instrumentum calamitatis, videlicet laqueum, et pro reti, sive laqueo posuerunt *captionem*, quae est effectus laquei: illa repetitio *in ipsum*, est hebraismus, pro eo quod nos latini dicimus, in ipsum eumdem laqueum cadat.

10. *Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.*
11. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi.*
12. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum.*

In his tribus versiculis propheta explicat laetitiam inenarrabilem, qua perfundetur justus, cum se perfecte liberum esse cernet ab omnibus insidiantibus. Sunt autem phrases poeticae, metaphoricae, admirabiles: est autem haec sententia. Cum id acciderit, quod precatus sum, *anima mea*, qua vivo et sapio, prae laetitia, *exultabit in Domino Deo*, videlicet laudans et magnificans; et simul *delectabitur super salute sua*, quam se adeptam esse videbit, vel potius super ipsum Dominum qui est salus ejus, non solum anima, sed etiam corpus, imo omnes partes corporis, etiam intimae et abjectissimae quales sunt ossa, quae sensum non habent; nec solum *ossa*, sed *omnia ossa*, etiam minima gestient prae voluptate, et si sensum et vocem haberent, exclamarent utique, et dicerent, *Domine quis similis tibi?* nihil enim est in terra, neque in coelo te fortius, benignius, sapientius, amabilius, quippe qui tam potenter, et misericorditer eripis pauperem de manu hostis multo fortioris ipso, qui violenter ejus bona, et ipsam vitam rapere cupiebat. S. Augustinus more suo allegoricum sensum persequens, per *ossa* intelligit viros perfectos, qui sunt in Ecclesia, per carnem vero homines infirmos, ut sensus sit, quamvis tempore tentationis, vel persecutionis caro mystici corporis Ecclesiae cedat, ossa tamen non cedent, sed resistent, ac dicent, *Domine quis similis tibi*. Quod attinet ad verba, illud *salutari suo*, in hebraeo est, בישועתו *bisciuhatho*, salutem suam. Sed quia secunda pars versiculi ut plurimum repetit, et explicat primam; et in prima dictum est, *exultabit in Domino*, recte s. Augustinus per *salutare*, intelligit ipsum Dominum, qui supra dixit, *salus tua ego sum*. Illud autem, *omnia ossa mea dicent* simile est illi, quod habetur in psal. 102. *Benedic anima mea Dominum, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus*. Significatur autem in hac phrasi perfecta quaedam laetitia, quae totum hominem repleat. Aliquando enim animus gaudet, sed corpus dolet, et tunc non est plena, perfectaque laetitia: sed quando sanabit Dominus omnes languores nostros, et replebit in bonis omne desiderium nostrum; tum demum totus homo inenarrabili voluptate perfusus exultabit Domino, et omnes partes ejus, usque ad ossa insensibilia dicent Domino, *quis similis tibi:* sicut enim insensibiles sitire dicuntur, quando carent necessariis adjumentis, juxta illud psal. 62. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea;* sic etiam eaedem res insensibiles quando defectus earum tolluntur, et exultare et gestire dici possunt. Illud, *Domine quis similis tibi*, in graeco geminatur: *Domine Domine*, sed neque geminatio habetur in hebraeo, neque legitur ab Augustino vel Theodoreto, vel Euthymio. Illud *eripiens inopem*, in hebraeo facilius connectitur cum superioribus, sic enim ad verbum legitur, *Domine quis sicut tu, qui eripis inopem:* est itaque sic connectenda sententia. *Domine quis similis tibi, qui es eripiens inopem de manu fortiorem ejus?* Illud quoque *de manu fortiorem ejus*, in hebraeo clarius est: sic enim legimus מציל עני מחזק ממנו *matsil hani mechazak mimmennu, eripiens inopem a robusto prae ipso*, idest, ab hoste robustiore, quam ipse sit. Sed latinus interpres reddidit ad verbum, quod invenit in graeco. Denique pro illis verbis, *a diripientibus eum*, in hebraeo solum est, מגזלו *miggozelò, à violento*, sed interpretes explicare voluerunt latius quod unico verbo continebatur in textu originali.

13. *Surgentes testes iniqui, quae ignorabam, interrogabant me.*
14. *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animae meae.*

Pergit nunc Propheta ad secundum genus persecutionum, quo impii testimoniis falsis, non ex insidiis, sed palam justos persequuntur, et mire exaggerat nequitiam horum testium: primo dicit, *surgentes*, ut significet eos non expectasse citationem, sed per se venisse. Secundo addit, *quae ignorabam*, ut ostendat accusari justum ab iniquis testibus, de eo quod nec fecerat, nec cogitaverat. Dicimur enim ignorare, quae non probamus, nec unquam fecimus, ac si facere nesciremus. Sic de Christo dicit Apost. 2 Cor. 5. *Eum qui peccatum non noverat pro nobis peccatum fecit*. Tertio addit *interrogabant me*, ut ostendat audaciam ac imprudentiam testium, qui non contenti falsum testimonium dixisse coram Judice, ipsum etiam virum justum coram arguere, et interrogare audent. Quarto addit, *retribuebant mihi mala pro bonis*, ut ostendat falsos illos testes nulla injuria lacessitos, sed contra beneficiis affectos, ex mera malitia ad calumniandum adductos. Addit ultimo, *sterilitatem animae meae*, ut ostendat per falsa testimonia impios illos non quaerere leve aliquod malum, sed omnium maximum. Potest enim sterilitas hoc loco posita duobus modis accipi, primo generatim pro desolatione, et vastitate universali, qualis accidit sancto Job, qui una die amisit opes, filios, sanitatem. Et huc pertinet expositio Theodoreti, et Euthymii, qui accipiunt *sterilitatem*, pro oblivione, idest, tali desolatione, ut ipsum etiam nomen oblivioni tradatur. Potest secundo accipi sterilitas pro uno genere mali, sed maxime aestimationis, tum apud Diabolum, qui illud per ministros suos inferre conatur, tum apud hominem justum, qui illud cogitur pati. Id malum est, ut homo justus infamia per falsa testimonia natus sterilis, et orbus maneat, ut nec fructum facere possit, et quod jam fecit, pereat. Sic s. Augustinus exponere videtur.

15. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.*
16. *Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.*

Antequam Propheta de tertio genere persecutorum loqui incipiat, exponit quid egerit adversus persecutores secundi generis, ac dicit se non reddidisse malum pro malo, neque de vindicta cogitasse, sed ad Deum orandum cum magna humilitate se convertisse, *Cum* inquit, *adversarii mihi molesti essent*, non superbe illis insultavi, sed sacco indutus jejunare coepi, ut oratio mea Deum facilius placaret. Saccus enim, et jejunium sunt alae orationis. Sic rex ille Ninivitarum cum sacco, et jejunio orans exauditur, Jonae 3. Quod idem legimus de rege Achab, 3. reg. 25. unde et Sapiens dicit. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*. Addit vero, *et oratio mea in sinu meo convertetur*, ut ostendat se fructum orationis non dubium expectare. Ponitur enim, *in sinu meo*, pro, *in sinum meum*, ut habetur in textu hebraeo, על חיקי *hal cheki*, et graeco, quasi dicat, oratio ex tanta humilitate profecta non revertetur ad me vacua, sed sinum meum coelesti consolatione implebit. Possumus etiam, si velimus, illud, *in sinu meo*, accipere ut jacet, in casu auferendi, et exponere hunc locum de frequentia orationis, ut sensus sit, oratio mea in sinu meo existens, saepius revertetur et recurret, ut quod semel, aut iterum quaerens non invenit, perseverando, idest, saepius revertendo inveniat. Et quamvis ad litteram haec non videantur convenire Christo, quem in Evangelio non legimus indutum cilicio jejunasse, et orasse, dum persecutiones pateretur; conveniunt tamen eidem Christo, prout est in membris suis; hoc est enim proprium membrorum Christi, dum adversa patiuntur, non cum adversariis contendere; sed ad cor suum redire, et Deum humiliter deprecari. Quod ad verba attinet illud, *cum mihi molesti essent*, in hebraeo est בחלותם *bachalotham, cum ipsi infirmarentur*. Sed verisimile est, septuaginta Interpretes legisse cum aliis punctis, vel cum additione alicujus alterius literae, in conjugatione Piel, vel Hiphil. Tunc enim accipi debet active illud verbum, ut non solum septuaginta, sed etiam s. Hieronymus ex hebraeo vertit. Sic enim legimus apud Hieronymum, *cum infirmarer ab eis*, idest, cum ipsi me aegrotare facerent, quod est idem cum eo, quod legunt septuaginta, *cum mihi molesti essent*. Potest etiam dici, septuaginta, et s. Hieronymum legisse, *cum infirmarentur ipsi*, ut nunc legimus in hebraeo, sed altius cogitasse, Prophetam loqui de illa aegrotatione animae, quae semper conjuncta est cum injusta persecutione: quicumque enim alium injuste persequitur, se ipse laedit, et vastat; et dum alium aegrotare facit morbo poenae, ipse aegrotat morbo culpae. Recte ergo sententiam reddiderunt septuaginta, et s. Hieronymus, idem enim est quo ad sensum, *cum mihi molesti essent*; et, *cum morbo iracundiae*, vel odii, vel invidentiae, *adversus me aegrotarent*. Illud autem *induebar cilicio*, in textu hebraeo, לבושי שק *lebusci sciak*, et graeco est *induebar sacco*. Ex quo intelligimus per cilicium intelligendum indumentum ex pilis animalium, quod interius adhiberi solet, ut legimus de rege Joram, 4. reg. 6. ut vestem sacceam, qua exterius etiam ad significandam humilitatem aliqui utuntur, ut de rege Ninivitarum Jonas testatur, cap. 3. illud, *Humiliabam in jejunio animam meam*, phrasis est hebraica, passim enim hebraei animam ponunt pro toto homine.

17. *Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens, et contristatus sic humiliabar.*

Hic versiculus multo clarior est in textu hebraeo quam in graeco, vel latino. Sic enim ad verbum reddi potest cum s. Hieronymo *Quasi ad amicum quasi ad fratrem meum, sic ambulabam: quasi lugens mater tristis, sic incurvabam:* et sensus est, ego non solum in tribulatione positus, non reddidi malum pro malo, sed reddidi bonum pro malo: sic enim affectus fui erga unumquemque adversariorum, ut amicus erga amicum, imo ut frater erga fratrem, vel potius, ut mater erga filium parvulum et languentem. Sicut enim mater videns filium aegrotantem, incurvat se tristis, et gemens ad eum suscipiendum, sic et ego me cum adversariis meis gessi. Non potuit grandius, et luculentius exprimi pius affectus erga inimicos. Et quidem Propheta David opere praestitit, quod hoc loco in persona Christi, et sua, et omnium perfectorum virorum expressit. David enim Saulem, quem ut fratrem, dum viveret, dilexit, mortuum ut filium deflevit. Idem fecit multo excellentius Christus, qui videns civitatem flevit super illam, Luc. 19. seque gallinae pullos sub alas congregare satagenti comparavit, Matthaei 23. Lectio latinae editionis eumdem sensum habet; sed obscura est, quia verba graeca totidem verbis latinis reddidit. Sed ex hebraica lectione illustranda et supplenda est. Hic igitur erit sensus, *quasi proximum quasi fratrem nostrum sic complacebam*, idest, complacebam mihi, sive affectus eram erga unumquemque adversariorum, quasi erga proximum, sive socium, et amicum, imo etiam erga fratrem nostrum. *Quasi lugens, et contristatus, sic humiliabar*, idest, non solum affectus eram ad persecutorem meum, ut ad proximum et fratrem; sed *humiliabar*, et inclinabam me ad eum, ex compassione dolens, et contristatus de malis ejus, quomodo pia mater inclinatur tristis ad filium languidum, et jacentem.

18. *Et adversum me laetati sunt, et convenerunt congregata sunt super me flagella, et ignoravi.*

Docet consequenter psalmus, persecutores justorum reddere mala pro bonis, et simul transit ad tertium genus persecutionum, quo non contenti impii fraudibus, et calumniis justos vexasse, flagellis quoque eos aggrediuntur. *Et adversum me*

http://www.obrascatolicas.com

laetati sunt. Ego de malis eorum dolebam, ipsi de malis meis laetabantur: neque hac impietate contenti, *convenerunt adversum me* flagellis armati, ut me, si possent, occiderent; *et ignoravi*, idest, ignoravi eorum consilia, et ideo praecavere non potui, vel ita me patienter gessi, ac si quid facerent ignorarem. Quod attinet ad verba, pro, *et adversum me*, s. Hieronymus vertit, *et in infirmitate mea*: vox enim hebraica, צלעי *tsalhi*, potest significare, latus meum, et infirmitas mea. Priorem significationem sequuti sunt septuaginta, et ideo verterunt, *adversum me*, quod fere est idem quod ad latus meum. Posteriorem sequutus est s. Hieronymus. Sed in sententia non est varietas. Illud autem, *congregata sunt super me flagella*, in hebraeo est, *congregati sunt super flagellantes*, sed idem est sensus. Denique pro, *ignoravi*, s. Augustinus legit, *ignoraverunt*, et refert ad persecutores, qui vere ignoraverunt, quam magnos viros perculerent, cum Christum, vel sanctos flagellarent. Sed quamvis vox graeca sit ambigua, tamen hebraica ולא ידעתי *velo jadahthi*, non est ambigua, nec potest reddi nisi in prima persona: proinde recte habet latina vulgata editio, *et ignoravi*; ut etiam legunt Theodoretus, et Euthymius graeci.

19. *Dissipati sunt, nec compuncti: tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.*

Pergit explicare malitiam adversariorum, ac dicit, eos non potuisse implere quod cupiebant, divina providentia protegente suos, ne ab iniquis persecutoribus laederentur. Sed ne sic quidem quievisse eos: nam quos non poluerant flagellis verborum movere, tentabant flagellis verborum, irrisionibus et comminationibus terrere. *Dissipati sunt*, inquit, idest, qui convenerant in unum, ut nocerent, et flagellarent, divisi sunt ab invicem, Deo dissipante eorum conventiculum: sed non propterea *compuncti sunt*, idest, non resipuerunt; vel ut proprie sonat vox hebraea, דמו *dammu*, *non siluerunt et quieverunt*, ut par erat. Sed potius tentaverunt me, nimirum ad iracundiam provocare, quia *subsannaverunt me subsannatione* irrisoria et *frenduerunt contra me dentibus suis*, minas crudeles intentantes. Quod attinet ad verba, quod in graeco et latino legimus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*, s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *in simulatione verborum fictorum*. Sed verba ipsa hebraica, neque hunc sensum, neque illum recipere videntur: sic enim legimus, בחנפי לעגי מעוג *bechanpe lahaghe mahog*, id est, *in hypocrisi sive simulationibus subsannationum verbi otiosi*. At profecto omnino credibile est septuaginta Interpretes aliter legisse, et libros optimos habuisse, praesertim cum verba hebraica, ut nunc leguntur cum punctis Rabbinorum, nihil significare videantur. Existimo igitur mutanda esse puncta, et ex nomine, in simulationibus, faciendum esse verbum modi infiniti cum affixo primae personae, quod reddendum erit, in tentando me. Nam etsi, חנף *chanef*, *simulare*, et hypocritam esse significet, tamen tentare proprium est hypocritarum, juxta illud Domini, *quid me tentatis hypocritae?* et idem est in tentando me, quod, *in hypocrisi agendo mecum*, et similiter ex nomine subsannationum faciendum erit verbum temporis praeteriti, cum affixo primae personae, et tunc sensus erit, *subsannaverunt me*; illud autem, מעוג *mahog*, significat quidem verbum otiosum, sed significat etiam subsannationem. Proinde integer sensus erit, *in tentando me subsannaverunt me subsannatione*, quod est idem cum eo, quod nos habemus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione*.

20. *Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.*

Expositis persecutoribus, revertitur Propheta in persona justorum omnium, qui persequutionem patiuntur, ad orandum Deum, ut finem cum principio conjungat. Et quoniam videtur Deus non respicere, quid in terris fiat, quando non punit injustos, ideo dicit, *Domine quando respicies?* idest, quando te videre mala impiorum puniendo demonstrabis? *Restitue animam meam a malignitate eorum*, idest, eripe vitam meam de periculo, in quo versatur, dum est in potestate malignorum, et restitue illam in pristinam securitatem, sive, restitue mihi vitam, quam pene amisi, dum est in manibus malignorum. Quod ipsum repetit, et clarius explicat dum adjungit, *a leonibus unicam meam*, idest, restitue mihi animam, quae est mihi unica, ac per hoc dilectissima, quod facies eruendo eam a potestate inimicorum, qui crudelitate, et ferocitate leones dici possunt, et *frendent*: ut supra dictum est, *dentibus suis*. Quod ad verba attinet, illud *a malignitate*, s. Augustinus legit, *ab astutiis*. S. Hieronymus autem vertit, *a calamitatibus*. Causa diversitatis fuit, quia vocem hebraicam, משאיהם *miscioehem*, deduxerunt septuaginta a verbo, נשא *nascia*, quod est *decipere*, et ideo s. Augustinus legit, *astutiis*: et noster interpres, *a malignitate*: at s. Hieronymus deduxit ab alia radice, nimirum a, שאה *sciaah*, quod est *desolari*, et ideo vertit a calamitatibus, sed idem est sensus, ut patet. Per *unicam* s. Augustinus intelligit Ecclesiam, quam Christus erui vult a persecutoribus. Quod quidem verum est, sed ad litteram videtur omnino referendum ad animam seu vitam. Sicut etiam illud psal. 21. *Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam*. Anima enim recte dicitur unica quasi unice dilecta. Vita enim temporalis est fundamentum omnium bonorum temporalium, et vita aeterna omnium bonorum simpliciter. Itaque et Dominus ait in Evangelio, Matth. 16. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* et tamen multi ita desipiunt, ut pro nihilo libenter perdant animam, quam unice amare debuissent.

21. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

Promittit se non fore ingratum, si liberationem ab adversariis obtineat, *confitebor tibi*, inquit, in *Ecclesia magna*, idest, non abscondam beneficium tuum, sed publice coram omnibus praedicabo; et idem repetit aliis verbis, *in populo gravi laudabo te*. Idem enim est confiteri et laudare, idem quoque Ecclesia magna, et populus gravis. Dicitur enim Ecclesia magna ratione multitudinis, quod proprie significat vox hebraea, רב *rab*, idest Ecclesia multa; et similiter dicitur populus gravis, sive ut significantius habetur in hebraeo, עצום *hatsum*, robustus, ratione multitudinis. Tunc enim robustus est populus, cum tam multis viris abundat, ut hostes non timeat. Videtur etiam Propheta ad ecclesiam christianam respicere, in qua laudatur assidue Deus ob piorum liberationem. Est enim ecclesia christiana vere multa, et magna, cum totum orbem terrarum obtineat, et vere gravis, et robusta, cum *portae inferi adversus eam praevalere non possint*. Matth. 16. Ecclesia quoque triumphans, ecclesia magna erit, cum de ea scriptum sit, Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*; et populus rubustus, cum ibidem additum sit, *et palmae in manibus eorum*.

22. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.*

Redit ad orationem quam inchoaverat, et petit liberari a persecutoribus, praesertim hypocritis, qui simulant se amicos, cum nihil minus sint. *Non supergaudeant mihi*, idest non gaudeant super me, sive non laetentur de interitu meo. *qui adversantur mihi inique*, idest qui me persequuntur fingentes amicitiam, nam in hebraeo habetur, שקר *sceker*, quod mendacium proprie significat, unde s. Hieronymus vertit, *inimici mei mendaces*: et haec ipsa est maxima iniquitas, persequi hominem, et decipere specie amicitiae. Hoc idem declaratur, et repetitur in sequentibus verbis, *qui oderunt me gratis, et annuunt oculis*, idest, qui sine causa me oderunt, cum nihil mali illis attulerim, et tamen fingunt amicitiam annuendo oculis, salutantes, blande aspicientes et approbantes quae dico. Quid est, inquit Augustinus, annuere oculis? pronunciantes vultu, quod in corde non gerunt.

23. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terrae loquentes dolos cogitabant.*

Declarat propheta, cur dixerit de inimicis suis, *et annuunt oculis* et dicit, quoniam ipsi quidem mecum verbis exterioribus pacifice loquebantur, quasi amici essent, sed interius prae iracundia disrumpebantur et *cogitabant dolos*, quibus me perderent: haec de sensu. In verbis magna difficultas est. Nam hebraicus codex ad verbum sic habet, *quoniam non pacem loquebantur, et super scissuras terrae verba dolosa meditabantur*. Et sic etiam vertit s. Hieronymus, nisi quod pro, *scissuras terrae*, ponit, *in rapina terrae*. Graecus vero codex sic habet: *quoniam mihi quidem pacifica lequebantur, et super iracundiam dolos cogitabant*. Et sic legunt et interpretantur s. Augustinus, Theodoretus et Eutymius. Sed observandum est, vocem hebraicam, לא *lo*, quae significat non, a septuaginta interpretibus lectam fuisse, לי *li*, quae significat *mihi*, et omnino credibile est, septuaginta interpretes habuisse libros hebraicos emendatiores: proinde non videtur ambigendum meliorem esse lectionem latinam vulgatae editionis, quae respondet voci, quam in suis libris habuerunt septuaginta, quam ea sit, quam nunc habemus in hebraeo. Quod autem in hebraeo habetur *super scissuras terrae*, verterunt septuaginta *super iracundiam* significatam esse iracundiam, quae est quaedam scissura cordis terreni, et animalis. Qui enim irascuntur, ii disrumpuntur interius et quietem ac pacem amittunt: et quidem latinus interpres addere voluit vocem illam *terrae*, quam invenit in hebraeo; sed graecus interpres satis esse putavit, eam subintelligi in voce iracundiae, quae est fervor circa cor. Explicanda igitur est, vox illa, *terrae*, ut accipiatur pro corde terreno, et animali, ut diximus. Cur autem s. Hieronymus vertit, *rapinam terrae*, non assequor, nisi per scissuras metaphorice intellexerit rapinam, aut forte vox hebraica hoc etiam significare possit. Sed absolute praeferenda est interpretatio septuaginta interpretum, quam ecclesia in latina editione sequitur. Quod autem in latina editione nos habemus, *loquentes dolos cogitabant*, non differt in sensu a verbis hebraicis, *verba dolosa cogitabant*. Idem enim est verba dolosa cogitare et loquendo intra se dolos cogitare. Neque multum refert, quod septuaginta non habeant verba, *aut loquentes*, sed simpliciter, *dolos cogitabant*; quia in ipsa cogitatione satis intelligitur interna locutio.

24. *Et dilataverunt super me os suum: dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.*

Quam sit verum, quod supra dixit de inimicis suis, quod simulato corde pacifice loquerentur, ostendit propheta in persona justorum in hoc versiculo, ubi dicit, eosdem inimicos qui aliquando blandiebantur et annuebant oculis: postea cum in eas calamitates incidisset, quas illi fraudulenter concinnaverant, dilatato ore coepisse aperte insultare et inter se gratulari, ac dicere, vidimus tandem quod tantopere cupiebamus. Hoc totum in Christo, qui caput justorum est, impletum legimus in Evangelio: aliquando enim pacifice loquebantur inimici dicentes, *scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*, Matth. 22. sed interim dolos meditabantur, ut caperent eum in sermone. Cum autem illum cruci affixum viderunt, *dilataverunt os suum insultantes et dicentes, vah qui destruis templum Dei*, etc. Quod ad verba attinet,

http://www.obrascatolicas.com

conveniunt codices omnes, eo excepto, quod interjectionem hebraicam, האח *heach*, septuaginta reddiderunt, *euge*. S. Hieronymus, *vah*; et euge est laetantis, *vah* insultantis : sed parum refert, nam utraque est exultantis et exultatio inimicorum quaedam insultatio est.

25. *Vidisti Domine ne sileas, Domine ne discedas a me.*
26. *Exurge Domine, et intende judicio meo. Deus meus et Dominus meus in causam meam.*
27. *Judica me Domine secundum justitiam tuam; Domine Deus meus, non supergaudeant mihi.*

Redit propheta ad rationem, idipsum aliis, et aliis verbis repetens ad insinuandum effectum. *Vidisti*, inquit, *Domine*, quanta videlicet sit oppressio pauperis servi tui, *ne sileas*, quasi non videas, aut non possis, aut non velis defendere sperantes in te. *Ne discedas*, vel ut habet vox hebraica, ne elongeris a me, idest, ne deseras me in tribulatione positum, quo modo faciunt qui procul abeunt. Nec solum non sileas et non discedas, sed nec sedeas, quasi otiose spectans, vel dormitans ; sed exurge, et quasi judex justus et potens intende diligenter animum ad judicium meum, idest ad litem, quam cum persecutoribus habeo; intende, inquam, Deus meus in causam meam, et judica me secundum justitiam tuam Domine, idest, si justitia tua, quae rectissima est, judicat me injuste ab adversariis opprimi, libera me de manibus eorum, ut non amplius gaudeant super miseriis meis.

28. *Non dicant in cordibus suis, euge, euge animae nostrae, nec dicant devoravimus eum.*
29. *Erubescant, et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.*
30. *Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.*

Explicat id quod dixerat, non supergaudeant mihi. *non dicant*, inquit, *in cordibus suis, euge, euge, animae nostrae*, idest, non exultent in cordibus suis super vitam meam, quasi jam extinctam. Sicut enim illud, *non supergaudeant mihi*, significat non gaudeant super me : sic etiam hoc, non *dicant euge animae nostrae*, debet exponi, non dicant euge super animam nostram, et explicat in verbis sequentibus. *Nec dicant*, inquit, *devoravimus eum*, idest non possint jactare ab eis, quasi a leonibus me devoratum. Sed contra potius amissa spe victoriae erubescant, et revereantur, idest verecundentur simul omnes inimici mei, qui nunc spe victoriae gratulantur sibi de malis meis, idest mihi imminentibus. Nec solum leviter erubescant et verecundentur, sed *induantur confusione*, et *erubescentia* idest, toti cooperiantur confusione *qui magna loquuntur super me*, idest, qui magnifice jactabant potentiam suam super me. Aliqui legerunt *maligna*, pro, magna : sed nostra lectio consentit graece et hebraicae veritati.

31. *Exultent et laetentur, qui volunt justitiam meam, et dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.*
32. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.*

Quemadmodum precatus est Propheta ut iniqui confundantur ; sic etiam nunc precatur, ut justi exultent et laetentur, qui bene sibi volunt, et amant innocentiam suam, vel cupiunt justitiam suam palam apparere. Excitat quoque ad laudem Dei omnes qui cupiunt pacem suam, quae secutura erat ex liberatione sua ab omnibus malis. In hebraeo habetur, החפץ שלום עבדו *hechaphets scelom habdo, qui vult pacem servi sui*. Septuaginta interpretes viderunt legisse verbum in numero multitudinis, quod in nostris libris est in numero singulari: sed uterque sensus optimus est. Claudit psalmum David promittens gratiarum actionem pro accepto beneficio. *Lingua mea*, inquit, *meditabitur justitiam tuam*, idest, exercebitur in praedicanda justitia tua : et hoc ipsum repetit, et repetendo declarat, dicens, *tota die laudem tuam*, idest, lingua mea tota die meditabitur laudem tuam, idest, exercebitur in praedicanda laude justitiae tuae. Quod autem dicit, *tota die*, significat frequenter, et assidue, ita ut numquam tanti beneficii subrepat oblivio. Sanctus Augustinus hoc loco pie monet, eum semper Deum laudare, qui semper bene agit.

PSALMUS XXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, servo Domini David.

De hoc titulo dictum est in explicatione psalmi quarti, ubi primum legitur, in finem. Sensus igitur est, psalmus inspiratus servo Domini Davidi, qui canendus est jugiter usque in finem, quique ad Christum pertinet, qui legis et Prophetarum est finis. Argumentum est, immensam fere esse quorumdam hominum malitiam, sed multo majorem Dei misericordiam et justitiam.

EXPLICATIO PSALMI XXXV.

1. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.*

Describit Propheta duas primas peccati radices, quarum altera est in voluntate, quae decernit male agere; altera in intellectu, qui non cogitat timorem Domini prohibentis peccatum. *Dixit*, inquit, *injustus, ut delinquat in semetipso*, idest, apud se, in corde suo, decrevit injustus delinquere, idest, corde suo in peccatum consensit. *Non est timor Dei, ante oculos ejus*, idest, ideo corde peccatum elegit, quia oculis mentis non cogitavit timorem Domini omnia videntis. Ubi timor ponitur pro objecto timoris, idest, non cogitavit Deum justum fortem, videntem omnia : ex qua cogitatione timorem tantae potestatis sine dubio concepisset. Sicut enim qui timet hominem, non audet in conspectu ejus malum exterius facere ; ita qui timet Deum, non audet interius cogitare quoniam Deus etiam corda scrutatur. Quod attinet ad verba, tres primae hebraicae voces sic ad litteram verti possent: *Dictum praevaricationis impii*: sed vox illa, נאם *neum*, quamvis proprie *dictum* significet: tamen accipitur passim pro verbo *dixit*: illum autem, פשע *pesciah*, quod significat praevaricationem, mutatis punctis, quae a Rabbinis, apposita sunt, legi poterit, פשע *posceah*, idest *praevaricator*, sive *injustus*: sic etiam illud, לרשע *larasceah*, quod s. Hieronymus vertit, impii, mutatis punctis significabit *ad delinquendum*, sive ut *delinquat*, ut graeci et latini codices habent. Et haec sine dubio vera lectio est, quod confirmat litera, ל *lamed*, quae signum est verbi modi infiniti, non autem nominis ex casu genitivo. Illud autem, *in semetipso* in hebraeo est, *in medio*, לבי *libbi*, *cordis mei*, sed corrupta videtur litera hebraica mutatione unius literae : nam ipse etiam s. Hieronymus vertit, *cordis ejus*, non *cordis mei*. Itaque legendum videtur, לבו *libbo*, idest *corde suo*.

2. *Quoniam dolose egit, in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.*

Demonstrat in hoc versiculo Propheta, quod dixit, injustum non habere timorem Domini. *Nam*, inquit, *in conspectu ipsius Dei dolose egit cum ipso Deo* et omnibus hominibus, adeo graviter, *ut iniquitas ejus non inveniatur apud Deum* ad veniam, sed *ad odium*, quod certe numquam fecisset, si Deum timuisset. Quis enim delinquere audeat in conspectu Judicis, si Judicem timeat? verba hebraica et graeca possunt alium sensum facere nimirum quod injustus dolose agit, cum videtur velle redire ad cor, et confiteri peccata : nam non quaerit peccata sua, dum conscientiae suae secreta rimatur, ut vere illa odio habeat, sed tantum ut fallat Deum, vel homines, et hunc sensum persequitur s. Augustinus. Verba hebraica sic sonant: *quoniam dolose egit adversus eum in oculis ejus ad inveniendam iniquitatem ejus, ad odiendum*. Graeca vero sic habent: *quoniam dolose egit in conspectu ejus, invenire iniquitatem suam, et odisse*. Quamvis autem sensus posterior verus sit, et verbis Prophetae aptari possit, tamen prior sensus est magis universalis et melius connectitur cum superioribus et magis convenit cum vulgata latina editione, et non difficulter accommodari potest verbis hebraicis et graecis. Quod enim dicitur in codice hebraico, *ad inveniendum iniquitatem ejus ad odium*, hunc sensum facit. Ut inveniat Deus iniquitatem ejus ad odiendum, idest non ad parcendum, sed ad puniendum. Quod autem dicitur in graeco codice, *invenire iniquitatem suam et odisse*, potest etiam legi, *invenire iniquitatem ejus, et odisse*, idest ut Deus inveniat iniquitatem ejus, et non cognoscat ; sed odio habeat et puniat : neque enim graeci habent discrimen inter ejus et suam, ut nos latini habemus ; proinde illud αὐτς, quod s. Augustinus legit *suam*, noster interpres legit, *ejus*.

http://www.obrascatolicas.com

3. *Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere, ut bene ageret.*

Dixit propheta hominem impium dolose agere ; nunc addit etiam dolose loqui, additurus postea etiam dolose cogitare, ut undique manifestetur insignis perversitas ejus, qui Deum non timet. *Verba*, inquit, *oris ejus* sunt conformia factis, nimirum injusta, imo tam injusta, ut non sint aliud nisi *iniquitas et dolus*, quidquid loquitur eo tendit, ut vel laedat aperte, vel decipiat, *Noluit intelligere, ut bene ageret*, idest, neque potest excusare culpam suam praetexendo ignorantiam: voluntarie enim ignoravit, cum non curaverit discere legem justitiae, vel per se investigando, vel ab aliis quaerendo, quoniam decreverat male agere : ut male ageret, scientiam bene vivendi contempsit.

4. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viae non bonae; malitiam autem non odivit.*

Ordine retrogrado descripsit primo opera injusta, deinde verba iniqua, nunc tandem cogitationes et affectiones malas describit : quamvis enim ex corde, ut est in Evangelio Matth. 13. procedant verba et opera mala ; nos tamen ex operibus et verbis malis, quae videmus et audimus, cognoscimus cogitationes et voluntates malas, quas videre et audire non possumus: *iniquitatem*, inquit, *meditatus est in cubili suo*, idest, opera et verba iniqua, non casu, aut imprudenter patravit vel effudit, sed in secreto cubili sui multo ante meditatus est. *Astitit omni viae non bonae, malitiam autem non odivit* : idest, dum meditaretur in corde suo, et varia consilia occurrerent, quasi viae ad operandum, approbavit omnia mala consilia et sic ingredi coepit omnem viam non bonam, quia corrupta est ejus voluntas, et ideo malitiam non odivit, sed amavit potius, non quia mala est, sed quia utilis visa est. Illud, *omni viae non bonae*, positum est, pro omni viae malae, ac si diceret, non placuit illi ullum consilium bonum, sed e contrario elegit sequi omnia mala consilia et sic *astitit viae non bonae*, idest, stetit in via non bona.

5. *Domine in coelo misericordia tua : et veritas tua usque ad nubes.*
6. *Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.*

Transit propheta ad alteram partem psalmi atque ostendit magnam quidem esse aliquorum hominum malitiam ; sed adhuc majorem esse in Deo bonitatem, quae in misericordia et justitia ejus consistit. Ac de misericordia dicit, *in coelo misericordia tua*, idest tam magna est misericordia tua, ut a terra ad coelum pertingat et omnia repleat : quod clarius habetur in psal. 107. *Magna est misericordia tua super coelos*. Misericordiae adjungit veritatem, idest fidelitatem, quae facit observari, quod misericorditer promittitur ; de qua dicitur in psal. 144. *Fidelibus Dominus in omnibus verbis suis. Et veritas tua usque ad nubes*, id est, misericordia ad coelum usque pertingit cum sua comite veritate, quae ipsa quoque extenditur *usque ad nubes*, idest usque ad coelum, in quo sunt nubes. Neque minor est in Deo justitia, quae reddit unicuique secundum opera sua. Nam *justitia tua*, inquit, *sicut montes Dei*, idest magna est instar montium altissimorum, qui nubes aliquando superant. Dicuntur enim res magnae res Dei, ut alio loco psal. 97. *Sicut cedros Dei*. Adjungit justitiae judicia, quae sunt actus justitiae, ac dicit, *judicia tua abyssus multa*, idest profunda et inscrutabilia, quomodo profundissima vorago, quae abyssus dicitur, oculis penetrari non potest. His omnibus corporalibus similitudinibus altitudinis et profunditatis divinae misericordiae et justitiae, necnon veritatis et judiciorum, nihil significatur aliud, nisi misericordiam et justitiam Dei majora esse, quam ut a nobis perfecte intelligi possint; quemadmodum oculis corporalibus non pertingimus ad ea, quae superant nubes, vel quae sunt infra terram.

7. *Homines, et jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.*

Ostendit nunc propheta, misericordiam Dei maximam esse, quoniam salvat homines et jumenta, idest conservat, nutrit, replet corporalibus bonis, non solum homines, idest, eos qui ratione utuntur ; sed etiam jumenta, idest, eos qui instar jumentorum, solo sensu et appetitu dicuntur, quorum malitia supra explicavit. Et vere infinita et stupenda est misericordia et benignitas Dei, qui cum posset impios, et blasphemos justissime perdere, et ad nihilum redigere tamen illo ipso tempore, quo blasphemant et maledicunt Deum et mandata omnia Dei praevaricantur, Deus illos quasi manibus propriis sustentat, portat et alit, delectationibus replet, solem suum oriri super eos facit, et pluviis de coelo agros eorum, et hortos rigat. Illud autem, *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus*, admirantis est, ac si dicat: O quomodo multiplicasti misericordiam tuam Deus ! Nam in hebraico codice habetur, מה יקר חסדך *ma jakar chasdecha*, *quam pretiosa est misericordia tua Deus!* Neque dissentiunt codices graeci ; et nostra latina editio hunc sensum facile recipit. Est autem optimus commentarius textus originalis, quando ex eo versio nostra explicari potest.

8. *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.*

Dixit de misericordia erga impios, et carnales, quos nomine jumentorum appellandos censuit. Nunc dicit de misericordia erga pios, et spirituales, quos filios hominum vocat, quae etiam justitia dici potest respectu impiorum, quos tam eximiis bonis juste privandos esse decrevit. Ait igitur: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*, idest jumenta quidem corporali salute contenta esse debebunt, quam etiam solam noverunt, et solam appeliverunt. At filii hominum, quasi pulli sub alis gallinae, ita ipsi sub alis tuis, Deus amantissime collecti, et quiescentes, omnia bona a te uno sperabunt. Quibus verbis significatur praecipua quaedam providentia et singularis benevolentia Dei erga pios homines et contra, summa quaedam et securissima fiducia piorum ad Deum, qualis est gallinae sollicitudo in fovendis pullis et pullorum fiducia sub alis gallinae. Qua similitudine, quoniam aptissima est, saepe utitur idem propheta, ut psal. 62. *In velamento alarum tuarum sperabo, adhaesit anima mea post te*, et psal. 96. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis*. Quam autem dulce sit, et quam antepponendum omnibus humanis deliciis, sub alis Dei foveri, et paternam, vel maternam pietatem ipsius experiri, nemo scit nisi qui accipit.

9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.*

Protectio sub alis Dei in hoc mundo habetur, ubi periculum est a morsibus milvorum, et ferarum : at quod sequitur, in coelesti patria nobis dabitur, explicat autem Propheta bona illa ineffabilia eo modo, quo potest, idest, corporalibus similitudinibus; et quidem primum sumit similitudinem ab ipso recipiente: deinde ab ea re, quae recipitur. Ipse quidem recipiens tunc est contentus cum est plenus, ut nihil amplius appetat. Ista plenitudo satians omnem appetitum describitur hoc loco aptissime per ebrietatem. Qui enim est avidus vini, tum demum est vere satur, cum est ebrius; tunc enim non amplius sitit vinum, sed in somnum resolvitur. Ita igitur et nos, qui in hac vita numquam satiamur, neque quiescimus, quantumlibet bona temporalia crescant; tum demum pleni et saturi, ac per hoc beati erimus, cum inebriabimur ab ubertate bonorum, quae sunt in domo Dei, quia tunc omni appetitu satiato, resolvemur in somnum sempiternae quietis. Dicit autem *inebriabuntur ab ubertate*, et non dicit inebriabuntur a vino, quia vult nos intelligere, non accipi hoc loco ebrietatem proprie, sed ut significat plenam satietatem. Deinde adducit similitudinem ab ipsa re, quae datur, et recipitur, dicens: *Et torrente voluptatis tuae potabis eos*. In torrente tria sunt, multitudo maxima aquarum ex montibus descendentium; repentina inundatio, ubi enim paulo ante nihil erat aquae, repente conspicitur flumen ingens; denique impetus aquarum decurrentium, et secum omnia obvia rapientium. Sic erit coelestis beatitudo; aderit multitudo sapientiae, et scientiae ex illo monte descendens, de quo dicitur, Eccles. 1. *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis*, idest, in excelso monte divinitatis est fons sapientiae verbum Dei : ex quo monte et fonte repentina oritur inundatio in beatis. Nam qui in hac vita magno labore, et multo tempore, quasi guttatim sapientiam hauriebamus, ibi repente, et in momento Deo clare viso affluemus omni scientia, non solum rerum creatarum, sed etiam omnium attributorum ipsius creatoris, quae abundantia sapientiae, et scientiae rapiet animum magno impetu ad amorem, et fruitionem summi boni. Neque enim in patria liberum erit diligere, vel non diligere Deum; frui, vel non frui bono tam magno: sed erit foelicissima necessitas adhaerendi summo bono, et per complexum intimum infinita suavitate fruendi.

10. *Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*

Reddit rationem, cur ex visione Dei sit futura in Beatis tanta sapientiae et scientiae inundatio : quia videlicet *apud Deum est fons vitae*, qui idem est cum fonte sapientiae. Deus igitur qui fons est sapientiae, hoc ipso fons est vitae, quia sapere sapientibus est vivere: et quia fons est vitae, hoc ipso fons est essendi, quia vivere viventibus est esse. Dicitur autem fons sapientiae, vitae et essentiae, quia non habet ab alio, ut sapiat, aut vivat, aut sit; sed ipse est sapientia, est vita, est esse; et omnia alia, quae utcumque sapiunt, vivunt, aut sunt, ab illo id habent. Utitur autem David nomine fontis, ut persistat in methaphora torrentis, quasi dicat, torrente nos potabis, quia apud te est fons, unde torrens ille descendit. Dicit autem, *apud te est fons vitae*, cum videretur dicere debuisse, fons sapientiae; quia voluit ostendere, vitam aeternam justis promissam, atque ut summum bonum ab omnibus desideratum, in hac summa sapientia consistere juxta verbum Domini, Joan. 17. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*. Addit vero, *in lumine tuo videbimus lumen*, ut tandem verbis clarioribus explicet quod per metaphoras adumbraverat. Nam *in lumine tuo videbimus lumen*, nihil aliud significat, nisi in te ipso, qui lux, et fons luminis es, videbimus te lumen inaccessibile, et indeficiens. Nunc enim videmus Deum sed in speculo creaturarum in mente nostra, quae est imago Dei, ratiocinando, et discurrendo ab operibus ad opificis notitiam; denique in fide, non in specie: tunc autem videbimus Deum in seipso, et ut dicit Apostolus Paulus, 1. Corint. 13. *facie ad faciem*, et ut loquitur b. Joannes 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est* non sicut in imagine repraesentatur. Et quoniam, ut idem Joannes dicit, 1. Joan. 1. *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, ideo recte dicitur *in lumine tuo*, idest, in ipsa tua divinitate, quae lux est, non in figuris, et aenigmatibus, *videbimus lumen*, idest, teipsum, *qui es lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Joan. 1. Recte quoque theologi ex hoc loco colligunt lumen gloriae, quod necessarium esse volunt ad Deum videndum. Nam Deus *lux quaedam est, sed inaccessibilis*, ut dicit b. Paulus, 1. Timoth. 6. et ideo nisi mens elevetur, et confortetur quodam dono Dei, quod vocant lumen gloriae non potest obtutum figere in lucem illam increatam: proinde videbimus quidem lumen, quod est ipse Deus, sed *in lumine ipsius*, idest, adjuti lumine gloriae, quod ipse donat iis, quos ad sui visionem dignatur admittere. Sed prior explicatio videtur magis litteralis.

http://www.obrascatolicas.com

11. *Praetende misericordiam tuam scientibus te: et justitiam tuam his, qui recto sunt corde.*

Docet nunc Propheta magna ista bona, de quibus hactenus locutus est ad solos justos pertinere, quos paulo ante filios hominis appellavit, cum impios jumentorum nomine vocasset. Utitur quidem Propheta forma loquendi imperativi modi, sed vim habet apud Prophetas ea forma modi indicativi, ut saepe diximus. *Praetende*, inquit, *misericordiam tuam scientibus te*, idest, extende hanc magnam misericordiam tuam scientibus, idest, illis tantum qui te cognoscunt notitia familiaritatis, et amicitiae; qui tecum versantur, te invocant, qui audiunt te in praeceptis tuis, et quos tu audis in precibus eorum. Quo modo loquendi dicitur in evangelio. Matth. 25. *Amen dico vobis. nescio vos: Et justitiam tuam his qui recto sunt corde*, idest, extende, sive porrige hanc misericordiam, quae simul est corona justitiae. *his qui recto sunt corde*, idest, justis et piis, qui cor habent rectum, et conforme rectitudini tuae, et ideo placent illis omnia mandata tua, et judicia tua. Idem enim petit Propheta more suo diversis vocabulis; nam scientes Deum notitia amicitiae, ipsi sunt recti corde; et foelicitas aeterna misericordia, et justitia est; misericordia quidem, quia ex dono gratiae sancti sumus justi ex impiis, et amici ex inimicis, et recti corde ex distortis et obliquis, et operarii bonorum operum. ex operariis iniquitatis: sed tamen eadem foelicitas est etiam corona justitiae, et merces bonorum operum. Nam ut habetur in concilio Arausicano 2. can. 16. debetur merces operibus bonis, si fiant. sed misericordia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.

12. *Non veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me.*

Sollicitus jam de se Propheta, ne a tanto bono forte excidat, precatur Deum pro dono perseverantiae, ac praeserlim contra vitium superbiae, cui obnoxii sunt magni viri, qualis ipse erat. *Non veniat*, inquit. *mihi pes superbiae*. idest, ne quaeso sinas, ut mihi appropinquet pes superborum. ne forte manus ipsorum moveat me verbo. vel exemplo, vel alia tentatione. et dejiciat de statu gratiae in foveam peccati. Nomine superbi. et peccatoris, cujus pedem. et manum. idest, cujus accessum et potentiam timet, intelligitur praecipue diabolus, qui est rex super omnes filios superbiae; deinde etiam ministri. et satellites ejus. Posset etiam cum s. Augustino ita exponi, *Non veniat mihi pes superbiae*, idest, non contingat mihi. ut incipiam habere pedem superbiae. idest affectum superbiae et manus peccatoris non inducat me. idest, et operatio peccatoris non inducat me ad consensum peccati, et sic vel ex meo vitio, vel ex tentatione aliorum dejiciat de statu meo, et cadam.

13. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem. expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

Reddit rationem cur tantopere timeat sibi a superbia. quoniam. inquit, *ibi ceciderunt. qui operantur iniquitatem*. idest, *a superbia initium sumpsit omnis perditio*, ut ait Tobias, cap. 4. nam et primus Angelus cum sociis suis, et primus homo cum uxore sua, ob superbiam ceciderunt; et per eos peccatum in mundum intravit. Et postea quam ceciderunt a justitia ad iniquitatem, expulsi sunt a Deo a loco foelicitatis. et dejecti in profundum miseriarum. Nam *Deus superbis resistit. humilibus autem dat gratiam*. ut dicunt apostoli Petrus in epist. 1. cap. 5. et Jacobus cap. 4. *Nec potuerunt stare*, in loco illo foelicitatis. in quo posuerat illos Deus, ut ad majora proveheret si in bono perseverarent.

PSALMUS XXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David.

In titulo nihil est novi. Continet autem hic psalmus pharmacum saluberrimum ad curandos animos pusillorum, qui facile scandalizantur, cum vident in hoc mundo impios prosperari. et inde dubitare incipiunt de providentia Dei, et animari ad imitanda opera impiorum. Non est in hoc psalmo continuata quaedam oratio, sed collectio quaedam sententiarum, quasi aphorismorum. et ideo ut facilius memoria custodiretur. per alphabetum digestus est ita ut primus. quasi aphorismus continens duos versiculos, incipiat a prima litera; secundus a secunda et sic de aliis. Quas literas notabimus, ut appareat distinctio sententiarum.

EXPLICATIO PSALMI XXXVI.

1. Aleph. *Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.*
2. *Quoniam tamquam foenum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.*

Admonet Propheta, tamquam spiritualis medicus fideles, ut si videant impios prospere agere. non provocentur ad eos imitandos; neque irascantur, aut indignentur adversus Deum. quasi injustum, quoniam prosperitas impiorum non diu durabit, imo velocissime transibit; et tunc apparebit justitia: et providentia Dei, quae impios non sinit diu exultare, et laetari. Verba tamen sunt obscuriora. propter constructionem verborum cum praepositionibus, quae hebraismum. vel graecismum redolent: sed conabimur perspicuam sententiam reddere. *Noli aemulari in malignantibus* idest, noli provocari ad aemulationem, sive, noli fieri aemulus et rivalis malignorum. In hebraeo est, אל תתחר *al thithchar*, idest, *irascaris* vel ut s. Hieron. reddit, *ne contendas cum malignantibus*. Sed idem est sensus. Loquitur enim non de contentione, et pugna. quae fit gladio, vel hasta; sed de ira et contentione aemulationis, quomodo quidam certant in theatro carminibus canendis, alii in agone cursu equorum, vel curruum et irascuntur nisi vincant. Itaque sensus est, ne contendas cum malignantibus in temporalibus bonis per fas et nefas acquirendis, neque irascaris, si minus bene aemulatio ista succedat. Quod sequitur. *Neque zelaveris facientes iniquitatem*, idem est. ac si dictum fuisset, neque indigneris succensus zelo super operantibus iniquitatem, injustum videlicet judicans, ut Deus tantis bonis afficiat iniquos. Clarius id habetur in psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his. qui recto sunt corde: mei autem pene moti sunt pedes. pene effusi sunt gressus mei. quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*. idest, Deus quidem bonus videtur his qui conformes sunt voluntati ipsius: sed ego, qui non tanta rectitudine polleo, pene cecidi in scandalum et dubitationem, dum zelo succendor quasi pro justitia. et irascor super impiorum prosperitate. dum cogito pacem. et reliqua bona, quae possident. cum tormentis et poenis dignissimi sint. Sequitur, *Quoniam tamquam foenum velociter arescent. et quemadmodum olera herbarum cito decident*. Aptissima similitudo ad ostendendam brevitatem temporalis prosperitatis. Foenum siquidem, et olera non habent profundas radices. ut cedri. et palmae, quibus comparari solent justi. *Justus*, inquit idem David psal. 91 *ut palma florebit. sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Inde fit. ut foenum. et olera continuo arescant. et putrescant: ut palmae. et cedri diutissime perseverent. Neque dixit Propheta, prosperitatem impiorum cito perituram. sed ipsos impios citissime perituros: ipsis autem pereuntibus, dubium non est. quin omnis eorum gloria. et prosperitas pereat. Et quamvis nonnunquam impii multos annos vivant. et prospere illis omnia succedant; tamen multitudo illa annorum nihil omnino est, si ad diuturnitatem justorum et foelicitatis ipsorum comparetur. Nam *justi in perpetuum vivent*. Sap. 5. et *in memoria aeterna eris justus*, psal. 111. et nihil est diuturnum quod habet finem. Vide Sap. 5. si vis ad vivum depictam videre velocitatem. et brevitatem rerum omnium temporalium. *Transierunt*, inquit, *omnia tamquam umbra. et tamquam nuncius praecurrens. et tamquam navis. quae pertransit fluctuantem aquam. quae, cum praeterierit. non est vestigium invenire: aut avis. quae transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum. divisus aer in se continuo reclusus est. ut ignoretur transitus illius, sic et nos nati continuo desinimus esse, etc*

3. Beth. *Spera in Domino. et fac bonitatem, et inhabita terram. et pasceris in divitiis ejus.*
4. *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

Absterruit nos a malo David in primo aphorismo: nunc in secundo incitat ad bonum, quasi dicat. Si vis beatus. et faelix esse intellige quis sit auctor omnis faelicitatis. et ab eo expecta. ab illo spera, non ab aliis. *Spera*, inquit, *in Domino*. Ipse enim, qui Dominus rerum omnium est. ipse solus res suas vere dare potest. Sed ut spes firma sit. et non confundaris, *fac bonitatem* bene operando, juxta Dei mandata. Quis enim facile sperare audeat in eo quem scit inimicum sibi esse? et tum demum securus *inhabita terram*: quis enim te expellet. si amicus ejus fueris. cujus est terra. et plenitudo ejus? quin etiam *pasceris in divitiis ejus*; terra enim ad te alendum abunde profert fructus suos s. Hieron. ex hebraeo legit, fide. pro divitiis. Et vere in textu hebraico est. אמונה *emuna*, quod fidem. aut veritatem significat. Sed septuaginta Interpretes non videntur in suo textu habuisse, אמונה *emuna*, sed, המונה *hamona*, quae vox divitias significat, et patet ex hoc eodem psalmo versu 16. ubi legitur. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas*. Quamvis etiamsi legamus. *pasceris fide. aut veritate*, erit sensus. pasceris in terra fide, idest, fideliter. et vere, quod est fere idem. cum *pasceris in divitiis ejus*. Ille enim fideliter, et vere pascitur in terra, cui non deest abundantia fructuum terrae. quae sunt ejus divitiae. Sed ut quis bene operetur, et sit amicus Dei. ita ut in illo secure confidat, necessaria est charitas; ideo dicit *delectare in Domino*. idest, ama Deum ex corde, et ille sit deliciae tuae; et tunc securus eris. quia *dabit tibi petitiones cordis tui*, idest, quicquid cor tuum desiderabit. At, inquies. multos novimus, qui sperabant in Deo et faciebant bonitatem. et delectabantur in Domino; et tamen non sinebantur habitare in terra. nec pascebantur in divitiis ejus. nec dabat illis Deus petitiones cordis eorum. Nam, ut omittam multitudinem prope infinitam fidelium, quos videmus quotidie in summa egestate vitam degere: certe b. Paulus sperabat in Domino, et fa-

http://www.obrascatolicas.com

ciebat bonitatem, et tamen, ut ipse testatur 1.Corinth. 4., *ut purgamentum mundi, et peripsema ejiciebatur*, et esuriebat et sitiebat, et nudus erat; et cum delectaretur in Domino, non dabat ei Dominus petitiones cordis sui cum ter rogaverit *ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non impetraverit*, 2. Corinth. 12. Respondeo, maximam partem illorum, qui in summa egestate versantur, non sperare in Domino sicut oportet, nec observare mandata ejus, ut ipse jubet; multo etiam minus delectari in Domino: nam praeter promissiones hujus psalmi, Christus ipse Matth. 6. apertissime dicit, *Respicite volatilia coeli, quae non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Deus pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?* et infra, *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* Itaque dubium esse non potest Deum provisurum suis omnia necessaria, si serio illi confidant in Deo, et mandata ejus observent. Quod si aliquando id non fiat, ut dicebatur de Apostolo, ratio est, quia Deus dat illis aliquid melius, et quo illi magis contenti sunt, idest, meritum ingens patientiae. Idem enim b. Paulus, qui scripsit suam egestatem, aliasque tribulationes, scripsit etiam, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 7. Et si non dedit ei Dominus petitionem cordis sui, ut auferret stimulum carnis, dedit ei gratiam abundantem, per quam stimulus ille converteretur in instrumentum triumphi. Itaque non dedit ei Dominus petitionem cordis sui, ut auferret stimulum carnis, dedit ei gratiam abundantem, per quam stimulus ille converteretur in instrumentum triumphi. Itaque non dedit rem parvam, ut daret rem magnam, quam sciebat esse veram petitionem cordis ipsius.

5. Ghimel. *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.*
6. *Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.*

Propinavit Propheta, ut bonus medicus, pharmacum contra morbum interiorem famis, sitis et similium malorum: nunc proponit aliud contra morbum exteriorem persequutionum, et calumniarum. Quando enim ista nobis eveniunt, non prohibemur nos defendere, et calumnias propulsare, sed praecipuum remedium esse debet oratio ad Deum, et fiducia in Deo: quod observavit Susanna, quae condemnata ad mortem per calumniam, flens respexit ad coelum, inquit scriptura Danielis 13. *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. Revela*, inquit David, *Domino viam tuam, et spera in eo*, idest, aperi in oratione coram Deo opera tua, et confide in Domino, committens illi causam tuam, *et ipse faciet*, nimirum judicium, et justitiam. Ipse inveniet rationem, qua detegatur falsitas testium, qui adversus te dixerunt testimonium; et qua innocentia tua manifesta fiat. Id quod clarius habetur in sequenti versiculo. *Et educet quasi lumen justitiam tuam*, id est, Deus admirabili providentia sua faciet, ut justitia tua, idest, jus tuum, quod erat quasi in tenebris sepultum propter calumnias persequutorum, emergat et clarissime conspiciatur, quo modo lumen cernitur cum candela accenditur, vel cum profertur ex clausa, et obscura lanterna. Et repetens idem aliis verbis, addit, *Et judicium tuum tamquam meridiem*, idest, producet in apertum, et clarum idem jus tuum, ut luceat, et conspiciatur ab omnibus, ut conspicitur Sol meridianus. Quod quidem in Susannae judicio manifeste apparuit. Nam sicut initio justitia, et innocentia Susannae in tenebris erat, quando a duobus testibus, contestibus, et omni exceptione majoribus convicta erat; ita paulo post providentia Dei, excitante spiritum Danielis, et per eum demonstrata falsitate testium ex ore proprio ipsorum, tam clare apparuit innocentia Susannae, et iniquitas testium, ut continuo et ipsa liberata fuerit, et illi damnati a populo mala morte perierint. Quod attinet ad verba, illud, *revela*, Hieronymus, et Judaeorum magistri ex Hebraeo vertunt. *Volve*, sive revolve; ut sensus sit, rejice in Deum causam tuam; juxta illud psal. 54. *jacta cogitatum in Dominum.* Sed *revela*, quod nos habemus ex versione septuaginta Interpretum, non repugnat hebraicae voci, גול *gol*, quod significat revolve: nam et revolvitur quod in alium rejicitur, et revolvitur etiam quod aperitur, et explicatur, ut cernatur: quod coincidit cum *revela*, sive *aperi*. Utraque expositio vera est, sed nos latinam editionem et commentarios graecorum, et latinorum sequi debemus, qui, *revela*, non *rejice*, exposuerunt. Porro cum revelare aliquid jubemur Deo, non ideo jubemur, quia Deus aliquid nesciat: sed quia vult orari a nobis, et per orationem explicari quae volumus, ut nos ipsi intelligamus, qua de causa divino auxilio egeamus. De vocibus, justitia, et judicium, notum est illa varie in variis locis accipi. Sed hoc loco, justitiam certum est accipi pro jure; judicium autem vel accipiendum est etiam pro jure, cum eadem res agatur; vel pro justa sententia, quae juri debetur: judicium enim actus justitiae est.

7. Daleth. *Subditus esto Domino, et ora eum. Noli aemulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.*

Verba illa, *subditus esto Domino, et ora eum*, in editione graeca, et latina pertinent ad versiculum superiorem: in hebraeo vero codice sunt initium versiculi, ut manifeste apparet ex litera quarta alphabeti, quae hic habetur. Nos ut ostenderemus psalmum esse alphabeticum, posuimus ea verba sub litera Daleth, et tamen non adjunximus illi numerum versiculi septimi, ne mutaremus distinctionem versiculorum, quam in editione latina habemus, et juxta quam distinctionem psalmi canuntur in Ecclesia. Sensus hujus sententiae quae quartus aphorismus spiritualis numerari potest, hic est. Vide, ut sis semper Deo ad nutum obediens, et ora eum assidue; ne forte si videris hominem foelicem in saeculo, et simul injustum, ejus foelicitas tentet te, et inducat ad injustitiam. Vere enim magna tentatio est foelicitas iniquorum; sed facile superatur, cum quis habet Deum semper ante oculos cordis, et illi per obedientiam, et orationem adhaeret. Nam qui Deo ita adhaeret, respicit quasi ex alto foelicitatem iniquorum, et videns eam modicam, et fugacem, facile contemnit, ac despicit. Ait igitur, *Subditus esto Domino, et ora eum*, idest, exhibe Deo puram, ac simplicem obedientiam, et cum illo per orationem frequenter versare, et colloquere. s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *tace Domino, et expecta eum.* Sed idem est sensus, quem septuaginta Interpretes pluribus verbis explicare voluerunt. Illud igitur, *tace Domino*, quod in hebraeo significat, non murmures contra Deum, etiamsi nescias, cur ille aliquid jubeat, vel faciat, sed ut subditum decet, silens obedias in omnibus. Illud autem, *expecta eum*, significat, pete in oratione, et patienter expecta. Dabit enim Dominus, quod petis, sed quando opportunum judicabit: *Noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias*; idest, noli fieri aemulus, et quasi rivalis hominis, qui in via sua, idest, in actionibus suis prosperatur; hominis, inquam, injusti, et iniqui, qui malefaciendo prosperatur. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *qui facit quae cogitat*, pro eo quod nos ex graeco habemus *faciente injustitias*. Sed vox, מזמות *mezimmoth*, quamvis descendat a verbo, זמה *zamma*, quod est *cogitare*, tamen significat etiam, *scelera*, ut diem s. Hieron. eamdem vocem interpretatur in psal. 25. vers. 12. et Hierem. 11. vers. 15.

8. He. *Desine ab ira, et derelinque furorem; noli aemulari, ut malignaris.*
9. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominum, ipsi haereditabunt terram.*

Haec sententia est quasi repetitio, et declaratio prima sententiae; in toto enim psalmo res eadem saepe repetitur, et inculcatur, ut illustrior fiat, et memoriae magis inhaereat. In primo versu dixerat, *Non zelaveris facientes iniquitatem*: idipsum nunc dicit clarius, cum ait, *Desine ab ira, et derelinque furorem*, idest, cum videris impium in terra florere, non irascaris, neque incipias furere, et dicere, quare iste iniquus prosperatur? ubi est justitia Dei? ubi providentia illius? Item in primo versu dixerat, *noli aemulari in malignantibus*; hoc ipsum repetit, et explicat dicens, *noli aemulari, ut malignaris*, idest, noli aemulando malignos fieri socius malignantium. Noli imitari opera injusta eorum quorum foelicitati invides, et addit: *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur*; ut declaret quod antea dixerat, *quoniam tamquam foenum velociter arescent.* Adjungit postea, *sustinentes autem Dominum, ipsi haereditabunt terram*, ut repetat, et declaret, quod ibi dixerat, *Spera in Domino, et inhabita terram.* Sustinent enim Dominum, qui patienter expectant promissiones ejus, et securi expectant, quoniam fidelis, et potens est Dominus, qui promisit. Et ideo sine ullo dubio, qui malignantur, etiamsi ad tempus florere videantur, non diu florebunt, sed exterminabuntur de terra, et in gehennam ad aeternam infoelicitatem detrudentur: qui autem abstinent se ab iniquitate, et a Domino mercedem suam sperant, *ipsi haereditabunt terram*, idest, ipsi stabili possessione terram obtinebunt quasi propriam haereditatem, quae ab eis numquam auferetur. Vere enim homines pii cum migrant ad Deum, non amittunt possessionem terrae, sed acquirunt coelum, et terram, cum dicatur de eis: *Super omnia bona sua constituet eos.* Matth. 24.

10. Vau. *Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quaeres locum ejus, et non invenies.*
11. *Mansueti autem haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.*

Quia dixerat, *Malignantes exterminabuntur*, addit hoc brevi futurum. *Et adhuc*, inquit, *pusillum*, temporis pertransibit, et *peccator*, qui videbatur foelix, non apparebit in terra: *et quaeres locum ejus inter homines, et non invenies*, quia videlicet periit omnino, et quasi arbor infructuosa radicitus evulsus ets. *Mansueti autem*, idest, illi qui non indignantur, nec irascuntur Deo, cum vident impios prosperari: sed patienter ferunt, et tolerant id quod Deo placet, *haereditabunt terram*, non solum hanc ubi peregrinamur, sed etiam illam viventium, quae sola proprie terra est, idest, firma, et stabilis, unde et Dominus ait Matt. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*: et quia terra illa Jerusalem, idest, visio pacis, cum omnes inimici longissime ab illa absint, ideo *delectabuntur in multitudine pacis*, idest, fruentur pace multa, quia pax illa erit cum multitudine magna incolentium terram illam, et durabit multo tempore, vel potius aeterno tempore, et sic delectationem, habebunt, quam pax adferre secum solet.

12. Zain. *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.*
13. *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus.*

Monet s. Propheta justum, ut non multum formidet insidias iniquorum, quia Deus vigilat ad custodiam ejus. *Oservabit*, inquit, *peccator justum*, idest, attente respiciet peccator omnes actiones justi, ut inveniat aditum ad eum perdendum. *Et stridebit dentibus super eum*, idest, instar famelici canis desiderabit interitum ejus, ac prae iracundia, et indignatione dentibus frendebit. *Dominus autem irridebit eum*, idest, Dominus, qui omnia prospicit, et in cujus manu sunt omnia, ita ut non cadat folium in terram, nisi ipso jubente, vel permittente *irridebit eum. Quoniam prospicit, quod veniet dies ejus*, idest, irridebit eum, quoniam videt instare diem interitus ejus, et illum ante rapiendum, quam justo nocere potuerit. Nam etiamsi forte Deus permittat justum a peccatore occidi; tamen prius peccator animam suam occidit, quam justi corpus occidat: et quoniam mors justi pretiosa est in conspectu Domini, et lucrum est, non detrimentum: mors autem peccato-

http://www.obrascatolicas.com

rum pessima, et ad mortem sempiternam peccatorem detrudit, ideo semper ante rapitur peccator, quam justo nocere potuerit. Proinde irridendus merito est, quia dum alterius interitum procurat, imminentem interitum suum non videt.

14. Chet. *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum.*
15. *Ut dejiciant pauperem, et inopem, ut trucident rectos corde.*
16. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.*

Declarat hic Propheta, quod obscurius dixerat in superioribus versiculis literae Zain. Quod enim ibi dixit, *observat peccator justum*, hic declarat, dicens, *gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum*, idest, stant peccatores armati districtis gladiis, et arcubus extensis, observantes quando sit tempus occidendi justum, ut videlicet tunc dejiciant arcu, et trucident gladio justum, qui pauper et inops est, et rectus corde. Sed Deus, qui prospicit omnia ex alto, facit ut gladius convertatur in corda ipsorum, et arcus eorum conteratur, et ipsis solis noceat, et sic irridebit eos. Observandum hoc loco est quod hic dicitur de gladio et arcu posse intelligi tum de arcu, et gladio ferreo, tum de gladio, et arcu linguae. Saepe enim peccatores occidunt justos, vel certe conantur occidere calumniis, et falsis testimoniis, etiam saepe vero gladio, et arcu. Item notandum est, verbum illud, *ut dejiciant*, recte sic positum esse in editione Sixti V. pontificis, cum antea haberetur in codicibus vulgatis, *ut decipiant*: nam cum in hebraico, et graeco codice habeatur, להפיל *lehappil, ut dejiciant*, et sic legerint veteres patres, et hoc requirat conjunctio cum arcu, et gladio; et denique non deessent codices antiqui latini manuscripti qui haberent, *ut dejiciant*, facile dijudicari potuit, errore librariorum ob literarum similitudinem, irrepsisse, *decipiant* pro *dejiciant*. Rursum considerandum est, justum hoc loco dici rectum corde, vel ut est in hebraeo, ישיר דרך *iscre darech, rectos via*, quia justus cor habet conforme legi Dei, quae est rectissima, et quia eadem lex est via recta, per quam ambulare debemus, dum operamur, ideo rectus corde dicitur etiam rectus via, quia numquam aberrat a recta via, quae est lex Domini. Praeterea notandum hoc loco, justum dici pauperem, et inopem, vel quia omnes justi sunt pauperes spiritu; et licet interdum divitiis abundent, intelligunt eas divitias non esse proprie suas, cum de eis rationem reddituri sint Deo, vel certe non loquitur David de omnibus justis, sed solum de pauperibus, et abjectis, qui a potentibus opprimuntur. Porro inter pauperem et inopem hoc interest quoad voces hebraicas, quod, עני *hani*, pro qua habemus *pauperem*, significat humilem, afflictum, mitem; אביון *ebion*, pro qua voce habemus inopem, significat proprie egenum, qui omnia desideral, quia omnibus caret. Denique illa imprecatio, *gladius eorum intret in corda ipsorum*, est praedictio potius, quam imprecatio. Tunc autem gladius peccatoris extensus adversus justum, intrat in corda peccatoris, quando peccator dum nocere intendit justo, sibi ipse magis nocet: dum enim forte spoliat justum pallio, se ipse spoliat fide, et charitate: et dum justum privat vita carnis, se ipse privat gratia Dei, quae est vita animae, et dum justum calumniis suis trudit in carcerem, se ipse praecipitat in gehennam.

17. Teth. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.*
18. *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.*

Ne justi pauperes iniquis divitibus invideani, et dimissa justitia ad perpetrandam iniquitatem accedant, munit eos David hic duobus versiculis, *Melius*, inquit, *est modicum justo super divitias peccatorum multas*: idest, plus prodest justo modica substantia, quam peccatori ingentes divitiae: proinde foelicior est justus tenuis quam peccator locuples; et ideo magis expetenda est justitia cum parvis opibus, quam multae copiae cum injustitia. Ratio est, quia justus dirigitur a Deo, ut scial uti divitiis, non est avarus, non est prodigus, ac propterea non eget, neque gravatur aere alieno, neque retinet otiosas opes, unde vel in superbiam erigatur, vel ad luxuriam provocetur. Peccator autem superbus, et prodigus est, nec scit uti divitiis; inde semper eget, semperque debet, nec diu statum suum conservare potest. Atque hoc est quod sequitur: *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus*, idest, potentia, et fortitudo peccatoris facile deficiet, quia nititur brachio carnis, nec divitiae illum juvare poterunt. Justi autem fortitudo, et potentia non potest deficere, quia nititur brachio Dei; Deus etiam, qui amicus justorum est, illum confirmat, vel, ut clarius rem explicat vox hebraica, סומך *somech* sustentat. Denique peccator non obstantibus maximis suis divitiis, non effugiet aeternum interitum, quia cum morietur nihil secum asportabit, neque descendet cum eo gloria ejus. Justus autem, qui non in divitiis terrenis, sed in Deo confidit, in sempiternum vivet.

19. Jod. *Novit Dominus dies immaculatorum, et haereditas eorum in aeternum erit.*
20. *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.*

Confirmat Propheta quod paulo ante dixit de foelicitate justorum, etiamsi modicas opes habeant. *Novit*, inquit, *Dominus dies immaculatorum*, idest, approbat Dominus vitam justorum, eisque faveat, et benedicit, et ideo dies eorum diuturni erunt, et haereditas eorum cum ipsis diutissime conservabitur. *Non confundentur in tempore malo*, idest, tempore sterilitatis, et penuriae non confundentur, quia non cogentur erubescere mendicando panem, *et in diebus famis saturabuntur*, id est, non solum non erubescent mendicando tempore communis famis, sed etiam habebunt ex suis copiis, unde comedant ad satietatem sed haec

interdum implentur in hoc saeculo, semper autem implebuntur in futuro. Ventura enim est post hanc vitam incredibilis quaedam sterilitas, quando nemo poterit serere, vel metere, et dives in inferno guttam aquae desiderabit, nec obtinebit. Tunc igitur immaculati, quia nihil dimiserunt in terra, sed in coelum omnia transtulerunt, invenient aeternam haereditatem, neque confundentur mendicando cum stultis virginibus, *date nobis de oleo vestro*, Matth. 25. sed saltabuntur, cum apparuerit gloria Domini.

Caph. *Quia peccatores peribunt.*
21. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*

Tres primae dictiones pertinent ad versiculum superiorem in editione graeca et latina: sed voluimus eas hoc loco ponere, ut appareat artificium Prophetae qui per litteras alphabeti psalmum digessit. Nam in illa particula, *quia*, posuit literam Caph, quae in alphabeto sequitur, et inde incipit in hebraeo novus versus. Ergo illa verba, *Quia peccatores peribunt*, reddunt rationem, cur immaculati pacifice possidebunt haereditatem in terra, et in tempore famis saturabuntur. Id enim fiet, quia *peccatores*, qui eos perturbare, eisque bona sua diripere solebant, *peribunt*. Quod autem sequitur, *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient*, respondet duobus versiculis superioribus, ut hic sit sensus: Immaculati homines, tamquam amici Dei habebunt aeternam haereditatem, et in tempore malo non confundentur: *inimici vero Domini*, quales sunt omnes peccatores, e contrario habebunt brevissimam foelicitatem: statim enim atque exaltari coeperint, evanescent instar fumi, qui dum exaltatur consumitur, neque vestigium ullum post se relinquit. Illud verbum, *exaltati*, a s. Hieronymo legitur, Sicut Monocerotes; ab aliis, agni, quae sunt res diversissimae. In hebraeo nunc habetur, כרים *Carim*, quod proprie agnos significat, et ad sententiam hujus loci nihil facit. S. Hieron. videtur legisse, כרים *Carem*, et ideo vertit, sicut Monocerotes, nam Monocerotes in libro Num. cap 23. et 24. dicitur, ראם *reem*, et in lib. Judic. cap. 38. dicitur. רים *rem*, et tunc sensus est, quod *inimici Domini cum honorificati*, et gloriantes fuerint sicut Monocerotes, tamquam fumus consumentur. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, כרים *Carim*, neque, כרים *Carem*, sed. כרום *Carum*; et ideo recte verterunt, *Cum exaltati fuerint*, quae lectio optima est, eamque noster Interpres etiam sequutus est, et tota frequentat ecclesia.

22. Lamed. *Mutuabitur peccator et non solvet: justus autem, et miserebitur et tribuet.*
23. *Quia benedicentes ei haereditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.*

Confirmat quod supra dixerat, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Nam saepissime accidit, ut peccator quamvis ditissimus, mutuo accipiat pecuniam, et tamen non restituat: quia volunt divites peccatores supra censum laute vivere, vel superbe vestiri, aut habitare; inde semper laborant aere alieno gravati. Justus autem, qui, ut supra diximus, scit uti divitiis, etiamsi modicum habeat, tamen ex modico illo habet unde misereatur pauperum, et retribuat sine spe recuperandi. *Quia benedicentes ei*, Deo, videlicet, ut sanctus Augustinus exponit, *haereditabunt terram*, et sic semper habebunt unde tribuant, *maledicentes autem ei*, tamquam blasphemi, et ingrati, *disperibunt*, ut etiam velint tribuere, non possint. Sanctus Hieronymus legit passive, quia *benedicti ab eo*, nimirum a Deo, *haereditabunt terram, maledicti ab eo disperibunt*. Et quidem verba hebraica facta mutatione punctorum, tam active, quam passive exponi possunt, et una sententia aliam infert. Qui enim Deum in omnibus rebus benedicunt, ab eo quoque benedicentur; et qui Deo maledicunt, maledictionem ipsius consequentur.

24. Mem. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.*
25. *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

Incipit hoc loco Propheta exponere singularem providentiam erga justos, ut tanto magis eos confirmet, ne forte prosperitas impiorum eos alliciat ad peccandum. Dicit igitur, vitam justorum a Domino dirigi, et custodiri. *Apud Dominum*, inquit, *gressus hominis*, justi; ille diriget actiones, et opera justi, qui justum fecit. *Et viam ejus volet*, idest, hinc fiet, *ut justus viam Domini velit*, diligat, libenter sequatur: vel, *Deus volet viam justi*, idest, approbabit actiones, et opera ejus. Prior explicatio s. Augustini, posterior Euthymii est; illud *apud Dominum* in textu originali est, מיהוה *me* Adonai, a Domino, et sic legit s. August. et graeci Interpretes: sed verba nostrae edictionis, ut non dissentiant a textu originali, sic explicanda sunt: *Apud Dominum*, idest, in secreto consilio Domini *dirigentur*. quod est idem cum illo, *a Domino dirigentur*. Sequitur, *Cum ceciderit, non collidetur. quia Dominus supponit manum suam*. Potest hoc referri ad miserias corporales, et etiam ad miserias animae. Nam si justus ceciderit in aliquam afflictionem, et tribulationem, quasi quae sunt foveae vel saxa, vel lutum in via vitae hujus, *non collidetur*, idest, non omnino succumbet, aut opprimetur, *quia Dominus supponit manum suam*, ne laedatur, vel ut est in hebraeo, כי יהוה סומך ידו *chi* Adonai *somech jado, quia Deus sustentat eum manu sua*, idest, auxilio, et providentia sua. Et si forte ceciderit in tentationem peccati, non collidetur, idest, non perveniet ad consensum culpae laethalis, nec amittet patientiam, aut fidem, aut aliam virtutem, quia Dominus auxilio gratiae suae sustentabit eum.

26. Nun. *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem.*

http://www.obrascatolicas.com

27. *Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.*

Probat ab experientia sua, quod supra dixerat, justos in tempore malo non confundendos, et in diebus famis saturandos. *Junior fui*, inquit, vel ut expressius habetur in hebraeo, נעך הייתי *nahar hajithi*, puer fui, et postea senui, et in tam longo tempore *numquam vidi justum derelictum a Deo*, ita ut gravi inopia premeretur; nec vidi semen ejus, id est, filios ejus, quaerentes, et mendicantes panem. Sed contra potius vidi, quod justus *tota die miseretur et commodat*, idest, omni tempore ita abundat, ut vel ex misericordia donet, vel certe mutuo aut commodato det proximis de facultatibus suis. Quare *semen illius*, idest, filii ejus non solum non mendicabunt panem, sed, *in benedictione erunt*, idest. benedicti a Deo copiis abundabunt, vel ab omnibus benedicentur, tamquam filii optimorum parentum. Observa circa verba, illud *etenim*, in hebraeo esse, גם *gam* quod significat *etiam*, ut sensus sit, *puer fui. et etiam senui*. In graeco quidem habetur καὶ γὰρ *etenim*, sed accipi potest, pro, *etiam*. Observa praeterea non repugnare hanc sententiam veritati, etiamsi videamus in Ecclesia multos fideles mendicantes panem. Nam mendicantes religiosi sponte mendicant amore paupertatis, non necessitate inopiae, neque derelicti dici possunt, cum Deus eos mirabili providentia sua alat, et sustentet. Caeteri mendicantes, ut plurimum non sunt filii eorum, qui consueverint misereri aliorum, et donare, ad hos enim proprie haec promissio pertinet. Saepe etiam neque justi sunt ipsi, neque filii justorum: denique, ut supra diximus, si qui vere justi, et sperantes in Domino derelicti videntur, et quaerentes micas panis, ut Lazarus de evangelio, Luc. 16. ii melius aliquid a Domino acceperunt, quam sit copia rerum temporalium: neque mutarent meritum patientiae cum omni temporali foelicitate.

28. Samech. *Declina a malo et fac bonum, et inhabita in saeculum saeculi.*
29. *Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos, in aeternum conservabuntur.*

Ex iis quae dixit paulo ante, se fuisse expertum a pueritia usque ad senectutem, concludit per modum adhortantis, ac dicit, *Declina a malo, et fac bonum*, quae sunt duo prima praecepta justitiae; *et inhabita in saeculum saeculi*, idest, vide ut justus sis, *et securus inhabitabis terram usque in sempiternum*. Et reddit rationem, cur justi terram perpetuo habitaturi sunt. *Quoniam*, inquit, *Dominus amat judicium*, idest. justissimus est, et juste judicat, et ideo *non derelinquet sanctos suos*, idest, justos servos suos; ideo affirmo, quod *in aeternum conservabuntur*. Haec promissio pertinet quidem aliquo modo ad hanc vitam, in qua per varias successiones justi longo tempore terram inhabitare solent: sed absolute et proprie pertinet ad vitam futuram, quae in terra viventium sempiterna erit.

30. Ain. *Injusti punientur, et semen impiorum peribit.*
31. *Justi autem haereditabunt terram, et inhabitabunt in saeculum saeculi super eam.*

Hoc loco desunt in hebraeo duae primae dictiones, videlicet, *Injusti punientur*, quae apertissime leguntur in textu graeco: et hinc factum est ut non appareat littera ע Ain, initio horum duorum versiculorum: ut numerus, et ordo literarum alphabeti postulabat. Sed vox injusti, quae est apud graecos, et latinos, apud hebraeos esset, עוילים *havilim*, quae incipit per Ain. Itaque si addatur ad hebraeum textum, *Injusti punientur*, vocibus hebraicis, constabit ratio alphabeti. Sententia autem horum versiculorum clarissima est, ut explicatione non egeat.

32. Phe. *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.*
33. *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.*

Dixit paulo ante divinam providentiam vigilaturam, ne justi ab impiis opprimantur: nunc addit justos quoque per sapientiam suam, quae est etiam Dei donum, effecturos, ut non supplantentur a malitia iniquorum. *Os justi meditabitur sapientiam*, idest, justus sapienter loquetur, ut non possit capi in sermone: meditari enim sapientiam ore nihil est aliud, nisi exercere sapientiam inter loquendum. ut alibi diximus: et hoc ipsum repetit David cum addit, *Et lingua ejus loquetur judicium*, idest, lingua justi non temere profundet verba, sed loquetur quod justum est, et quod pro tempore dici debet, quod est sapienter loqui. Addit rationem dicens, *lex Dei ejus in corde ipsius*, idest, sermo justi sale sapientiae conditus erit, quia justus habet in corde legem Dei, et propterea dum loquitur cogitat mandata Dei, ut non delinquat in lingua sua: et propterea *lex est lux*, ut ait Salomon Proverb. 6. et ut idem David ait psal. 18. *Lex Domini illuminat corda. et sapientiam praestat parvulis*; et ideo non est mirum. si justus qui habet legem in corde, eamque cogitat, et diligit, sapienter loquatur. Ex his colligit Propheta: *Et non supplantabuntur gressus ejus*, idest, quia justus semper loquitur sapienter. nemo illum supplantando impellet ad casum. Supplantare dicitur, qui plantam alterius tenendo vel impediendo, cadere illum cogit, praesertim quando id astutia potius, quam violentia fit. Ergo non supplantabuntur pedes ejus, ac per hoc non impelletur justus ad casum dolo alicujus iniqui circumventus.

34. Tzade. *Considerat peccator justum, et quaerit mortificare eum.*
35. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum judicabitur illi.*

Declarant hi duo versiculi versiculos duos superiores. *Considerat*, inquit, *peccator justum*, nimirum observans diligenter quid loquatur, et

quid agat, ut supplantet eum, *et quaerit mortificare eum*, idest, quaerit supplantando illum occidere. Quod quidem praecipue fieri solet in judiciis, cum judex, vel accusator iniquus innocentem aliquem circumvenire, et perdere cupiunt. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus*, idest, Dominus non permittet, ut peccator habeat justum in potestate, et ideo inspirabit illi sapientiam, ut cognoscat fraudes inimicorum, et sapienter loquendo evitet supplantationes eorum. *Nec damnabit eum, cum judicabitur illi*, idest, judex non damnabit justum cum tempus judicii ejus advenerit. quia Deus non permittet obscurari justitiam. Verba illa. cum judicabitur illi, clariora sunt in textu originali, בהשפטו *behisciapheto*, et nihil aliud significat, nisi, *cum ille*, justus videlicet, *judicandus erit*; sive *cum fiet ei judicium*, sive, *cum judicabitur*. Habentur eadem fere verba versu 12. *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus*, etc. sed ibi de violentia agitur, hic de astutia.

36. Koph. *Expecta Dominum, et custodi viam ejus: et exaltabit te ut haereditate capias terram; cum perierint peccatores, videbis.*

Hortatur Propheta justum, ut speret in Deo, et perseveret in justitia. *Expecta Dominum*, idest, spera in Deo, si forte differri tibi videtur promissio ejus; *et custodi viam ejus*, idest, observa legem ejus, et non declines a via jam inchoata sanctitatis, et justitiae, *ut haereditate capias terram*, idest, ut cum implebitur promissio ejus, possideas quasi propria haereditate terram viventium. *Cum perierint peccatores, videbis*, idest, cum peccatores omnes judicio divino condemnati perierint, tunc videbis: quod nunc speras.

37. Resc. *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.*
38. *Et transivi, et ecce non erat; quaesivi eum, et non est inventus locus ejus.*

Quia dixerat, *Cum perierint peccatores, videbis*, poterat justus quaerere, quando hoc erit; Ideo nunc addit, brevi hoc futurum esse. Nam *vidi*, inquit. *impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani*. idest, positum in altissimo gradu dignitatis, et potestatis, et radicatum, ac fundatum opibus, clientelis, et similibus rebus, ut videretur aeterna futura ejus foelicitas: et tamen vix *pertransii, et ecce non erat*, idest, transiens vidi hominem illum elevatum, et radicatum, ut cedros Libani, et vix illum pertransii, et ecce respicio post me, et evanuerat; *quaesivi* ubi fuisset, et an vestigia remanerent tantae magnitudinis, *et non est inventus locus ejus*, quasi numquam ibi fuisset. Haec verissima esse quotidiana experientia docet. Ubi enim nunc sunt potentissimi illi Monarchae, ut de minoribus taceam, Assyriorum, Persarum Graecorum, et Romanorum? Certe nisi aliquid in libris historicorum legeremus, ignoraremus illos unquam fuisse. Ita nulla supersunt vestigia tantae potentiae; et tamen humana superbia mortalibus oculos perstringit, ut videre non possint, quae tangunt manibus; et credere nolint, quae vel inviti sentire, et experiri coguntur. Quod attinet ad verba, in hebraeo habetur, ראיתי רשע ערץ *raithi rasciah harits. Vidi impium robustum, fortissimum*, sicut indigenam virentem. Septuaginta Interpretes respicientes ad similitudinem cedri ut rem magis explicarent, dixerunt, *superexaltatum et elevatum*; ex quo tamen sequit ut robustus, ei fortissimus esset: cedri enim altissimae, et robustae, et fortissimae sunt. Et pro illo, *sicut indigenam virentem*, verterunt Septuaginta, *sicut cedros Libani*. quia non legerunt, ut nosh abemus, כארז *cheezrach*, *sicut indigenam*. sed una litera transposita, et ultima dempta כארז *cheerez*, sicut cedrus: et quia cedri virentes in monte Libano potissimum inveniuntur, ideo pro, *cedros virentes*, posuerunt, *cedros Libani*. Porro ubi nos legimus, *et transivi*, in hebraeo est ויעבור *vajahabor*, et transivit: sed credibile est hebraicam vocem incuria librariorum esse corruptam unius literae mutatione. Nam non solum septuaginta Interpretes verterunt in prima persona, sed etiam s. Hieronymus.

39. Schin. *Custodi innocentiam, et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico.*
40. *Injusti autem disperibunt simul, reliquiae impiorum interibunt.*

Pergit Propheta in adhortatione, et ait: *Custodi innocentiam et vide aequitatem*, idest, conserva innocentiam erga te ipsum, *et vide aequitatem*, idest, judica quod rectum est erga proximos. *Quoniam sunt reliquiae homini pacifico*, idest, quia dabit Deus in praemium homini pacifico, ut relinquat filios post se. Vel altiore sensu: Quia multa bona reliqua sunt homini pacifico post mortem ejus. *Opera enim bona sequuntur illos, qui in Domino moriuntur*, ut dicitur Apoc. 14. *justi autem e contrario, peribunt*, ipsi simul omnes nullo excepto, *et reliquia peribunt cum eis*, quia nec filios in hoc saeculo relinquent, nec boni aliquid eis reliquum erit; cum omnia in concuspiscentiis suis, sceleribusque consumpserint.

41. Thau. *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis.*
42. *Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

Haec est quasi recapitulatio psalmi totius, et satis aperta, et perspicua.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, in rememorationem de Sabbato.

Titulus hujus psalmi in hebraeo codice, non fecit mentionem *Sabbati*, sed solius rememorationis; tamen placuit interpretibus Septuaginta viris gravissimis, explicandi gratia, addere vocem, *sabbati*. Videtur autem satis apta esse explicatio s. Augustini, quam etiam sequitur s. Gregorius, ut hic psalmus, qui unus est ex iis, qui proprie ad poenitentiam pertinent, compositus sit a poenitente Davide, in rememorationem *sabbati*, idest, quietis amissae in statu innocentiae, vel promissae in resurrectione justorum. Posset etiam intelligi de Sabbato, quod agit bona conscientia, dum gratia Dei fruitur; et quod amittit, qui peccat; et cujus cum gemitu recordatur, qui veram poenitentiam agere incipit. Argumentum psalmi est oratio poenitentis, similis illi, quae habetur in psalmo sexto, qui idem omnino principium habet, et valde probabile est, compositam fuisse hanc orationem eo tempore, quo David fugit de Jerusalem ob persecutionem Absalonis.

EXPLICATIO PSALMI XXXVII.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Precatur David poenitens, ut Deus eum non puniat in ira, et furore suo, ut Judex cum reis facit, sed in misericordia, ut medicus cum aegrotis se gerit. Vide quae diximus ad initium psalmi sexti; ubi ostendimus nihil interesse hoc loco inter furorem, et iram; et inter arguere, et corripere. Si tamen placet discrimen admittere, poteris cum s. Augustino, et sancto Gregorio dicere, illos argui in furore, qui damnantur ad gehennam: illos in ira corripi, qui post mortem in igne purgatorii cruciantur: Prophetam autem precari Deum, ut hic illum puniat pro peccatis admissis, non in purgatorio, vel gehenna. Monet autem s. Augustinus non esse contemnendum ignem purgatorii, quoniam gravior est ille ignis, quam quicquid pati potest homo in hac vita. Illud quoque addendum est, quamvis hoc loco, et in psal. 2. vers. 5. et psal. 6. vers. 1. accipiatur ira Dei pro damnatione ex justitia: tamen alibi accipi aliquando pro zelo patris, qui irascitur filiis, non ut perdat, sed ut custodiat.

2. *Quoniam sagittae tuae infixa sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

Quia noverat Propheta, nihil esse utilius ad veniam peccatorum impetrandam, quam plene cognoscere miseriam peccati, et eam coram Domino deplorare; deflet in hoc versiculo, et aliquot sequentibus infoelicitatem, quam secum adfert lethale peccatum. Ait igitur: *Non arguas me in ira tua*, quoniam ea gravissima est, ut jam experientia didici. Siquidem *sagittae tuae infixae sunt mihi*, idest, multae tribulationes, te puniente peccatum meum, acciderunt mihi, *et confirmasti super me manum tuam*, idest, ideo sagittae tuae infixae sunt mihi, et non leviter tantum tetigerunt, quia tu manum tuam aggravasti super me, ut sagittae profundius penetrarent. Videtur autem per has tribulationes, et supplicia intelligere mortem filii ex Bethsabea suscepti, stuprum filiae a proprio ejus fratre allatum, caedem Ammonis filii, incestum, et adulterium uxorum suarum a proprio filio patratum, expulsionem suam a regno, et alia id genus, quae propter peccatum suum, Domino ulciscente, perpessus est. Fortasse etiam sagittas vocat verba illa increpatoria, et comminatoria, quae a Nathan Dei nuncio audivit. 2. reg. 12. *Haec dicit Dominus Deus Israel. Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui in in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda; Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Ethaeum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*, etc. Certe ista exprobatio beneficiorum, et comminatio poenarum pupugit sine dubio gravissime animum Davidis, et verecundia, timore, et dolore vehementissimo illum affecit.

3. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

Describit effectum sagittarum Domini, ac dicit, se vehementer conturbari nec requiescere posse dum iram Dei, et peccata sua recogitat, quae iram illam meruerunt. *Non est sanitas*, inquit, *in carne mea a facie irae tuae*, idest, aspectus irae tuae, quae mihi semper ante oculos mentis versatur, carnem meam moerere, et tabescere facit. Dolor enim animi carnem quoque affligit, et extenuat; pallere, et languere cogit. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, idest, aspectus deformitatis, et gravitatis culpae meae ita me conturbat, ut nulla sit requies, et etiam ossa contremiscant.

4. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.*

Reddit rationem, cur tantopere conturbetur, dum respicit peccata sua, et dicit rationem esse quia peccata sunt multa et magna: de multitudine dicit. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum*, idest, in tantum cumulum creverunt, ut me quasi obruant; quomodo obruitur aquis, qui ita profundum flovium ingreditur, ut aquae supergrediantur caput ejus: de magnitudine dicit, *Et sicut onus grave gravatae sunt super me*, idest, peccata mea quasi pondus importabile gravant humeros animae meae, quia super vires meas est, pro tam gravi debito satisfacere. Id clarius est in textu hebraico, ubi illud, ממני *mimmenni, super me*, significat proprie, *super vires meas*, sive, gravius quam ferre possim. Peccatum Davidis fuit adulterium cum homicidio conjunctum, sed verus poenitens multas valde deformitates in eo considerat. Nam offendit David servum fidelem, cui uxorem et vitam eripuit: offendit Bethsabeam, quam ad peccandum induxit, et spiritualiter interfecit: offendit uxores proprias, quibus fidem non servavit: offendit populum universum, imo etiam infideles ipsos malo exemplo, unde Nathan dixit. 3. reg. 12. *Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini*; offendit denique Deum, cujus leges aperte praevaricatus est. Itaque si numerentur tot offensiones, et tot delicta, quot personas illo suo peccato David offendit, non sine causa dicere poterit idem David, *iniquitates meae supergressae sunt caput meum*. Deinde gravitas peccati ex circumstantiis cognosci potest; nam occidit David Uriam, primo innocentem, secundo fidelissimum, tertium qui tum Davidi militabat; quarto quia uxorem ejus polluerat per adulterium, quasi vellet, quia injuria illum affecerat, majori adhuc injuria afficere, quinto quia ipsum eumdem ministrum suae mortis esse voluit: sexto quia cum scripsit ad Job, ut Uriam occideret, credi voluit, illum magni alicujus criminis reum esse, et eo modo famam ejus maculavit. Sed ingratitudo erga Deum praecipua causa est gravitatis peccati Davidis: Deus enim in unum Davidem omnia fere dona temporalia, et spiritualia abundantissime contulit. Illum enim regem magnum, Prophetam eximium, imperatorem fortissimum fecit, donavit prudentia, robore, pulchritudine, divitiis, omnibus bonis, quae ab hominibus expeti possunt; quae certe omnia gravissimum reddebant peccatum ejus, quod cum ipse appenderet in statera diligentissimae considerationis, merito dicebat, *iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super me*. Atque haec est causa, cur sensum doloris, quem par esset, ex peccatis suis pauci percipiant; quia peccati magnitudinem pauci in statera seriae considerationis appendunt.

5. *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.*

Haec pertinent ad tempus illud, quod intercessit inter peccatum adulterii, et admonitionem Nathan prophetae, quod fuit plusquam novem mensium. Si quidem Nathan Davidem corripuit, postquam natus fuerat puer ex adulterio illo conceptus, ut dicitur 2. reg. 12. Toto igitur illo tempore distulit David curare vulnera peccati sui per poenitentiam. Interim autem obducta quaedam quasi cicatrix oblivionis, quae non sinebat vulnus agnosci, sed revera cicatrices illae putrescebant, et vulnera graviora, magisque incurabilia fiebant, atque hoc est, quod nunc deplorat, dicens, *cicatrices meae*, non ex arte medici curantis, sed ex negligentia, et oblivione superinductae. *putruerunt et corruptae sunt a facie insipientiae meae*, idest, insipientia mea, quae causa fuit ut vulnera mea non adverterem, eadem fuit etiam causa, ut ipsa vulnera putrefacta foetorem scandali latius, longiusque diffunderent. Per cicatrices hoc loco non intelliguntur signa, quae remanent post curationem plagae, sed intelligitur plaga non curata, quae solet claudi ad modum cicatricis, et quia non est expressus sanguis corruptus ex ea, *neque ipsa fota oleo, aut circumligata*, ut dicitur Isaiae 1. ideo putrescit, et corrumpitur. Id colligitur ex textu originali, ubi habetur vox, חבורות *Chaburoth*, quae non significat cicatrices proprie dictas, sed livorem, et plagam tumentem; quare vel in latina editione accipiuntur cicatrices pro plagis, vel ut diximus, pro cicatricibus, quae per se fiunt, dum vulnus non curatur, sed per se clauditur, et plaga negligitur, et corrumpitur.

6. *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.*

Ex corruptione illa factum est, ut David miser et curvus fieret: quod potest intelligi duobus modis, primo de culpa, secundo de poena. Nam qui graviter peccat praesertim peccato luxuriae, hoc ipso fit miser et curvus, quia relicto Deo, in quo est nostra beatitudo, curvatur ad terram et fit jumentis similis, ac per hoc miser, et miser valde: et hoc significat illud, *usque in finem*, nimirum miser, et curvatus sum adeo, ut miserior et magis curvatus fieri non potuerim, cum a delectatione Angelorum curvatus sim ad voluptates pecorum.

http://www.obrascatolicas.com

Id colligitur ex textu hebr., ubi habetur, שחותי עדמאת *sciachothi had meod, miser, et curvatus sum usque valde.* Proinde illud, *in finem*, non significat, usque ad finem vitae vel usque ad finem temporis, vel usque in aeternum, sed usque ad finem curvationis, ut magis curvari nequeat. Nam versu octavo, ubi legimus, *humiliatus sum nimis*, eadem est vox hebraica, quam interpres nunc vertit, *usque in finem*; nunc *nimis*, aut *valde*. Potest etiam intelligi de poena: nam qui peccat peccato luxuriae miser efficitur, et curvatus valde propter conscientiae remorsum, timorem irae divinae, et verecundiam humiliantem, et confundentem, ut non audeat talis homo ad coelum oculos levare. Sed potest etiam utraque intelligentia simul conjungi, ut sensus sit. Miser factus sum miseria culpae et poenae, et curvatus valde. tum quia faciem animae, quam defixam in Deo habere debui, converti ad carnales, et infimas voluptates: tum quia sine pudore coelum aspicere non possum, et humilis, atque abjectus terram aspicere cogor; et propter haec omnia, tota die contristatus ingrediebar, idest, semper conscientia mordente et accusante, tristis, ac moerens incedebam: quae enim laetitia esse potest homini misero, si miseriam suam agnoscat?

7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.*
8. *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.*

Transit Propheta a peccato suo particulari ad corruptionem generalem, quam in carne sua experiebatur ex peccato primi parentis, unde peccatum illud suum particulare tamquam ex fonte manaverat: et ex ea corruptione dicit se affligi, et humiliari, et continuo gemere et rugire. *Quoniam*, inquit, *lumbi mei*, hoc est, pars illa bestialis et concupiscens disrupto fraeno justitiae originalis parit perpetuo desideria ignominiosa, et turpia, et ideo repletur illusionibus spirituum malignorum, et non est sanitas in carne mea, quia non habitat in ea bonum, sed malum passionum variarum, quae illam infirmam reddunt; ideo *afflictus sum, et humiliatus sum nimis*, quia pudet me hominem ratione praeditum, ejusmodi bestialibus moribus non posse carere, et ideo *rugiebam* prae dolore *a gemitu* interiore *cordis mei*, provocatus ad rugitum et clamorem exteriorem. Scio Rabbinos; et qui eos sequuntur, fabulari nescio quid de morbo corporali; et foetente, quo David laboraverit in partibus corporis pudendis, sed sancti patres nostri Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et Gregorius in commentariis hujus loci referunt hos versiculos ad carnalem concupiscentiam, ut similis sit haec Davidis quaerimonia illi quae legitur apud Apostolum Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit, etc.* S. Ambrosius, et s. Augustinus legunt, *anima mea impleta est illusionibus*, ubi nos legimus, *lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Sed accidit hoc, quia apud graecos, lumbi dicuntur ψυχὶ, et animae dicuntur ψυχαὶ unica litera addita Proinde facile fuit corrumpi graecum textum, ob literarum similitudinem, quae nulla est in textu hebraico. Itaque lectio ea est, quae cum textu hebraico et latino concordat. Quod autem vox hebraica pro qua habemus, *illusionibus*, significare videatur proprie *ignominiam*, ut s. Hieronymus vertit, non variat sensum, nam qui repletus est ignominia, ille derisioni expositus est. Quod vero s. Hieronymus vertit, evigilavi, pro eo quod nos habemus, afflictus sum, non video quid sequutus sit. Vox enim quam nunc habemus, in textu hebraico debilitari proprie significat; debilitari autem, et affligi pro eodem accipi possunt.

9. *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.*

Quia dixerat, gemitum cordis sui excitare rugitum, declarat ad quem gemat corde, ac dicit gemere se ad illum, qui scrutatur corda et scit, quid desideret spiritus. *Domine*, inquit, *ante te omne desiderium meum*, idest, tu Domine solus vides omne desiderium meum, quod non est aliud, nisi ut aliquando liberet a concupiscentia mala et perveniam ad sabbatum perfectae quietis; et de hac re *gemitus meus* interior *tibi non est absconditus*. Simile quid Apostolus dicit, cum ait, Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.*

10. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

Pergit describere corruptionem naturae humanae; ac dicit, *cor meum conturbatum est*, quod significat bellum intestinum ex rebellione partis inferioris a superiore; et addit, *dereliquit me virtus mea*; quia nata est ex illa rebellione tanta infirmitas, ut homo velit, nolit, patiatur desideria mala, et dicat cum Apostolo Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*. Addit postremo, *et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum*, quia non solum infirmitas in voluntate sed etiam ignorantia in mente ex eadem rebellione orta est. Saepe enim de rebus judicamus, non ut sunt, sed ut nobis male affectis videntur, quomodo febricitantes, quod dulce est, amarum judicant: et quod amarum, dulce. Itaque non ait, *lumen oculorum meorum extinctum est*: sed *non est mecum*: nam lumen intelligentiae, et rationis est quidem semper in anima rationali; sed quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, saepe impediti carnalibus passionibus, illo non possumus uti; et ideo dicit, *et lumen oculorum meorum, et ipsum*, inquam, *lumen oculorum meorum*, interiorum videlicet, *non est mecum*, dum operor, licet in me sit. Proinde est in me quoad essentiam, non est mecum quoad usum.

11. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.*

Posteaquam descripsit bellum intestinum, quod intra hominem continuo geritur; describit etiam bella externa, persequutiones et detractiones, quae omnia peccatorum poenae sunt. Ac primum quaeritur, quod amici et proximi facti sint illi inimici, quod accidit praecipue in rebellione Absalonis filii, cum quo multi amicorum, et proximorum Davidis adversus eum conspirarunt. Sed moderni expositores ex textu hebraico longe aliter exponunt, quam veritas vulgatae editionis habeat: textus hebraicus nunc habet, אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו *ohabai, verehai minneged nighi jahamodu. Amici mei et proximi mei e regione leprae meae steterunt.* Quo modo etiam fere vertit s. Hieronymus; ex quo multi colligunt, hoc loco tantum significari amicos et proximos Davidis, non quidem factos esse illi inimicos; sed non fuisse ausos accedere ad eum juvandum, vel consolandum; et ideo e regione procul stetisse. At cum versio septuaginta Interpretum habeat ἤγγισαν, et latinus Interpres antiquus reddiderit, *appropinquaverunt*, certe nimis durum videtur dicere, non appropinquaverunt, sed longe steterunt, neque obstat vox hebraica: nam illud, נגעי *nighi*, quod vere significat, *leprae meae, vel plagae meae*, septuaginta Interpretes, qui habuerunt codices correctiores, legerunt נגעו *naghehu appropinquaverunt*. Sunt enim literae eaedem, excepta ultima, quae facillime mutatur in alteram, cum non differant, nisi quod una est paulo major, quam altera: Jod enim si paulum extendatur, efficitur Vau, et ideo vitio librariorum facillime contigit ut una ponatur pro alia. At, inquiunt, in versiculo sequenti dicitur, *de longe steterunt*. Verum est: sed non est sermo de iisdem personis, ut jam dicemus.

12. *Et qui juxta me erant, de longe steterunt; et vim faciebant qui quaerebant animam meam.*

Dixit amicos et proximos, ut Absalonem et socios ejus, factos esse inimicos et adversum se appropinquasse et stetisse, ut nocerent: nunc dicit alios, *qui juxta eum esse solebant*, ut milites, aut servos, *longe recessisse*, nec adesse voluisse tempore persecutionis; *et interim inimicos in magna conatos esse vitam illi adimere*. Neque solum habuit David, *qui quaererent animam ejus*, idest, qui quaererent eum occidere, ut milites Absalonis, sed habuit etiam, qui detraherent honori, et famae ejus, ut Semei, 2. reg. 16. 13. *qui maledixit ea, maledictione pessima*, et alios qui consilia dolosa contra eum dabant, ut Achitophelem et alios; ideo subjungit.

13. *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.*
14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.*
15. *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

Haec perspicua sunt et verissima, quod praecipue intelligi potest ex lib. 2. reg. cap. 16. ubi cum Semei malediceret Davidi, eumque virum Belial appellaret et regni invasorem David incredibili patientia cum sustinuit, neque permisit ut nullus ei noceret eumve reprehenderet; sic *factus est quasi surdus et non audiens; et tamquam mutus, et non habens in ore suo redargutiones.*

16. *Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.*

Reddit tres rationes, cur ita obsurduerit, et obmutuerit: prima est, quia utilius sibi existimavit sperare in Domino, quam in sua propria defensione. Ait igitur, obsurdui, et obmutui, *quoniam in te Domine speravi*: non attendi quanta illi falsa, et vana in me jactarent: quoniam sciebam a te omnia audiri et cognosci, in quo semper speravi, qui es judex justus, et reddens unicuique secundum opera sua; et *quia in te speravi, tu exaudies me Domine Deus meus*, et liberabis a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

17. *Quia dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.*

Haec est altera ratio, cur elegerit obsurdescere, et obmutescere. *Quia dixi*, inquit, apud me, *ne quando supergaudeant me inimici mei*, id est, bonum est mihi patientiam habere et sperare in adjutorio Domini, ne forte si impatiens fuero, et reddam maledictum pro maledicto, Deus derelinqual me, et gaudeant inimici mei super me, idest, super ruina mea laetentur. Et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt, idest, non sine causa metuo, ne de exitio meo laetentur inimici: nam *dum commoventur pedes mei*, idest, dum incipiunt nutare pedes mei et ego inclino ad casum (quod factum est, quando fuit in periculo regni amittendi) *inimici mei magna loquuti sunt super me*, comminantes mihi, et praedicentes extremum exitium. Est autem hoc loco observandum particulam, *et*, saepe in scripturis poni pro, *quia*, ut Isaiae 63. *Tu enim pater noster es, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos;* idest, tu solus Domine Pater noster es: nam Abraham et Jacob qui videbantur patres nostri esse, non agnoscunt nos pro filiis. Sic etiam cap. 64. *Tu iratus es, et peccavimus tibi*, id est, quia peccavimus tibi. Ita igitur hoc loco cum dicitur: *et dum commoventur pedes mei*, illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut sensus sit, ne quando glorientur super me inimici mei, et dum commoventur pedes mei, idest, quia dum commoventur pedes mei, etc. Illud etiam, dum commoventur, positum est pro, *dum commoverentur*. Siquidem in hebraico, במוט רגלי *bemoth ragli*, et graeco textu habetur per infinitum, *in commoveri pedes meos*, quod potest verti, *dum commoventur*, et *dum commovebantur*, et *dum commoverentur*; proinde debet exponi juxta exigentiam verbi sequentis, ut oratio cohaereat.

http://www.obrascatolicas.com

18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

Addit tertiam rationem, cur voluerit obsurdescere et obmutescere coram adversariis. *Quoniam*, inquit, *ego* propter peccata mea *paratus sum flagellari* non solum flagellis verborum et detractionum, sed etiam flagellis verberum, et plagarum. Nam *dolor*, quem merui, semper ante oculos mentis meae versatur, vel, *quia dolor meus*, idest peccatum meum, quod mihi doloris continui causa est, numquam ab oculis cordis mei recedit. In hebraeo est vox, צלע *tzelah*, quam aliqui verterunt *claudicationem*. Alii putant legi debere, צרע *tserah*, id est, *lepram*: nos habemus flagella ex graeco; sed nulla est difficultas: nam vox illa צלע *tselah*, communiter significat *latus*, sive *costam*; sed traducitur ad significandam claudicationem, quia claudi dum ambulant, declinant ad unum latus, et non recti incedunt. Traducitur etiam ad significandam plagam, vel attritionem, ac per hoc etiam flagellum, quia flagellis accipiuntur plagae. Itaque s. Hieronymus vertit: *ego ad plagas paratus sum*; et septuaginta interpretes: *Ego autem in flagella paratus sum.*

19. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Reddit rationem, cur in flagella paratum se dixerit. *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam annunciabo*, idest, quoniam agnosco, et confiteor me peccasse et flagella commeruisse, *et cogitabo pro peccato meo*, expiando videlicet: significantius ex hebraeo vertit s. Hieronymus: *et sollicitus ero peccato meo*, idest, diligenter et anxie cogitabo, quo modo possim Domino satisfacere, ac plenam indulgentiam obtinere. Quod quidem salutare documentum est poenitentibus, ut solliciti sint pro expiatione peccati, et libenter accipiant occasiones a Deo oblatas patientiam exercendi.

20. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.*

Posteaquam Propheta exposuit rationes, cur obsurduerit et obmutuerit coram adversariis suis ut per patientiam Deum placaret; opponit patientiae suae contrariam adversariorum malitiam. Cum enim ipse non redderet malum pro malo, illi e contrario retribuebant mala pro bonis: et tamen vivebant, et exultabant, et roborabantur. Quae ad eum finem commemorantur a Davide, ut facilius Deum, ad misericordiam inclinent. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me*, idest, ego quidem humiliatus sum, et afflictus, et tamen patientiam servo, ac si surdus et mutus essem: interim autem *inimici mei vivunt*, idest alacres sunt, et exultant *et confirmati sunt super me*, idest, robustiores et fortiores evaserunt *et multiplicati sunt*, idest, et creverunt etiam quoad numerum, qui oderunt me inique, idest, illi vivunt et roborati sunt *qui oderunt me* sine ulla justa causa. In hebraeo est, שנאי שקר *soneai sciaker*, *qui oderunt me mendaciter*, idest, ob causam falsam, et ementitam. Videntur enim haec referri ad conjurationem Absalonis, qui mendacio suo persuaserat populis, regem non constituisse aliquos, qui juste judicarent, se autem justissime judicaturum, si rex constitueretur. Hinc enim factum est, ut populus rebellaret, et toto corde sequeretur Absalonem, ut dicitur lib. 2. reg. cap. 15.

21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Probat quod dixit, sine justa causa se odio habitum fuisse ab inimicis, dicens, *qui retribuebant mala pro bonis detrahebant mihi*, quasi dicat, vere oderunt me inique inimici mei: nam illi detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, quales fuerunt Absalon filius, et Achitophel consiliarius. Absalon enim plurima bona a Davide receperat, et paulo ante obtinuerat indulgentiam fratricidii, et tamen detrahebat Davidi patri suo tamquam negligenti, et injusto, dicens iis, qui veniebant ad judicium regis, *videntur mihi sermones tui justi, et boni, sed non est qui te audiat constitutus a rege*, 2. reg. 15. Sic etiam Achitophel acceperat a Davide magnum honorem, ut esset principalis regni consiliarius, et tamen oblitus beneficii defecit a Davide ad Absalonem, et consilia iniquissima contra eumdem Davidem Absaloni dedit, 2. reg. 16. et 17. Nec solum detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, sed etiam (quod gravius est) *detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*, idest, quia sincero corde et bona voluntate cum omnibus agebam, et eo modo contrarius eram in quis eorum desideriis, et operibus.

22. *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.*
23. *Intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meae.*

Concludit ex iis, quae dixit, Deumque precatur ut protectione sua illi adsit: et quasi idem repetit, quod in principio psalmi dixit; tunc enim Deus in ira, vel furore suo gravissime punit aliquem, cum illum gratia sua destituit, et tamquam ab inimico recedit, et inter hostes nudum adjutorio suo constituit. Sicut igitur dixerat initio psalmi, *Domine, ne in furore tuo arguas me*, ita nunc in fine concludit, *ne derelinquas me Domine Deus meus*, id est, ne deserat me gratia tua, quandoquidem tu es Dominus meus, qui me condidisti, et Deus meus, ad te summum bonum me venire fecisti, *ne discesseris a me*, tamquam ab inimico; sed potius ut pater, *intende in adjutorium meum*, id est, diligenter incumbe in auxilium meum tu *Domine Deus salutis meae*, idest, tu qui auctor es salutis meae, a quo solo salutem expecto, et in quo solo confido. Et hic quidem mihi visus est hujus psalmi sensus litteralis; tamen quoniam sancti patres Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, et Gregorius vel totum psalmum, vel certe a medio usque ad finem de Christo exponunt, sciendum est, posse totum psalmum de Davide explicari: primum, ut Davidis personae propriae convenit: deinde ut David personam Christi gerebat. Spiritus enim sanctus plura simul intendere potest in verbis iisdem, nimirum narrare tribulationes Davidis, et simul praedicare Christi passiones, qui Davidis filius secundum carnem futurus erat. Cum igitur de persona Davidis psalmum exposuerimus, indicemus etiam breviter, quemadmodum ad Christum idem psalmus applicari possit.

ALIA EXPLICATIO EJUSDEM PSALMI.

1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Christus pro corpore suo loquitur, quod est Ecclesia, eique postulat liberationem.

2. *Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

Dicit juste se petere Ecclesiae liberationem; quoniam sagittas irae Dei, quae ad illam pertinebant, in se suscepit.

3. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

Describit passionem suam generatim, ob quam a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Quod autem dicit, *a facie peccatorum meorum*, intelligitur de peccatis, non quae ipse fecit, sed quae in se punienda suscepit.

4. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.*

Dicit ideo in carne sua non fuisse sanitatem a planta pedis usque ad verticem capitis, quoniam peccata, quae suscepit expianda, tam multa sunt et tam gravia, ut supergressa sint caput ejus multitudine sua, et instar plumbi fuerint ob gravitatem suam.

5. *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.*
6. *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.*
7. *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.*

Haec dicit pro corpore suo, deplorans corruptionem generis humani; quomodo quando quis dicit, doleo pedes, vel manus, vel stomachum, caput est quod loquitur, sed non loquitur de dolore, quod in se patiatur, sed quod in membris, et in corpore suo habeat.

8. *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.*

Hic incipit ordine recensere passionem suam. Pertinent enim haec verba ad orationem in horto habitam.

9. *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.*
10. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

Ad eamdem orationem pertinent, in qua desideravit calicem transire et coepit turbari, pavere, taedere et moestus esse. Et ut experiretur amaritudinem imminentis passionis, noluit virtutem, et lumen divinae consolationis in partem inferiorem influere, ita ut etiam Angelus de coelo apparuerit confortans eum.

11. *Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.*

Hoc impletum est in Juda amico, et judaeis proximis, quando comprehenderunt eum.

12. *Et qui juxta me erant, de longe steterunt.*

Hoc impletum est in Apostolis, qui fugerunt, et in Petro, qui sequebatur a longe.

13. *Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.*

Impletum est in concilio sacerdotum, sollicite quaerentium falsa testimonia, ut eum perderent.

14. *Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.*

Ad idem concilium pertinent.

15. *Ego autem tamquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum.*
16. *Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones.*

Ad litteram impleta sunt in Christo, qui coram Caipha primum, deinde coram Pilato, et Herode

http://www.obrascatolicas.com

nullam attulit defensionem, sed sicut agnus coram tondente se obmutuit, ut etiam praedixit Isaias cap. 53.

17. *Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.*

Ad idem silentium pertinet: ideo enim siluit coram hominibus, quoniam non tacebat coram Deo, a quo expectabat remunerationem, salutem populi sui.

18. *Quia dixi, nequando super gaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.*

Servavit Christus invictam patientiam, ne de impatientia gauderent inimici, qui, dum commovebantur pedes ejus, idest, dum infirmitas ejus ad tempus ostendebatur, magna loquebantur super eum, dicentes, Joan. 19. Luc. 23. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*; et, *hunc invenimus subvertentem gentem nostram.*

19. *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

Ad litteram impletum scimus in flagellatione et colaphizatione et spinarum coronatione.

20. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, et cogitabo pro peccato meo.*

Dicit se annuntiaturum peccatum suum, quod, ut dictum est, non fecit: sed expiandum suscepit: et cogitaturum, idest, sollicitum futurum pro eo penitus delendo, quod fecit cum *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, ut s. Petrus scribit in epistola 1. cap. 2.

21. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt qui oderunt me inique.*

Hoc impletum est, cum principes, et sacerdotes existimantes se jam victoriam obtinuisse exultabant, et crucifixo insultabant.

22. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Quando videlicet pendenti in cruce dicebant, *Vah, qui destruis templum Dei*; et, *descendat nunc de cruce*, etc, Matth. 27.

23. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me.*

Hoc disertis verbis in cruce Dominus loquutus est, cum ait, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Quasi dicat, si dereliquisti ad tempus, quoad consolationem, non derelinquas quod resurrectionem.

24. *Intende in adjutorium meum Domine, Deus salutis meae.*

Non derelinquas in inferno animam meam neque des sanctum tuum videre corruptionem: sed *intende in adjutorium meum, ostendens mihi vias vitae et adimplens me laetitia cum vultu tuo.* Psal. 15.

PSALMUS XXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem ipsi Idithum, Canticum David.

Titulus demonstrat psalmum compositum esse a Davide, sed datum ipsi Idithum ad canendum. Erat enim Idithum unus ex tribus principibus cantorum, ut habemus lib. 1. Paralip. cap. 16. et lib. 2. cap. 5. Quid autem sit, *in finem*, vel, *pro victoria*, ut ex hebraeo, למנצח *lamnatseach*, sanctus Hieronymus vertit, ut diximus in explicatione psalmi quarti. Sed hoc loco convenit materiae de qua agitur, tum *in finem*, tum *pro victoria*. Quamvis enim Rabbini, et recentiores aliqui doceant, Davidem aegrotum corporali morbo optasse finem vitae et miseriarum, et haec a Domino petere in praesenti psalmo: nos tamen sequuti veteres patres, existimamus longe altiorem doctrinam in hoc divino Spiritus sancti cantico per Prophetam edito contineri. Nimirum censemus, hic describi brevitatem, et vanitatem praesentis vitae, ut intelligamus spem nostram non in hac vita, sed in Deo, in quo vita aeterna est, esse ponendam; et ideo dandam esse operam patientiae, et paci cum omnibus hominibus et praecipue linguam esse custodiendam ab omni rixa, et jurgio, et contentione, ut non impediamur a cursu ad bravium supernae vocationis. Certe enim qui ad bravium maximi pretii currit, si in medio cursu videret sibi litem pro pallio moveri, pallium potius dimitteret, quam se a cursu impediri

pateretur. Neque litigant, aut contendunt homines in terris, nisi pro temporalibus rebus. Itaque psalmus praesens doctrinam evangelicam et Apostolicam continet. Nam et Dominus docuit, *ut percutienti maxillam praebeamus etiam alteram, et volenti pallium nobis eripere, demus illi et tunicam*, Matth. 5. et Apostolus dicit, *delictum est in vobis, quod lites habetis inter vos; cur non magis fraudem patimini?* 1. Corinth. 6. Hic igitur psalmus, propter doctrinam tam sublimem, cani debet *in finem*, idest, semper, usque ad mundi finem; et non solum tempore illo Davidis, et Idithum. idem etiam psalmus recte inscribitur, pro victoria, quia nulla esse potest victoria nobilior, quam per patientiam vincere in bono malum et sibi ipsi hominem imperare.

EXPLICATIO PSALMI XXXVIII.

1. *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

Sollicitus erat David de vero bono non amittendo; ideo deliberavit, ac firmiter apud se constituit, magna circumspectione uti in omnibus actionibus suis et si fieri posset, ne in verbo quidem offenderet, quasi audivisset ab Apostolo, *Videte quomodo caute ambuletis*, Eph. 5. et a b. Jacobo, *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir*, Jacobi 3. Ait igitur, *Dixi*, nimirum apud me statui, decrevi, legem mihi ipse posui, *ut custodiam vias meas*, ut cautissime ambulem in via vitae hujus, et diligenter attendam ubi gressum pono, ne forte in foveam cadam, vel offendam ad lapidem, vel lutosam viam pro munda eligam, vel certe deviem ab itinere recto, idest, deliberavi, et statui considerare omnes actiones meas. Et quoniam nihil est facilius neque periculosius, quam verbo offendere, cum ex verbis inconsiderate prolatis oriantur rixae, contentiones, jurgia, et alia mala tam multa, ut sanctus Jacobus dixerit, *linguam esse universitatem iniquitatis*, Jacob. 3. ideo singulariter addit Propheta, *Ut non delinquam in lingua mea*, idest, ad hoc potissimum custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: sic enim infinita mala effugiam.

2. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.*

Numquam est periculum majus delinquendi per linguam quam cum ab aliquo detractore, vel contumeliam faciente provocamur; ideo dicit Propheta, *posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me*, idest, cum aliquis iniquus forte irritaret me convicio, aut detractione, aut alio injurioso verbo, tum maxime custodivi os meum, ne prorumperet in aliquod verbum, cujus postea poenitentiam agere deberem.

3. *Obmutui, et humiliatus sum et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.*

Declarat, quam custodiam ori suo adhibuerit, dicens, *obmutui*, idest, silui omnino, ac si mutus essem, *et homiliatus sum*, idest, humiliter patientiam habui; *et silui a bonis*, idest, abstinui etiam a justa defensione, et a debita reprehensione, *et dolor meus renovatus est*, propter hoc ipsum, quod silui a bonis. Nam dolueram primo propter acceptam injuriam, sed mitigaverat dolorem praemium patientiae: iterum ergo dolor renovatus est, quia *silui a bonis*, et proximum meum debita correptione fraudavi. Ita sanctus Augustinus: sed posset etiam ita exponi, *Dolor meus renovatus est*, quia dolueram ex passione mea, sed *dolor renovatus est* ex compassione fratris, quem vidi tam graviter aegrotare, ut medicina correptionis nihil ei profutura videretur, propter quod etiam *silui a bonis*.

4. *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.*

Exponit, quid ille dolor renovatus effecerit, ac dicit, *concaluit cor meum intra me*, idest, ex dolore illo compassionis calefactum est cor meum dilectione, et inde meditari coepi de miseria humana de misericordia Dei, de ingratitudine hominum, de abundantia charitatis Dei erga ingratos et malos, et alia id genus multa. *Et in meditatione mea exardescet ignis*, ille, inquam, ignis, de quo dicebant duo illi discipuli apud Lucam cap. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Diligens enim, et attenta meditatio rerum coelestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis charitatis Dei. Scio alios aliter exponere istum ignem ex meditatione exardescentem, de igne videlicet iracundiae, et indignationis: sed nos s. Ambrosium sequuti sumus, et rationem connexionis et lectoris aedificationem.

5. *Loquutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.*
6. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi.*

Ex illo aestu interiore *loquutus sum*: inquit, *in lingua mea*, idest, non sum loquutus in lingua, quam omnes intelligunt, sed in lingua mihi nota, quasi dicat, Ego scio quid voluerim dicere. *Notum fac mihi Domine finem meum*, etc. videtur sensus esse, quod cupiat scire finem vitae suae, id est, *numerum annorum, et dierum, quibus victurus*

http://www.obrascatolicas.com

sit super terram, ut sciat quantum ei temporis supersit usque ad mortem; sed non hoc voluit dicere: ista enim curiositas vitiosa, et temeritas quaedam fuisset; ideo praemisit, *loquutus sum in lingua mea*, in sensu meo, sermone mihi noto. Illud igitur significare noluit, vitam humanam esse brevissimam, et quasi quoddam nihil. Sed quoniam hanc veritatem, quamvis alioqui clarissimam, et experimento notissimam, pauci bene norunt ideo precatur Deum, ut non sinat se decipi, ut plurimi decipiuntur, ut existimet diuturnum quod est brevissimum. Cur enim maxima pars hominum tota intenta est in cumulandis opibus terrenis; proque iis pugnat, et contendit acerrime, et bona futura contemnit, et negligit, nisi quia non cogitat, vel non credit, vitam praesentem fugere velut umbram? Ait igitur, *Notum fac mihi Domine finem meum*, idest, fac Domine per gratiam tuam, ut illustrentur oculi mentis meae, et aperte cognoscam finem vitae meae jam prope adesse. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi*, idest, fac ut attenta cogitatione penetrem quam sit brevis numerus dierum meorum, et sciam quam parum temporis mihi supersit. Hanc esse veram expositionem, sequentes versiculi docebunt. Nam exauditus a Domino non refert praecise numerum annorum, qui sibi supererant, sed variis ostendere nititur tempus humanae vitae brevissimum esse, praesertim si ad aeternitatem Dei, et futuri saeculi conferatur.

7. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tamquam nihilum ante te.*

Edoctus a Domino, quod postulaverat, dicit, *mensurabiles esse dies suos*, idest, tam brevem esse durationem vitae suae, ut facillime mensurari possit. Sed observandum est s. Hieronymum ex hebraeo, הנה טפחות נתתה ימי *hinne tephachoth nathatta jamai*, vertisse, *Ecce breves posuisti dies meos*. S. August. cum aliis legisse, *Ecce palaestras posuisti dies meos*. Denique Chrysostomum, et alios legisse, *Ecce palmares posuisti dies meos*. Sed haec omnia in idem recidunt, vox hebraica טפחות *tephachoth*, significat res palmares, idest, palmo uno mensurabiles: nam, טפח *tephac*, significat mensuram palmi quatuor digitorum, quod idem significat vox graeca πάλε, quam habemus in editione septuaginta Interpretum. Igitur s. Hieron. recte vertit, *breves dies*; breves enim sunt, qui mensura brevissima mensurari possunt. S. Augustinus, et alii qui legerunt, *veteres dies*, fortasse habuerunt in graeco textu παλαίας, pro παλαίστας, sed etiam *dies veteres*, recte dicuntur dies vitae nostrae quoniam, ut Apostolus ait ad hebraeos 8. *Quod antiquatur, et senescit, prope interitum est*. Et novimus vestes veteres, et domos veteres, et similia vetera non diu durare. S. Ambrosius vocem graecam non a mensura, sed a palaestra deduxit; tamen aptissima similitudine explicuit cursum velocissimum, et brevissimum, et simul laboriosissimum vitae nostrae. Qui enim in palaestra currunt vel dimicant, tempus habent brevissimum, sed laboriosissimum, ut notum est, nostra editio recte posuit, *mensurabiles dies*, idest, qui tam breves sunt, ut nullo negotio mensurari possint: quod idem significant *dies palmares*, ut Chrysostomus ex interpretatione Symmachi legit. Sed Propheta non contentus dixisse, dies suos breves et mensurabiles esse, addidit quasi corrigendo, *Et substantia mea tamquam nihilum ante te*, quasi dicat, parum dixi, dies breves esse, nam *substantia mea*, idest, subsistentia mea, hoc ipsum quod sum et subsisto nihil est ante te. Est quidem aliquid ante oculos hominum, qui non vident nisi praesentia, sed *ante te*, qui vides futura, et intueris aeternitatem, quae omni caret mensura, nihil omnino est. Quid enim sunt pauci anni, qui velocissime transeunt, ad infinitam durationem? Nomen substantia hoc loco non significare aliud, quam *subsistentiam*, et spatium vitae, intelligi potest ex voce hebraea, חלדי *cheldi*, quae significat proprie tempus, sive saeculum; ut sensus sit, tempus meum, vel, ut s. Hieronymus reddit, *vita nihil coram te*.

8. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.*

Adhuc magis declarat, et nobis persuadere nititur, quod ipse plane perspexit. Non solum, inquit, tempus vitae nostrae brevissimum est, sed *omnis homo*, quicumque ille sit, etiam rex, et monarcha, quem omnes mirantur, et cui caeteri omnes invident, ille, inquam etiam *dum vivit*, idest, dum viget, et floret, et in optimo statu est, vel ut est ad verbum in hebraeo, נצב *nitzab*, *dum stat, dum firmiter consistit*, et radicatus videtur in terra, nihil est aliud, nisi *universa vanitas*, sive universitas vanitatis. Quicquid enim in illo est, sive sanitas, sive robur, sive pulchritudo, sive divitiae, sive dignitas, sive potentia, totum fragile et momentaneum est.

9. *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.*

Videbat Propheta tam alto sopore depressum esse genus humanum, ut non contentus tonitruis verborum, quibus hactenus usus est ad homines excitandos; addat aliud adhuc vehementius percellens humanas mentes, si forte somno discusso vigilare incipiant. Quoniam igitur poterat aliquis dicere, non videri verum, vitam hominum nihil esse, cum videamus tam multis bonis vitam hominum circumfluere, opibus, honoribus, sanitate, robore, et similibus; ideo nunc dicit Propheta, ista non esse vera bona, sed imagines et umbras rerum bonarum et ideo frustra turbari homines, cum ista vel non possunt acquirere, vel acquisita coguntur amittere. Quomodo frustra rex conturbaretur ob amissam imaginem ligneam, vel papyraceam regni, quando regnum verum illi maneret. *Verumtamen*, inquit, *in imagine pertransit homo*, idest, homo pertransit, et perambulat viam vitae hujus in imagine rerum, non in rerum veritate, habens videlicet ante oculos in toto hoc itinere non res veras, sed rerum

umbras, atque imagines. Vita enim, quam hic habemus, imago est vitae beatae, quae sola vera est vita; sanitas hujus temporis imago est immortalitatis, quae sola vera est sanitas; pulchritudo, quam hic videmus, vix umbra quaedam est pulchritudinis illius, quam habebimus, cum *justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, ut dicitur Matth. 13. divitiae terrenae non sunt divitiae, sed illarum divitiarum imagines, quas habebimus, cum nulla omnino re indigebimus; sed erit Deus omnia in omnibus. Idem dici potest de sapientia, de gloria, de celsitudine et de caeteris, quae hic dicuntur bona. Porro phrasis illa, *in imagine pertransit*, sive *perambulat homo*, similis est illis phrasibus in scriptura Sacra frequentibus, *ambulare in luce, in tenebris, in fide, in timore, in dilectione*, et quae est his, terve, in secunda et tertia epistola Apostoli Joannis *ambulare in veritate*, cui potest opponi, ambulare in imagine, quatenus imago opponitur veritati. *Sed et frustra conturbatur*, idest, sine ulla causa conturbatur homo in rebus temporalibus anxie quaerendis, vel conservandis: frustra laetatur in earum lucro, et frustra plorat in earum jactura, quasi res solidae, et verae, ac permanentes essent, cum imaginariae, fragiles, et caducae sint. S. Joannes Chrysostomus, quem Theodoretus, et Euthymius sequuntur, exponit illud, *in imagine pertransit homo*, ac si dictum esset, instar imaginis pertransit homo, ut non solum res humanae sint imagines rerum verarum; sed ipse etiam homo non tam sit homo, quam hominis imago in tabella depicti.

10. *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.*

Probat unico exemplo, frustra conturbari homines in opibus quaerendis, augendis, conservandis: quoniam nesciunt cui laborent. Existimant illi quidem se filiis, aut nepotibus, qui grati memoriae parentum futuri sint, thesaurizare; sed accidit saepissime, ut filii vel nepotes continuo moriantur, et haereditas ad ignotos, vel inimicos perveniat: vel certe ut filii vel nepotes dissipent brevissimo tempore, quae pater vel avus magno labore, et longissimo tempore acquisivit: vel denique ut haeredes ingrati sint, et reddant mala pro bonis, detrahentes industriae et laboribus majorum suorum; quae si praevidere homines illi potuissent, thesaurizassent potius sibi thesauros in coelo, et sine turbatione vitam istam traduxissent. Vide similes sententias in Ecclesiaste cap. 2. 4. 5. et 6.

11. *Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.*

Ex brevitate et vanitate vitae praesentis tam clare perspecta, concludit, se quidem spem suam in solo Deo ponere constituisse. *Et nunc*, inquit, his ita se habentibus, *quae expectatio mea?* quid spero? quid quaero? quid opto? *nonne Dominus* expectatio, et spes mea est? Denique conversus ad ipsum Deum dicit: *Substantia mea apud te est*, idest, vita mea, et opes meae apud te sunt, nihili facio cunctas res creatas, te unum pro rebus omnibus habere cupio; quia in te sunt omnia. In hebraeo, ועתה מה קויתי אדני *vehatta ma kivvithi* Adonai, ad verbum habetur, *Et nunc quid expecto Domine? expectatio mea tibi ipsa*. Ex quo intelligere possumus hebraicae lectioni respondere illa tantum, *Et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus?* Illa vero, *et substantia mea apud te est*, videntur addita explicandi gratia a septuaginta senioribus, quae a nostro latino interprete fideliter reddita sunt. Itaque non oportet quaerere, ut multi faciunt, cur substantiam latinus Interpres posuerit pro voce hebraica, תוחלתי *thochalthi*, quae *spem* vel *expectationem* significat. Latinus enim Interpres non substantiam pro expectatione posuit: sed addit ad verba hebraica, id quod septuaginta Interpretes addiderunt. Simile est in psalmo 21. ubi legimus, *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* illud enim *respice in me*, non habetur in hebraeo codice, sed additum est a septuaginta Interpretibus, et inde translatum est ab Interprete latino in editionem vulgatam.

12. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.*

Quoniam dixit se terrena contemnere, et solum Deum expectare, et in eo spes suas collocasse, omnes consequenter adjungit: de peccatis in Deum sollicitum se esse, non autem de opprobriis hominum, *Ab omnibus*, inquit, *iniquitatibus meis erue me*, idest, quia sola peccata sunt quae mihi ad te viam impedire possunt, et quae sola vera sunt mala; ideo precor, ut ab illis me liberes, et quidem omnibus, non praeteritis tantum, sed etiam futuris, illa dolendo, ista impediendo. Quo loco notandum est, viros etiam perfectos, qui terrena despiciunt, et ad Deum toto corde anhelant, habere semper aliquid, quod sibi petant ignosci, et sollicitos esse debere pro quotidianis peccatis quotidianas Deo preces offerre. *Opprobrium insipienti dedisti me*. Haec pars versiculi conjungitur cum sequentibus hoc modo. Tu quidem opprobrium insipienti dedisti me, ego autem obmutui, et non aperui os meum. Significat autem, se propterea quod diceret, vana esse et contemnenda praesentia, et in solo Deo spem esse ponendam, derideri solitum ab insipientibus, qui non capiunt quae Dei sunt. Quomodo etiam dicit Evangelium de Christo Domino Luc. 16. *Audiebant haec omnia Pharisaei, qui erant avari, et deridebant illum*, in hebraeo habetur contraria sententia, nimirum חרפת נבל אל תשימני *cherpath nabal al thesimeni*, *opprobrium insipienti non pones me*. Sed anteponenda est lectio septuaginta Interpretum, ut s. Ambrosius admonet: quoniam sequentia verba *Obmutui, et non aperui os meum*, manifeste docent, Davidem audivisse opprobria insipientium; et sic etiam legunt et exponunt Augustinus, Chrysostomus, et alii veteres patres. Ipse etiam s. Hieronymus, qui in versione ex hebraeo posuit particulam negantem, tamen in commentario legit et exponit hunc locum sine tali particula. Proinde videtur ea

http://www.obrascatolicas.com

particula irrepsisse in textum Hebraicum post tempora septuaginta Interpretum.

13. *Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amove a me plagas tuas.*

Cum opprobria ab insipientibus audivi, non respondi, neque defendi me, sed *obmutui*, idest, ita me gessi, ac si mutus fuissem: imo etiam *non aperui os meum*, sed ita me gessi, ac si surdus fuissem, neque opprobria illa audivissem. Qui enim muti sunt, et non surdi, aperiunt os suum, et conantur respondere, cum aliquid audiunt; qui autem surdi sunt, et muti, neque loquuntur, neque aperiunt os suum. Reddit autem rationem, cur obmutuerit, et non aperuerit os suum. *Quoniam*, inquit, *tu fecisti*, nimirum, ut opprobria in me jactarentur: tu enim es, qui posuisti me opprobrium insipientibus. Et hanc eamdem rationem reddidit idem David, quando obmutuit ad maledictionem Semei, 2. reg. cap. 16. *Sinite*, inquit, *illum ut maledicat. Dominus enim praecepit ei ut malediceret Davidi; et quis est, qui audeat dicere quare sic fecerit.* Ubi tamen observandum est, Deum non praecepisse Semei, ut malediceret Davidi praecepto ejusmodi, ubi obedientia laudaretur; scimus enim Semei graviter peccasse maledicendo Davidem, et propter hoc postea fuisse a Salomone punitum, sed dicitur Deus praecepisse Semei, ut malediceret, quoniam videns malam Semei voluntatem, usus est mala voluntate, quam ipse non fecerat, ad humiliandum, et corripiendum Davidem. De qua re vide s. Augustinum lib. de gratia et libero arbitrio cap. 20. et sequentibus, vel si vis fusius aliquid tractatum legere, vide in controversiis nostris lib. de amissione gratiae, et statu peccati cap. 13. et sequentibus. *Amove a me plagas tuas*, quasi dicat, libenter accipio contumelias, et opprobria insipientium, quae tu ad meam humiliationem paterna severitate ordinasti, sed plagas tuas ferre non possum, ideo precor, ut eas a me omnino removeas. Vocat enim *plagas Dei*, flagella et supplicia, quae Deus iratus immittit, non ut pater, aut medicus, sed ut judex, de quibus in psalmo superiore dixit: *Domine ne in furore tuo arguas me.* Tales plagae sunt excaecatio, obduratio, sensus reprobus, et ipsa damnatio ad ignem sempiternum.

14. *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.*

15. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, verumtamen vane conturbatur omnis homo.*

Explicat, cur tantopere cupiat a se removeri plagas Dei, et dicit causam esse, quoniam expertus est in seipso, et in aliis, quam intolerabiles sint ejusmodi plagae: de se primum ita dicit, *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus*, idest, ego ipse fortitudinem, et potentiam, sive gravitatem manus tuae percutientis expertus defeci, et plane consumptus sum, et perii in increpationibus, idest, in illa crudeli increpatione, quando in furore tuo arguisti me. Hoc autem Davidi contigit, quando ob peccatum adulterii commissum, Deus in poenam hujus permisit illum cadere in peccatum homicidii, quod est gravius, et in tantam caecitatem, ut per multos menses non redierit ad se, neque statum suum, idest, mortem animae suae cognoverit: nullum enim est supplicium gravius, quam quando poena peccati est aliud peccatum. Quod enim peccatum sit aliquando poena peccati, et quidem poena horribilis, et timenda super omnes poenas, docet Apostolus Rom. 1. *Qui cum cognovissent, Deum non sicut Deum glorificaverunt; propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua*; et infra, *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae*, et infra, *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum ut faciant ea, quae non conveniunt.* Vide de hoc flagello sanctum Augustinum lib. 5. in Julianum cap. 3. Deinde addit Propheta de aliis peccatoribus, hac plaga crudeli a Deo punitis, *Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*, idest, propter peccata praecedentia corripuisti in furore tuo hominem peccatorem; et fecisti, ut anima ejus contabesceret instar araneae, quae laborat in texenda tela, ut capiat muscas, et interim ipsa exsiccatur, et consumitur. Sic enim animae hominum carnalium, justo Dei judicio, perpetuo laborant in rebus temporalibus acquirendis, et in eo labore consumunt ingenium, et mentem, et inde anima exsiccatur omni humore gratiae, ut ne cogitet quidem de salute sua, neque ullo desiderio teneatur verae foelicitatis. Contra quam animae aridilatem desiderabat in alio psalmo 62. idem Propheta adipem, et pinguedinem spiritualem, dicens: *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea.* Concludit Propheta, *Verumtamen vane conturbatur omnis homo*, id est, omnis homo, cujus anima tabescit sicut aranea, vane conturbatur, frustra laborat, sine ulla causa tot contentionibus agitatur. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Matth. 16. Sed hoc loco multa observanda sunt: primo verba illa *in increpationibus*, in textu hebraico, et graeco, et apud Ambrosium, et Hieronymum conjungi cum verbis sequentibus, nimirum sic, *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem*; tamen apud Augustinum, et in nostris communibus libris, conjungi cum superioribus, nimirum cum illis, *A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus*; sed utroque modo sensus constat. Secundo nota, s. Hieronym. et hebraeo non vertere, *araneam*, sed tineam, sed credibile est vocem hebraicam utrumque significare. Certe similitudo magna est inter araneam, et tineam; ut enim aranea texendo telam se exsiccat, ita etiam tinea rodendo pannum se ipsa interimit. Tertio nota, ubi nos habemus ex graeco textu animam ejus, in hebraico haberi, חמדו *chamudo, desiderabile ejus*: proinde septuaginta Interpretes non tam verba

reddiderunt, quam exposuerunt. Vere enim anima ratione praedita est, id quod in homine est maxime pulchrum, pretiosum, et desiderabile: ipsa enim imago Dei est, ipsa aeterna est, ipsa capax est aeternae foelicitatis, et per illam communicamus cum angelis, ut per carnem communicamus cum bestiis: proinde incredibilis caecitas est propter explendas carnis appetitiones, perdere quod in nobis est summe pretiosum, et desiderabile. Quarto nota, non haberi in hebraeo vel graeco textu verbum *conturbatur*, sed solum *vane omnis homo*, sive, *vanitas omnis homo.* Caeterum latinus Interpres addidit verbum explicationis gratia, et addidit illud, quod supra habetur versu 9. Nota ultimo, non deesse, qui hos duos versus exponant, vel de flagello temporalis calamitatis, vel de paterna correptione, quae facit homines, qui antea dura cervice erant, molles ut araneas, idest, humiles, et contritos. Sed in his, quae non sunt contra fidem, et obscurissima sunt licet unicuique abundare in sensu suo. Nobis illa verba, *Amove a me plagas tuas*, facile persuaserunt hic non agi de flagello temporali, cum in psalmo superiori dixerit idem David, *Ego in flagella paratus sum*: neque de paterna correptione, sed de correptione illa terribili, quam justi maxime horrent: paternam enim correptionem, quae humiles, et contritos reddit, justi diligunt, et expetunt, non horrent aut fugiunt. Similitudo quoque araneae tabescentis nihil boni nobis significare visa est. Non tamen reprehendimus, sed laudamus potius explicationes aliorum, quae prosunt ad aedificationem, quamvis non videantur nobis litterales.

16. *Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.*

Magno affectu psalmum concludit orans Deum: quid autem oret, paulo post explicabitur. Interim illud sciendum est, per *orationem*, intelligi simplicem petitionem, per *deprecationem* autem vehementem clamorem, ut vox hebraica, ושועתי *vesauhati*, demonstrat: per *lachrymas* autem affectum, cujus vox magis resonat coram Deo, quam ulla verba: in hebraeo, et graeco, ut nunc se habent, continuantur cum hoc versiculo verba illa, *ne sileas*, quae nos habemus in sequenti versu, et eo modo tribus nominibus tria verba respondent hoc modo, *Exaudi orationem meam, deprecationem meam auribus percipe, et lachrymas meas ne sileas.* Caeterum nostram lectionem habent veteres patres, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus in commentariis hujus loci, et verba hebraica remotis distinctionibus, quas Rabbini addiderunt, optime distinctionem librorum nostrorum recipiunt.

17. *Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei.*

Adhuc postulat exauditionem, et nondum explicat petitionem; sed loquitur ad eum, qui scit quid desideret spiritus. *Ne sileas*, inquit, idest, responde petenti, ne despice clamantem: qui enim silet audita petitione, idem facit ac ille, qui non vult concedere quod petitur. Reddit autem causam cur debeat audire, dicens, *Quoniam advena sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei*, idest, quoniam tu nosti, et apud notitiam tuam est, quod ego non sim civis hujus mundi, sed advena, et peregrinus, ac per hoc civis civitatis supernae Jerusalem, quamvis hic interim degam; decet autem ut audias civem civitatis tuae in exilio positum, et ex peregrinatione sua ad te clamantem. Notat hoc loco s. Joannes Chrysostomus, magnum virum et spiritualem fuisse Davidem, qui cum regni gloria, et opibus terrenis abundaret, tamen vere agnoverit se advenam, et peregrinum in terra.

18. *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.*

Hic jam exponit petitionem suam, et est illa, de qua dicitur in psal. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Petit igitur cum clamore, et lachrymis veniam peccatorum, ut pacata conscientia, de peregrinatione ad patriam laetus perveniat, atque in summa gratiam, et glariam petit, quae est illa petitio, quam soli, et omnes illi toto corde Deo proponunt, qui mundi vanitatem agnoscunt. Ait igitur, *remitte mihi*, vel ut s. Hieronymus vertit, *parce mihi*, vel ut ad verbum ex hebraeo, השב ממני *haschab mimeni*, verti posset, *desine a me*, idest, ne sis durus exactor, non instes pro solutione debitorum, desine a me repetere, quae male dissipavi. *Ut refrigerer priusquam abeam*, idest, ut ante discessum ex hac vita refrigerer, intelligens mihi peccata esse remissa; nisi enim hic remiseris, non ibo ad requiem, sed ad carcerem. Dic igitur animae meae, salus tua ego sum, antequam de corpore egredi jubeatur. *Et amplius non ero*, advena videlicet, et peregrinus, sed civis sanctorum, et domesticus Dei. Vel *antequam abeam, et amplius non ero*, idest, antequam discedam ex hac vita, et amittam omnem vitam, qui enim post hanc vitam non habet aeternam vitam, consequenter habet aeternam mortem, et quoddam non esse, cum longissime absit ab eo qui est. Sunt enim et vivunt qui damnati sunt ad inferos, sed dicuntur non esse, nec vivere, quoniam ideo solum habent esse, et vivere, ut semper moriantur, et non esse desiderent. Posteriorem sensum habet s. Augustinus; utrumque autem attingit s. Ambrosius.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David.

In titulo nihil est novi, psalmum hunc nonnulli ex recentioribus nimis humiliter exponunt, referentes eum ad morbum corporalem Davidis; de quo morbo nihil legimus in scripturis, sed tantum in fabulis Rabbinorum. B. Paulus ad Hebr. 10. de Christo exponit nonnulla, quae in hoc psalmo dicuntur, quae Davidi non conveniunt ullo modo. Quaedam etiam alia sunt, quae ad Davidem accommodari non possunt, ut illa, *In capite libri scriptum est de me*, et illa, *Ego autem mendicus sum, et pauper*. Recte igitur s. Hieronymus, s. Ambrosius, s. Augustinus, et Euthymius, psalmum hunc totum de Christo, et Ecclesia exponunt, idest, de capite, et corpore, ita ut Christus semper loquatur; sed primo in persona corporis sui, deinde in persona sua.

EXPLICATIO PSALMI XXXIX.

1. *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.*

Christus in persona populi sui exponit longam expectationem redemptionis. Expectavit enim supra quatuor annorum millia, dum interim per patriarchas, et prophetas, partim figuris, partim oraculis promitteretur liberatio a miseriis, in quas per peccatum primi hominis genus humanum ceciderat. *Expectans*, inquit, *expectavi Dominum*, idest, longo tempore, sine intermissione expectavi Dominum miserantem, visitantem et liberantem populum suum, *et intendit mihi*, idest, et tandem a mea spe fraudatus non fui: nam ad me audiendum intendit aures suas. Ex hebraeo, ויט אלי *vajet elai*, colligitur illud, *intendit mihi*, proprie significare, *inclinavit se ad me*, sive, extendit se ad me, nimirum audiendum.

2. *Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriae, et de luto faecis.*

Explicat quod dixit, *intendit mihi*, dicens, *intendit mihi*: nam *exaudivit preces meas*: et effectus exauditionis fuit, quod *eduxit me de lacu miseriae, et de luto faecis*. Per lacum miseriae intelligitur profunda fovea: nam vox hebraica, בור *bor*, significat cisternam, et vox hebraica, שאון *sciaon*, significat, *tumultum, confusionem, desolationem*, et similia. Describitur igitur locus profundus, carens lumine, et luto putrido plenus, in quem multi deciderint, ex quorum motu, et ejulatu existat tumultus, confusio magna, quam septuaginta Interpretes generatim miseriam appellarunt. Hic status est impiorum, qui carent lumine notitiae Dei, et mandatorum ejus, et infixi sunt in limo carnalium cupiditatum, ex quibus non solum fit, ut non possint ambulare ad aeternam foelicitatem, sed perpetuo inter se tumultuentur, et contendant. Ab hoc profundo liberat nos gratia redemptoris, cum incipimus per fidem cognoscere verum Deum, et vera, ac sempiterna bona; et per spem, et charitatem liberari a cupiditatibus terrenis, et pacem Dei, atque animae tranquillitatem possidere. Illud autem observandum est cum s. Augustino, eum qui exauditus dicitur, ut educeretur de lacu, jam caput sustulisse, et agnovisse miseriam suam, et ideo de profundo clamare coepisse: Deus enim inspirat electis suis, adhuc in peccato manentibus, spiritum fidei, et timoris, et invocationis, sine qua praeveniente gratia nemo unquam de profundo clamaret; sed contemneret potius Deum, et salutis monita, juxta illud Proverbiorum 18. *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit.*

3. *Et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.*

Ille qui ceciderat in lacum miseriae, de via ceciderat in qua posuerat eum Deus initio creationis, ut per eam recto, et facili tramite perveniret ad Regnum: ideo qui postea illum eduxit de lacu miseriae, et de luto faecis, in viam restituit, et viam stabilem, ac firmam, nec minus rectam, et planam; atque hoc est quod ait, *Et statuit supra petram pedes meos*, idest, pedes meos, quos de profundo et lutoso lacu eruit, statuit supra altam, et firmam petram: *petra autem erat Christus*, 1. Corinth. 10. qui de se ait, Joan. 16. *Ego sum via, veritas, et vita*: itaque statuit supra fidem, et doctrinam, atque exempla Christi; pedes justificatorum, ut sequantur vestigia ejus. Et direxit gressus meos, idest, non solum constituit pedes meos in via recta, et sic direxit gressus meos in viam pacis.

4. *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.*

Ex eo quod constituit Deus me in via firmissima, et rectissima, factum est, ut *coeperim cantare canticum novum;* antea siquidem, ut eram homo vetus, ita cantabam cantica vetera de amoribus mundi; sed renovatus spiritu mentis meae coepi cantare canticum novum de amore Dei: quod canticum ipse Deus immisit in os meum: et ipsum idem est carmen Deo nostro jucundissimum. In hebraeo pro, *carmen Deo nostro* habetur, לאלהינו תהלה *thehillah leelohenu, laudem Deo nostro*. Itaque *carmen Deo nostro* debet intelligi carmen laudis Dei nostri; et hoc est canticum novum, de quo diximus supra: qui enim canit amores mundi, mundum sine dubio laudat, et qui canit amores Dei, Deum sine dubio laudat.

5. *Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.*

Populus Dei jam liberatus a lacu miseriae, sive idem Christus in persona populi jam liberati praedicit multos ad eorum exemplum liberandos. *Multi*, inquit, *videbunt* lacum miseriae, et liberationem aliquorum, *et timebunt, et sperabunt in Domino*, idest, timebunt lacum, et sperabunt in liberatore. Hoc enim est initium salutis, cum Deus per gratiam suam incipit aperire oculos interiores hominibus peccatoribus, ut videant statum peccati miserrimum, et simul cognoscant a quo liberari possint, et inde timere, et sperare incipiant.

6. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias falsas.*

Haec est quasi adhortatio, et laudatio invitans homines ad imitandos liberatos. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus*, idest, ille vere foelix est, qui spem suam vere ponit in Domino, qui solus omnipotens, et misericors est, et ideo potest, et vult de omni miseria liberare eos, qui sperant in se. Illud, *nomen Domini*, significare potest invocationem, sive notitiam familiaritatis, sive potentiam, et auctoritatem, sive simpliciter ipsum Deum. Addit ad majorem explicationem, *et non respexit in vanitates, et insanias falsas*, id est, non respexit ad auxilium alicujus alterius, ac praesertim non respexit ad auxilium rerum vanissimarum, et fallacium, quae salvare non possunt, ut respiciunt homines vani, et stulti. Nonnulli, ut Euthymius, et aliqui moderni, referunt vanitates ad idola gentium: et insanias falsas, ad vaticinia oraculorum gentilium. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, אל רהבים ושטי כזב *el, rehabim vesate chazab. Ad superbias et pompas mendacii*; sed communis explicatio sanctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et Chrysostomi in commentario hujus loci, generalis est, ut per *vanitates*, intelligantur omnia vana auxilia, sive in hominibus, sive in rebus aliis creatis; *et per insanias falsas* intelligantur eadem falsa, sive fallacia auxilia, quae etiam insaniae dici possunt, idest, res insanae, quae non eligerentur nisi ab insanis. Ejusmodi sunt praeter caetera praedicationes astrologorum, vel incantationes necromanticorum; vel observationes et auguria, quibus multi credunt, et confidunt, sed vanissimi, ac stultissimi sunt.

7. *Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*

Transit nunc ad explicandum mysterium altissimum redemptionis humanae, per quod educti sunt, et educentur plurimi de lacu miseriae, et luto faecis; et primo generatim significat mirabilia esse opera Dei. *Multa*, inquit, *fecisti tu Domine, mirabilia tua*, idest, multiplicasti mirabilia tua, *et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*, idest, et in cogitationibus, sive in adinventionibus sapientiae tuae non est qui tibi perfecte similis sit, ita ut tibi comparari possit. S. Hieronymus ex hebraeo vertit: *Non invenio ordinem coram te*, pro eo quod nos habemus, *non est qui similis sit tibi*; sed septuaginta Interpretes clarius interpretati sunt verba hebraica: nam verbum, ערך *harach*, non significat solum *ordinare*, sed etiam *aestimare*, aequare, comparare. Itaque recte ad verbum sic verteremus, *Non est qui tibi comparari, vel aequari possit*, quod idem est, cum eo, quod nos habemus in graeco, οὐκ ἐστὶ τὶς ὁμοιωθήσεταί σοι, *non est qui similis sit tibi*.

8. *Annunciavi, et loquutus sum: multiplicati sunt super numerum.*

Reddit rationem, cur nemo possit cum Deo comparari, quoad opera mirabilia et cogitationes profundas, et ait, *annunciavi, et loquutus sum*, idest, manifestavi aliqua ejusmodi opera per Prophetas, per sapientes homines, per ipsa elementa mundi: nam *coeli enarrant gloriam Dei, et opera manum ejus annunciat firmamentum*, ut legitur psal. 8. sed *multiplicata sunt super numerum*, idest, tam multa sunt, ut numerari non possint, proinde neque annunciari, et manifestari omnia possunt. Ex hebraeo posset etiam hic esse sensus. Majora sunt quam ut enarrari queant: nam ad verbum sic habetur, עצמו מספר *hatzemù missapper*, *Roborata sunt praenarrari*, sive, *praenumerari*: idem enim verbum significat *numerare*, et enarrare, et fortasse de industria posuit Propheta verbum ambiguum, ut ad utram-

http://www.obrascatolicas.com

que significationem referretur. Vere enim opera Dei, etiamsi solum naturalia respiciamus, roborata sunt, sive creverunt, tam quoad magnitudinem, quam quoad multitudinem, ut neque narrari, neque numerari possint: nam in singulis rebus etiam minimis, ut in una arbuscula, in uno animalculo, in uno flosculo tot sunt mirabilia, ut ne summi quidem Philosophi eorum rationem investigare potuerunt. Sed hoc loco illud est observandum, quod cum haec verba referuntur ad Christum, intelligendum est, mirabilia Dei non esse inenarrabilia, vel innumerabilia respectu ipsius Christi, sed respectu nostri; ipse enim, qui fecit opera illa mirabilia, novit exactissime magnitudinem, et multitudinem ipsorum; sed mortales homines capaces non sunt tantae scientiae. Sancti patres Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus in commentariis, quia legerunt ut nos nunc habemus, multiplicati sunt super numerum, retulerunt huc totum versiculum ad conciones Christi, et audientium persuasionem, ut sensus sit, *Annunciavi, et locutus sum* mirabilia tua, *et multiplicati sunt ii*, qui crediderunt *super numerum*, idest, innumerabiles crediderunt; posito numero infinito pro finito per hyperbolen, vel crediderunt multi super numerum praeordinatorum ad vitam aeternam, quia multi reprobi cum electis in aream Domini, sive in rete dominicum intraverunt. Et potest ad hunc sensum non difficulter accommodari codex Hebraicus: nam ubi habemus *praeenumerari*, mutatis punctis, potest fieri, *praenumero*, ut notum est intelligentibus. Et quidem haec explicatio vera est, sed non ita perfecte respondet textui originali, neque tam apte connectit hunc versiculum cum superiori, ut expositio prior, quae est Euthymii, et aliorum, et est conformis versioni s. Hieronymi, neque contraria est conditionis nostrae vulgatae: illud enim *multiplicati sunt*, vel est error librariorum, ut multi suspicant; et scriptum est, *multiplicati*, pro *multiplicatae*, idest, cogitationes, aut *multiplicata*, idest, opera mirabilia: vel certe ipse Interpres posuit genus masculinum, dicens, *multiplicati sunt*, quia respexit ad nomen graecum, quo significantur cogitationes, quod est generis masculini, videlicet, διαλογισμοὶ. Simile quid habemus, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*, ubi illud, *hoc*, et illud, *quod*, referuntur ad *spiritum Domini*, et debuisset scribi, *Et hic qui continet omnia*, secundum grammaticam latinam; sed Interpres posuit genus neutrum, quia *spiritus*, graece est generis neutri, videlicet πνεῦμα.

9. *Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi.*
10. *Holocaustum et pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio.*

Mirabilia vere sunt omnia, quae fecit Deus, et in omnibus relucent profundissimae cogitationes ejus; sed omnibus aliis quasi in infinitum excellunt opera redemptionis humanae. Quid enim majus cogitari potest, quam Deum descendere ad formam servi, et fieri mendicum et pauperem ut homo educatur de lacu miseriae, et ad summum coelum evehatur? Eumdem etiam Deum in forma servi virgis caedi atque inter latrones crucifigi, ut servos exaltet inter angelos ad consortium regni sempiterni? et haec omnia justissime, sapientissimeque sine ulla injuria, imo cum summa gloria Divinitatis fieri? Hoc igitur admirabile mysterium sequentibus versiculis, Christus ipse per linguam et calamum Davidis exponit. *Sacrificium*, inquit, *et oblationem noluisti*, hoc est, non voluisti placari sacrificio pecorum, neque oblationem panum, vel thuris; sed victima infiniti pretii: ideo corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem, expiarem primi hominis inobedientiam: et quoniam *holocaustum* pecorum, et *sacrificium* pro peccato non admisisti: idcirco *dixi, ecce venio*, ut ego ipse fiam sacerdos et sacrificium, quo placatus humano generi, educas homines de lacu miseriae, et de luto faecis. Multa sunt hoc loco notanda: primo, per sacrificium, et oblationem non intelligi hoc loco actionem sacrificandi vel offerendi, sed hostiam mactandam, ut agnum, aut vitulum, et donum offerendum, ut panem, vel quid aliud: nam in hebraeo est, זבח *zebach*, et, מנחה *mincha*, et s. Paulus heb. 10. legit, *hostiam*, pro eo quod nos habemus *sacrificium*. Notandum secundo, non esse contrarium quod hic dicitur, *sacrificium, et oblationem noluisti*, tot praeceptis Domini de sacrificiis offerendis, quae habentur in Levitico: nam voluit quidem olim Deus sacrificia, oblationes, et holocausta, et victimas pro peccato; sed voluit ad significandam, non ad faciendam expiationem: ut docet Apostolus in epist. ad hebr. cap. 10. *Impossibile erat sanguine hircorum, et vitulorum auferri peccata.* Tertio notandum vulgatam latinam editionem, quae habet, *aures autem perfecisti mihi*; non conveniri cum hebraico textu, neque cum graeco: nam in hebraeo habetur אזנים כרית לי *oznaim caritha li, aures autem fodisti mihi;* in graeco vero, σῶμα δὲ κατηρτήσω μοι. *Corpus autem perfecisti mihi.* Sed lectio illa, quae habet, corpus autem perfecisti mihi, nullo modo rejici potest, quia non solum habetur in textu graeco, et recipitur a Patribus latinis et graecis, ut Ambrosio, et Augustino, Chrysostomo, et Theodoreto, sed etiam approbatur ab Apostolo ad hebr. 10. et fortasse in textu hebraico antiquo, quem habuerunt septuaginta interpretes, erat vox aliqua, quae corpus significaret. Lectio quoque latinae editionis, *aures autem perfecisti mihi*, rejici non potest, tum quia lectio illa est etiam antiquissima, ut perspicuum est ex Chrysostomo in secunda expositione hujus psalmi, et ex Hieronymo in commentario hujus psalmi; tum quia latina vulgata editio approbata est in concilio Tridentino, et potest facile concordari cum lectione graeca et hebraica. Nam verbum hebraicum, כרה *carah*, non solum significare fodere, sed etiam praeparare sive apponere, ut notum est ex lib. 5. reg. c. 6. v. 22. ubi *parare mensam*, et appositio ciborum significatur per hoc idem verbum, כרה *carah*. Idem autem est, *aurem apposuisti mihi*, et, *aurem perfecisti mihi*, neque diversa sunt, *corpus perfecisti mihi*, et, *aures perfecisti mihi*, nisi quod prior locutio est propria, posterior est figurata: qui enim dicit, *aures perfecisti mihi*, ex parte significat totum, et non sine causa per aures, potius quam per aliud membrum, significatur hoc loco totum corpus; quoniam aures sunt instrumenta, per quae accipiuntur praecepta superiorum, quibus debetur obedientia, juxta illud psal. 17. *In auditu auris perfecisti mihi.* Christus autem ob id potissimum corpus humanum accepit, ut patri Deo per obedientiam in forma servi obediret, et obediendo pro peccatis totius mundi satisfaceret. *Ego veni*, inquit ipse Joan. 5. et 6. *non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me*; et Joan. 4. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; et Joan. 8. *Quae placita sunt ei facio semper.* Sola restat illa lectio, *aures autem fodisti mihi*, quae non videtur recipienda, ut neque expositio illorum, qui verba illa, *aures autem perfecisti mihi*, significare volunt, *aures purgasti*, sive, *aperuisti*, ut idem sit quod *fodisti*, idest, *aperuisti*. Haec enim lectio non habetur in commentariis ullius veteris Patris, quod ego sciam; et videtur repugnare veritati mysterii: qui enim dicit, *aures fodisti* vel *purgasti mihi*, significat se habuisse aliquando aures clausas, vel immundas. Christus autem, qui hic loquitur, semper habuit apertas, et purgatissimas, ut numquam vere potuerit dicere, *aures fodisti, vel aperuisti, vel purgasti mihi.* Notandum quarto, illa verba *holocaustum et pro peccato*, non significare holocaustum esse sacrificium pro peccato: distinguuntur enim eo loco duo genera sacrificiorum, videlicet holocaustum et sacrificium pro peccato: nam in hebraeo est, עולה וחטאה *holah vachataah, holocaustum et peccatum*, sed nomine peccati, intelligitur sacrificium pro peccato, ut etiam apud Apostolum. 2. Cor. 5. *Qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit.* Igitur sensus est, *holocaustum et sacrificium pro peccato non postulasti.* Meminit autem in his duobus versiculis omnium generum sacrificiorum veterum, ut ostendat omnia fuisse figuras sacrificii Christi. Nam ut scribit s. Leo serm. 8. de passione Domini, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio. Notandum quinto illud, *tunc dixi, ecce venio*, referri ad tempus, quo Deus decrevit, nolle admittere sacrificia veteris Testamenti pro expiatione; tunc enim ubi Deus hoc decrevit, dixit filius Dei, *ecce venio ego*, ut per sacrificium corporis, et sanguinis mei, reconciliatio impleatur.

11. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

Exponit jam, ad quid veniat, cum dixerit, *ecce venio*, et ait, *venio ut faciam voluntatem Dei*, sicut de me scriptum est. Voluntas autem Dei erat, ut per oblationem corporis sui ad passionem et mortem sanctificaret nos. Sic enim hunc locum exponit Apostolus ad hebr. 10. ubi posteaquam citavit hunc locum psalmi, addit, *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. In capite libri scriptum est de me.* S. Ambrosius intelligit, per caput libri initium libri Geneseos, cap. 2. ubi scriptum est, *hoc nunc os ex ossibus meis, et relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Quod exponit Apostolus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* S. Augustinus exponit, hoc dictum esse de principio libri psalmorum, ubi dicitur de Christo, *in lege Domini voluntas ejus.* S. Joannes Chrysostomus, Eutymius, et Theodoretus, intelligunt, generatim de libris Prophetarum, in quibus plurima de Christi passione scripta sunt: neque putant vim esse faciendam in illa voce, *in capite*, quoniam in hebraeo non habetur, *in capite*, sed במרלת ספג *bimghillath sepher, in volumine libri.* S. Hieronymus in commentario, ut etiam Chrysostomus in secunda expositione, intelligit per *caput libri* initium Evangelii secundum Joannem, ubi scriptum est: *in principio erat Verbum* etc. et infra, *et verbum caro factum est.* Non desunt, qui per caput libri intelligunt initium libri vitae, de quo libro vitae multa dicuntur in psalmo 68. Daniel. 12. Luc. 10. Philip. 4. et Apoc. 20. et 21. et quadrat in hunc librum, quod dicitur hoc loco secundum hebraicas voces *in volumine libri* sive *in libro involuto*, et *clauso*. Liber enim vitae in quo scripta sunt nomina praedestinatorum, clausus est, quia non potest hoc tempore legi, sed constat tamen in capite ejus libri, Christum scriptum esse, ejusque passionem et mortem. Haec omnia probabilia sunt: sed videtur simplicissima, et maxime litteralis expositio, si nomine capitis intelligatur summa totius libri divinarum scripturarum. Siquidem in textu hebraico, ideo non habetur in qua parte libri hoc scriptum sit, sed dicitur *in volumine libri scriptum est de me*, quasi dicat, in toto volumine, quia summa totius Scripturae Christum loquitur: Dominus enim dixit Luc. ultimo: *oportet impleri, quae scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et psalmis de me*, et ibidem, *interpretabatur duobus discipulis in omnibus scripturis, quae de ipso erant incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis.* Et Joan. 5. idem Dominus dixit in genere, *scrutamini scripturas, quia illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Et quod habetur in textu graeco, ἐν κεφαλίδι βιβλίς, et latino, *in capite libri*, apte exponi potest, *in summa libri*, nam et graece et latine, dicitur caput non solum initium libri, sed etiam id, quo omnia referuntur. Nam et recapitulare, est in summam redigere, et capita librorum distingui solent juxta ea, ad quae revocantur partes principales librorum. Et hoc modo accipitur quod ait Apostolus ad hebr. 8. *Capitulum super ea, quae dicuntur, talem habemus Pontificem*, idest summa eorum, quae dicuntur, est, quod talem habemus Pontificem, etc. Quoniam igitur non ait hoc loco Dominus, *in capite primi libri*, vel *in capite primo libri;* sed generatim *in capite libri*, recte dixerunt Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius hoc loco in capite libri, significare totum volumen divinarum scripturarum: id enim coincidit cum eo, quod nos dicimus; summam totius scripturae ad Christum per-

http://www.obrascatolicas.com

tinere, ipse enim est finis legis ex Apostolo ad rom. 10. Dicit igitur Dominus, *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, idest Scripturae omnes testantur me, ad hoc venturum fuisse in mundum, *ut facerem voluntatem tuam*, tibi per omnia accuratissime obediendo. Deinde conversus ad Patrem addit, *Deus meus volui*, idest, libentissime acceptavi decretum tuum, *et legem tuam in medio cordis mei*, supple, posui, idest, nihil majori affectu desideravi, quam implere legem tuam. De justis dicitur in psal. 36. *Lex ejus in corde ipsius*; sed de capite justorum, *legem tuam in medio cordis mei posui*. Et qui sunt Christi, spiritum hunc Christi habere debent, ut legem Domini rebus omnibus anteponant, eamque in medio memoriae, in medio intelligentiae et in medio voluntatis semper habeant. Non multum refert quod in hebraeo, בתוך מעי *bethoch mehai*, et graeco est, ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, *in medio ventris mei*: agitur enim de ventre animae, non corporis; in anima vero cor, et venter idem omnino sunt.

12. *Annunciavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.*

Quamvis divinae voluntatis finis praecipuus fuerit, ut Christus pro humano genere moreretur; voluit tamen Deus Pater, ut Christus antea assidue praedicaret, et praedicatio veritatis esset quasi via ad passionem; et ipse non solum redemptor, sed etiam doctor et magister esset generis humani; ideo nunc dicit: *annunciavi justitiam tuam*, id est, praedicavi legem tuam justissimam et etiam opera verae justitiae, quae tu ab hominibus requiris: et hoc praedicavi palam, et publice audientibus innumerabilibus populorum turbis: et tu Domine testis esse potes, quia id feci, et faciam deinceps. Et vere tota vita sua Christus praedicavit: ab infantia praedicare coepit exemplo suo contemptum rerum visibilium, modestiam, temperantiam, humilitatem. Deinde a baptismo, in quo dictum est a Patre, *ipsum audite*; praedicare coepit etiam verbo, neque cessavit usque ad mortem per se praedicare, et praedicationem postea per Apostolos continuavit; et continuabit usque ad mundi consummationem per Apostolorum successores.

13. *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, et salutare tuum dixi.*

Multi praedicant, dum spes lucri adest, vel timor damni non terret; sed cessante spe, urgente timore, abscondunt in corde suo praedicationem veritatis, neque eam foris erumpere sinunt. Ab iis vitiis longissime Christus abfuit, et nos exemplo suo docet, ut idem faciamus; ideo dicit, *annunciavi justitiam tuam* et neque per negligentiam, neque per ullum timorem illam unquam abscondi in corde meo. Quod autem dixit de justitia, quam a nobis Deus exigit, videlicet, quod eam annunciaverit, et non absconderit, idem nunc subjungit de justitia et misericordia, quae est in ipso Deo: nam justitiam vocat veritatem, idest fidelitatem, per quam fideliter reddit unicuique secundum opera sua et misericordiam vocat *salutare*, idest salutem, quam misericorditer praebet sperantibus in se. Ait igitur, *veritatem tuam, et salutare tuum dixi*, idest annunciavi quoque veritatem quae in te est, manifestans omnibus quam fideliter reddas ineffabilia praemia justis, et horrenda supplicia injustis, et simul annunciavi salutare tuum, idest quam misericorditer salves omnes, qui in te spem suam constituunt.

14. *Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.*

Quam paulo ante vocaverat *salutare*, nunc expressius vocat *misericordiam*, et cum *veritate*, idest, cum justitia conjungit. Dicit igitur, *Non abscondi* propter ullum timorem, *a concilio multo* idest, a multitudine populorum *misericordiam et justitiam*, quae in te sunt; sed eas publice, et libere praedicavi. Haec verissima esse manifeste colligimus ex Evangelio: nam Matth. cap. 5. 6. et 7. praedicavit Dominus justitiam, quam nos facere debemus; et in variis parabolis Matth. 13. 24. et 25. praedicavit justitiam, et misericordiam Dei.

15. *Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me, misericordia tua, et veritas tua semper susceperunt me.*

Transit nunc a praedicatione ad passionem: Et sicut ipse manifestavit hominibus justitiam, et misericordiam Patris, ita nunc precatur Patrem ut non differat misericordiam et veritatem suam in ipso per resurrectionem celerem, ab omni passione, et morte liberando. *Tu autem Domine*, inquit, *non longe facias miserationes tuas a me*, idest, vides Domine Pater, in quam acerbam passionem incidi, quia non tacui manifestare hominibus justitiam, et misericordiam tuam: ideo tu quoque non longe facias miserationes tuas a me celeriter resuscitando: sicut hactenus *misericordia tua, et fidelitas tua semper susceperunt me.*

16. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem.*
17. *Multiplicatae sunt super capillos capitis mei et cor meum dereliquit me.*

Reddit rationem, cur dixit, *ne longe facias miserationes tuas a me*, et ait, *quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus*. Vere enim passiones Christi plurimae fuerunt, et simul omnes quasi agmine facto in eum irruerunt. Cur autem tot fuerint ejus passiones, causa fuit, quoniam peccata nostra, quae ipse super se accepit, innumerabilia sunt. *Comprehenderunt me*, inquit, *iniquitates meae*, idest, iniquitates omnium hominum, *quas Pater super me posuit*, ut dicitur Isaiae 53. et quas proinde meas fecit, ut super lignum in corpore meo illas portarem; *illae*, inquam *omnes comprehenderunt me. Et non potui ut viderem*, idest, tot sunt iniquitates, quae me comprehenderunt, ut non praevaluerim videre quot sunt. Nam *multiplicatae sunt super capillos capitis mei*, idest, superant multitudine sua numerum capillorum; capilli enim capitis tot sunt, ut numerari non possint: et ideo quasi obrutus multitudine tanta malorum defeci, *et cor meum dereliquit me*, id est, vigor ipse, et ipsa vita dereliquit me. Porro quod hic dicit Christus, *Non potui ut viderem*, non est accipiendum proprie, quasi re vera non potuerit Dominus videre numerum peccatorum; ob nimiam eorum multitudinem; nam sine dubio novit accuratissime numerum peccatorum praeteritorum, praesentium, et futurorum; sed loquitur more humano, et solum significare voluit peccata, quae expiando suscepit, esse innumerabilia. Simile est, quod dicitur Marci cap. 6. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, et mirabatur propter incredulitatem eorum*: poterat enim, si voluisset, virtutes in eo loco facere; sed dicitur non potuisse, ut significaretur incredulitas illius populi, ob quam non volebat in eo loco miracula facere. Sicut etiam non proprie mirabatur, quia admiratio nascitur ex ignoratione, quae in Christo locum non habebat; sed dicebatur mirari, quia signum admirantis edebat, ut ostenderet, mirum esse, quod populus ille tanta incredulitate teneretur. Sanctus Augustinus versiculum hunc, et duos superiores vult accipiendos esse in persona membrorum infirmorum Christi, idest, fidelium imperfectorum ejus; nos sententiam non rejicimus, sed ostendere voluimus, quomodo sint exponendi tres isti versiculi, si accipiantur scripti in persona Christi, ut vere in persona Christi scripti sunt versiculi praecedentes, quos Apostolus allegavit ad hebraeos 10. cum quibus isti continuari videntur.

18. *Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice.*

Reddit ad orationem, quam inchoaverat in versiculo quintodecimo, ac petit liberationem a tantis malis per celerem resurrectionem, ut supra diximus. *Complaceat*, inquit, *tibi Domine*, idest, placeat tibi Pater, quem etiam Dominum agnosco propter formam servi, quam accepi; placeat, inquam, *ut eruas me* de tot doloribus, qui circumdederunt me. *Domine ad adjuvandum me respice*, idest, videris quidem ad tempus me dereliquisse, et a me faciem avertisse, dum simis me crucis tormenta sine ulla consolatione perpeti, sed jam *respice ad me adjuvandum*, ut brevi repleas me laetitia gloriosae resurrectionis.

19. *Confundantur, et revereantur simul, qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.*

Ex Christi resurrectione sequuta est maxima confusio adversariorum, qui eum plane a se extinctum existimabant. Id nunc praedicit per modum imprecationis: quae forma loquendi frequens est apud Prophetas. *Confundantur*, inquit, *et revereantur*, idest, confusi erubescant, *qui quaerunt animam meam, ut auferant eam*, id est, qui quaerunt vitam meam auferre, me occidendo, et penitus extinguendo: hoc enim erat votum Judaeorum, et hoc se assequutos crediderunt, cum Christum cruci affixum viderunt; sed paulo post cum eum resurrexisse audierunt, et signis ac prodigiis maximis resurrectionem ejus, confirmari, et a populis credi viderunt, confusione, et erubescentia repleti sunt; sed multo majore confusione, et verecundia replebuntur in die novissimo, cum eum Judicem suum justissimum esse videbunt, quem in concilio suo, falsis testibus inductis, judicare praesumpserunt.

20. *Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.*

Idem reperit ad rem magis explicandam; vel confirmandam. *Convertantur*, inquit, *retrorsum*, idest, confusi recedant, *et revereantur*, idest, verecundentur, et erubescant, *qui volunt mihi mala*, idest, non ii solum, qui quaerunt me interficere; sed etiam omnes alii, qui cupiunt confusionem et ignominiam meam. S. Augustinus exponit hunc versiculum in bonam partem, quasi Dominus precetur adversariis suis conversionem a peccatis ad Deum, ut jam non amplius superbe praecedant, sed humiliter subsequantur Dominum suum. Pia expositio; sed prior videtur magis litteralis, et facilius cum superiori versiculo continuatur.

21. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge, euge.*

Idipsum tertio repetit dicens, *ferant confestim confusionem suam*, idest, non in longum tempus differatur eorum confusio; sed statim, post tridui videlicet brevissimum spatium, confusionem suam experiantur, *qui dicunt mihi, euge, euge*, idest, qui de me quasi victo inter se gratulantur dicentes *euge, euge*. Sanctus Hieronymus et hebraeo vertit, qui dicunt mihi vah, vah, quam vocem, fuisse Judaeorum deridentium Christum in cruce pendentem, in Evangelio legimus. Sed septuaginta verterunt, *euge, euge*, et non dubium est, quin ipsi quoque recte intelligerent vim hebraicae vocis, האח האח *heach heach*. Proinde illud pronomen mihi, non ita accipiendum est, quasi adversarii Christo blandiri vellent, aut eum laudare, vel hortari, ut nos solemus cum alicui dicimus, *euge, euge*; sed intelligendum est, adversarios inter se exultantes super Christi passione dixisse *euge euge*, ita ut illud, *mihi*, accipiatur pro, *de me*, vel *super me*. Paulo clarius idem legimus in psalmo 34. *Non dicant in cordibus suis, euge, euge, animae nostrae, nec dicant, devoravimus eum*, ubi apparet illud, *euge*, dictum esse in cordibus eorum, qui putabant se Christum jam devorasse. Quod autem nos habemus ex graeco, *ferant*, s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *pereant*. Sed credibile est septuaginta non legisse, ישמו *jasciommu*, a verbo, שמם *sciamam*, quod est *desolare*, sed ישאו

http://www.obrascatolicas.com

issau, unica litera mutata a verbo, אשנ *nasa*, quod est *ferre*. Denique quod nos habemus, *confestim*, sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo *post*. Caeterum verba hebraica, על עקב *hal hekeb*, significant proprie *ad calcaneum*, sive *ad vestigium*, idest, immediate sive confestim, quod est idem: et ipse idem sanctus Hieronymus hanc eamdem vocem in psalmo 69. vertit *ad vestigium*. Recte igitur septuaginta Interpretes reddiderunt verba hebraica: et latinus interpres fideliter verba graeca παρὰ χρῆμα.

22. *Exultent, et laetentur super te omnes quaerentes te; et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

Sicut praedixit per modum imprecationis confusionem persecutoribus suis: ita nunc per modum precationis bonae praedicit laetitiam sectatoribus suis. *Exultent*, inquit, *et laetentur super te*, idest, exultabunt, et laetabuntur in Deo divino videlicet et inerrabili gaudio, *omnes qui quaerunt te*, idest, omnes qui quaerunt gloriam Dei, et qui diligunt Deum, et in eo spem suam ponunt. *Et dicant semper, magnificetur Dominus*, idest, et non sibi tribuant, nec suis viribus, aut virtutibus bonum, quod habent; sed dicant, *magnificetur Deus* ab omnibus, *qui diligunt salutare tuum*: idest, qui diligunt salvatorem, quem misisti ad homines, Christum videlicet Jesum, sive qui diligunt salutem, quae abs te, idest, qui cupiunt veram, atque aeternam salutem, quam tu solus dare potes.

23. *Ego autem mendicus sum, et pauper; Dominus sollicitus est mei.*

Revertitur ad statum suum, in quo erat tempore passionis, ac dicit, *Ego mendicus sum, et pauper* idest, egenus et destitutus humano auxilio. Sunt enim in hebraeo duo vocabula, אביון *ebion*, et עני *hani*; prius significat *egenum, inopem, mendicum*; posterius significat *afflictum*, humilem, destitutum: quae omnia conveniebant Christo toto tempore suae mortalitatis; sed praecipue quando nudus pendebat in cruce. Sed quamvis egenus, et pauper esset, quantum ad temporalia bona; tamen ditissimus erat protectione paterna: ideo subjungit, *Dominus sollicitus est mei*, vel ut est in hebraeo, ארני יחשב לי Adonai *jachassciab li*, Dominus cogitat pro me. Vocat autem patrem Dominum, quoniam loquitur in forma servi, idest, ut filius hominis, secundum quam naturam pendebat in cruce.

24. *Adjutor meus, et protector meus es tu, Deus meus, ne tardaveris.*

Quod unico vocabulo dixerat, *Dominus sollicitus est mei*, id nunc duobus vocabulis exponit dicens, *Adjutor meus, et protector meus es tu*. Deus enim pater sollicitus erat filii sui, illum adjuvando, et protegendo, adjuvando in superandis malis praesentibus, et protegendo in removendis futuris. Concludit postremo, *Deus meus, ne tardaveris*, nimirum eripere me ab omnibus malis per celerem resurrectionem.

PSALMUS XL.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus ipsi David.

Videtur hic etiam psalmus, ut praecedens, ad Christi passionem totus pertinere. Sic enim eum Patres accipiunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Chrysostomus, qui addit, temerarium esse aliter exponere, cum citetur ab ipso Christo, *Joan.* 13. unus versiculus ex hoc psalmo ad demonstrandum Judae proditionem fuisse multo ante praedictam. De titulo nihil dicimus, quia nihil novi continet.

EXPLICATIO PSALMI XL.

1. *Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

Beatus, *qui intelligit super egenum, et pauperem*, idest, beatus, qui attente considerat Christum pauperem: inveniet enim esse pauperem non necessitate, sed voluntate, ut nos sua inopia locupletaret. Item inveniet pauperem foris, sed intus divitem; in eo enim *absconditi sunt omnes Thesauri sapientiae, et scientiae Dei*, ut scribit Paulus ad Coloss. 2. Denique inveniet pauperem in carne, ut dicit s. Ambrosius, sed divitem in Regno

idem enim pauper erat, cum non haberet ubi caput reclinaret: et simul haeres erat universorum, Rex regum, et Dominus dominantium. Praeterea, *beatus est qui intelligit* super Christum pauperem nudum videlicet in cruce pendentem, idest, qui attente cogitat passionem ejus: nam et Hieremias antea dixerat, *Attendite, et videte, si est dolor similis sicut dolor meus*. Thren. 1. Et Apostolus postea idem repetivit, *recogitate eum, qui talem adversus semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem*. Hebr. 12. Infinitus enim thesaurus paratus est Christi passionem, ut par est, intelligentibus, et diligenter meditantibus. Denique beatus quoque est, qui intelligit super egenum et pauperem Christum in membris suis, de quibus dicturus est, Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Sed non dicit psalmus, *Beatus qui dat eleemosynam pauperi*, sed, qui intelligit super egenum, et pauperem, idest, qui prudenter considerat pauperum necessitates, et dat cui, quando, quantum oportet, ex pura charitate, et liberalitate, non ex inani gloria vel spe retributionis. Hanc enim vim habet verbum hebraicum, משכיל *maschil*: significat enim attente cogitare, sive prudenter considerare. Sequitur, *in die mala liberabit eum Dominus*. Haec est ratio, cur sit beatus dicendus qui intelligit super egenum, quia videlicet ipse ab egestate liberabitur: dies enim mala est dies penuriae, et sterilitatis. Sed hoc loco praecipue dicitur dies mala, dies ultimi judicii, quae erit dies solius justitiae, ac per hoc erit in illa summa penuria miserationis, et gratiae. In illa igitur die securi erunt, qui Christi crucem amaverint, et qui propter Christum pauperibus benevoli fuerint: dicetur enim illis, *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Sed etiam in hoc saeculo liberabit Deus viros misericordes in die mala, ut psalmus trigesimus sextus antea nos docuit, dicens, *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur*. Mirifice enim delectatur Deus cum videt filios suos, ad patris imitationem, quae ab illo liberaliter accipiunt, cum aliis quoque liberaliter communicare. Et ideo cum foenore reddit, quod pauperibus datur, juxta illud Prov. 19. *Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis*.

2. *Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.*

Declarat quod dixit, *In die mala liberabit eum Dominus*; et per modum bonae imprecationis praedixit bona, quae dabuntur intelligenti super egenum, et pauperem. *Dominus*, inquit, *conservet eum*, idest, custodiat dum vivit, *et vivificet eum*, idest, post mortem iterum vivere faciat, resuscitando eum cum justis. *Et beatum faciat eum in terra*, idest, et tunc vere, perfecteque beatum reddat in terra viventium. *Et non tradat eum in animam inimicorum ejus*, idest, et neque in hoc saeculo, neque in futuro sinat eum subjici voluntati inimicorum, sive homines, sive Daemones sint, Vocat enim animam, voluntatem, sive desiderium. Codices graeci variant hoc loco: nam alii habent, *in manus inimicorum*, alii, *in animam inimicorum*, ut sanctus notavit Ambrosius; sed sensus est fere idem, nisi quod videtur esse aliquid amplius *tradi in animam*, idest, in voluntatem, sive arbitrium, sive libidinem, quam tradi *in manus*, idest, in potestatem: nam qui supplicio afficiendi sunt, traduntur in manus carnificum, sed non in voluntatem: quia possunt carnifices eos interimere, non tamen eo modo, quo voluerint, sed eo tantum modo, quo leges praescribunt.

3. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

Quoniam tam multa bona pollicitus fuerat misericordibus, intelligentibus super egenum, et pauperem: poterat aliquis suspicari nullam tribulationem passuros in terris ejusmodi pios homines ideo nunc subjungit passuros quidem in hoc exilio pios homines varias tribulationes, seu tentationes, sed non absque divina consolatione. *Dominus*, inquit, *opem ferat illi super lectum doloris ejus*, idest, si quando pius ille inciderit in lectum doloris, sive dolor sit corporalis, sive spiritualis, sive sit proprie in lecto aegrotus, sive metaphorice decumbat quasi in lecto afflictus quacumque tribulatione: *Dominus opem feret illi*, atque ita consolabitur eum, ut patienter ferat, et ipsa patientia probari se intelligat; et ex probatione spem magnam concipiat: et ex illa spe gaudium tale inveniat, ut glorietur in tribulationibus, et cum Apostolo dicat, *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. 2. Corinth. 7. adjungit deinde ad probandum id ita esse futurum, exemplum de praeterito, dicens, *universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, idest, tu Deus suavis, et mitis, ita soles facere cum fidelibus tuis: nam si quando vidisti pium aliquem gravari tentationibus, vel afflictionibus, ita illum consolari consuevisti, quomodo consolatur aegrotum qui totum stratum ejus versat, et reversat, ut mollius cubet, et quiescat s. Ambrosius, et s. Joan. Chrysostom, ita exponunt, ut velint versari stratum in infirmitate, esse mutari statum aegroti in statum sanitatis. S. Hieron. et s. August. contrario modo exponunt, sed egregie omnino, et utilissime: volunt enim hunc sensum esse: Quia dixerat Propheta, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*; poterat pius homo respondere, si Deus fert opem, unde tot scandala, et tribulationes hominibus piis? Respondet Propheta, quia idem Dominus *universum stratum*, idest, eas res terrenas, in quibus etiam pii acquiescunt, et delectantur, versat, removet, ut pius peregrinus non diligat stabulum pro domo; sed ex amissione temporalium, quamvis licitarum consolationum, discat in solo Deo delectari, illum unum quaerere, ad illius visionem anhelare, et suspirare. Haec enim est causa, cur Sancti homines non solum tribulationes aliunde advenientes amaverint; sed ipsi etiam eas sibi accersierint, jejuniis, vigiliis, humi-

http://www.obrascatolicas.com

cubationibus, nuditate, et flagellis carnem propriam atterendo; quoniam intelligebant, animum non omnino erigi posse ad quaerendum Deum, dum aliquid habet in terra quod amet, vel in quo delectetur, et quiescat. Utraque expositio amplectenda est, quamvis prior videatur nobis magis litteralis.

4. *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi?*

Hic jam incipit Christus declarare, se esse egenum illum et pauperem, de quo initio dixerat, *beatus qui intelligit super egenum, et pauperem. Ego*, inquit, *dixi, Domine miserere mei*, idest, miserere corporis mei mystici, infirmorum membrorum meorum. *Sana animam meam quia peccavi tibi*, idest, ad hoc misericordiam tuam imploro, ut sanes languores fidelium meorum, quorum peccata mihi ipse imputo, quasi ego illa fecissem. Potest etiam sic exponi, ut Christus ipse de passione sua loquatur, dicens, *miserere mei in tribulatione positi*, ut celeriter resuscitando ab omni passione me liberes: *sana animam*, quae tristis est usque ad mortem, et ideo tristis est et languet, pavens, moerens, et taedens, *quia peccavi tibi*, idest, peccata totius mundi in me recepi. Nam quod non loquatur de peccatis a se commissis, perspicuum est ex versiculo decimotertio, ubi dicit, *Me autem propter innocentiam suscepisti*. Itaque is, qui loquitur in psalmo, non est David, vel quivis alius, sed ille solus, qui et innocens erat, quoad actiones proprias, et peccata aliorum portabat.

5. *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus.*

Haec manifeste pertinent ad Pharisaeos, et sacerdotes Judaeorum, qui avidissime Christi mortem sitiebant, et de ipso interficiendo saepe inter se colloquebantur. Illud autem *mihi*, positum est, pro, de me, ut in psalmo superiore. *Qui dicunt mihi*, idest, de me, *euge, euge*, vel abundat, ut in hoc ipso psalmo, *Adversum me cogitabant mala mihi*, et alibi saepe.

6. *Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur; cor ejus congregavit iniquitatem sibi.*

Transit a Judaeis ad Judam, quasi dicat, *et si* aliquis eorum, ut Judas proditor, *ingrediebatur*, ut videret, idest, exploraret, et quaereret opportunitatem prodendi, *vana loquebatur*, idest, falsi aliquid fingebat, ne animus ejus detegeretur. Posset etiam hoc referri ad alios, qui ad Christum accedebant, *tentantes eum ut caperent eum in sermone*, ut Matth. 22. Sed iste *vana quidem loquebatur* ad Christum; sed interim *cor ejus congregabat iniquitatem sibi*, idest, corde meditabatur dolos, proinde multiplicabat, et congregabat iniquitates sibi ad suam videlicet aeternam perditionem. Haec nimirum justa merces est mendacium et dolosorum, ut dum alios decipere tentant, ipsi decipiantur a Satana, et dum aliis moliuntur interitum, ipsi sibi interitum parent.

7. *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.*

De eodem Juda Patres haec etiam accipiunt, qui cum explorasset opportunitatem prodendi Dominum, *egrediebatur, et loquebatur simul* cum iis, quibus Dominum proditurus erat. Illud *in idipsum* hebraei codices conjungunt cum sequenti versiculo; sed nos sequimur distinctionem antiquam septuaginta Interpretum, qui majori fide digni sunt, quam recentiores Rabbini, qui puncta, et distinctiones, quas nunc habemus, bibliis addiderunt.

8. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi.*

Audito Juda proditore, coeperunt inter se susurrare, ne forte sermo innotesceret, si alta voce loquerentur, de pecunia danda, et ratione invenienda Christum capiendi, atque perdendi. *Adversum me*, inquit, *susurrabant*, idest, submissa voce loquebantur, *omnes inimici mei*, *adversum me cogitabant mala*, idest, susurrando deliberabant de morte mihi inferenda: Jam supra dixi, illud, *mihi*, redundari ex phrasi hebraica.

9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me: numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?*

Ex illa susurratione inimicorum hoc sequutum est, ut firmiter constituerent Judaei Christum occidere, et hoc est, quod subjungit, dicens, *verbum iniquum constituerunt adversum me*, idest decretum iniquum statuerunt contra me, ut videlicet me, quamvis innocentem, morti traderent. Addit vero continuo *numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat;* idest quamvis illi tam injustum decretum fecerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent; quin potius ideo mortem somnum vocavit, quia quam facile est homini dormientem socium suum excitare a somno, tam facile est Verbo Dei carnem suam mortuam ad vitam revocare. Id quod multo ante praedicit, cum ait, *nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam: potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*. Joan. 10. In hebraeo codice longe aliter habetur, דבר בליעל יצוק בו *debar beliahal iatzuk bo*: sic enim ad verbum verti potest, *verbum belial infusum sibi, et qui dormivit, non adjiciet, ut resurgat*; sed septuaginta Interpretes, qui et doctissimi erant, et codices correctissimos habebant, per *verbum belial*, recte verterunt, *verbum iniquum*; nam *belial*, significat, *absque jugo*, et accipitur etiam pro diabolo, sed passim *viri belial*, dicuntur *viri iniqui*, quasi qui jugum legis excusserit, et diabolum ducem sequantur: et sicut *viri belial*, sunt viri iniqui, ita *verbum belial*, est verbum iniquum: quod

sequitur, infusum hebraice, יצוק *iatzuk*, legerunt septuaginta, יציקו *iatziku*, quod est *constituerunt*, et pro, בו *bo*, quod est ei, vel sibi, legerunt, בי *bi*, quod est *mihi*, sive *in me*, aut *contra me*: hebraice enim sibi, et mihi simillima sunt. Denique pro, ואשר *vaaser*, quod significat, *et qui*, legerunt septuaginta, האשר *haaser*, quod significat, numquid. Viderint autem hebraei, utrum negligentia, an malignitate hunc locum corruperint. Certe vulgata nostra editio cum graeca editione concordat, et graeca cum vera hebraica omnino consentit: necesse enim est, ut vel hebraica lectio, qualis nunc est, ob literarum similitudinem corrupta sit, vel septuaginta interpretes imperitissimi fuerint. Non desunt, qui hunc versiculum ad Davidem aegrotantem, et ad sermones hominum de ejus valetudine disputantium referant. Sed ii cum Patribus omnibus repugnant, cum nimis humiliter Spiritus sancti oracula exponunt.

10. *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

Reddit rationem, cur inimici verbum iniquum adversum se constituerint; et dicit, fuisse causam ejus iniqui decreti, Judae proditionem. *Etenim*, inquit, *homo pacis meae*, idest, verbum iniquum adversum me constituerunt inimici mei; quoniam *homo pacis meae*, idest, cum quo pacem habebam, ut magister cum discipulo, et cum servo Dominus; et homo *in quo speravi*, idest, in quo tamquam in amico et familiari confidere poteram. *Qui edebat panes meos*, idest, qui in mensa mea, ut domesticus, mecum vescebatur. *Magnificavit super me supplantationem*, id est, mirifice me supplantavit, cum per insidias inimicis me tradidit. Hunc locum Dominus ita citavit Joan. cap. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura, qui manducat meum panem levabit contra me calcaneum suum*. In hebraeo ad litteram est, הגדיל עלי עקב *higdil halai hakeb, elevavit contra me calcaneum*; sed septuaginta explicaverunt sensum: nam levare calcaneum contra aliquem, et illum supplantare idem est. Quo loco notandum est, cum dicitur, *ut impleatur Scriptura*, significari, proditionem Judae fuisse praediciam, et adimpletam, ut praedicta fuerat; et ideo hunc locum psalmi non fuisse citatum a Christo, ut aliquid simile, vel commune, sed ut proprie ad hanc rem pertinentem, ut notavit s. Joan. Chrysost. et ideo non recte facere, qui haec verba psalmi ad alios sensus detorquere conantur. Secundo notandum est cum s. Augustino, vocatum fuisse Judam *hominem pacis*, quoniam praevidit Propheta, Christum a Juda per signum pacis, idest per osculum fuisse tradendum: quod etiam Dominus significavit, cum illi ait, amice ad quid venisti? et, Juda osculo filium hominis tradis? Item dictum esse a Propheta, *qui edebat panes meos*; quoniam praeviderat per buccellam Judae proditionem fuisse manifestandam. Addi potest dictum fuisse ab eodem Propheta, *in quo speravi*, quoniam praeviderat Christum crediturum fuisse Judae marsupium, quod erat confidentiae signum; itaque praedictio cum eventu rei optime convenit. Tertio notandum, exprimi a Propheta miro modo hujus proditionis indignitatem: primo enim vocat Judam *hominem pacis Christi*, ut ostendat nullam intercessisse inimicitiam, nullam injuriam, nullam odii causam inter Christum et Judam: deinde addit, non solum non intercessisse causam odii, sed intercessisse causam benevolentiae, cum addit, *in quo speravi*, quia Dominus credens Judae loculos, signa confidentiae, ut diximus, illi ostendebat. Denique addidit non solum non fuisse inimicum, nec solum fuisse amicum, sed etiam fuisse intimum familiarem et maximis beneficiis affectum; nam illa ipsa nocte, qua Christum tradidit, non solum panem communem, in mensa Christi comederat, sed etiam panem coelestem ac divinissimum; et ante coenam idem Christus pedes illi humiliter laverat; et per hoc exempla summae charitatis, atque humilitatis ostenderat.

11. *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.*

Precatur nunc Patrem, et per modum precationis praedicit, quod futurum erat: vere enim post resurrectionem suam retribuit Judaeis excidium, quod merebantur. *Tu autem Domine*, inquit, *miserere mei, et resuscita me*, idest, illi quidem verbum iniquum statuerunt contra me, et discipulo meo supplantante et prodente interficient me; *sed tu Domine miserere mei*, in cruce morientis, et paulo post *resuscita me*: et tunc retribuam eis, quod merentur. Precatur autem filius patrem, non quod ipse ut Verbum patris carnem suam resuscitare non posset; sed quia loquitur in forma servi, defert patri, cui in forma Dei aequalis erat, alioqui ipse idem dixit, Joan. 2. *Solvite templum hoc, et ego in triduo excitabo illud: hoc autem dixit de templo corporis sui*, et Joan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*. Quid vero Christus Judaeis retribuerit post resurrectionem suam, notum est omnibus, qui ab eo tempore vident Judaeos de terra sua eradicatos, dispersos esse inter gentes, sine rege, sine sacerdote, sine Deo vagari. Quod illis praedixerat Dominus quando ait, *auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus*, et alibi, *relinquetur vobis domus vestra deserta*, et alibi, *non relinquent in te lapidem*, Matth. 21. et 23. et Luc. 19.

12. *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

Exauditam orationem suam fuisse dicit, idque inde posse cognosci, quod non *gauderet inimicus de morte ejus*. Quod quidem in Juda impletum est, qui ante se ipse suspendio necavit, quam Christus mereretur, et quam ipse pretio proditionis suae frui posset. Potest tamen hoc etiam referri ad reliquos inimicos ejus, qui tam brevi tempore gavisi sunt, ut dici possint non esse gavisi.

http://www.obrascatolicas.com

13. *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.*

Docet, inimicos non diu gavisuros de morte sua, quoniam a Deo susceptus et exaltatus ob innocentiam suam fuerit. *Me autem*, inquit, *propter innocentiam*, tibi optime notam, *suscepisti*, de manibus eorum. *et confirmasti in conspectu tuo in aeternum*, idest humiliasti me ad horam in conspectu hominum, sed *suscepisti et confirmasti me in conspectu tuo* idest, stare fecisti ante conspectum tuum in coelo usque in aeternum: vox enim hebraea, ותציבני *vathatzibeni*, significat, *statuisti e conspectum tuum*; quod factum est per exaltationem, et assumptionem in coelum.

14. *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum fiat, fiat.*

Ista conclusio, sive Christi sit, sive Prophetae, nihil aliud significat, nisi propter exaltationem Christi, et confusionem inimicorum ejus, deberi honorem et gloriam, *et benedictionem Deo ab aeterno, et usque in aeternum*, idest, sine fine. Illud autem, *fiat, fiat*, hebraice autem, אמן אמן *amen amen*, confirmatio est dictorum, ut sensus sit, vere, seu fideliter ita sit, sive ita fiat, ut semper Deo laus et gloria deferatur. Atque hic est finis primi libri secundum hebraeos, qui psalterium in quinque libros distribuerunt.

PSALMUS XLI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, intellectus filiis Core.

Titulus admonet filios Core, quibus dabatur psalmus cantandus, ut intelligant quae canunt et ut auditores intelligere faciant quae admonitio cantoribus ecclesiasticis memoriae commendanda est: cantus enim in Ecclesia spiritui deservire debet, et non soli aurium oblectationi. Et sicut qui intelligenter et devote canunt, animos audientium rapiunt in Deum, ita qui theatrales modulos in Ecclesiam invehunt, de domo Dei, scenam mundi faciunt. Vide s. Hieron. in caput quintum ad Ephesios. Argumentum psalmi aliqui esse volunt, quod David exul tempore Saulis queratur, se non posse ter in anno in Jerusalem ad festa Domini accedere. Sed tempore Saulis non erat tabernaculum Domini in Jerusalem, sed in Silo et ad eum locum ibant ter in anno Israelitae. Praeterea tam ingens desiderium, quale hoc loco exprimitur, non videtur posse referri ad tabernaculum manufactum et arcam ligneam. Propterea psalmi argumentum esse putamus, ut sancti Patres Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus docent, quod David amore divino succensus exprimere conatur vehemens desiderium, quo tenebatur perveniendi ad visionem Dei, quae est vera et sempiterna foelicitas, cum tamen inter tentationes et pericula peregrinationis viveret. Sed dum ipse desiderium suum exprimit, simul docet quae sint argumenta, unde verus Dei amor possit agnosci.

EXPLICATIO PSALMI XLI.

1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Amor res est igneae naturae, ac per hoc intus retineri non potest, sed per verba, et suspiria foras erumpit. David igitur, ut amorem suum aliquo modo exprimat, comparat se cervo sitibundo dicens, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, videlicet, pervenire; *ita desiderat anima mea pervenire ad te Deus*; quae aptissima similitudo est: cervus enim quatuor habet qualitates: primum inimicissimus est serpentibus, atque cum eis perpetuum bellum gerit: deinde, cum a venatoribus quaeritur, ad montes altissimos velocissimo cursu confugit: tum mandatum illud Apostoli Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, ab instinctu quodam naturae observat: nam, ut scribit sanctus Augustinus tum hoc loco, tum serm. 21. de verbis Apostoli, traduntur cervi vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere: denique si quando vel ex pugna cum serpentibus vel ex fuga ad montes, vel ex deportatione oneris ambulando, vel natando fatigatur, ardentissime sitire solet aquas, neque ab

eis inquirendis ulla vel tenetur amoenitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. Talis omnino est amator Dei; nam et cum serpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuo gerit; et cum tentationibus, vel persequutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit, et infirmorum molestias patienter tolerat, sed praecipue summo desiderio Deum sitit, neque ulla terrena foelicitate, vel adversitate impeditur, quominus ad Deum semper anhelet. Talis erat David, quamvis uxoratus, quamvis rex, quamvis miles, talis Paulus, talis Petrus; tales Apostoli caeteri, et Martyres, tales omnes, qui exilium agnoscentes sive per prospera, sive per adversa gradientes cursum ad patriam numquam relaxabant.

2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*

Declarat apertius, quid sit desiderare Deum, et simul aperit, cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotavit, quae amorem, ac per hoc sitim, et desiderium accendere solent, pulchritudo, beneficia, et amor: nam et res pulchrae amari se quodam modo cogunt, et qui beneficia praestant, ad se amandos provocant, et qui amant redamari merentur. Sed si haec tria in unum conveniant, idest, si persona aliqua pulcherrima, et nobilissima, te summis et quotidianis afficiat beneficiis, et eumdem te maximi faciat, teque ardentissime amet, quomodo non vehementissimam in tuo pectore flammam amoris accendet? Haec igitur tria in Deum convenire David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, idest, amore, et desiderio ejus ardere se dicit. *Sitivit*, inquit, *anima mea ad Deum*, id est, ad rem pulcherrimam, nobilissimam, praestantissimam, quae bona omnia in se una complectitur. *Fortem*, idest, ad rem non fluxam, et caducam, sed stabilem, permanentem, aeternam. *Vivum*, idest, ad rem operantem, intelligentem, amantem, quae nos continuis beneficiis, afficit, quae nos magnifacit, quaeque nos incredibili amore diligit. Haec ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere, *quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* idest, quando finis erit peregrinationis, quando initium fruitionis. Ex hebraeo clarius verti posset, *quando veniam et videbo faciem Dei?* Id enim solum est, quod sitim animae rationalis explere potest.

3. *Fuerunt mihi lachrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?*

Qui vere et intime cogitat tria quae diximus, videlicet, Deum esse supra omnem speciem pulchrum, et omnia quae nos habemus, ab illo ut a fonte manare; et eumdem ipsum tanti nos aestimare, atque ita nos diligere, ut filium suum unigenitum pro nobis dederit; fieri non potest, quin lachrymis desiderii opprimatur, dum visio tanti boni differtur. David igitur, qui ista serio contemplabatur, recte adjungit, *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte*, idest, lachrymis, quasi panibus, sustentabar assidue per dies et noctes, idest, toto tempore hujus peregrinationis, vel per dies prosperitatis, et noctes adversitatis: nam renuit anima mea consolari terrena foelicitate, nec minus renuit contristari terrena adversitate; sed utroque tempore lachrymae meae fuerunt mihi cibus, et potus, dum *dicitur mihi quotidie* ab impiis et incredulis, *Ubi est Deus tuus?* ad quem sitis? cui suspiras? cur diligis quem non vides? Sed posset etiam sic exponi, *Dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* idest, dum quotidie per circuitum omnia lustro quaerens quem diligit anima mea, et dicitur mihi a spiritu meo, a cogitatione mea, *ubi est Deus tuus?* haec enim omnia, quae contemplando perlustrasti, opera sunt Dei, pulchra quidem omnia, sed non sicut Deus tuus: ubi est igitur Deus tuus? ubi quaeres, ut invenias? quando venies, et videbis faciem Dei tui?

4. *Haec recordatus sum et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Pergit in explicando desiderio suo. *Haec*, inquit, *recordatus sum*, quae dicta sunt de inquisitione Dei, *et effudi in me animam meam*. Haec effusio tribus modis accipi potest. Primo, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, idest, evacuavi apud me animam meam omni terrena delectatione, ut intraturus tabernaculum admirabile, et ipsam domum Dei, implerem eam delectationibus Domini mei. Secundo, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, idest, dilatavi animam meam, extendi desiderium meum, ut capax esset tanti boni, quantum inveniet in tabernaculo illo admirabili, ubi est ubertas indeficiens domus Domini. Tertio, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, idest, effudi super me animam meam, transcendi contemplando ipsam animam meam, quomodo dicitur Thren. 3. *Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se.* Vere enim nulla est in hac peregrinatione scala aptior ad attingendum aliquo modo tabernaculum admirabile, et ipsam domum ubi videtur Deus, quam anima nostra, quae est imago Dei: ipsa enim est sublimior coelo, et profundior abysso; et quia animam suam contemplari novit, ac deinde eam transcendere, et per eam ad exemplar ascendere didicit, is pertransibit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Ac ut breviter hunc ascensum attingamus: Anima spiritus est, ac per hoc longe transcendit omnia corpora: sic igitur et Deus spiritus est, et spirituum, corporumque creator, proinde longe transcendit, non solum corpora, sed etiam spiritus. Deinde Anima simplex, et invisibilis cum sit; tamen in toto corpore est, et in singulis partibus tota, omnia membra replens, et nullum occupans locum: sic igitur et Deus unus, et simplicissimus, atque indivisus est; et tamen mundum totum, et res creatas

http://www.obrascatolicas.com

omnes replet, ubique totus, ubique praesens, nusquam inclusus. Tertio, anima non movetur in corpore, et totum corpus portat, movet, regit, vivificat, atque sensificat; quod in morte cognoscitur: anima enim recedente, corpus continuo cadit; et motum, sensum, speciem, et quicquid habebat boni, in momento amittit: quod autem est anima corpori, id est rerum universitati Deus, non quod proprie Deus sit anima mundi, ut Philosophi quidam sensisse videntur; sed quod similitudinem animae habere videatur: ipse enim immobilis in se manens, *portat omnia verbo virtutis suae*, Heb. 1. *et in eo vivimus, movemur, et sumus.* Actor. 17. Quarto, anima intelligens est et tota intellectus quidem est, eminenter continens cognitiones omnium sensuum, et multa praeterea cognoscit, ad quae sensus corporis nullus attingit: sic Deus totus intellectus est, eminenter continens cognitiones omnium hominum, et angelorum, et infinita praeterea, quae intelligentiam nostram superant. Quinto anima non solum theorice multa intelligit, sed etiam practice, atque inde existunt opera ingenii humani plane admirabilia in variis artibus, in aedificiis, hortis, fontibus, aliisque id genus plurimis, ut saepe opera artis humanae cum operibus naturae contendere videantur: sic etiam Deus non solum theorice, sed etiam practice intelligit, et sine instrumentis, sine labore, et sine spatio temporis, solo nutu, atque imperio voluntatis condidit universa. Sexto, anima liberum habet arbitrium, atque inde ad nutum movet corporis membra: sic Deus liberrime dominatur rebus omnibus creatis; unde David ait psal. 118. *Omnia serviunt tibi.* Neque solum anima imago Dei est, quoad essentiam, sed etiam (quamvis obscurius) quoad personarum Trinitatem: nam in anima est mens intelligens, quasi Pater; est notitia producta, quasi Verbum patris; est et amor a mente per notitiam productus, quasi Spiritus. Est etiam in anima foecunditas memoriae, est intellectus, et voluntas, quae tres divinas personas ut cumque repraesentant. Anima igitur supra seipsam effunditur, seque ipsam transcendit contemplando, ut transire possit ad tabernaculum admirabile; ideo subjungit Propheta, *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Per locum tabernaculi admirabilis intelligimus coelestem Jerusalem, quae est tabernaculum non manufactum aeternum in coelo, ubi est domus Dei, de qua dixit in ps. 26. *unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* S. Hieronymus ex hebraeo vertit, tacebo, pro eo quod nos habemus admirabilis. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, אדרם *edaddem*, ut nunc habetur in codicibus hebraicis, quod significat *tacebo*, sed legerunt אדרת *addereth* quod significat, *admirabilis*, et differentia solum est in duabus literis similibus, ut ex figura characterum intelligi potest. Facile autem fuit librariis mutare duas literas in alias similes, et credendum est septuaginta Interpretes habuisse codices hebraicos meliores, quam nos habeamus. Alioqui non potuissent vertere *admirabilis*, pro silebo, nisi imperitissimi fuissent.

5. *In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.*

Declarat Propheta, in illa sua ecstasi, qua effudit supra se animam suam, et contemplando pertransivit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, non pertransivisse tacitum, sed exultabundum, et laudabundum ex admiratione. *In voce*, inquit, *exultationis et confessionis*, adde, pertransibo in locum tabernaculi admirabilis, idest, pertransibo admirans gloriam tabernaculi illius, et ex admiratione prorumpam in vocem exultationis, et confessionis, laudis videlicet Conditoris illius tabernaculi, quae vox erit sonus epulantis, idest, vox laeta et festiva, quales audiuntur in solemnibus, et festivis, ac nuptialibus epulis. Neque enim potest animus contemplantis erigi ad considerandam gloriam coelestis Jerusalem, sine admiratione, et exultatione maxima. Quod attinet ad verba, illud, *sonus*, in graeco est casus genitivi, et s. Augustinus legit, soni, ex quo fieri potest, ut noster Interpres posuerit, sonus, pro sonitus, genitivi casus; sed potest etiam fieri, ut significare voluerit, vocem exultationis et confessionis fuisse sonum epulantis. In hebraeo, pro sono, habetur, המון *hamon*, quod s. Hieronymus vertit multitudinis; sed vox illa hebraica utrumque significat, *sonitum, et multitudinem.* Illud autem, *epulantis*, tam in hebraeo textu, חוגג *chogheg*, quam in graeco ἑορτοίζοντος est, *festa celebrantis*, et sic etiam legunt August. et Euthymius. Sed videtur latinus Interpres declarare voluisse quale festum illud esset, et dixisse *epulantis*, idest, festum convivii solemnis, quale est nuptiale, in quo multa adhibentur instrumenta musica et cantica amatoria: et habetur vox *epulantis* in commentario s. Hieronymi in hunc locum, ne quis existimet recens irrepsisse in editionem vulgatam.

6. *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me.*
7. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Ex illa mentis elavatione, et gaudio spirituali consolatur lachrymas suas: dicens, *quare tristis es anima mea?* idest, quare lachrymae tuae sunt tibi panes die ac nocte, *dum dicitur tibi, ubi est Deus tuus?* quare tam incessabili fletu conturbas me? *Spera in Deo*, idest, quamvis Deum non videas, quem tu ardenter videre cupis, tamen spera in eo; *quoniam adhuc confitebor illi*, idest, quia nondum tempus praeteriit; adhuc erit, quando praesens laudabo Deum, et confitebor misericordias ejus, et dicam illi, *salutare vultus mei, et Deus meus*, idest, tu salus et vultus mei, dum illuminas fulgore tuo vultum meum, et facies, ut videat facies mea faciem tuam, et cognoscam sicut et cognitus sum, et ex clara notitia dicam, *Tu es Deus meus.* In hebraeo habetur, ut etiam s. Hieronymus vertit, *salutes vultus ejus, Deus meus ad me ipsum*, etc. sed manifeste corruptus est hoc loco textus hebraicus, et una litera, videlicet vau, non suo loco posita totam hanc confusionem peperit. Id quod ex repetitione horum verborum, quae habentur in fine hujus psalmi in fine psalmi sequentis perspicuum est. Itaque non est legendum, פניו אלהי *panau elohai*, ut hic legitur, sed, פני ואלהי *panai vehelohai*, ut legitur in repetione: et vera lectio hebraica ad verbum haec est, *salutes vultus mei, et Deus meus.* Dicit autem *salutes* in numero multitudinis, non *salus*, vel *salutare*; quia licet una sit salus nostra, tamen ea multa bona continet, quae etiam salutes dici possunt.

8. *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonijm a monte modico.*

Exponit vicissitudines tristitiae, et consolationis suae; tristitiae ex metu, et periculis hujus vitae; consolationis ex spe, et promissione futurae. Dicit igitur, *Ad me ipsum anima mea conturbata est*, idest, quamvis dixerim animae meae *spera in Deo*, tamen anima mea ad me ipsum respiciens, ad infirmitatem meam, ad modicum lumen, et modicas vires, quae in me sunt, timore magno concutitur, et eo terrore conturbat me: *propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonijm a monte modico*, idest, propterea, ut huic terrori, et conturbationi medicinam faciam, removebo oculos a me ipso, et ad te convertam; et ab hoc Jordane, quem video in hac terra, memor ero tui, idest, memor ero fluminis, quod laetificat civitatem tuam, et torrentis voluptatis tuae, quo potantur, qui apud te sunt: et ab hoc monte modico, qui dicitur Hermonijm quem ante oculos habeo, *memor ero montis sancti tui*, in quo habitas cum sanctis Angelis tuis, et ex hac memoria consolabor animam meam, et desiderium meum. Quis proprie sit mons Hermonijm, et an diversus sit a monte Hermon, non omnino liquet: tamen verisimile est, esse montes diversos, et in diversis locis sitos. Nam et s. Hieronym. in vita s. Paulae distinguit hos duos montes, et constat montem Hermon esse montem amplissimum, et Hermonijm, hoc loco dicitur esse modicus. Fortasse igitur Hermonijm erat mons aliquis in Galilaea non longe a Jordane, cum David haec duo conjungat.

9. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.*
10. *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt*

Pergit narrare tentationes, et afflictiones hujus vitae, et utitur metaphora inundationis aquarum, alludens ad magnum diluvium, quod fuit tempore Noe. *Abyssus*, inquit, *abyssum invocat*, idest, maxima aquarum inundatio, et profunditas super me venit, et alia transeunte illa supervenit, quasi a priore vocata; venerunt autem istae magnae inundationes in voce cataractarum tuarum, idest, in strepitu, et sonitu apertionis cataractarum coelestium, unde aquarum inundatio descendebat. *Et omnia excelsa tua*, idest, omnes gurgites altissimi, *et* omnes *fluctus tui super me transierunt*, idest, omnis illa inundatio, et universum diluvium super me venit. Alludit, ut dixi, ad diluvium generale, *in quo cataractae coeli apertae sunt*, idest, tam ingens pluvia descendit, ac si cataractae aliquae in coelo apertae fuissent, et inde tota illa aqua magno cum impetu descendisset; et ex ea inundatione facta est abyssus, idest, maxima aquarum multitudo, et profunditas. Sed haec metaphora nihil aliud significat, nisi ingentes tentationes et pericula, quibus divina providentia sinit exerceri electos suos. Horum autem periculorum magnitudinem soli spirituales viri, qualis erat David, intelligunt, qui norunt multiformes insidias diaboli, et sciunt quanti referat excidere a gratia Dei: atque haec videtur esse litteralis expositio, quamvis repudiandae non sint piae nonnullorum expositiones, qui volunt, *abyssus abyssum invocat*, significare, abyssus miseriae invocat abyssum misericordiae divinae. Item, abyssus humanae malitiae invocat abyssum divinae justitiae. Item, abyssus secretorum testamenti veteris, invocat abyssum arcanorum testamenti novi. Item, abyssus cordis humani, quod inscrutabile est, invocat abyssum scientiae Dei, qui scrutatur renes et corda. Illud solum addendum est, per vocem invocat, non significari, implorat, sed, vocat, ut ex hebraea voce colligitur: est enim sensus, *abyssus abyssum vocat.*

11. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.*

Redit ad vicissitudinem consolationis, post narratam, et miro modo amplificatam magnitudinem tentationis. *In die*, inquit, *mandavit Dominus misericordiam suam*, idest, posteaquam transierunt inundationes aquarum, et horrendae illae abyssi, in die prosperitatis *mandavit*, idest, *misit Dominus misericordiam*, consolantem, et visitantem. *Et nocte canticum ejus*, idest, sed tempore nocturno, tempore, videlicet, tentationis, et tribulationis, non cessabit canticum ejus, idest, oratio, et gratiarum actio illi oblata. Id quod clarius explicatur in sequenti versiculo.

12. *Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo, susceptor meus es.*

Hoc videlicet est canticum nocturnum, oratio secreta, et cordis potius quam oris. *Apud me*, inquit, *oratio Deo vitae meae*, idest, in sinu meo est jugis oratio ad Deum, auctorem vitae meae; cui cum fide, et fiducia dicam, *susceptor meus es*, id est, in te confido, ad te confugio, tu me labentem suscipies, tu lapsum eriges.

13. *Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?*

Miratur vicissitudines divinae providentiae in servis suis gubernandis, quasi dicat. Cum tu Deus vere susceptor meus sis, *quare oblitus es mei?*

http://www.obrascatolicas.com

idest, unde hoc accidit, ut tentationes, et tribulationes ita me obruant, ut me dereliquisse videaris, cum tu spes mea sis, et fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, *ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus*, cum tu sis protector meus, et adjutor meus?

14. *Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.*
15. *Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, et quare conturbas me.*
16. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Non solum, inquit, affligit me inimicus, te vidente, et spectante, qui susceptor meus es, sed etiam *dum confringuntur ossa mea*, idest, dum ad summam debilitatem, et infirmitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim. *Exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me*, dum assidue mihi dicunt, *ubi est Deus tuus?* idest, illi ipsi, qui me persequuntur, et tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo, quasi frustra in te speraverim: dicunt enim, *ubi est Deus tuus*; quem tu adjutorem, et protectorem tuum esse jactabas? sic legimus exprobratum Tobiae, *ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas?* et infra, *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynae tuae modo apparuerunt*, Tob. 2. Sic etiam Christo exprobratum legimus Matth. 27. *Confidit in Deo, liberet eum si vult.* Sic igitur et Davidi in tribulatione posito exprobrabant increduli hostes ejus; sed is tamen quamvis ad horam turbatus, et contristatus se ipse reprehendebat, et dicebat, *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus*; quae sunt explicata in expositione versiculi 6. et 7.

PSALMUS XLII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Hunc psalmum, qui sine titulo est apud hebraeos, et apud graecos, et latinos nihil habet in titulo, nisi psalmus David, et est quasi appendix, vel potius epitome psalmi superioris, brevissime declarabimus. Precatur igitur David a Deo liberationem ab inimicis, et simul consolatur se spe futurae beatitudinis.

EXPLICATIO PSALMI XLII.

1. *Judica me Deus, et discerne causam meam, de gente non sancta ab homine iniquo, et doloso erue me.*

Videtur David oppressus fuisse, vel a rege Saule, vel tentatus graviter a doemonibus, a quibus cum non posset refugium habere ad homines, Deum Judicem appellat: ait igitur, *Judica me Deus*, idest, tu Deus esto Judex meus; non enim habeo ad quem pro justitia confugiam, nisi ad te. In graeco habetur clarius κρινόν μοι. *Judica mihi*, idest, sis mihi Judex. *Et discerne causam meam de gente non sancta*, idest, dijudica causam, quae mihi intenditur a gente non sancta. In hebraeo et graeco est pulchra allusio nominis ad verbum; hebraice enim habetur, ריבה ריבי *riva rivi*, grace autem δίκασον τὺν δίκυν, quo modo si nos diceremus, *litiga litem meam*, vel, *judica judicium meum*: et quia verba sunt generalia, duplex sensus esse potest in his verbis: unus ut petat a Deo, ut non solum sit Judex, sed etiam patronus; quasi dicat, *Judica me*, et *litiga litem meam*: alter, ut declaret quod dixit, *Judica me*, per verba sequentia, *discerne causam meam*, idest, cognosce causam, et judica judicium meum, proferens justam sententiam ad meum favorem. Vocat autem *gentem non sanctam*, homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox hebraica, לא חסיד *lo chasid*; manifestat, quae proprie significat hominem sine misericordia, et patet etiam ex sequentibus, *Ab homine iniquo, et doloso erue me*, idest, sic judica causam meam, ut per hoc judicium liberes me ab homine iniquo, et doloso, idest, a quovis homine iniquo, et doloso, vel certe ab aliquo certo homine iniquo et doloso, qui erat princeps gentis non sanctae, a quo ipse affligebatur.

2. *Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.*

Hic versiculus est fere idem cum versiculo duodecimo psalmi superioris, et eumdem habet sensum, idest, cum tu Deus *sis fortitudo mea*, et ego in tuo adjutorio unice confidam, unde fit, ut me repulisse videaris, et ego tamquam a gratia repulsus tristis incedam, *dum affligit me inimicus?* Itaque est haec quaedam familiaris, et ex fiducia in Deum procedens expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum, quasi Deus repulisset eum ab amicitia sua.

3. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

Ex hoc versiculo intelligimus, Davidem spiritualem virum fuisse, ut dictum est in psalmo superiore, et sollicitum fuisse de liberatione, non tam a malis temporalibus, quam a periculis peccatorum, et amissionis aeternae vitae. Ait enim, *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*, idest, concede mihi lucem gratiae, et misericordiae tuae, et veritatem, ac fidelitatem tuam: *ipsa* enim *me deducent* in hac periculosa peregrinatione, et *adducent in montem sanctum tuum*, ubi coelestis est Jerusalem, *et in tabernacula tua*, idest, in ipsam domum tuam, ubi sunt multae mansiones, et multa tabernacula, pro electis tuis. Per lucem, et veritatem s. Augustinus intelligit Christum, qui est lux, et veritas. Sed videtur obstare illud pronomen, *ipsa*, cum dicitur, *ipsa me deduxerunt*. Quod habetur expresse in textu hebraico, המה *hemmah*, et graeco in numero multitudinis. Praeterea similis est haec loquutio ei quae habetur in psal. 56. *Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam*, et familiare est Davidi per lucem intelligere gratiam sive misericordiam, ut psal. 66. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Illa vero, *ipsa me deduxerunt, et adduxerunt*, in hebraico codice habentur in futuro, *ipsa me deducent et adducent*; et quamvis septuaginta Interpretes, et vulgata editio habeant in praeterito, tamen videtur esse positum tempus pro tempore, ut Euthymius annotavit. Saepe enim scriptura prophetica, quae futura sunt, explicat per tempus praeteritum ad certitudinem rerum indicandam.

4. *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.*

Explicat quid facturus sit in monte sancto et in tabernaculo Dei, nimirum se facturum, quod caeteri faciunt, qui in domo Dei habitant, quorum munus est sacrificare sacrificium laudis: *Beati*, inquit idem David, psal. 83. *qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Introibo*, inquit, *ad altare Dei*, sacrificaturus videlicet sacrificium laudis: omnes enim, qui domum illam ingrediuntur, continuo sacerdotes fiunt, ut ex illis eorum verbis intelligi potest. *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Apoc. 5. Nec solum ad altare introibo, inquit, sed etiam introibo *ad ipsum Deum*, idest, coram ipso Deo apparebo, quasi ad intimum ejus cubiculum introductus, *ad Deum*, inquam, *qui laetificat juventutem meam*, id est, qui laetificat novam meam juventutem. Nam in patria *renovabitur sicut aquilae juventus nostra*, ut dicitur in psal. 102. et ut Apostolus ait ad Ephes. 4. *Occuremus omnes in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* S. Hieron. vocem, גילי *ghili*, vertit, *exultationem*, pro qua septuaginta verterunt *juventutem*. Sed vocabulum hoc rarissime invenitur in Scripturis: et sicut ex auctoritate sancti Hieronymi credere possumus significare *exultationem*, ita auctoritate septuaginta Interpretum credere possumus significare *juventutem*. Quod autem habetur Danielis 1. גילכם *ghilechem*, non significat, ut quidam scripserunt, *juventutem*, sed similitudinem aetatis. Sanctus enim Hieronymus pro illa voce posuit, *coaevis vestris*, et ex ejus auctoritate sanctus Pagninus in dictionario suo docuit, גיל *ghil*, significare similitudinem. Nemo igitur reprehendere potest septuaginta Interpretes vel editionem vulgatam.

5. *Confitebor tibi in cythara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?*
6. *Spero in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Explicat clarius, quod sacrificium oblaturus sit ad altare Dei, cum venerit in tabernaculum non manufactum, aeternum in coelis. *Confitebor*, inquit, *tibi in cythara*, idest, laudabo te confitendo misericordias tuas, justitias tuas, omnia denique mirabilia tua, et laudabo non solum ore, sed etiam opere, tunc enim optime, et sine ulla discordia, vel repugnantia concordabunt cantus, et *cythara*, idest, voces et opera quae duo in hac peregrinatione raro perfecte concordant. Porro cytharae meminit etiam Apocalypsis, cum describit laudes sanctorum in coelo. Apocal. 5. *Habentes singuli cytharas in manibus*; et cap. 14. *Et vocem, quam audivi, sicut cytharaedorum cytharizantium in cytharis suis.* Quae sequuntur, explicata sunt in fine psalmi superioris.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XLIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem filiis Core ad intellectum.

Titulus hujus psalmi nihil differt a titulo psalmi quadragesimi, nisi quod in eo vox, *intellectus*, praeponebatur, hic postponitur. Ibi erat intellectus filius Core, hic est, filius Core intellectus, ut est in hebraeo, vel ad intellectum, משכיל *maschil*, ut est in graeco, εσυνέσιν, et latino. Et fortasse nullum est in hac transpositione mysterium. Fortasse etiam vox, *intellectus*, praeposita significabat in eo psalmo deplorari calamitates praeteritas vel praesentes: in hoc autem postponitur, quia deplorantur calamitates futurae longe post tempora Davidis: conveniunt enim s. Patres hunc psalmum continere praedictionem rerum, quae post tempora Davidis contigerunt, et graeci quidem, ut Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius docent, psalmum hunc cantari in persona Machabaeorum, qui gravissimas calamitates ab Antiocho, aliisque regibus Syriae, vel Aegypti passi sunt. Latini vero ut Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, volunt in hoc psalmo exprimi voces ss. Martyrum, qui crudelissimas persecutiones a Romanis imperatoribus pertulerunt. Sed conciliari possunt hae Patrum sententiae, si dicamus psalmum praesentem ad utrosque pertinere, ad Machabaeos et ad Christianos: similes enim persecutiones utrique passi sunt, et propter causam eamdem, propter confessionem videlicet, et legem ejusdem veri Dei. Sicut enim psalmus non solum pertinet ad martyres, qui tempore Neronis passi sunt, sed etiam ad eos qui tempore Diocletiani, qui plus ducentis annis fuit Nerone posterior; sic etiam pertinere potest ad martyres, qui sub Antiocho Epiphane decertarunt, qui ducentis circiter annis Neronem praecessit.

EXPLICATIO PSALMI XLIII.

1. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis.*
2. *Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.*

Incipit populus Dei in persequutione positus, et pro afflictione gemens commemorare magnalia, quae Deus pro fidelium suorum defensione aliquando fecit; et mirari, cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur; ut hac commemoratione, et admiratione Deum ad misericordiam flectat. Sed ideo praemisit in titulo David hic intellectu opus esse, quoniam Deus non mutatur, sed medicinam pro tempore mutat, prout populo suo aegrotanti convenire judicat. *Deus*, inquit Propheta in persona ecclesiae, vel martyrum utriusque testamenti, *auribus nostris audivimus*. Dicit autem *auribus nostris*, cum satis fuisse videretur dicere, audivimus, vel *auribus audivimus*, ad majorem certitudinis expressionem: quo modo s. Joannes scribit initio primae epistolae, *quod vidimus oculis nostris, et manus nostrae contrectaverunt*: videbatur satis fuisse dicere, *quod vidimus, et contrectavimus*; sed magnam habet vim ad significandam certitudinem exploratam, illud, *oculis nostris, manibus nostris*. Ita igitur hoc loco dicunt, *auribus nostris audivimus*, idest, nos ipsi audivimus. Addunt continuo unde audierint; ac dicunt, *patres nostri annunciaverunt nobis*, idest, non accepimus incerto rumore ab hominibus ignotis; sed ipsi patres nostri, viri fide dignissimi, qui nos filios suos numquam decepissent, ipsi, inquam, *annunciaverunt nobis*. Quid autem audierint a patribus, explicant cum addunt, *Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis*, idest, annunciantibus patribus audivimus mirabile opus; quod fecisti in diebus eorum, ipsis videlicet videntibus; et etiam *opus, quod fecisti in diebus antiquis*, quod patribus suis narrantibus ipsi patres nostri audierunt. Non multum refert, quod in hebraeo non habetur, *et*, unde aliqui exponunt, in diebus eorum, qui sunt dies antiqui.

3. *Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos, afflixisti populos, et expulisti eos.*

Explicat in particulari unum ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus patrum, ac dicit, *Manus tua gentes disperdidit*, idest, potentia tua disperdidit ex terra promissionis gentes Chananaeorum, et Jebusaeorum, quae in illa habitabant, *et plantasti eos*, idest, et gentibus illis ejectis, plantasti patres nostros in

illa ipsa terra. *Afflixisti populos, et expulisti eos*, idest, disperdidit illos manus tua, qui afflixisti gravissimis praeliis populos illarum gentium, et tandem devictos expulisti, ut locum darent populo tuo. Ex hoc loco intelligimus, quod supra dictum est, *Patres nostri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum*, non esse accipiendum de narratione immediata, sed mediata, idest, mediante successione filiorum: quod enim hoc loco narratur, factum est tempore Mosis, et Josue: non potuit autem Moses vel Josue id narrare per se Machabaeis, aut Apostolis, sed neque Davidi, qui psalmum scripsit, sed narraverunt per successores suos. Illud autem, *Plantasti eos*, continet insignem metaphoram: significat enim ita constitutos, et stabilitos fuisse in terra promissionis hebraeos, ut nonnisi difficulter expelli possent; quomodo ponuntur arbores in terra, quando plantantur, et firmiter radicantur, ut non facile avelli possint. Praeterea quae plantantur non solum firma consistunt, sed etiam crescunt, et multiplicantur: quam metaphoram explicat clarius psalmus 79. *Plantasti radices ejus, et implevit terram: operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.*

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos.*

5. *Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.*

Probat quod dixit, *Manus tua disperdidit eos*, etc. Nam inquit, *non in gladio suo possederunt terram*; idest, patres nostri tempore Mosis, et Josue pugnaverunt quidem cum Chananaeis; sed nisi adjutor, et protector eorum tu fuisses, neque terram possedissent, neque evadere potuissent de manibus hostium suorum: ipsi enim pauciores erant, minus in bello exercitati, et pugnaturi erant adversus urbes munitissimas. Non igitur in gladio suo, idest, virtute armorum suorum possederunt terram promissionis, *Neque brachium eorum salvavit eos*, idest, neque robur eorum tantum erat, ut in praelio captivitatem, vel mortem evadere possent, *sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui*, dedit eis terram possidendam, et salvavit eos a morte; vel captivitate, quando cum Chananaeis pugnabant: et hoc ideo, *quia complacuisti in eis*, idest, non propter eorum virtutes, aut merita, sed quia tibi placuit eligere eos in populum tuum. Illud, *illuminatio vultus tui*, significat proprie benignum aspectum, sive gratiam, et favorem, ut diximus in psalmo superiori versu tertio. Dicitur enim Deus *illuminare vultum suum super aliquem*, quando illum sereno vultu respicere dignatur, id est, cum ejus miseretur, eique gratiam suam impertit. Esse autem verissima, quae hoc loco dicuntur perspicuum est ex libro Josue cap. 6. ubi legimus muros urbis Hierico ad solum clamorem filiorum Israel funditus corruisse, et ex cap. 10. ubi legimus, pugnante Josue, Deum immisisse de coelo lapides grandinis super hostes, et ait Scriptura, *Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.*

6. *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.*

Exponit non admirationem suam populus Dei, dicens: *Tu es ipse rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob*, idest, tu ipse, qui patres nostros adjuvabas, et protegebas, quia rex, et Deus eorum eras, tu inquam, *ipse es etiam rex meus et Deus meus*, et ille idem, *qui mandas salutes Jacob*, idest, qui consuevisti salvare populum tuum qui a parente suo nominatur Jacob. Hoc loco nonnulli volunt supervacaneum esse illud, et, cum dicitur, *et Deus meus*, et exponunt, *tu es Rex meus et Deus meus*. Ratio eorum est, quia illud, *et*, non habetur in textu hebraico. At septuaginta Interpretes habent, *et*, et sic legunt, et exponunt omnes veteres graeci, et latini. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et sensus est sublimior: nam significat scriptura, Deum non solum esse regem populi sui, sed etiam Deum, idest, Judicem totius mundi, aeternum et omnipotentem, qui possit non solum protegere populum suum, quem regit, sed etiam punire omnes adversarios ejus. Itaque retinendum est illud, *et*, et credendum vel excidisse ex hebraeo textu, vel Septuaginta seniores addidisse, illud, ut declararent vocem, *Deus*, non esse vocativi casus, sed nominativi, et aliquid amplius eo nomine significari, quam nomine regis. Est etiam hoc loco observandum, illud, *qui mandas salutes Jacob*, non significare, qui mittis salutes, sed qui praecipis, sive jubes: vox enim hebraica, et graeca hoc significant, et ex illis declaranda est ambiguitas vocis Latinae. Itaque sensus est, *qui mandas*, id est, qui jubes, et praecipis salvari populum tuum: idest, qui solo imperio, et natu potes, et soles salutem dare populo tuo: quasi dicat, *tu es rex meus*, sed non ut alii reges, qui bellando protegunt; sed es etiam Deus meus, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu vales salvare Jacob.

7. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Ostendit nunc, non solum Deum esse eumdem Deum, qui erat tempore patrum, sed etiam populum esse eumdem, et eamdem spem in Deo habere quam Patres habuerunt: hinc enim oritur admiratio, cur idem Deus cum eodem populo ita contrario modo se gerat, ut quem antea victorem nullo negotio faciebat, nunc vinci, et debellari sinat. *In te*, inquit, *inimicos nostros ventilabimus cornu*, idest, nos quoque, si adjutor et protector noster fueris, inimicos nostros vincemus in te, idest, in tuo auxilio confidentes. *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, idest, et invocato nomine tuo non timebimus, nec magnifaciemus impetum hostium insurgentium in nos. Illud, *ventilabimus cornu*, est metaphoricum, ducta similitu-

http://www.obrascatolicas.com

dine a tauris, qui cornibus projiciunt in ventum, et in auras quicquid illis objicitur. Nos, inquit, tua potentia freti, ea facilitate hostes nostros abigemus, et fundemus, qua solet ferocissimus taurus cornibus ventilare paleas.

8. *Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.*

Pergit in demonstranda similitudine inter populum Dei praesentem et antiquum. Sicut enim antiquus populus non in gladio suo possidebat terram ita inquit, *ego et populus tuus praesens non in arcu meo sperabo*, idest, non confidam in viribus et armis meis. *Et gladius meus non salvabit me*, id est, scio et confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

9. *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti.*

Declarat, quod dixit, *gladius meus non salvabit me*, dicens, *salvasti enim nos de affligentibus nos*, idest, confiteor salutem meam non a viribus meis pendere, quoniam quotiescumque salvus factus sum a quacumque tribulatione, tu *salvasti nos ab affligentibus nos*, et tu es qui inimicos nostros, *qui nos oderant*, et perdere cupiebant, *confudisti*, efficiens protectione tua, ut conatus eorum frustraretur, et ipsi confusi ab oppugnatione nostra recederent.

10. *In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in saeculum.*

Concludit ex iis, quae dixit, populum Dei, quotiescumque liberabitur a tribulatione, id beneficium Deo acceptum relaturum, et gloriam omnem ipsi Deo daturum esse. *In Deo*, inquit, *laudabimur tota die*, idest, non in nobis sed in Deo gloriabimur omni tempore, quo de hostium manibus liberabimur: et in nomine Domini invocato, ipsi confitebimur laudem, et gloriam usque in aeternum. Quibus verbis confirmat quod demonstrare volebat; populum esse eumdem, qui antea fuerat, idest, confidentem in Dei auxilio, non in suis viribus ut populus antiquus; non in viribus suis, sed in adjutorio Domini confidebat. Illud *laudabimur*, phrasis est hebraica significans gloriari, non proprie laudari. Similis est phrasis Italica quando dicimus, *Mi lodo del tale*, et habetur haec phrasis in aliis locis multis, ut in psal. 33. *In Domino laudabitur anima mea*. psal. 104. *Laudamini in nomine sancto ejus*, et alibi saepe. Illud autem, *Et in nomine tuo confitebimur*, clarius est in hebraeo, *et nomini tuo confitebimur*. S. Augustinus hos versiculos, a septimo usque ad decimum, vult continere prophetiam futurae victoriae Christi, et Christianorum, quando Ecclesia de omnibus hostibus triumphabit. Sed superior expositio, quae est Chrysostomi, videtur magis litteralis: non enim hic loquitur Propheta, sed populus Dei, qui miratur se a Deo non juvari, cum sit idem populus cum eo, quem Deus tam manifeste auxilio protegebat. Sequitur igitur.

11. *Nunc autem repulisti, et confudisti nos, et non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Hic jam incipit admiratio, et conquestio miserabilis populi graviter afflicti ab inimicis. *Nunc autem*, idest, olim tanto favore nos prosequebaris, *nunc autem repulisti et confudisti nos*: nam tempore Antiochi opprobrium erat vocari Judaeum, et tempore tyrannorum infame erat Christianorum nomen, et videbantur fideles derelicti a Deo. *Et non egredieris Deus in virtutibus nostris* idest, si velimus hostibus repugnare, qui nos affligunt, tu non egredieris nobiscum, ut olim egrediebaris, ut pro populo tuo pugnares. Per virtutes intelliguntur exercitus, ut clare habetur in hebraeo, בצבאותינו *betzibothenu*: sunt enim exercitus armati, vires et robora populi; et virtus hoc loco non virtutem moralem, sed potentiam, et robur significat. Porro tempore persecutionum tam Antiochi, quam imperatorum gentilium tanta erat debilitas in populo Dei, ut non auderent ullo modo resistere; et ideo patiendo, et tolerando solum pugnabant. Sed quamvis ab hoste visibili fugarentur, et caederentur, tamen de hoste invisibili gloriosissime triumphabant: et quamvis in conspectu hominum derelicti viderentur a Deo, tamen in occulto maxima Dei gratia juvabantur. Sed hoc loco de eo tantum agitur, quod foris agebatur et relinquitur filiis Core intelligendum, quod agebatur in occulto.

12. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros et qui oderunt nos diripiebant sibi.*

Pergit in explicanda persecutione. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, idest, fecisti, ut qui primo loco eramus, jam in postremo essemus et tamquam victi, et captivi sequeremur inimicos nostros: et idem inimici nostri, *qui nos odio habebant*, pro arbitrio suo, et nos et nostra *diripiebant*, pro arbitrio suo, et nos et nostra *diripiebant* et *sibi*, idest, in usum suum convertebant. S. Hieron. ex hebraeo reddidit, *vertisti terga nostra hosti*: quem sensum verba hebraica facile admittunt, quae ad verbum sic sonant, *avertisti nos retrorsum ab inimicis nostris*, sed versio graeca, et latina, quae habet, *post inimicos nostros*, non facile sensum illum ferre possunt; qui enim terga vertunt, et fugiunt, non terga vertunt post inimicos, sed ante inimicos. Ideo sensum alium nos supra posuimus ex Chrysostomo, et Augustino: neque repugnat nostra expositio verbis hebraicis; nam pro eo quod haberi diximus, *ab inimicis nostris*, ut legit s. Augustinus, et secundum eam lectionem optime constat explicatio, quam attulimus: sive enim legas, *avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, sive legas, *avertisti nos retrorsum prae inimicis nostris*, semper significatur, nos redactos esse ad locum inferiorem, et posteriorem et in hostium potestatem misere devenisse.

13. *Dedisti nos tamquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.*

Mire describit martyria sanctorum. *Dedisti*, inquit, *nos tamquam oves escarum*, idest, permisisti nos tam facile trucidari, et in tanta multitudine, ac si essemus oves destinatae ad macellum, quae in magna copia, et sine ulla resistentia occiduntur. *Et in gentibus dispersisti nos*; idest, et eos ex nobis, quos occidere hostes noluerunt, permisisti dispergi inter gentes. Ubi notantur exilia in loca remotissima, ad quae frequenter sancti ablegabantur.

14. *Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.*

Aliud supplicium describit, quo sancti martyres tamquam vilissima mancipia deputabantur ad secanda marmora, vel ad curandas bestias, vel ut in theatris laniarentur a feris, ut eo spectaculo oblectarentur spectantium oculi. *Vendidisti*, inquit, *populum tuum sine pretio*, id est, tradidisti populum tuum potestati inimicorum, et nil pretii accepisti. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, idest, et cum hostes, quibus eos tradideras, vellent eos vendere in mancipia, et pro pecunia commutare, non fuit multitudo pecuniae in commutationibus eorum, idest, tamquam vilissima mancipia fere pro nihilo vendebantur, et ad opera abjectissima deputabantur. S. Augustinus legit, *non fuit multitudo in jubilationibus eorum*, et exponit, non remanserunt multi in Ecclesiis, qui Domino jubilarent in officiis divinis celebrandis; sed codices graeci variant, emendatiores autem habent, ut nos in vulgata legimus, quae lectio concordat cum textu hebraico, et sic etiam legunt, et exponunt Ambrosius, Hieronymus, et Chrysostomus.

15. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.*

Ad supplicia corporalia adjungit irrisiones, et opprobria. *Posuisti*, inquit, *nos opprobrium vicinis nostris*, idest, ex eo quod permissione tua devenimus in calamitates, quas paulo ante descripsimus, inde factum est, ut jam simus opprobrio vicinis nostris et subsannemur, ac irrideamur ab iisdem vicinis, qui sunt in circuitu nostro.

16. *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.*

Per similitudinem, intelligitur proverbium, sive parabola, ut clarius dicitur in psalm. 68. *factus sum illis in parabolam*. Ait igitur, *posuisti nos in similitudinem gentibus*, idest, fecisti, ut gentiles de nostra calamitate parabolam, sive proverbium sibi facerent, et cum vellent inter loquendum exemplum proponere rei valde detestandae, nostram miseriam in medium adferrent. Posuisti etiam nos *commotionem capitis in populis*, idest, fecisti, ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur, vel irriderent.

17. *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.*
18. *A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici, et persequentis.*

Explicat effectum irrisionum, qui sine dubio ingens confusio, et verecundia erat. *Tota die*, inquit, *verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me*, idest, omni tempore hujus persecutionis verecundia mea in conspectu meo est, semper video confusionem meam, quae confusio faciei meae totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem haec tota confusio *a voce exprobrantis, et obloquentis*, idest, ab iis, qui mihi exprobrant stultitiam, quod Crucifixum colam; exprobrant impietatem, quod Deos non venerer; exprobrant falsa crimina, infanticidia, incestus, et similia, et de his inter se obloquuntur. Explicat autem qui sint isti exprobrantes, et obloquentes, cum addit, *a facie inimici et persequentis*. Sed videtur haec verecundia, et confusio non convenire sanctis martyribus cum scriptum sit, *Qui erubuerit me, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et patris*. Luc. 9. *Et qui me confessus fuerit, et filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum Angelis sanctis*. Marci 8. Caeterum Dominus non prohibet quamcumque verecundiam, et confusionem; sed eam, quae impedit confessionem. Illi enim reprehenduntur, qui ab hujusmodi verecundia superati, Christum confiteri non audebant, vel etiam ad negandum adigebantur. Istos autem, de quibus in hoc psalmo agitur, non fuisse a verecundia victos, docent verba sequentia.

19. *Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.*

Post explicata beneficia Dei erga patres antiquos, et destitutionem, ac derelictionem populi junioris; subjungit Propheta in persona ejusdem populi causam hujus desertionis non posse tribui peccatis suis: unde colligitur ratio admirationis, et querimoniae. Sic igitur loquitur: *Haec omnia venerunt super nos*, idest, has angustias, et tribulationes passi sumus; et tamen *non obliti sumus te*, idest, non dimisimus te, ut coleremus Deos alienos: solet enim Scriptura conjungere oblivionem Dei cum idololatria. psal. 105. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum; obliti sunt Deum, qui salvavit eos*; et Deuter. 32, *Immolaverunt Doemonibus, et non Deo: Deum, qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui*. Et in hoc ipso psalmo: *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

http://www.obrascatolicas.com

Isti igitur affirmant, se non coluisse Deos alienos; ideo ajunt, *obliti non sumus te, et inique non egimus in testamento tuo*, idest, non solum non adhaesimus Diis alienis obliviscentes te Deum verum; sed neque iniquitatem fecimus contra pactum, quod pepigimus tecum in Sina, ut servaremus legem tuam: nam testamentum hoc loco, ut est clarius in hebraeo, ברית *berith*, pactum significat. Itaque protestantur, se Deum non reliquisse, neque in legem ejus peccasse.

20. *Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.*

Idem repetunt aliis verbis, ut magis innocentiam suam declarent. *Et non recessit retro cor nostrum*, idem est quod, *obliti non sumus te*, idest, cum tecum ambularemus ex corde adhaerentes tibi, non recessimus retro, neque te deseruimus. Illud autem, *et declinasti semitas nostras a via tua*, requirit repetitionem praecedentis negationis, ut sensus sit, *non recessit retro cor nostrum, et non declinasti semitas nostras a via tua*, idest, non permisisti, ut gressus nostri declinarent a via tua, idest, a lege tua, quod est idem cum illo, *et inique non egimus in testamento tuo*. S. Hieron. clarissime vertit ex hebraeo, *et non declinaverunt semitae nostrae a via tua*: quamvis enim in hebraeo non habetur negatio, et verbum declinasti sit in secunda persona singulari; tamen voluit s. Hieronymus sententiam reddere, non verba. Alii quoque Interpretes, ut notat s. Joannes Chrysostomus, addiderunt negationem. Septuaginta Interpretes, quos sequitur editio vulgata, non posuerunt in textu suo negationem, quia non invenerunt in originali, sed tamen ea subintelligenda est, ut in multis aliis locis. Quod si quis omnino velit affirmative exponere illud, *et declinasti semitas nostras a via tua*, poterit per viam Domini intelligere viam misericordiae, et gratiae: nam *universae viae Domini misericordia, et veritas*, psalm. 24. ait idem Propheta. Itaque sensus erit, declinasti semitas nostras a via misericordiae tuae, a favore, gratia, ab auxilio tuo in tribulationibus nostris; cum qua expositione satis conveniunt quae sequuntur.

21. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.*

Si sequamur posteriorem expositionem versiculi superioris, versiculus praesens declarabit quomodo declinaverit Deus semitas populi sui a via sua; quoniam videlicet *humiliavit eum in loco afflictionis*: si vero sequamur priorem expositionem, particula *quoniam*, vel redundabit, ut non semel in Scriptura sacra redundat, vel reddet causam sententiae sequentis, non praecedentis, hoc modo, *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, ideo et cooperuit nos umbra mortis*. Porro humiliare aliquem in loco afflictionis, est dejicere illum in profundum miseriarum: ponitur enim, *in loco*, pro in locum. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, in locum draconum. Et vere vox, תנים *tannim*, quae est in textu hebraico, dracones significat. Sed videntur Septuaginta sensum vertisse, non verbum. Loca enim draconum sunt loca cavernosa, deserta, horrentia, ac per hoc loca afflictionis; et quoniam loca afflictionis obscura sunt, et tenebricosa ut cavernae, putei, tetri carceres, ideo addidit, *et cooperuit nos umbra mortis*, idest, operuerunt nos tenebrae, et ingens obscuritas. Quae omnia metaphorae sunt, quibus tribulationis, et persecutionis magnitudo significatur. Vocabulum, *umbra mortis*, frequentissimum est in scripturis utriusque Testamenti, et ut plurimum conjungitur cum vocabulo, *tenebrarum*, ut est videre Job 3. psalmo 87. et 106. Isaiae 9. Matth. 4. Luc. 1. et nihil aliud significat, nisi magnam obscuritatem. Dicitur autem obscuritas umbra mortis, quoniam in morte extinguitur vita, quae est quasi lumen quoddam, unde extincta vita solum tenebrae relinquuntur. S. Augustinus dicit, mortalitatem esse umbram mortis, idest, imaginem mortis; mortem autem veram esse damnationem cum diabolo, quae dicitur mors aeterna.

22. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*
23. *Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.*

Probant, qui in hoc psalmo loquuntur, testimonio Dei, se revera non esse oblitos Domini, ut supra dixerunt. Dicunt enim: *Si obliti sumus nomen Dei nostri*, et, *si expandimus manus nostras ad Deum alienum* deprecandum, *nonne Deus requiret ista*? quasi dicant, certe requiret, et inveniet an ita sit. *Ipse enim novit abscondita cordis*. Sed profecto inveniet, nos oblitos non esse nomen ipsius.

24. *Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.*
25. *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.*

Concludit populus Dei petens a Deo finem persecutionis. *Quoniam*, inquit, *propter te mortificamur tota die*, idest, quoniam propter confessionem nominis tui quotidie morti tradimur, multi quotidie occiderunt ex nobis, *aestimati sumus sicut oves occisionis*, idest, similes facti sumus ovibus destinatis ad mactationem, quae sine resistentia, vel misericordia jugulantur, *Exurge, quare obdormis domine*? idest, cum causa tua hic agatur, et servi tui tanta patiantur, cur tu siles, quasi dormiens non adverteres? *Exurge a somno*, idest, fac quod illi faciunt, qui surgunt a somno, et incipiunt videre, quod antea non videbant. *Exurge in auxilium nostrum, et ne repellas nos* ab adjutorio tuo *in finem*, idest, usque ad consummationem, finiatur tandem te opem ferente persecutio. Hunc locum adduxit Apostolus ad rom. 8. *Quis*, inquit, *nos separabit a charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.*

26. *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae, et tribulationis nostrae?*

Pergit in eadem oratione, et utitur duabus aliis metaphoris: nam in versu superiore sumpsit similitudinem a somno, nunc sumit ab aversione faciei, et ab oblivione, quorum neutrum cadit in Deum. Dicitur tamen Deus avertere faciem, quando non juvat, quasi non videret miseriam nostram; et dicitur etiam oblivisci, quando non succurrit egentibus auxilio, et tribulatis, quasi esset oblitus eorum.

27. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

In eadem oratione persistens, et sciens, orationem humiliantis se gratissimam esse Deo, dicit, se humiliatum usque ad summum, ut magis humiliari non possit. Qui enim stans orat, potest humiliari flectendo genua; et qui genibus flexis orat, potest adhuc humiliari prosternendo se totum ad terram; sed qui humi prostratus orat, non habet quo descendat, ut magis humilietur. Porro humiliari potest homo corde, et corpore usque ad terram, corde si vere cogitet, et intelligat, et fateatur se pulverem esse, quo modo orabat Abraham cum diceret, *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, Gen. 18. corpore autem si ad terram prostratus oret, quod de Christo Domino referunt Matthaeus cap. 26. et Marcus cap. 14. *Procidit*, inquiunt, *in faciem suam super terram, dicens*, etc. neque obstat quod Lucas cap. 22. dicat, *Positis genibus oravit*: nam positis genibus orare coepit, deinde procedit in terram. Utramque humilitatem prae se ferunt, qui in hoc psalmo dicunt, *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster*, idest, cognoscimus nos pulverem esse, et vere adhaesit in terra venter noster dum corpore prostrati oramus te. Possunt etiam haec omnia referri ad magnitudinem persequutionis, per quam redacti erant ad extremam, et summam ignominiam, et contemptum.

28. *Exurge Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.*

Addunt ultimam, et efficacissimam rationem, cur Deus moveri debeat ad misericordiam erga populum suum, ne videlicet blasphemetur amplius nomen ipsius. *Exurge*, inquiunt, *adjuva nos* in hac tribulatione, *et redime*, idest, libera nos *propter nomen tuum*, idest, ut non blasphemetur, sed glorificetur nomen tuum: et sicut sine pretio vendidisti nos, ita sine pretio redime, non ob nostra merita, sed propter nomen tuum, propter misericordiam, et benignitatem tuam. Ad majorem intelligentiam hujus psalmi videntur expediendae quaestiunculae, quae lectori facile possent occurrere.

Prima quaestio est: Cur ii, qui in hoc psalmo loquuntur, querantur se sine culpa puniri; cum alii sancti persequutiones peccatis suis imputare soleant: nam Daniel cap. 9. loquens de captivitate Babylonica dicit, *Peccavimus, inique fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis, et judiciis tuis*. Et tres pueri sancti in fornacem ignis conjecti, et a Deo mirabiliter liberati confitentur hoc modo, Daniel. 3. *Judicia vera fecisti juxta omnia, quae induxisti super nos, et super civitatem sanctam Jerusalem; peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te, deliquimus in omnibus*. Eadem est vox sanctorum Machabaeorum lib. 2. cap. 7. *Nos*, inquiunt, *propter nos ipsos haec patimus, peccantes in Deum nostrum*. Eadem dicit de persecutionibus Christianorum sanctus Cyprianus in serm. quinto, qui est de lapsis. Respondeo, negari non posse, quin ob peccata populi Deus persecutiones excitari permittit. Caeterum sancti Viri variis modis loquuntur: aliquando enim suscipiunt personam membrorum infirmorum (unum enim corpus sumus, alter alterius membra, et peccata fratrum suorum sibi tribuunt: quomodo saepe lingua confitetur quasi peccata sua, quae tamen a membris aliis patrata sunt: aliquando vero induunt personam perfectorum et sanctorum; qui re vera puniuntur in communi persecutione sine propria culpa. Sic igitur Scripturae allatae inter se non pugnant: nam Daniel, tres pueri et sancti Machabaei loquebantur in persona membrorum infirmorum, isti vero qui in hoc psalmo loquuntur, personam innocentium, et Sanctorum induerunt.

Secunda quaestio: Cur Deus innocentes puniri sinit, cum propter iniquos persequutionem excitari permittat? Respondeo, innocentes in persequutione, non proprie puniri, sed probari: vult enim Deus per atrocitatem persequutionis, quasi super ignem conflatorii, vel per ventilabrum areae purgare Ecclesiam suam, et efficere, ut appareant qui sint veri, qui ficti fideles; qui sint aurum, qui aurichalchum; qui frumentum, qui paleae. *Tribulatio*, inquit Apostolus Rom. 5. *probationem operatur*: et in lib. Sap. cap. 3. *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se: tamquam aurum in fornace probavit illos*.

Tertia quaestio: Cur ergo Sancti quaeruntur de persequutione, et eam cito finiri precantur? Respondeo, quia tribulationem tolerare jubemur, non amare; et nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat: quamvis enim gaudeat se tolerare; tamen mavult non esse quod toleret; ut scripsit s. Augustinus in lib. 10. confess. cap. 28. Deinde, quia persecutio, atque tentatio periculosa est, cum sit incerta victoria, et sancti de se non praesumant.

Quarta quaestio: cur Deus, ut in hoc psalmo dicitur, aliquando populo suo tribuit temporalia bona et victoriam de inimicis; aliquando e contrario aufert eadem temporalia bona, et populum suum ab hostibus vinci, ac debellari sinit? Respondeo, ut omnes intelligant bona temporalia a Deo dari, non a doemonibus, vel a fato aut fortuna; ideo tri-

http://www.obrascatolicas.com

buit illa amicis suis, quando ita expedire judicat. Ut autem amici Dei non haereant temporalibus bonis, neque ament stabulum pro domo, et exilium pro patria ; saepe illis eripit ejusmodi bona, ut in explicatione psalmi quadragesimi ; versu tertio fusius explicavimus.

PSALMUS XLIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro iis, qui commutabantur filiis Core ad intellectum, Canticum pro dilecto.

Summa confessione docent omnes expositores latini, graeci et hebraei, psalmum hunc continere laudes Messiae et sponsae ejus Ecclesiae, ut sit quasi spirituale epithalamium ; et huic argumento titulus satis apte respondet : nam *per eos, qui commutabuntur*, intelligit Propheta fideles populos qui Ecclesiam faciunt : dicuntur autem commutandi, quia mutandi erant per justificationem in hoc saeculo, et per resurrectionem in alio ; qui enim adorabant idola, adoraturi erant Deum verum ; et qui miseram et mortalem ducebant vitam in terris, acturi erant foelicem et sempiternam in coelis. *Per dilectum*, intelligunt omnes Christum, de quo non semel Pater coelestis ait, Matth. 3. et 7. *Hic est Filius meus dilectus*, et quem nemo novit, qui non ardentissime diligat ; cum totus sit suavis et pulcher, quippe *speculum sine macula, et candor lucis aeternae*, ut legitur Sap. 7. Sensus igitur tituli hic erit, canticum datum filiis Core ad intelligenter et sapienter canendum usque in finem, cujus materia est, pro iis, qui commutabuntur, et pro dilecto, idest pro Ecclesia, ei pro Christo, pro Sponsa et Sponso. In hebraeo legitur, pro liliis, ubi nos habemus, pro iis, qui commutabuntur ; sed vox hebraica, ששנים *sciosciannim*, utrumque significare potest, videlicet lilia et quae commutabantur, ut s. Hieronymus fatetur in epistola ad Principiam virginem, in qua totum hunc psalmum diligenter explanat ; et satis commode, qui commutandi sunt lilia dici possunt : cum de Ecclesia, quae est multitudo commutandorum, dicat sponsus, in Canticis cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

EXPLICATIO PSALMI XLIV.

1. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.*
2. *Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.*

Hi duo versiculi continent praefationem totius psalmi, in qua praefatione Propheta docet, hunc psalmum esse meram Prophetiam a Spiritu sancto dictatam, nihilque hic esse ab ingenio suo elaboratum : quamvis enim omnis divina Scriptura sit verbum Dei et a Spiritu sancto inspirata : tamen multum interest inter prophetias, et historias, vel epistolas : nam in edendis Prophetiis sancti scriptores non laborabant cogitando et discurrendo, et ad memoriam aliquid revocando ; sed simpliciter loquebantur, vel scribebant quae Deus illis ostendebat, quod de Hieremia testatur Baruch, Hierem. 36. *quod* videlicet *ita loqueretur, ac si in libro aliquo legeret quod dicebat*. Sed cum sacri scriptores scribebant historias, vel epistolas, inspirabat quidem illis Deus scribendi voluntatem, eosque dirigebat, ut recte et sine errore ullo scriberent ; sic tamen ut etiam ipsi memoriam exercerent et ingenium, ut recordarentur res gestas, et cogitarent rationem et ordinem scribendi : quod de se testatur auctor libri secundi Machabaeorum cap. 2. David igitur cum in psalmis cantabat historias beneficiorum Dei vel calamitatum suarum, aut etiam totius populi, memoriam et ingenium exercebat, et non sine proprio labore psalmos componebat ; quamvis a Deo semper excitaretur, et dirigeretur : cum autem meras Prophetias cancret, vel scriberet, ut in hoc psalmo fecit, nihil suum agnoscebat, nisi simplex linguae, vel manus ministerium. Hoc igitur est quod in hac praefatione dicit, quod ipse idem clarius explicuit in 2. lib. reg. cap. 23. cum ait : *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam*. Ait igitur, *eructavit cor meum verbum bonum*, idest mens mea ex plenitudine, et copia illustrationis divinae et coelestium revelationum protulit foras ad aures hominum psalmum hunc, qui continet verbum bonum, sermonem videlicet gratum, et salutarem omnibus. Sed ad majorem explicationem

notanda sunt aliqua. Primo, usum esse Prophetam vocabulo eructandi, ut ostenderet se non propria voluntate, et propria inventione in hoc psalmo loqui : ructus enim non emittitur voluntarie, et ex electione, sed velit, nolit homo, ex plenitudine stomachi erumpit. Secundo voluisse etiam Prophetam ostendere, se non omnia, quae Deo illustrante cognovit, in hoc psalmo expressisse ; sed modicum quid ex illa plenitudine protulisse : ructus enim signum est repletionis, sed est exiguus flatus ab illa repletione foras erumpens. Multa enim Prophetae vident, quae non licet homini loqui. Unde et Isaias dicebat : *Secretum meum mihi*, Isaiae 24. Et qui revelationes a Deo percipiunt, id ut plurimum fateri solent, se non habere vocabula, quibus eas revelationes ita explicent, ut ipsi eas vident : et fortasse hac de causa Propheta dixit, verbum bonum eructasse cor suum, non verba bona in numero multitudinis. Tertio, verbum bonum vocari hunc psalmum, quia non continet prophetiam rerum malarum ut exitii civitatis, captivitatis, populi, et similium, quae passim a prophetis praedici solebant ; sed praedictionem rerum secundarum, et foelicium, quae magnam laetitiam, et voluptatem sint allaturae. Quarto, Deum in his verbis ita descripsisse emanationem hujus verbi ex corde Davidis, ut alluserit ad productionem Verbi aeterni, et voluerit nos quasi manu ducere ad intelligentiam generationis aeternae verbi divini : vere enim Pater aeternus non eguit auxilio conjugis ad filium producendum ; neque eum ex electione produxit ; neque plures filios genuit ; sed ex plenitudine cordis, sive ex perfectissima intelligentia verbum mentis, et verbum unicum, idque summe bonum naturaliter produxit ut proprie dicere potuerit, *eructavit cor meum verbum bonum*. Sequitur, *Dico ego opera mea regi* : non desunt, qui ista verba sic exponant, *dico ego opera mea regi*, idest confiteor peccata mea Deo, vel dico carmina ista de rege ; vel consecro opus meum regi, vel alloquor in hoc psalmo regem : quas expositiones, ut non reprehendo sic, existimo nostram explicationem melius connecti cum verbis praecedentibus et sequentibus : nostra enim opinione haec pars secunda primi versiculi, reddit rationem, cur David dixerit, *eructavit cor meum verbum bonum* : est enim ac si diceret, ego simpliciter confiteor regi meo, qui est Deus, omnia opera mea ; et non mihi tribuo quod non est meum ; ideo non dixi, ego psalmum istum scripsi ; sed *eructavit cor meum verbum bonum*, idest, non electione mea prodiit, sed ex plenitudine illustrationis tuae. Quod clarissime explicatur in sequenti versiculo, cum dicitur, *lingua mea calamus scribae velociter scribentis*, idest, lingua mea protulit hunc psalmum, sed id fecit, non ut lingua mea, non ut membrum corporis mei, quod ad imperium voluntatis meae movetur ; sed ut calamus Spiritus sancti tamquam scribae velociter scribentis. Dicit autem, linguam suam esse calamum scribae velociter scribentis, et non dicit, linguam suam esse linguam spiritus velociter loquentis, quia vult ostendere linguam suam in Prophetia edenda esse instrumentum separatum, ut revera est calamus ; et non instrumentum conjunctum, ut sunt membra corporis ; vel significare voluit Prophetiam hanc non habituram in ventum quae ore pronunciantur ; sed perpetuo mansuram, ut quae calamo exarantur. Illud autem, *velociter scribentis*, significat, Spiritum sanctum non egere tempore ad considerandum quid, et quomodo scribendum sit : illi enim tarde scribunt, qui inter scribendum cogitant quam sententiam, et quibus verbis scribere debeant.

3. *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.*

Incipit Christum laudare, ac primum a pulchritudine, deinde ab eloquentia, tum a fortitudine et robore, tertio a virtutibus animi, postremo a divina et regia dignitate et potestate, quibus addit etiam exteriora, videlicet vestimentorum, et palatii nobilitatem. Incipit autem a pulchritudine, vel quia describit Sponsum, et in Sponso pulchritudo eloquentiae cedit, eloquentia robori, robur virtutibus, virtutes divinitati. Ait igitur, *speciosus forma prae filiis hominum*. Videtur abrupta sententia et obscura, cum non addiderit, quis sit iste speciosus ; sed ut supra notavimus, ideo dictum est, *eructavit cor meum verbum bonum*, idest, ex plenitudine contemplationis aliquid foras emanavit, non omnia. Sensus igitur est, Nam mirum est, si tu Christe dicaris nam *speciosus forma es prae filiis hominum* : dicit autem, *prae filiis hominum*, et non addit prae spiritibus angelicis, quoniam Deus verbum non angelus, sed homo factus est, ac si dicat, Tu dilecte homo es, sed speciosus forma supra homines. Et vere Christus supra homines formosus est : nam si respicias divinitatem, infinita pulchritudine praeditum videbis ; si respicias spiritualem animae pulchritudinem, speciosus Christus est prae omnibus spiritibus creatis ; si respicias splendorem corporis ejus glorificati, pulchrior sole est, et pulchritudinem ejus sol, et luna mirantur. Sequitur, *diffusa est gratia in labiis tuis*, quibus verbis laudat eumdem Christum a gratia sermonis, quae mirum in modum pulchritudinem ipsam commendat. Dicitur autem *diffusa gratia in labiis*, ut ostendatur permanens, et naturalis fuisse Christo gratia sermonis, non acquisita per studium, aut exercitationem. In Evangeliis legimus Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius*. Et Joan. 7. *Numquam si loquutus est homo sicut hic homo*. Experti sunt sanctus Petrus, sanctus Andraeas, sanctus Jacobus, sanctus Joannes, sanctus Philippus, sed praecipue sanctus Matthaeus vim verborum ejus, et energiam in sermone ejus latentem, qui ad simplicem vocationem subito efficacissime tracti, et persuasi relictis omnibus sequuti sunt eum. Sed mirabilius est, quod voci ejus venti, et mare, et ipsae febres, ac denique mortui obediebant : quamquam nec admirabile videri debet, si verbum substantiale, et divinum, per carnem assumptam verba gratiae efficacissima et suavissima loqueretur. Sequitur, *propterea benedixit te Deus in aeternum*. Possunt haec dupli-

http://www.obrascatolicas.com

cem sensum facere, et utrumque rectum: potest enim accipi illud *propterea*, pro *quia*, sive, *propterea quod*, ut sensus sit, *speciosus es prae filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis*, propterea quod *benedixit te Deus in aeternum*, ut benedictio Dei aeterna sit causa tantae pulchritudinis, et tantae gratiae. Significatur autem per benedictionem hoc loco gratia unionis hypostaticae, quae in aeternum duratura est; inde enim tamquam ex fonte manaverunt omnia dona, quae in Christi humanitatem copiosissime fusa sunt. Sed potest etiam, ut Chrysostomus et alii exponunt, simpliciter accipi, *propterea*, pro particula significante effectum, ut sensus sit, quia *speciosus es prae filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum*, idest, quia amabilis, et gratiosus es prae omnibus, ideo te Deus prae omnibus dilexit, et benedixit in aeternum. Ex quibus verbis non debet colligi, Christum non fuisse amatum, et benedictum a Patre, antequam appareret ejus pulchritudo, et gratia sermonis; sed haec fuisse meritum, sive titulum novum amoris: quomodo dicit ipse Christus Joan. 10. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Et Apostolus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod, et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Videtur tamen prior expositio anteponenda.

4. *Accingere glaudio tuo super femur tuum potentissime.*

Transit a laude pulchritudinis et facundiae, ad laudem fortitudinis militaris, et poetico more non simpliciter narrat; sed per modum precantis sive invitantis dicit: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*: idest, Eja dilecte Deo, qui non solum speciosissimus, et gratiosissimus, sed etiam potentissimus, et robustissimus es, accingere armis tuis, et veni, libera populum tuum. Quae sint autem arma ejus, explicat in sequenti versiculo, dicens:

5. *Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna.*

Verba illa, *Specie tua, et pulchritudine tua*, conjungi possunt cum praecedentibus, ut sit sensus, *Accingere gladio tuo, potentissime; specie tua, et pulchritudine tua.* Possunt etiam conjungi cum sequentibus, ut sensus sit, *specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna*: sed utroque modo significatur, arma Christi esse speciem, et pulchritudinem ipsius. Quod ut intelligatur considerandum est, pulchritudinem veram, et summam, ut Augustinus loquitur, esse pulchritudinem spiritualem, quae numquam marcescit, et quae placet oculis, non hominum solum, sed etiam angelorum, et ipsius Dei, qui falli non possunt. Potest autem pulchritudo spiritualis cognosci ex pulchritudine corporali. Sicut enim corporum pulchritudo consistit in proportione membrorum, et suavitate coloris; ita pulchritudo spiritualis consistit in justitia, quae est proportio quaedam, et sapientia, quae splendet instar lucis, vel potius, ut Sapiens loquitur Sap. cap. 7. *Luci comparata invenitur prior.* Illa igitur est anima pulcherrima, quae habet in voluntate justitiam, in intellectu sapientiam. Haec autem duo, pulchram reddunt animam, ac per hoc amabilem Deo, et simul arma sunt potentissima, quibus Christus diabolum superavit; pugnavit enim cum Diabolo Christus, non sua omnipotentia, ut poterat, sed sapientia et justitia; sapientia vincens astutiam, et justitia vincens malitiam. Diabolus enim astutia sua primum hominem impulit, ut per inobedientiam Deum irritaret; et Deo quidem honorem, sibi autem, et toti humano generi vitam beatam detraheret; cum hac autem astutia, malitia, sive invidia conjuncta fuit: id enim fecit diabolus, quia torquebatur invidia, quod homo ad coelum aliquando ascensurus videretur unde ipse deciderat. Sed Christi sapientia vicit astutiam, quoniam per obedientiam suam in natura humana Deo exhibitam, reddidit honorem Deo multo majorem, quam per inobedientiam Adami amiserat, et simul per eamdem obedientiam exaltavit genus humanum ad gloriam multo sublimiorem, quam ea futura esset, ex qua exciderat. Christus praeterea charitate sua, quae est vera, et perfecta justitia, vicit invidiam, et malitiam diaboli; quoniam inimicos dilexit, et in ipsa cruce pro persecutoribus oravit, et pati, ac mori voluit, ut inimicos suos Deo reconciliaret, et ex inimicis amicos et fratres, et cohaeredes suos efficeret. Hoc est igitur quod nunc dicit, *Specie tua et pulchritudine tua*, idest, decore tuo, qui in specie sapientiae et pulchritudine justitiae consistit, quasi gladio, et arcu accinctus, et instructus intende, prospere procede, et regna, idest, dirige cursum tuum ad praelium contra diabolum, prosperare in praelio, et devicto, ac debellato Principe hujus mundi, acquire tibi Regnum, ut tu deinceps in cordibus hominum per fidem, et charitatem regnes. Per verbum, *intende*, s. Joannes Chrysostomus exponit, intende sagittas; quae expositio probabilis est, quia paulo post dicitur, sagittae tuae acutae. Illud est certum ex textu originali, per *intende*, non posse recte exponi attende, vel considera: sed solum, *intende sagittas*, aut intende seu dirige iter. Quod attinet ad verba, ex Hebr. s. Hier. sic reddit, *gloria tua et decore tuo: et decore tuo prospere ascende.* Sed septuaginta Interpretes aliter acceperunt, vel aliter legerunt easdem voces hebraicas, iisdem literis servatis. Ubi enim hebraei repetunt, decore tuo, quia legunt, והדרך *vahadarecha*, Septuaginta legerunt, וְהַדְרֵךְ *vahadrech*, quod significat, *et intende*, sive *dirige*, a voce, דרך *darach*. Et vocem, צלח *tselach*, quam s. Hieronymus accepit pro adverbio, et reddidit, *prospere*, septuaginta acceperunt pro verbo imperativi modi, et verterunt, *prospere procede*, sive *prosperare*. Et vere vox illa utroque modo accipi potest. Denique vocem, רכב *recab*, quam sanctus Hieronymus recte vertit, *ascende*, Septuaginta verterunt, *regna*, quia sensum potius respexerunt, quam verbum: nam per

ascensionem, regnum interpretati sunt. Potest etiam eadem vox hebraica, et magis adhuc proprie significare, *sede in curru*, vel *in equo*, quae ad regnum referri possunt. Nam cum reges inaugurabantur, equum regium, vel mulam regiam equitabant, ut colligitur ex primo capite libri tertii regum, et sedere in curru triumphali proprium est regum, qui hostes praelio vicerunt.

6. *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.*

Explicat rationem, cur Christus merito regnare debeat; quia videlicet habet virtutes regias: ac si diceret, *prospere procede, et regna; propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam*, idest, quia non desunt tibi regiae virtutes. Hebraeus codex clarius explicat hunc locum ut possit esse vice commentarii: sic enim habet, צדק על דבר אמת ועלוה *hal debar emeth vehanvah tsedek, propter verbum veritatis, et mansuetudinem justitiae.* Ex quibus verbis docemur, duo esse necessaria regi, ut sit verax: sive fidelis in verbis suis; et justus in operibus suis: quod etiam de Deo summo rege dicitur in psal. 144. *fidelis Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Sed quia justitia judicis solet habere annexam asperitatem, quae est quasi naevus justitiae; ideo Christi justitiae, quae perfectissima est, adjungitur mansuetudo. Est enim Christus mansuete justus, idest, justissime judicat, sed sine morositate, sine asperitate, sine arrogantia; non absterret, sed conciliat sibi subditos. Sic igitur verba nostrae editionis explicanda sunt, *regna propter veritatem*, quam in verbis et promissis tuis semper observas: *et mansuetudinem, et justitiam*, idest, et propter mansuetudinem, quam justitiae semper admisces. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*, idest, et cum his virtutibus regnans, mirabiles progressus regni tui videbis, neque egebis auxilio aliorum; sed ipsa dextera tua; virtus, et potentia tua per se sufficiet, ut mirabiliter te deducat, et progredi faciat in regno amplificando, donec ponas omnes inimicos tuos sub scabellum pedum tuorum. In hebraeo legitur paulo aliter quoad verba, sed sensus est idem. Sic enim s. Hieron. vertit, *Et docebit te terribilia dextera tua*, idest, dextera tua vincens, ac sternens hostes docebit te, idest, ostendet tibi, ac cernere te faciet terribiles eventus, strages videlicet inimicorum tuorum.

7. *Sagittae tuae acutae (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.*

Explicat modum, quo dextera regis Christi deductura sit ipsum in amplificando imperio dicens, id fiet, quia *sagittae*, quas jaculaberis dextera tua, *acutissimae sunt*; et ideo penetrabunt *inimicorum tuorum corda, et populi* ipsi inimici sub te cadent, et tuae subjicientur potestati. Nomine sagittarum intelliguntur verba Dei, sive praedicatio verbi Dei: hoc enim est generale instrumentum, quo Christus utitur ad regnum suum propagandum; hinc enim ipse dicit in Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus.* Dicitur autem verbum Dei et gladius et sagitta, et malleus, et similia, quia cum omnibus armis similitudinem habet. Dicitur autem sagitta acuta, quia magnam habet efficaciam penetrandi corda, et multo majorem, quam habet humana cujusvis magni oratoris eloquentia. *Vivus est enim*, ut Apostolus ait ad Hebr. 4. *sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Illud autem, *populi sub te cadent*, per parenthesim legendum est; et dicuntur populi sagittis vulnerati cadere sub isto rege, quia non vulnerantur, ut omnino extinguantur, sed ut moriantur peccato, et vivant justitiae, et eo modo subjecti regi Christo remaneant, eique serviant cui servire regnare est. Illud denique, *in corda inimicorum regis*, in hebraeo et graeco codice, et in multis latinis manuscriptis legitur, *in corde*, non *in corda*: sed parum refert, utrum legatur in corde, vel in corda: nam et verum est sagittas verbi Dei penetrare corda peccatorum, et verum est easdem sagittas semel in corde infixas ibidem haerere, et vulnus amoris alere, et conservare, et eo modo ex inimicis, et peccatoribus, amicos, et sanctos facere. In graecis codicibus legitur *sagittae tuae et acutae potentissime*: sed illud, potentissime, non habetur in hebraeo. Ex quo intelligimus auctorem latinae vulgatae editionis codicem graecum emendatiorem habuisse, quam sint ii, qui nunc circumferuntur, vel certe animadvertisse, illam vocem non esse a septuaginta Interpretibus in textu positam, sed aliunde irrepsisse.

8. *Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui.*

Venit tandem ad supremam dignitatem Messiae, et apertissime vocat eum Deum, et sedem regni ejus aeternam esse dicit, quem locum sanctus Paulus ad hebr. 1. adduxit ad probandum Christum tanto Angelis majorem, quanto major est Dominus servis, et Deus rebus creatis. Ait igitur, *sedes tua*, o Christe *Deus*, non temporalis erit, ut fuit Davidis, et Salomonis; sed manebit *in saeculum saeculi*, 1. reg. 1. Et *virga regni tui*, idest, sceptrum tuum, erit semper rectissimum, atque justissimum: phrasis enim hebraica est, virga directionis, pro virga rectissima, sicut etiam, *Deus scientiarum*, pro Deo scientissimo.

9. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.*

Hunc etiam locum dupliciter possumus intelligere, ut illum versiculi tertii, *propterea benedixit te Deus in aeternum.* Nam illud, *propterea*, potest significare effectum, ut sensus sit, quia *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, obediendo usque ad mortem, et mortem crucis, *propterea Deus unxit te oleo laetitiae*, idest, glorificavit te, et *exaltavit ad dexteram suam, et dedit tibi no-*

http://www.obrascatolicas.com

men, quod est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum, ad Philip. 2. Quae glorificatio recte dicitur *unctio laetitiae*, quia per eam finem accepit omnis dolor. Recte etiam dicitur *prae consortibus tuis*, quoniam etiamsi Angeli quoque glorificati sint, et homines glorificandi sint; tamen nemo exaltatus, vel exaltandus est ad dexteram patris, et nemo accepit, vel accepturus est nomen super omne nomen, uno Christo excepto, qui est caput hominum, et Angelorum, et est simul Deus, et homo. Sed rursus illud *propterea*, significare potest causam, et positum esse pro, *quia*, sive propterea quod, ut sensus sit, *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, propterea quod Deus unxit te oleo gratiae spiritualis prae consortibus tuis, quia videlicet unxit te gratia unctionis hypostaticae, et inde factum est, ut in te spiritus sine mensura effunderetur, caeteri autem omnes de plenitudine tua mensuram spiritus acceperunt; quam expositionem sequitur sanctus Augustinus, et videtur eam sequi s. Basilius, qui hunc locum exponens, dicit, Christo fuisse naturalem dilectionem justitiae, et aversionem ab iniquitate: quoniam illam habuit a nativitate, sive potius a conceptione, et a principio interno: caeteras autem virtutes exercitio, et labore acquirere. Observat autem sanctus Augustinus adversus hebraeos, et haereticos negantes Christi divinitatem, in illa repetitione Deus, Deus tuus; priorem vocem esse casus vocativi, posteriorem nominativi, quomodo etiam hunc locum intelligendum esse docet s. Hieronymus in epist. ad Principiam. Itaque sensus est, unxit te, o Christe Deus, Deus Pater tuus oleo laetitiae; et affirmat idem Augustinus id clarissime apparere in textu graeco, proinde existimandum est in textibus graecis, quos nunc habemus, incuria librariorum, mutatum esse omega in omicron. Cum autem dicitur, Deus Deum unxisse, non intelligimus Deum ratione divinitatis unctum, sed ratione humanitatis: unxit enim Deus Pater Deum Filium, quia Deus filius homo factus est, et ratione humanitatis gratiam unctionis accepit; ipse tamen Deus Filius unctus dicitur, quia ille homo, qui unctus est, Filius Dei, et Deus est.

10. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.*

Hic versiculus obscurissimus est: explicemus igitur primum vocabula, deinde sententiam. Myrrha succus est notus, amarus, et odoratus, gutta nomen est genericum, sed in graeco habetur στάκτη, quae apud Basilium in explicatione hujus loci, est gutta distillata ex myrrha, ita ut sit quasi flos myrrhae, idest, pars subtilissima myrrhae. Sed non videtur verisimile, Prophetam dicere voluisse, Myrrha et gutta myrrhae subtilissima: in hebraeo est, אהלות *ahaloth*, quam Aloe latine dicimus. Est autem Aloe succus item amarus, et odoratus, sed specie distinctus a myrrha; unde in Evangelio legimus ad Christi sepulturam emisse Nicodemum *Myrrhae, et aloes quasi libras centum.* Quod igitur noster Interpres dixit, *guttam*, intelligere debemus, guttam esse Aloes, ut sanctus Hieronymus scribit in epist. ad Principiam; vel myrrhae distillatae, ut sanctus Basilius in Commentario docet. Casia denique frutex est, unde cortex odoratus desumitur, et inter aromata numeratur, quemadmodum et cinnamomum. Per domos eburneas, intelliguntur palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sint ebore: nam in hebraeo non est, בית *baith*, quae proprie domum significat, sed כיהל *hechal*, quod palatium, basilicam, et templum significat. Nomen etiam graecum βαρέων ἐλεφαντίνων, magna palatia significat, ut dicit s. Basilius. Itaque improbabile est, quod aliqui volunt, domos eburneas esse cellas aromatum; et magis improbabile, quod alii volunt, esse thecas, sive arcas, in quibus vestimenta, vel aromata conservantur. At inquiunt, thecae fiunt ex ebore, non autem palatia: verum est, sed non dicuntur hoc loco domus eburneae, quasi totae sint ex ebore: sed quod tectae sint ebore: quomodo domus Neronis dicebatur domus aurea, et porta Constantinopolis porta aurea, quod essent deauratae, vel auri laminis coopertae, non quod totae essent aureae: et sic intelligimus illud 3. reg. 22. *Domus eburnea, quam aedificavit Achab*, et Amos 3. *Peribunt domus eburneae.* S. Gregorius lib. 35. Moralium cap. 13. legit a gradibus eburneis; sed id natum esse ex ambiguitate vocabuli, colligitur ex sancto Hieronymo in epist. ad Principiam. Scribit enim vocem graecam βαρέων, ambiguam esse et significare posse gradibus et palatiis, sive domibus; inde aliquos latinorum hac ambiguitate deceptos vertisse, a gradibus eburneis: sed quia hoc nihil significat, credibile est, mutatum fuisse, et scriptum, a gradibus eburneis. Per *filias regum*, intelligi possunt multitudines variorum regnorum: Scriptura enim passim vocat filiam Hierusalem, filiam Babylonis, filiam Assyriorum, filiam Tyri, pro multitudine populi illarum civitatum, vel gentium. Possunt etiam intelligi ut verba sonant filiae Principum, per quas figurate significantur animae excelsae, ut dicit s. Basilius: totus enim hic sermo figuratus est. His expositis, ut ad sensum veniamus, per aromata, intelligimus virtutes sive dona Spiritus sancti quae spiritualem odorem spirant: et quia paulo ante dixerat Propheta Christo: *Unxit te Deus Deus tuus;* recte subjungit nunc, *myrrha, et gutta, et casia*, explicans odores aromaticos, qui ex illa unctione emanarunt: de quo odore b. Paulus loquitur, cum ait 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus.* Et quoniam in passione sua Christus praecipue spiravit odores maximos virtutum, praecipue fortis patientiae, humilis obedientiae, et ardentis charitatis, ideo nominavit myrrham amaram, sed odoratam, quae convenit patientiae; Aloem quoque similiter amarum, sed odoratum, qui convenit humilitati et obedientiae, de qua b. Paulus. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, Philipp. 2. denique casiam calidam, et odoratam, quae convenit ardentissimae charitati, qua etiam pro crucifixoribus oravit. Luc. 23. Haec autem aromata manabant a vestimentis, et domibus eburneis Christi. *Myrrha,*

inquit, *et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*, supple, manant, vel manabant. Per vestimenta, intelligitur humanitas Christi, quae quasi veste, aut velo divinitatem tegebat: per domos eburneas, intelligitur eadem humanitas, quae erat quasi templum sive palatium candidissimum ob puritatem, in quo divinitas habitabat. Neque mirum videri debet, si res eadem vestimentum, et domus dicatur, nam et Apostolus 2. Corinth. 5. haec duo simul conjungit, cum sic loquitur. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostrae hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in coelis: nam et in hoc ingemiscimus habitationem nostram, quae de coelo est superindui cupientes; si tamen vestiti, et non nudi inveniamur: nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a gloria.* Ubi vides corpus mortale dici domum et tabernaculum et simul vestimentum, *quo nollemus expoliari, sed supervestiri*: et similiter domum coelestem dici vestem, et habitationem. Sic igitur Christi humanitas, unde suavissimi odores virtutum spirabant, vestimentum dici potest et domus eburnea, nisi quis velit, vestimentum referri ad animam, domum eburneam ad corpus, quod ipse Christus Joann. 2. *templum* vocavit cum ait, *solvite templum hoc, et ego in triduo reaedificabo illud.* Neque movere debet, quod in numero multitudinis dicat Propheta, a domibus eburneis: nam domus magna est una, et multae propter multitudinem cubiculorum, et cellarum, unde etiam de domo una dicimus in numero multitudinis, aedes nostrae. Sequitur, *ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo*, idest, ex quibus aromatibus, quae a vestimentis et domibus eburneis humanitatis tuae spirant, *filiae regum*, sive animae regiae, et excelsae, sive multitudines populorum ex variis regnis *delectaverunt te*, dum currunt in odorem unguentorum tuorum. Valde enim delectatur Christus, cum videt multitudines sanctorum excitatas, tractas ab odore suo, currere post eum odorem. Et vere qui spirituali sensu odoratus sentire incipit suavissimum odorem, qui spirat ex patientia, humilitate, et charitate Christi, non potest non currere post eum, et quaelibet tormenta pati potius, quam se ab illo separari patiatur: dicit enim cum Apostolo, *Quis nos separabit a charitate Christi?* Rom. 8. Sed ideo potissimum Christum delectant filiae Regum currentes post odorem unguentorum ipsius, quia id faciunt in honorem ejus, id est, ex pura intentione glorificandi Deum. Martyres enim passione sua currentes post Christum, Deum valde glorificabant; unde dicit Joannes cap. 21. de passione s. Petri a Christo illi praedicta: *Significans*, inquit, *qua morte clarificaturus esset Deum.*

11. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Prophetavit hactenus David de sponso; nunc de sponsa prophetare aggreditur: per sponsam autem intelligunt omnes fere expositores Ecclesiam, quoniam Apostolus ad Eph. 5. apertissime docet, Ecclesiam sponsam Christi esse. Hic igitur est principalis sensus, ut per sponsam intelligatur Ecclesia. Sed possunt etiam haec omnia, quae dicuntur de sponsa, accomodari unicuique animae perfectae, et potissimum b. Virginis Mariae, quae licet Mater Christi sit secundum carnem, tamen est etiam sponsa secundum spiritum, et inter membra Ecclesiae primum locum tenet. Itaque non sine ratione hic psalmus canitur in festis b. Virginis, et aliarum etiam virginum; nec sine ratione de singulis dicitur, *veni sponsa Christi.* Ait igitur David Christum alloquens, *astitit regina a dextris tuis*, id est, assistet sponsa tua, qui rex es, *a dextris tuis*, idest, proxima tibi, et in loco summi honoris infra regalem thronum: assistet autem *in vestitu deaurato circumdata varietate*, idest, in veste pretiosa, qualis decet reginam. Sed verba singula consideranda sunt. *Astitit* ponitur pro assistet, more Prophetico, qui vident futura, quasi jam facta sint. Praeterea notat Chrysostomus, non dici, sedit; sed *astitit*, quia sedere convenit aequali, et ideo filius sedet ad dexteram patris, ut aequalis; ecclesia autem, ut inferior, astitit cum coelestibus potestatibus, quae assistere dicuntur coram Deo. Verbum hebraicum, נצבה *nitzeba*, proprie significat *stetit*, et denotat firmitatem, quasi dicat Propheta, sponsa tua firmiter tibi adhaesit, et ita constituta, et confirmata est, ut nullum sit ei periculum repudii. *Regina*, in hebraeo est, שגל *sciegal*, quod uxorem, et concubinam significat, inde natae sunt variae interpretationes; nam alii verterunt, *assistit uxor*, alii *assistit concubina*; sed septuaginta Interpretes, ut explicarent eam vocem esse intelligendam de vera conjuge, non de concubinis, vertere maluerunt Reginam; neque enim concubinae regum, sed solae legitimae conjuges appellantur reginae: *A dextris tuis*: hae voces non significant, sponsam ita esse a dextris sponsi, ut sponsus intelligatur esse a sinistris, sed sponsum collocant in medio, et solio altiore, a dextris ejus reginam, a sinistris autem alios Principes. Et fortasse voluit Spiritus sanctus per has voces significare incredibilem dignitatem Ecclesiae, quae non solum admittitur ad Regnum coelorum ut assistat cum angelis ante thronum Dei; sed etiam praecedat angelos, ita ut ipsa Ecclesia ex hominibus sit a dextris, coetus autem angelorum a sinistris. Nam etiamsi intermixti sint homines sancti angelis sanctis, et unam civitatem faciant: tamen multi sancti homines multos Angelos in regno coelorum praecedent: et est in Ecclesia hominum beata Virgo, quae omnes angelos praecedit; et caput hominum, et angelorum Christus est, qui non angelus, sed homo est. Hinc autem recte monet s. Joan. Chrysost. ut cogitent homines, quam ingrati sint tantae Dei benevolentiae quando peccant: Deus enim genus humanum et praecipue Ecclesiam ex gentilitate, et idololatria assumptam, ex profundo peccatorum, et vere ex luto faecis, exaltavit ad summam dignitatem, ut cum angelis in regno coelorum assistat et sponsae Dei nomen obtineat. Idque totum ex sola

http://www.obrascatolicas.com

charitate sponsi coelestis, qui *dilexit eam, et tradidit semetipsum pro ea, ut sanctificaret, et mundaret, et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*, ut scribit Apostolus ad Ephes. 5. *In vestitu deaurato circumdata varietate*. Pro his omnibus verbis non sunt in textu hebraico, nisi haec duo verba, בכתם אופיר *bechethem ophir*, idest, *in auro de ophir*, quae verba s. Hieronym. vertit *in diademate aureo*, alii aliis modis. Sed septuaginta Interpretes explicare voluerunt quid includeretur in illa generali voce hebraica, et recte dixerunt significari vestem pretiosam, et omnia alia ornamenta sponsae, quae pro varietate membrorum varia sunt, ut diadema, monile, cingulum, calcei, et similia; quae explicatio desumpta videtur ex eo, quod paulo infra dicitur, *In fimbris aureis circumamicta varietatibus*. Quid autem haec significent spiritualiter, patres non uno modo exponunt. S. Augustinus per aurum intelligit sapientiam; per vestem doctrinam, per varietatem linguas varias, quibus haec eadem doctrina Ecclesiastica praedicatur. S. Basilius intelligit quidem per vestem auream doctrinam Ecclesiasticam, sed per veritatem varia dogmata, moralia, naturalia, theorica practica, etc. S. Hieronymus, et s. Chrysostomus intelligunt per vestem auream, gratiam justificationis, per varietatem, varias virtutes, fidem, spem, dilectionem, humilitatem, et alias. Quae explicatio confirmari potest ex cap. 19. Apocalypsis, ubi dicitur: *Sponsa ornata byssino splendenti et candido*: et exponens s. Joannes dicit, *byssinum enim justificationes sunt sanctorum*. Posset addi, non solum varietatem ornamentorum sponsae consistere in variis virtutibus, quae singulis necessariae sunt, sed etiam in variis donis, quae pro varietate membrorum Ecclesia possidet: alia enim sunt dona Apostolorum, alia Martyrum, alia virginum, alia doctorum, alia confessorum, et alia aliorum.

12. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

Alloquitur nunc ipsam Ecclesiam eamque fideliter, et pie monet. Vocat autem *filiam*, vel quia loquitur in persona Dei patris, ut s. Hieronymus dicit, vel quia loquitur ut unus ex patribus Ecclesiae, ut dicit s. Augustinus. Sed quando sponsa intelligitur b. Maria Virgo, tunc omnino proprie filiam vocat David, quia ex ejus carne propagata est. *Audi filia*, inquit, idest, audi vocem sponsi tui, *et vide*, idest, considera diligenter quae audis, *et inclina aurem tuam*, idest, humiliter obedias praeceptis ejus. *et obliviscere populum tuum, et domum patris tui*, idest, ut facilius sponso servias, obliviscere mundum, et quae in mundo sunt: nam ex mundo electa est Ecclesia, et ex mundo exivit; et quamvis adhuc in mundo sit, tamen de mundo esse non debet, sicut et sponsus de mundo non est: mundus, autem recte dicitur populus eorum, qui diligunt mundana bona, et idem mundus est domus patris nostri veteris Adami, qui de Paradiso ejectus fuit in hunc mundum; nisi magis placeat, per patrem intelligi Diabolum, qui est pater omnium iniquorum, juxta illud Joan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis*. Et certe, qui cogitabunt, quae supra diximus de ineffabili amore sponsi, qui tradidit semetipsum, ut nos de profundo lacu eueret, et in summum coelum transferret, et faceret nos gloriosam sponsam suam; non difficulter amorem suum a mundo abstrahent, ut totum in sponsum transferant. Vox autem illa, *obliviscere*, magnam emphasim habet: significat enim radicitus a mundo amorem abstrahendum, ut non solum a desiderio, et cogitatione; sed etiam a memoria omnium recedat, ac si numquam fuisset.

13. *Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*

Reddit rationem, cur debeat sponsa oblivisci populum suum, et domum patris sui, ut tota sit amori, et obedientiae sponsi coelestis intenta: quia videlicet sic fiet, ut rex concupiscat pulchritudinem tuam videre, et apud se habere. Et quoniam vera sponsae pulchritudo interior est, ut paulo infra clarius explicatur, ubi dicitur, *omnis pulchritudo filiae regis ab intus*, et virtutibus consistit, ac praecipue in obedientia mandatorum ejus: sive in charitate, a qua dependent omnia mandata, ideo addit, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, idest, ideo diliget pulchritudinem tuam, quae in obedientia ipsius posita est. *quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Nihil enim magis requirit a servis Dominus, neque Deus a creaturis, quam obedientiam. Et ut intelligamus hunc sponsum esse Dominum absolute, et Deum verum, addit, *et adorabunt eum*, idest, sponsus tuus non est talis, ut cum eo praetendere possis aequalitatem, sed est quidem sponsus tuus per gratiam, sed Dominus tuus, et omnium creaturarum per naturam, et illi ab omnibus debetur adoratio. In hebraico textu non habetur. *Deus*, seu solum *Dominus*, ubi nos habemus, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Sed non solum septuaginta, verum etiam s. Hieronymus, verterunt, *Dominus Deus tuus*: et ex adoratione illi debita colligitur, esse non Dominum tantum, sed etiam Deum, idest, non Dominum qualemcumque, sed supremum Dominum. In eodem hebraico textu, והשתחוי לו *vehisthachavi lo*, ut etiam in graeco habetur. *Et adorabis eum*: sed in sensu non est discrepantia: Deum enim adorare debent omnes creaturae; proinde ipsa etiam sponsa debet adorare; neque lectio ista, *adorabunt eum*, recens est: nam invenitur apud s. Augustinum, s. Basilium, s. Chrysostomum, et alios; imo s. Hieronymus in epist. ad Principiam dicit Septuaginta vertisse, *adorabunt eum*. Proinde lectio graeca, προσκυνήσεις αὐτῷ, quae nunc habet, *adorabis eum*, non est ex editione septuaginta Interpretum, vel corrupta est. Et quia ut saepe diximus, septuaginta Interpretes habuerunt optimos codices hebraicos, credendum est, lectionem hebraicam ab eo tempore, librariorum errore fuisse mutatam, quod facile fieri potuit, cum voces hebraicae, *adorabunt* et *adorabis* non differant, nisi in ultima litera, י *jod* et, ו *vau* videlicet, quae facile variari potuit propter summam inter eas similitudinem.

14. *Et filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.*

Quia dixerat; *Et adorabunt eum*, Sponsum videlicet, addit, ipsam etiam sponsam, ut reginam, muneribus, et supplicationibus honorandam. *Et filiae Tyri*, inquit, *in muneribus vultum tuum deprecabuntur*, idest, et filiae gentilium inimicorum antea sponsi tui subjicientur imperio ejus, et veniet ad te, ac faciem tuam deprecabuntur, non solum precibus verborum, sed etiam donis et muneribus. *Omnes divites plebis*, id est, quod dixi de filiabus Tyri, intellige potissimum de potentioribus, quales in primis divites esse solent. Hoc etiam loco singula fere verba explicationem propriam desiderant. *Et filia*, in hebraico est, ובת *ubath*, *Et filia*, et sic legunt sancti Basilius, et Chrysostomus, et graecus codex nunc ita habet: sed tamen s. Hieronymus et Augustinus in comtario legunt, *Et filiae*. Si legamus, Et filia Tyri, significabitur civitas, sive populus Tyri, quomodo dicimus filia Babylonis, filia Hierusalem: si legamus, Et filiae significabuntur foeminae civitatis Tyri meminit autem foeminarum potius quam virorum, quia sponsam alloquitur: solent enim ad reginam familiarius foeminae accedere, quam ad Regem viri. Sed sicut per Sponsam non intelligimus hoc loco veram mulierem, sed Ecclesiam, quae viros foeminasque complectitur, sic etiam per filias Tyri intelliguntur omnes gentiles, sive masculi, sive foeminae sint. Tyri vox hebraea, צר *tzor*, ambigua est: nam et robustum sive potentem significare potest, et simul etiam civitatem, quae dicitur Tyrus. Sed septuaginta Interpretes Tyrum interpretati sunt, eam interpretationem sequutus est latinus Interpres; et omnes patres graeci, et latini eam exponunt, excepto s. Hieronymo in epist. ad Principiam, qui, *filiam fortissimam*, et legere maluit, et exponere. Porro Tyrus civitas erat gentilium, magna, et celebris, et in finibus terrae promissionis, et ideo a vicina civitate denominavit Propheta omnes gentiles. *In muneribus*, munera vocat oblationes, quas gentiles conversi ad fidem obtulerunt in aedificationes, vel ornamenta Ecclesiarum; in alimoniam pauperum, et similia opera bona. *Vultum tuum deprecabuntur*. S. Basilius, et quidam alii per vultum sponsae, intelligunt caput Ecclesiae, idest, Christum; sed simplicior expositio est, ut, per vultum sponsae, ipsa Ecclesia intelligatur: est enim phrasis hebraica, deprecari vultum alicujus, pro eo quod est deprecari aliquem ut 1. reg. 11. *Faciem Domini non placavi* et psal. 94. *Praeoccupemus faciem ejus in confessione*, et psalm. 118. *Deprecatus sum faciem tuam*. Dicimur autem deprecari faciem, quia cum precamur aliquem, faciem ejus aspicimus, et ex faciei tristitia, vel hilaritate intelligimus, an ille sit nobis propitius vel iratus, quem precamur. *Omnes divites plebis*. Haec est appositio, quasi dicat, filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur; non omnes in muneribus, sed divites tantum.

15. *Omnis gloria ejus, filiae regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.*

Quia saepe David de pulchritudine, et ornatu Sponsae loquutus est, ne quis forte putaret, ea corporalia esse, occurrit hoc loco ejusmodi carnalibus cogitationibus, ac dicit, *omnis gloria* sive decoris faciei sive pretiosarum vestium, *hujus reginae, ab intus est, et si fimbriis aureis ornata, et circumamicta* dicitur variegata veste, ista omnia spiritualia sunt, interna sunt, in corde requirenda sunt. Hinc s. Petrus monet Christianas mulieres, 1. Petr. 3. ut ad similitudinem hujus sponsae ornatum interiorem adhibeant. *Quarum*, inquit *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus*. Neque tamen reprehendendus est exterior cultus Ecclesiarum in sacramentorum celebratione, in ornatu altarium, in sacris solemnitatibus: non enim hic agitur de materiali Ecclesia, sed de hominibus, qui populus Dei, et Christi membra sunt, quorum praecipua pulchritudo, et ornatus in virtutibus consistit, ut supra diximus; ex quibus tamen virtutibus nasci debent extrinsecus opera bona. *ut qui ea vident, glorificent patrem nostrum, qui in coelis est*, ut Salvator docet, Matth. 6. Porro per fimbrias aureas, nihil aptius intelligi posse videtur, quam ipsa charitas, quae comparatur auro, quia pretiosissima, et praestantissima virtutum omnium est, et similis fimbriis dici potest, quia sicut a fimbriis desinunt vestimenta, et ab eisdem fimbriis folciuntur: ita finis omnium mandatorum, et virtutum est charitas, et a charitate dependent omnia mandata, et ab eadem formantur, et perficiuntur omnes virtutes. Quid sit autem vestis variegata, supra diximus. De hac autem variegata veste loqui videtur Apostolus cum ait, *Induimini viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, etc. Coloss. 3. Quod attinet ad verba, illud pronomen, *ejus*, non habetur nunc in hebraico, vel graeco textu; tamen legitur a sancto Hieronymo in epist. ad Principiam, et in commentario psalmorum tamquam ex versione septuaginta, et legitur etiam a s. Augustino; et vox hebraica, si legatur cum puncto in ultima litera, significabit, *gloria ejus*. Verum tamen est, illud, *ejus*, esse referendum ad phrasim hebraicam, et secundum latinam phrasim redundare. Quod autem Sponsa dicatur filia regis, mirum esse non debet; nam sponsa filii regis, usitate dicitur *filia regis Patris*, quia sponsus, et sponsa sunt duo in carne una. Non ignoro in textu hebraico diversam esse interpunctionem a greca, et latina interpunctione, sed non multum curanda est interpunctio, quae a Rabbinis adjuncta est codici hebraico, et magis credendum

http://www.obrascatolicas.com

est septuaginta Interpretibus, quam omnibus Rabbinis posterioribus.

16. *Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi.*

Quamvis unica sit sponsa Christi eaque unice dilecta, idest, Ecclesia universalis, tamen post eam sunt etiam Christi sponsae, praecipua quadam praerogativa praeter caeteros fideles, illae animae, quae in carne virginitatem suam Deo voverent, et ipsi soli placere studuerunt. De quibus dicit Apostolus 1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est: et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro.* De his loquitur nunc Propheta et virginitatem, quae Christo virgini mirifice placet, quippe qui pascitur inter lilia, his duobus versiculis commendat. *Adducentur*, inquit, *regi Christo virgines post eam*, idest, post principalem sponsam Ecclesiam adducentur etiam ad nuptialem thalamum sponsi coelestis omnes illae animae, quae virginitatem suam Deo dicarunt. *Proximae ejus afferentur tibi*, idest, illae virgines solae afferentur tibi sponso, quae principali sponsae tuae Ecclesiae proximae fuerint, idest, quae illi conjunctae, atque unitae fuerint; quod dicitur, ut sancti patres Basilius et Augustinus, et alii exponunt, ad haereticos et schismaticos excludendos: virginitas enim extra Ecclesiam non habet sponsae praerogativam. Et quoniam initio diximus, quae in hoc psalmo legimus de sponsa, posse intelligi etiam de B. Maria matre Domini, quae virginum regina jure appellatur; possumus etiam quae sequuntur de illa exponere, ut sensus sit, adducendas esse ad Christum omnes veras Virgines, post eam, idest post matrem Domini; et proximas ejus, idest, quae illi per imitationem aeternae integritatis propinquarunt, afferendas esse ad nuptias ejusdem sponsi, et regis Christi.

17. *Afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis.*

Explicat gaudium tam multiplicium nuptiarum: *Afferentur*, inquit, *in laetitia et exultatione*, idest afferentur virgines ad nuptias cum magno plausu, et jubilo totius coelestis Jerusalem. Fortasse etiam notatur hoc loco canticum illud, quod soli virginum choro in coelesti regno cantare licet: de quo sic legimus in Apocal. 14. *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Foelices animae, quae sequuntur Agnum itinere virginali gradientem; et in laetitia et exultatione dicunt canticum novum, ignotum videlicet antiquis patribus, quod nemo alius dicere potest; et cum hoc jubilo adducentur in templum regis, idest in coeleste tabernaculum, quod et palatium propter magnificentiam, et templum propter sanctitatem dici potest.

18. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.*

Exposuit hactenus Propheta dignitatem et ornamenta sponsi et sponsae: nunc fructum nuptiarum exponit, dicens, nasciturum ex hoc matrimonio foelicissimam prolem, quae toti orbi terrarum imperatura sit. Dubium autem est, ad quem loquatur propheta, ad sponsum, an ad sponsam: ad sponsum loqui dicunt aliqui recentiores, ea ratione ducti, quod in hebraeo illa pronomina *tuis et tibi*, sint generis masculini: ad sponsam autem hunc sermonem dirigi docent, sancti patres Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum iis Euthymius in Commentariis. S. Hieronymus in epist. ad Principiam utroque modo exponi posse affirmat: quod quidem verum est; sed patrum communis sententia praeferenda est: neque repugnat huic sententiae textus hebraicus, si puncta removeantur, vel mutentur, ut periti facile intelligunt. Quoniam igitur monuerat sponsam propheta, ut oblivisceretur populi sui et domus patris sui, id est, majorum suorum; nunc eam consolatur, promittens copiam filiorum loco patrum, quos reliquit, et quorum oblivisci jussa est; et simul, ut diximus, praedicit fructum nuptiarum sponsi coelestis, et Ecclesiae sponsae foelicissimum fore. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, idest, pro patribus, quos habuisti, et jam mortui sunt, idest, pro patriarchis et prophetis, et pro patribus, quos reliquisti in gentilitate, et quorum oblivisci jussa es, *nati sunt tibi filii*, idest, apostoli et discipuli Christi, qui tantae excellentiae erunt, ut toti orbi leges dare possint, ideo *constitues eos principes super omnem terram*. Vere enim populi, primi Ecclesiae filii, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis Monarcha facere potuit. Nam, ut s. Joannes Chrysostomus notat Monarchae Romanorum non potuerunt Persis leges dare, neque Persae Romanis: Apostoli vero, et Romanis, et Persis, et omnibus aliis gentibus leges dederunt. Et sicut in prima aetate; Ecclesia pro patribus Patriarchis, filios apostolos habuit: ita etiam in sequenti aetate pro patribus apostolis filios episcopos habet, qui si non singuli, omnes tamen principes sunt super omnem terram; et hoc modo per successiones episcoporum, semper Ecclesia pro patribus filios habet, quos in patrum sedibus et dignitate constituat.

19. *Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, et generatione.*

Concludit psalmum, dicens, spirituales has nuptias in psalmo decantatas, et fructum nuptiarum, idest, nobilissimam prolem ex hoc sancto connubio nasciturum, non alium finem habituram, nisi perpetuam Dei laudem. Nam, inquit, *filii isti, qui patribus substituentur*, et ipsi quoque patres filiorum evadent, *memores erunt nominis tui*, id est, cantabunt potentiam et gratiam tuam *in omni generatione et generatione*. In hebraeo et graeco codice habetur in singulari, *memor ero nominis tui*, et sic legunt graeci patres, et sic etiam habetur in plurimis latinis codicibus manuscriptis: sed quoniam s. Hieron. et Augustin. in commentariis legunt, *memores erunt nominis tui*, et Ecclesia in officio Ecclesiastico, cum festos dies Apostolorum celebrat, hos versiculos ita canit: non visum fuit expedire, ut in bibliis recognitis tempore Sixti V. et Clementis VIII. hic locus mutaretur, praesertim cum in sensu nulla sit diversitas. Qui enim legunt, *memor ero nominis tui*, volunt hoc dici a Propheta, qui pollicetur Deo, se omni tempore cantaturum Dei laudes ob tam ingentia beneficia humano generi praestita, quae in hoc psalmo explicata sunt. Caeterum quia David moriturus erat, et non poterat ipse per se in omni generatione, et generatione canere laudes Dei, dicunt, illum significare voluisse, se cantaturum per alios, qui sibi invicem succedentes usque ad mundi consummationem psalmos istos cantaturi erant. Haec autem expositio non est diversa a superiore: idem enim est dicere, *ego memor ero nominis tui, et cantabo laudes tuas per memoriam, et linguam aliorum*, qui sibi invicem succedent; et, *filii tui*, qui sibi invicem succedent, *memores erunt nominis tui*, et has laudes tuas a me conscriptas perpetuo decantabunt. Notat autem s. Joannes Chrysostomus, Davidem prophetam praeter alia multa, quae praevidit et praedixit, hoc etiam de suorum carminum aeternitate praevidisse et praedixisse, quod videlicet, nullo unquam tempore ipsorum celebratio intermittenda esset; quam prophetiam impletam esse et quotidie impleri cernimus.

20. *Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, et in saeculum saeculi.*

Ex eo quod apostoli et eorum successores episcopi semper memores futuri erunt nominis Domini, et laudes ejus cantaturi et praedicaturi, recte colligit Propheta, id etiam futurum esse, ut populi fideles ab episcopi instituti, confiteantur Domino laudes ejus *usque in aeternum, et in saeculum saeculi*, in hac vita et in futura: quamvis enim in patria cessabunt preces et lachrymae; tamen laudatio et glorificatio non cessabit.

PSALMUS XLV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem filiis Core pro arcanis.

Recentiores interpretes nonnulli psalmum hunc scriptum esse volunt in gratiarum actionem, pro victoria Davidis ab inimicis suis Dei auxilio reportata; sed mirum est nulli veterum patrum venisse in mentem ejusmodi argumentum. Nam s. Ambrosius, s. Hieronymus, s. Augustinus, s. Basilius, s. Joannes Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius magno consensu docent, psalmum esse intelligendum de liberatione Ecclesiae Christianae a persecutionibus infidelium. Et confirmari potest haec explicatio ex titulo psalmi; illud enim, *pro arcanis*, satis aperte demonstrat, prophetam non loqui de re praeterita, sed de futura et ejusmodi, ut tempore Davidis occultissima esset, et nonnisi Deo revelante sciri posset. Igitur psalmus praesens recte subjungitur psalmo superiori: in illo enim praedicta est Ecclesiae exaltatio ob nuptias spirituales cum rege Christo Domino: in hoc autem praedicitur persecutio et liberatio a persecutione; quae liberatio potissimum futura est, ut s. Basilius arbitratur, in consummatione saeculi.

EXPLICATIO PSALMI XLV.

1. *Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.*

Milites Christi non minus vincunt fugiendo tentationes, quam tolerando. Quando fugiendum est, Deus refugium tutissimum est; quando tolerandum est, *Deus virtus*, et fortitudo est: utroque autem tempore *adjutor est in tribulationibus*: nam adjuvat praebendo refugium et adjuvat praestando victoriam. Illud autem, *quae invenerunt nos nimis*, significat, tribulationes gravissimas fuisse, quae initio exortae sunt adversus ecclesiam et re-

http://www.obrascatolicas.com

pente ac inopinato irruisse: nam ut legitur in actis Apostolorum cap. 2. et 3. post Ascensionem Domini et adventum Spiritus sancti, ecclesia aedificabatur et crescebat in Jerusalem magna cum pace et tranquillitate. *Quotidie*, inquit s. Lucas, *perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem, et Dominus augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum.* Sed paulo post coepit vehementissima persecutio, flagellatis Apostolis, Stephano lapidato, et omnibus discipulis dispersis, praeter Apostolos. In hebraeo textu legitur, *adjutor in tribulationibus inventus est nimis*, idest, Deus in tribulationibus inventus est auxiliator valde potens. Uterque sensus optimus est; sed quod attinet ad veritatem lectionis, adhaerendum est septuaginta interpretibus, qui sine dubio vocem illam hebraicam, נמצא *nimtza*, paulo aliter legerunt; alioqui numquam vertissent, *invenerunt*, nisi valde imperiti fuissent. Notat s. Basilius, multos habere in ore versiculi hujus verba, *Deus refugium nostrum, et virtus*, sed paucissimos ex vero affectu ista pronunciare; quod inde colligitur, quoniam ad superandas tribulationes tanto ardore confugiunt ad humana praesidia, vel etiam ad artes diabolicas, quasi Dei auxilium pro nihilo haberent. Contra autem sanctus David ideo dicit, *Deus noster refugium, et virtus*, quia parum omnino in hominum robore vel armis, vel industria confidebat.

2. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.*
3. *Sonuernnt, et turbatae sunt aquae eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus.*

Hi duo versiculi obscurissimi sunt, sed nos sanctos patres Basilium et Chrysostomum sequimur. Igitur ex eo quod dixit populus Dei, *Deus refugium nostrum, et virtus*, concludit, se impavidum fore, etiamsi terra, et mare sursum ac deorsum moveantur, et sedes suas horribili cum sonitu mutent. *Propterea*, inquit populus Dei, *non timebimus, dum turbabitur terra*, idest, dum forte turbabitur terra, sive etiamsi maxime turbetur terra, *et transferantur montes in cor maris*, idest, etiam ipsi montes, qui a Deo fundati et radicati videntur, ut immobiles esse censeantur et agitentur, et fluctuent et in profundum mare praecipitentur, idest, si ita sit, si ista fiant, *non timebimus*, quia Deus omnipotens refugium nostrum, et virtus nostra est. *Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum*, idest, non timebimus, etiamsi ex translatione montium in cor maris, resonent et turbentur aquae maris. Dicit autem, *eorum*, id est, marium, quia ubi nos habemus, *in cor maris* in textu hebraico, בלב ימים *beleb jammim*, et graeco est, ἐν καρδίαις θαλασσῶν, *in cor marium*: noster autem interpres mutavit numerum multitudinis in numerum singularem in voce, *maris*, et reliquit numerum multitudinis in pronomine *eorum*, et inde nata est obscuritas. *Et conturbati sunt montes*, id est, etiamsi ipsi montes translati de terra in mare conturbentur, amissa videlicet stabilitate sua, in fortitudine ejus, in potentia et robore Dei. Deus enim est, qui solus potest conturbare terram, et transferre montes in cor maris, et ipsum mare montesque tremefacere, juxta illud ps. 76. *Viderunt te aquae Deus, et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.* Et psal. 103. *Qui respicit terram, et facit eam tremere;* et Isaiae 51. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus.* Itaque in his versiculis declaratur maxima fiducia populi Dei qui non timebit, etiamsi mundus ruat; et simul insinuatur maxima Dei potestas, qui potest elementa omnia conturbare, et movere sicut revera conturbabit, et movebit in consummatione saeculi, *quando erunt terrae motus maximi per loca, et prae confusione sonitus maris et fluctuum, arescent homines prae timore;* et tunc populus Dei non solum non timebit, sed aspiciet, et *levabit caput suum*, ut in Evangelio dicitur, *quoniam appropinquabit redemptio ejus.* Possunt haec omnia figuratae intelligi, ut per terram intelligantur homines terreni, sed etiam potentes et superbi, quales erant reges magni, ecclesiae inimici; per mare autem amaritudo tribulationis et poenarum, quibus in novissima die involventur omnes impii. Itaque turbabitur terra, quando *impii terrae amatores turbabuntur timore horribili*, ut dicitur Sap. 5. *et montes transferentur in cor maris*, quando magni quondam reges, qui ecclesiam persequebantur, demergentur in profundum abyssi: et tunc sonabunt, et turbabuntur aquae marium, quando futura ultima tribulatio horrendum in modum turbabit impios, et reges eorum, in fortitudine Dei, quoniam tunc apparebit quanta sit potestas irae Dei in peccatores.

4. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum altissimus.*
5. *Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo.*

Ostendit nunc quare non timebit populus Dei, quando turbabitur terra et montes transferentur in cor maris: et rationem esse dicit, quoniam pro amaritudinis abundantia, quae turbabit impios, dabitur Ecclesiae abundantia voluptatis, quae eam laetificabit: et pro instabilitate montium, qui transferentur in cor maris, dabitur Ecclesiae stabilitas perpetua, quia Deus arit in medio ejus. *Fluminis*, inquit, *impetus laetificat civitatem Dei*, idest, non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, quia non irruent in Ecclesiam fluctus maris amari; sed fluminis aquae dulces et clarae magno impetu, magna videlicet copia, et abundantia voluptatis laetificabunt eam. In hebraeo habetur, נהר פלגין *nahar pelagau, fluminis rivi, sive divisiones*, pro eo quod nos habemus ex graeco, *fluminis impetus*. Sed non sunt contraria; nam rivi aquarum possunt et cum impetu, et sine impetu fluere: voluerunt autem septuaginta interpretes declarare, rivos illos non remisse, et tenuiter fluere, sed cum magna plenitudine, et impetu ad significandam vehementiam dulcedinis, quae redundat in civitate Dei; sicut in alio psal. 35. dicitur, *torrente voluptatis tuae potabis eos.* Addit propheta, *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, quasi dicat, ideo laetificat civitatem suam Deus, quia eam elegit, et sanctificavit in tabernaculum sibi, eamque esse voluit propriam suam habitationem, juxta illud Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt: Deus in medio ejus non commovebitur;* hoc opponitur instabilitati terrae et montium, quasi dicat, non timebit civitas Dei ne forte transferatur in cor maris: nam *Deus est in medio ejus*, idest, Deus non recedit ab ea, sed praesentissimus illi adest, utpote *in medio*, in intimis, in corde ejus, et ideo ista civitas non commovebitur, sed aeterna stabilitate solidabitur. Et concludit ostendens, unde, et quando ista erunt, dicens, *adjuvabit eam Deus mane diluculo*, idest, laetitia et stabilitas dabuntur civitati Dei, quoniam Deus adjuvabit eam in exortu diei, id est, incipiente die foelicitatis aeternae. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis, tempus fidei aurorae, visionem Dei claritati diei. B. Paulus ad Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinguavit.* Et b. Petrus in 2. epist. cap. 1. *Habetis firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et sponsa in Canticis cap. 2. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.* Et Propheta Malachias cap. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiae.* Et cum hac sententia satis apte cohaeret antiqua lectio, quam habet sanctus Augustinus, et cujus meminit s. Ambrosius, et quam amplectitur Ecclesia in officio Ecclesiastico, *adjuvabit eam Deus vultu suo*, idest, adjuvabit eam adjutorio omnium maximo, et potentissimo, quando ostendet ei vultum suum, quod tunc erit, quando sol justitiae manifeste se illi ostendet et inchoabit diem illum ab initio mundi a sanctis omnibus desideratum, et expectatum: de quo dicit Apostolus, *scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*, 2. Timoth. 1.

6. *Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.*

Praedicit verbis propriis, quod figuratis ante praedixerat, destructionem videlicet inimicorum Ecclesiae; unde pax universalis et perpetua consequetur. Quod igitur antea dixerat de terra, et montibus, nunc dicit apertius de gentibus et regnis. *Conturbatae sunt*, inquit, *gentes*, quia appropinquat interitus earum; *et inclinata sunt regna*, idest, dejecta ab altitudine sua, et usque ad terram prostrata. *Dedit vocem suam*, Deus videlicet intonuit de coelo, *et mota est terra*, idest, contremuit, vel liquefacta et desolata est terra: nam vox hebraica, מוג *mug, liquescere et dissolvi est.* Quod autem hic dicitur de regnorum terrenorum destructione, praedictum fuit clarius a Daniele cap. 2. ubi dicitur, *regnum Christi consumpturum omnia regna, et ipsum mansurum in aeternum;* et explicatum fuit ab Apostolo, 1. Cor. 15. illis verbis, *deinde finis cum tradiderit regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.*

7. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

In his omnibus ruinis gentium, et regnorum, non timebit populus Dei, quoniam dicere poterit, *Dominus virtutum*, idest, exercituum, *nobiscum est. Susceptor noster*, idest, qui nos tuendos suscepit, *Deus Jacob est.* Dicitur autem Dominus virtutum, idest exercituum, quoniam omnes angeli, qui plurimi et potentissimi sunt, ad nutum illi obediunt, juxta illud psalmi 102. *Potens virtute facientes verbum illius.* Nec solum angeli sunt milites Dei, sed omnes omnino res creatae: nam *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus*, ut dicitur in psal. 147. et ut dicitur in psal. 118. *Omnia serviunt ei.* Itaque duo argumenta proponuntur in hoc versiculo, quibus apertissime demonstratur posse, ac debere populum Dei nihil timere: primum est, quia Dominus potentissimus, cui omnia militant, hujus populi adjutor est. Alterum, quia hic idem Dominus non solum potest, sed etiam vult populum suum juvare, cum dici velit Deus Jacob, idest, Deus populi hujus, qui dicitur Jacob a Patriarca illo sancto, et Dei amicissimo, ex cujus progenie carnem sumere dignatus est.

8. *Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae.*

Hortatur omnes gentes, ut cogitent mirabilia opera Dei, atque illud in primis, quod erit in novissimo tempore, quando sublatis omnibus inimicis, vel potius subjectis omnibus sub scabellum pedum Christi, finis erit omnium bellorum, et solus regnabit Deus, nullo amplius resistente, vel rebellante. Quod regnum expectamus et petimus, cum quotidie dicimus in oratione Dominica, *adveniat regnum tuum. Venite*, inquit, *et videte*, idest accedite per fidem et mentis oculis contemplamini et considerate *opera Domini, quae posuit prodigia super terram*, idest, considerate opera, quae Deus ponet (nam praeteritum ponitur pro futuro more prophetico) super terram, tam admiranda et stupenda, ut prodigia nominari possint. Ponet autem haec prodigia, *auferens bella usque ad finem terrae*; vero enim mirabile est, potuisse ex tota terra usque ad ultimos ejus fines auferri bella, et ita auferri, ut in aeternum renovari non possint. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *quantas posuerit desolationes in terra*, pro eo quod nos legimus, *quae posuit prodigia super terram*: et sensus idem est: nam ex desolatione totius terrae transla-

http://www.obrascatolicas.com

tis justis in coelum, et detrusis impiis in infernum, orietur cessatio bellorum in universa terra. Verbum tamen hebraicum, שמות *sciammoth*, utrumque significat, *desolationes* et *admirationes* sive prodigia: nam vox, שמם *sciamam*, significat admirari et desolari: proinde septuaginta interpretes recte verterunt, *prodigia*, cum vox hebraica id significet; quamvis etiam desolationes significare possit.

9. *Arcum conteret, et confriget arma, et scuta comburet igni.*

Declarat quod dixit, *auferens bella*; ac dicit id futurum esse, quia Dominus destruet omnia arma, tam quibus usus est in feriendo, quales sunt arcus et lanceae, quam quibus utuntur milites ad sui defensionem, qualia sunt scuta: sine armis autem bella geri non possunt. In hebraeo pro voce, *arma*, habetur in specie חנית *chanith*, *hasta*, sive *lancea*; sed septuaginta maluerunt vertere *arma*, quia sine dubio Propheta nomine arcus, et lanceae significare voluit omnia arma offensiva; itaque sensus est, arcum conteret et confriget reliqua arma. Pro voce vero, *scuta*, est in hebraeo, currus, et quidem sensus est idem, quia et scuta, et currus militares, et omnia similia instrumenta belli cremanda praedicuntur: tamen sciendum est, vocem hebraicam, עגלות *hagaloth*, significare currus, quia currus rotundi sunt; proprie enim vox illa rotunditatem significat. Quoniam igitur scuta etiam rotunda sunt, et melius conjunguntur scuta cum lanceis et arcubus, quam currus; ideo septuaginta prudenter verterunt, *scuta*. Hos duos versiculos aliqui exponunt de pace temporali, quae fuit tempore Augusti, vel Constantini, sed longe melius conveniunt in aeternam pacem, quae erit in fine saeculi, quando Ecclesia desinet esse militans, et incipiet esse triumphans; omnibus videlicet hostibus undique debellatis.

10. *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.*

Dixerat paulo ante Propheta, *venite, et videte opera Domini*. Nunc ut ostendat quomodo venire oporteat, si quis opera Domini intelligere velit, dicit, *vacate et videte*, ac ut magis persuadeat, inducit Deum ipsum loquentem et exhortantem, *vacate, et videte, quoniam ego sum Deus*. Nam contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a tumultu perturbationum saecularium; radix autem omnium perturbationum est cupiditas: ex desiderio enim divitiarum, deliciarum, honorum, et similium rerum, oriuntur occupationes molestissimae, quae nullam omnino quietem homini sic affecto relinquunt. Hinc Hieremias de vero contemplativo dicit, *sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se*, Thren. 3. et Dominus praecepit, Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum*. Quid sit enim clauso ostio patrem orare, exemplo suo nos docuit, qui ut plurimum oraturus ascendebat in montes, et solus orabat, remotus videlicet, ab omni strepitu curarum, et negotiorum. Sed, ut diximus, praecipua vacatio debet esse a concupiscentia rerum terrenarum: nam qui nihil desiderat, quae videntur, etiamsi multum occupetur in auxilio proximorum, facile colliget animum, cum voluerit, et vacabit, et videbit, quoniam Dominus ipse solus est Deus; ipse principium et finis, ipse spes tota fidelium in terris, et vera foelicitas eorum in coelis: nam et David occupatissimus erat in regno administrando, et sanctus Gregorius (ut etiam alii plurimi sancti Pontifices) in administrando Pontificatu; et tamen altissimis contemplationibus suspendebantur, eo quod alas mentis a luto concupiscentiae liberas gererent. Ipse etiam Apostolus sollicitudine omnium ecclesiarum premebatur, et labore manuum ad victum quaerendum exercebatur; et tamen quia a desideriis saecularibus liberrimus erat; non solum vacabat, et videbat, sed etiam usque ad tertium coelum rapiebatur, et audiebat arcana verba, quae non licet homini loqui. Contra vero multi sunt homines otiosi, quod attinet ad occupationes negotiorum; sed quia carnales sunt et saecularibus desideriis implicati Deo vacare non norunt. Ait igitur, *vacate*, idest, otium sanctum quaerite, et animum purum, et tranquillum afferte, et videte attentissime cogitantes, *quoniam ego sum Deus*, idest, ego sum Deus solus, et nulla res creata, quamvis magna, et sublimis videatur, est Deus ego solus sum id quod est; ego solus *ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia*, Rom. 11. ego solus sine quo nihil potestis, et nihil estis, et in quo omnia potestis, et vere estis. *Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra*, idest, ego cum mirabilia fecero, quae supra dicta sunt, apparebo sublimis coram omnibus gentibus, et coram omni orbe terrarum, ita ut omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum. Nam in fine saeculi nullus omnino erit, qui Deum contemnere audeat; sed omnes vel volentes, vel inviti agnoscent supremum ejus imperium; illique subjicientur. Sanctus Basilius, et aliqui alii mystice interpretantur hanc exaltationem de exaltatione Christi in cruce: ut sensus sit, *vacate, et videte, quoniam ego*, qui homo esse videor, sicut homines caeteri, vere tamen *sum Deus, et exaltabor inter gentes, et in terra* suspensus in cruce ad ignominiam, et supplicium in oculis impiorum. Vere autem per hanc ipsam crucem exaltabor in omnibus gentibus, et in omni terra, quia omnia traham ad me ipsum, et jugo fidei, atque obedientiae meae, ipsi etiam summi reges cum populis colla submittent. In hebraeo est, *cessate et videte*, quod potest intelligi de cessatione a negotiis et desideriis saecularibus, ut diximus, et eam litteralem, et propriam expositionem esse censemus: tamen non est improbanda sententia illorum, qui volunt, in his verbis exhortationes contineri ad impios, ut sensus sit, Cum ea futura sint, quae sunt paulo ante explicata, *cessate jam* tandem a peccato infidelitatis, et a persecutionibus impiorum, *et videte* oculis fidei, *quoniam ego sum Deus*, et idola vestra non sunt Dii: ego enim solus in fine saeculi *exaltabor in gentibus, et in omni terra*.

11. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

Concludit psalmum repetitione versus septimi, ut affectum piorum, exortatione illa Dei rursum excitatum, et renovatum fuisse demonstret.

PSALMUS XLVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro filiis Core, Psalmus.

Titulus nihil continet novi; sed de argumento quaestio esse potest: non enim desunt ex recentioribus, qui psalmum ad litteram exponendum esse censeant de asportatione arcae foederis in montem Sion a Davide. Moventur autem ea ratione, quod sicut in hoc psalmo scriptum est, *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae*; ita scriptum sit 2. reg. 6. *Ducebant arcam Testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinae*, et pro verbo *ducebant*, in hebraeo est, מעלים *mahalim*, idest, *ascendere fecerunt*. Caeterum sancti Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum eis Theodoretus et Euthymius, nullam arcae mentionem fecerunt, et simpliciter totum psalmum de victoria et ascensione Christi exposuerunt. Eorum sententia nobis sequenda esse videtur, tum propter ipsorum auctoritatem, tum quia si de sola arcae asportatione ad litteram ageretur, non esset opus omnes gentes ad laetitiam invitare: neque similia sunt, quae dicuntur in 2. lib. reg. cap. 6. iis, quae dicuntur in hoc psalmo: ibi enim dicitur, *ascendere fecerunt arcam*: hic dicitur, *ascendit Deus*, et rursum repetitur, *et Dominus in voce tubae*: sunt autem valde diversa, *ascendere fecerunt arcam*, et, *ascendit Deus*: illud enim recte redditum est per verbum *ducebant*; quod proprie convenit arcae ligneae, quae non movetur nisi ab alio deferatur, at, *ascendit Deus*, ad eum refertur, qui propria virtute sursum abiit.

EXPLICATIO PSALMI XLVI.

1. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.*

Invitat Propheta sanctus omnes gentes, ut voce, et gestibus laetitiam animi ostendant: omnes gentes invitat, quia gloria capitis toti corpori communis est; corpus autem non solos Judaeos, sed etiam gentes comprehendit: Ecclesia enim, quae corpus Christi est, toto terrarum orbe diffunditur. Quod autem ad plaudendum manibus invitat, non significat strepitum corporalem edendum, ut recte s. Chrisost. admonuit; sed metaphorica loquutio est, quae indicat gaudendum, et laetandum esse, ut ii faciunt, qui prae gaudio exiliunt, et manibus strepitum, et voce clamores excitant: nam idem Propheta non solos homines ad plausum, et exultationem invitare solet, sed etiam coelum et terram, et flumina, et montes, et arbores, psal. 95. *Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus; gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt: tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit*; et in psal. 23. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini*; quae omnia metaphorica sunt, neque aliud significant, nisi ingentem animi laetitiam hominis cupientis, si fieri posset, ut omnia sibi congauderent. Neque omittendum est, quod monet s. Augustinus, illorum dumtaxat gaudium Deo gratum esse, qui manibus plaudunt, et voce exultant, idest, qui operibus bonis, et voce laudis testantur se in Domino gaudere.

2. *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.*

Reddit rationem Propheta, cur omnes gentes ad plaudendum, et exultandum invitaverit: ac primum rationem ducit a magnitudine Christi, quem dicit esse *excelsum* ratione divinitatis, *terribilem* ratione potentiae, et *regem magnum* ratione providentiae, et gubernationis. *Quoniam*, inquit, *Dominus excelsus*, idest, cum plausu, et exultatione

http://www.obrascatolicas.com

jubilate Deo gentes omnes, quoniam Deus, et Dominus noster Christus excelsus est, sive altissimus (ut vertit s. Hieronymus) quoad naturam divinam, ratione cujus longe excellit omnibus rebus creatis. Item quoniam *terribilis* est, quoad potentiam, cum vere sit omnipotens, et nihil ei resistere possit. Denique, quia *rex magnus super omnem terram*, quoad gubernationem, cum ipse sit supremus, et absolutus, et universalis rector orbis terrae.

3. *Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.*

Alteram rationem ducit a beneficio, quod Ecclesiae suae contulit in principio, quando eam eduxit de terra Aegypti: tunc enim Deus, sive Christus secundum formam Dei introduxit populum in terram promissionis, et populos, ac gentes, quae loca illa possidebant, subjecit populo suo, et fecit, ut re ipsa pedibus conculcarent colla Regum illarum gentium; ut scribitur in libro Josue cap. 10.

4. *Elegit nobis haereditatem suam speciem Jacob, quam dilexit.*

Tertiam rationem ducit ab alio beneficio, quo idem Deus Christus, post ejectos Chananaeos, et populum suum in eorum terram introductos, elegit sibi in peculiarem, et propriam haereditatem primitivam Ecclesiam, ex Judaeis credentibus, idest, Apostolis, caeterisque discipulis. *Elegit*, inquit, *nobis*, idest, in nobis, sive ex nobis, *haereditatem sibi*, populum videlicet peculiarem. *Speciem Jacob, quam dilexit*, idest, elegit pulchritudinem quamdam eximiam populi Judaici, qui dicitur Jacob; quam pulchritudinem merito adamavit, et ideo ex eo populo Ecclesiam, quasi propriam haereditatem sibi ipse constituit. Observandum est hoc loco, in populo Judaico plurimos fuisse durae cervicis, et idololatriae addictos, ac per hoc tandem reprobatos; sed fuisse etiam sanctissimos Patriarchas, quorum spiritualem pulchritudinem Fidei, ac morum Deus valde dilexit. Unde et Apostolus dicit Rom. 11. Judaeos fuisse Deo charissimos propter patres, et ecclesiam ex Judaeis esse bonam olivam, cujus aliqui rami fracti sunt ob incredulitatem, et in eorum locum insertos esse gentiles conversos ad fidem, quos oleastros appellat, et iisdem gentilibus jam fidelibus dicit: *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivae factus es, noli gloriari adversus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas sed radix te.* Haec igitur est species Jacob, quam Deus dilexit, et propter quam elegit sibi haereditatem ex populo Judaeorum, cui postea adjunxit multitudinem gentium. In hebraeo codice nunc habemus, Elegit nobis haereditatem nostram: sed septuaginta Interpretes, qui verterunt, haereditatem sibi, sine dubio non legerunt, נחלתנו *nachalathenu*, quod significat, haereditatem nostram, sed, נחלתו *nachalotho*, vel, נחלה לו *nachala lo*, quod est, haereditatem sibi. Et facile fuit post tempora septuaginta Interpretum mutari textum ob litterarum similitudinem. Certe sententia multo clarior est, quam reddiderunt septuaginta Interpretes, quam ea sit, quam nunc recentiores colligunt ex hebraeo. Quid enim sit, *elegit nobis haereditatem nostram*, vix intelligi potest; at, *elegit in nobis haereditatem sibi*, facillime intelligitur.

5. *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae.*

Haec est quarta ratio, cur oporteat plaudere, et exultare, quia videlicet, posteaquam Dominus *elegit sibi haereditatem* in populo hebraeorum, idest, inchoavit Ecclesiam suam in Apostolis, et Discipulis, qui omnes hebraei erant, ascendit in coelum, et naturam nostram personae suae indissolubiliter unitam evexit supra omnes coelos, super omnes Angelos, et super omnes creaturas. Quamvis enim in hoc psalmo non exprimatur, quo ascenderit; exprimitur tamen in psalm. 67. ubi dicitur, *ascendit in altum, captivam duxit captivitatem*; et ibidem, *ascendit super coelos coelorum ad orientem.* Ait igitur, *ascendit Deus*, idest, Christus ascendit in coelum, sed ascendit propria virtute, quia Deus erat: ideo enim dicit, *ascendit Deus*. Illud, *in jubilo, et in voce tubae*; de spirituali jubilo, et sono angelorum intelligendum est: nam, ut Chrysostomus notat, quod ad corporalem strepitum attinet, ascendit in silentio apostolis aspicientibus, et mirantibus; et fortasse non sunt visi, neque auditi chori angelorum, ut in nativitate ut apostoli nulla alia re distraherentur, sed toti essent intenti ad cogitandum mysterii magnitudinem, dum viderent, naturam humanam, cui dictum erat, Gen. 3. *pulvis es et in pulverem reverteris*, jam cum ingenti gloria et immortalitate indutam ascendere super omnes coelos: sed tamen dubitari non potest, quin adessent angelorum legiones ineffabili jubilo deducentes Dominum gloriae in gloriam suam.

6. *Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.*
7. *Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.*

Antequam subjungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum, et ad effectum suum significandum non semel tantum dicit, sed iterum, atque iterum repetit. *Psallite*, inquit, *Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite*; idest, *psallite Domino*, quia Deus noster est; nimirum, *psallite*, quia *rex noster est*, et tertio psallite, quia non solum rex noster est, sed quia *omnis terrae rex est*. Nec solum psallite frequenter, sed etiam *sapienter*, idest, attente, et considerate, ut nulla in re fiat error: oportet enim officium, quod summo regi praestatur cum omni diligentia praestari. Vide de hac re s. Bernard. serm. 7. et 47. in Cantica. Significatur etiam per vocem, *sapienter*, ut Chrysostomus, et Augustinus admonent, ut qui psalmos canit, intelligat quod canit, et ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum. In qua re videtur hoc tempore non leviter peccari ab iis, qui officium canendi in ecclesia, susceperunt.

8. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.*

Quinta ratio ponitur hoc loco, cur oportet psallere, et jubilare Deo in voce exultationis; quia videlicet Christus, posteaquam in coelum ascendit, per Apostolos suos toti orbi terrarum praedicavit Evangelium, atque ad regnum suum gentiles adduxit. *Regnabit*, inquit, *Deus super gentes*, idest, non contentus Christus Deus haereditate, quam sibi acquisivit ex populo Judaeorum, regnabit etiam super gentes, dum per Apostolorum praedicationem gentes omnes jugo fidei colla subjicient. Sed interim *sedet super sedem sanctam suam*, idest, sedet ad dexteram Patris, quae est sedes regni Dei sanctissima, idest, justissima, et in quam nulla cadere potest iniquitas. Vocatur etiam sedes Dei sancta, quoniam anima justi sedes est sapientiae, et Deus sedet super Cherubim, qui sunt sanctissimi et beatissimi spiritus.

9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt.*

Declarat quod dixit, *regnabit Deus super gentes*. Id enim futurum erat, quia per Apostolorum praedicationem *principes populorum*, cum ipsis suis populis fideles futuri erant, et dimissis Diis Patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus, congregandi erant. Hoc igitur est, quod dicit, *principes populorum*, gentilium videlicet, *cum Deo Abraham congregati sunt*, idest, cum Deo Abraham convenerunt, ut ipse esset eis in Deum, et ipsi populus ejus essent. Nominat autem Deum Abraham, ad differentiam Deorum, quos sibi variae gentes adoptarunt, cum in mundum ingressa est idololatria, quo tempore apud familiam Abraham, pro eo quod nos habemus, cum Deo Abraham; sed septuaginta Interpretes non legerunt, עם *ham*, sed, עמ *him*, eaedem enim literae cum uno puncto, significant *cum*, cum alio significant *populus*. Et vel ex hoc loco intelligi potest, puncta non esse ubique recte collocata: nam si legamus ut legerunt septuaginta Interpretes, sensus est clarissimus: si vero legamus, ut nunc est in hebraeo, sensus nullus, aut obscurissimus erit. Quid enim est, *principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham?* haec enim lectio nunc habetur in textu Hebraico. Quod autem sequitur, *quoniam Dii fortes terrae vehementer elevati sunt*, s. Augustinus exponit de superbis hominibus, qui non convenerunt cum Deo Abraham, sed reprobi facti sunt ob eorum superbiam. S. Joan. Chrysostomus exponit de apostolis, per quos principes populorum conversi sunt ad Deum Abraham, ut sensus sit: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham; quoniam Dii fortes terrae*, idest, Apostoli, *vehementer elevati sunt*; cum pleni fuerint donis sapientiae, et fortitudinis, et miraculorum in tantam eminentiam, ut Principes populorum eis resistere non potuerint. Vere enim Apostoli Spiritu Sancto repleti tam fortes fuerunt, ut omnia pericula, omnia tormenta, omnem potentiam diaboli, et omnem mundi sapientiam superaverint. Sed potest etiam satis commode ad litteram intelligi de iisdem principibus populorum, ut iidem sint principes populorum, et Dii fortes terrae, ut sensus sit: *principes populorum cum Deo Abraham congregati sunt*, quoniam ipsi, qui sunt quasi Dii quidam, et potentes in terra, vehementer elevati sunt, cum antea essent per idololatriam servi doemoniorum, et nunc sint facti per fidem filii Dei veri, et vivi. In hebraeo est alia lectio: *quoniam Dei scuta terrae valde elevatus est*. Et quidem vox, *Dei*, in graeco etiam habetur in genitivo τῶν Θεῶν, ex quo putant aliqui in latino textu legendum esse, Dei, et errore librariorum positum esse, *Dij*, pro, *Dei*, cum sanctus Augustinus, et sanctus Hieronymus in commentario legant, *Dii*, et sensus sit longe clarior, credibile est, varias fuisse lectiones graecas, et nostram latinam translatam esse ex graeca emendatione, praesertim cum nulla inveniatur varietas in codicibus latinis manuscriptis, sed in omnibus legatur, *Dii*. Illud autem, *scuta terrae*, potest etiam ex hebraeo verti, protectores, sive Magistratus terrae, ut periti facile intelligunt ex cap. 3. Oseae vers. 18. ubi haec eadem vox, מגני *maghinne*, quam hoc loco s. Hieron. vertit, *scuta*, vertitur ab eodem Hieronymo, *protectores*. Et quoniam protectores sive magistratus, potestatem habent super alios, non debet mirum videri si septuaginta Interpretes, et Interpres latinus posuerint, fortes. Itaque *Dij fortes terrae* sunt principes, qui instar Deorum fortiter protegere debent terram ipsis subjectam. Denique illud *elevatns est*, verterunt Septuaginta in numero multitudinis, ad sensum potius, quam ad verbum respicientes. Sensus enim est, *Dii fortes terrae elevatus est*, idest, unusquisque eorum elevatus est, quod clarius vertitur, elevati sunt. Neque est hoc novum in lingua hebraica, sed usitatum, ut Genes. 1. ubi nos habemus, *Sint luminaria*, in Hebraeo est, Sit luminaria; et Eccles. 10. ubi legimus, *Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti*: in hebraeo legitur, *Muscae morientes perdit suavitatem unguenti*. Et Gen. 49. ubi invenitur, *Filii discurrerunt super murum*, in hebraeo invenitur, *Filii discurrit*. Sicut etiam e contrario non raro in hebraeo invenitur nomen singularis numeri cum verbo numeri multitudinis, ut Aggaei 2. pro eo quod nos legimus, *Et veniet desideratus cunctis gentibus*: in hebraeo habetur, *Et venient desiderium gentium*: et Job. 15. ubi nos habemus, *Numerus annorum incertus est*, legitur in hebraeo, *Numerus annorum reconditi sunt*. Igitur verba hujus postremi versiculi, quae juxta litteram hebraicam nullum sensum habere videntur, sapientissime e septuaginta Interpretibus, et a nostro latino Interprete reddita sunt.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XLVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Titulus notus est ex iis, quae alibi dicta sunt exceptis illis verbis, *secunda sabbati*, quae non habentur in hebraeo, sed a graecis addita sunt. Significatur autem illis verbis, psalmum traditum filiis Core, ut eum cantarent *secunda sabbati*, idest, secunda die hebdomadae. Quae sit autem secunda dies, et cur secunda die canendus esset, inter auctores non convenit s. Ambrosius existimat, secundam sabbati esse diem Dominicum; quia est secundus a sabbato, quod erat principale festum Judaeorum: et quoniam in Evangeliis legimus Christum resurrexisse in prima sabbati respondet s. Ambrosius, diem Dominicum apud Judaeos fuisse secundam sabbati, et ideo sic nominari in titulo hujus salmi, sed propter Dominicam resurrectionem, diem Dominicum esse coepisse primam sabbati, et ideo in Evangeliis vocari primam sabbati. S. Hieronymus, et s. August. intelligunt hoc loco per secundam sabbati diem sequentem post Dominicum qui est prima sabbati, non solum in Evangeliis, sed etiam in titulo psalmi vigesimi tertii: et haec est verior sententia: sabbatum enim apud Judaeos, erat quidem festus et solemnis dies; at non dicebatur primus, sed ultimus dies hebdomadae. Quia vero prima die facta est lux, secunda factum est firmamentum, s. Hieronymus, et s. August. volunt, psalmum praecedentem pertinuisse ad Christum, qui est lux vera; hunc autem pertinere ad Ecclesiam, quae est firmamentum spirituale, in quo sunt stellae innumerabiles, idest, homines plurimi sapientiae, et sanctitatis gloria rutilantes. Argumentum psalmi est laudatio Dei ob aedificium civitatis sanctae Jerusalem, et quidem graeci, Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius existimant ad litteram tractari de reaedificatione Jerusalem post reversionem e captivitate Babylonica. Latini, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, per Jerusalem Ecclesiam simpliciter intelligunt, sed fieri potest, ut utrumque sensum Spiritus sanctus intenderit, sed magis posteriorem: constat enim civitatem sanctam Jerusalem, Ecclesiae Christi gessisse figuram.

EXPLICATIO PSALMI XLVII.

1. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

Laudaturus Propheta aedificium, incipit a laude architecti, ac dicit in officio sanctae civitatis mirifice splendere artem, et sapientiam Dei, qui illam aedificavit. *Magnus*, inquit, *Dominus, et laudabilis nimis*. Magnus Dominus est sive spectes essentiam ejus, sive potentiam, sive sapientiam, sive justitiam, sive misericordiam: omnia enim infinita, aeterna, incomprehensibilia sunt, et inde idem *Dominus laudabilis est nimis*, ut non sufficiant omnes Angeli, ed omnes homines, omnia opera ejus satis eum laudare. Sed ex iis, quae nobis revelata sunt, nihil fere majus habemus, unde Domini magnitudinem melius cognoscamus, et unde magis eum laudare possimus, quam Ecclesiae Catholicae aedificationem; et ideo dicit Propheta, *magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*, idest, magnitudo Dei, unde laudandus est valde, conspicitur in Ecclesiae fundatione, et constructione, quae est civitas Dei nostri, quae in monte sancto, idest, in excelso perfectionis posita est. De hac enim dicitur Isaiae 2. *Erit mons domus Domini praeparatus supra verticem montium*. Et Matth. 5. Dominus ipse vocat Ecclesiam suam, *civitatem supra montem positam*. Atque ut hujus aedificii miracula brevissime attingamus; primo cogita incredibilem varietatem gentium, linguis, moribus, ritibus, legibus dissitarum ita convenisse in unius fidei, et sacramentorum unitatem, ut unum populum, imo unam familiam efficiant. Secundo, cogita Ecclesiam fundatam fuisse super Petrum, ut Matth. 16. aperte dicitur, idest, super hominem piscatorem, vilem, indoctum, et pauperem; et tamen *ita solide fundatam, ut portae inferi adversus eam praevalere non possint*; velit enim nolit mundus, in quo Christi Ecclesia peregrinatur; et fremant, quantum volunt, et possunt omnes immundi spiritus; et persecutiones moveant omnes reges terrae; tamen ad terram promissionis secura

perveniet, et supra omnes coelos aliquando constituta foelicissime in aeternum regnabit. Haec certe fieri non possunt, nisi a magno Domino, idest, a potentissimo, et sapientissimo architecto, qui propterea laudabilis est nimis, idest, omni laude major est.

2. *Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

Explicat Propheta, cur Deus sit laudabilis valde in Ecclesia, quae significatur per montem Sion, et civitatem Jerusalem; et causam esse dicit, quoniam a Deo *fundatur Ecclesia cum exultatione universae terrae*: et non dicit, *fundata est*, sed, *fundatur*, quoniam semper in variis locis fundatur Ecclesia, ubi antea non erat. Non enim Ecclesia est una parva domus, quae statim fundari potest, sed est civitas magna totum orbem terrarum occupans, et variis temporibus in variis locis fundatur per architectos spirituales, qui succedentes Apostolis, Christum, lapidem fundamentalem praedicando jaciunt, ac deinde lapides vivos superaedificant. Porro fundatio ista fit cum *exultatione universae terrae*, quoniam in universa terra fundatur Ecclesia per Evangelii praedicationem, quae praedicatio incredibilem laetitiam spiritualem adfert illam recipientibus, nam ideo comparata est a Domino notitia *regni coelorum thesauro abscondito in agro quem qui invenit, cum gaudio vendit omnia quae habet, et emit agrum, in quo thesaurum absconditum esse novit*, Matth. 13. et in actis Apostolorum cap. 2. cum fundaretur Ecclesia in Jerusalem dicitur: *Sumebant cibum cum exultatione*; et cap. 8. praedicante Philippo, fundante Ecclesiam in Samaria, *factum est gaudium magnum in illa civitate*; et Eunuchus reginae Candacis cum audivisset fidem ab eodem Philippo et baptizatus fuisset, *ibat per viam suam gaudens*; et cap. 15. cum Beatus Paulus gentibus praedicare coepisset, et Ecclesiae fundamenta jacere, *gavisae sunt gentes, et glorificabant verbum Domini*. Dicitur autem fundari mons Sion, ut intelligamus hic non agi de monte Sion corporali, ille enim fundatus fuit ab initio mundi; sed de monte spirituali, cujus ille figura erat. Est igitur hoc loco mons Sion Ecclesia Christi, quae dicitur mons Sion propter eminentiam doctrinae, et perfectionem vitae, quae est in Ecclesia. Eadem quoque Ecclesia dicitur latera Aquilonis, quoniam sicut mons Sion corporalis situs est in terra promissionis ad partem Borealem, et est quasi murus quidam defendens eam regionem a vento illo frigido, et furioso qui dicitur Aquilo: sic etiam Ecclesia Christiana est quasi murus oppositus Aquiloni spirituali, id est, flatibus spirituum immundorum: qui enim requiescunt in sinu Ecclesiae, idest, acquiescunt doctrinae, quae docetur in Ecclesia, et obediunt legibus ejusdem Ecclesiae, non facile laeduntur ab Aquilone spirante perniciosa dogmata per exempla. Denique eadem Ecclesia dicitur Civitas regis magni; quod ad ejus nobilitatem maxime facit; Ecclesia enim Christiana proprium regem habet Christum, qui est princeps regum terrae, et rex regum, ac dominus dominantium. Caeteri enim, qui Ecclesiae praesunt, Ministri Christi sunt, ut Apostolus loquitur 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. Et ille, qui supremam in Ecclesia potestatem habet, vicarium Christi se dicit, nec solum servum Dei, sed etiam servum servorum Dei ipse se nominat. Quod ad verba attinet, difficultas est solum de voce illa, *fundatur*: nam ss. Ambrosius, et Augustinus legunt, dilatans. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, *specioso germine*. S. Joan. Chrysostomus legit, bene radicans. Alii vocem hebraicam significare volunt terminum, aut clima, aut regionem, aut ramum. Sed s. Ambrosius, et Augustinus videntur legisse in graeco textu εὐρύνων, quod significat *bene dilatans*, pro εὐριζον, quod significat bene radicans. Et certe lectio posterior est verior, quia concordat cum vulgata latina antiquissima editione: nam ut Chrisostomus exponit, idem est, radicare, et fundare. Et idem est, *fundatur a Deo mons Sion*, et fundat Deus montem Sion: hoc solum interest, quod graeca vox habet adjunctum adverbium, bene, quo caret vox latina: Sed in latina voce subintelligitur, bene, sive pulchre, ut est in hebraeo. Ex eo quod subjungitur, *exultatione universae terrae*, facile colligitur, non solum fundari montem Sion. Ideo enim exultat universa terra, quia videt hoc aedificium tam pulchre, et tam solide fundari. Versio s. Hieronymi fundamentum habet in voce hebraica, יפה נוף *iephe noph*, quae potest reddi, *specioso germine*, sive pulchris ramis; et sensus erit, montem Sion ornatum esse pulchris ramis, sive pulchris arboribus, sed vox illa, נוף *noph*, quae tam multa et tam diversa significat secundum opiniones recentiorum, ut etiam ad regiones, et terminos, et climata referatur, cur non poterit etiam referri ad fundationem, et radicationem, ut Septuaginta feniores antiquissimi, et doctissimi censuerunt? Itaque censemus verba hebraica consentanea ad versionem septuaginta Interpretum, et ad expositionem Chrysostomi, Theodoreti, et sancti Hieronymi in commentario psalmorum, reddi posse, *bene fundatur*.

3. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.*

Addit secundam rationem, cur magnus sit Dominus et laudabilis valde in civitate sua Hierusalem, quia non solum bene fundavit eam, sed etiam continuo protegit, et exaltat. Deus, inquit, qui fundavit Ecclesiam instar regiae civitatis, tunc potissimum *cognoscetur in domibus eius*, idest, tunc cognoscetur ab omnibus habitantibus in domibus ejus, sive tunc cognoscetur habitare in domibus ejus, *quando* in tempore persecutionum *suscipiet eam* protegendam atque exaltandam. Pro voce *domibus*, in hebraeo est vox, ארמנות *armenoth*, quae significat non quaslibet domos, sed palatia, basilicas, templa. Itaque hinc intelligimus, Deum habitare potissimum in domibus ipsi Deo sacris,

http://www.obrascatolicas.com

quales sunt basilicae, ac templa, quae Deo proprie dedicantur. Pro vocibus autem, *cum suscipiet eam*, est in hebraeo, למשגב *lemisgab*, quod significat, *in refugium*, sive, *in auxilium*, sive, *in exultationem*. Proinde illud, *cum suscipiet eam* explicandum est, cum suscipiet defendendam, et exultandam, sive cum susceptor ejus erit, idest, auxiliator, et defensor: nam in psalmo 45. ubi legitur, *susceptor noster Deus Jacob*, pro susceptor, in hebraeo est, משגב *misgab*, ut hoc loco.

4. *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt: convenerunt in unum.*
5. *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.*
6. *Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Hos tres versiculos diverso modo exponunt latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; et graeci Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius: Latini enim Patres exponunt de gentilibus conversis ad fidem; graeci vero de gentilibus oppugnantibus fidem. Utraque expositio vera est, et una cum altera non pugnat. Itaque juxta latinos hic erit sensus: Deus cognoscetur esse in ecclesia ex conversione gentilium: *quoniam ecce reges terrae*, et populi eorum cum eis, ex potentia verbi Dei per Apostolos praedicati, et virtute signorum, et prodigiorum per eosdem patratorum conversi, *congregati sunt et convenerunt in unum*, idest, ex variis sectis ac superstitionibus convenerunt in unitatem fidei, congregati sunt in unam ecclesiam, quasi in populum unum, *imo ut efficerentur cor unum anima una*, ut dicitur de primis Christianis in actis Apost. cap. 4. Conversio autem eorum sic fuit, quoniam *ipsi videntes* signa et prodigia, *sic admirati sunt*, et cognoscentes magnitudinem erroris, et peccatorum suorum dum idola pro Deo colerent, *conturbati sunt et commoti sunt* per veram poenitentiam: unde etiam *tremor apprehendit eos*, considerantes periculum aeternae damnationis, in quo tam diu fuerant. *Tremor* autem non levis, sed gravissimus *apprehendit eos*, qualis est dolor parturientis, qui tamen in gaudium magnum desinit. Cum enim *parturiens peperit filium jam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum*, ut dicitur Joan. 16. sic et dolor poenitentis desinit in laetitiam inenarrabilem cum adoptionis gratia, quae salutis aeternae semen et pignus est, cordi poenitentis infunditur: et tunc impletur quod sequitur, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*: Spiritus enim sanctus hominem justificatum inhabitans, et vehementi ardore charitatis inflammans, *confringit naves Tharsis*, per quas superbia, luxuria, et avaritia significantur: naves enim tumentibus velis per fluctuantes undas in Tharsis properantes aurum, et argentum adducebant, ut dicitur 3. reg. 10. et 2. Paral. 9. tumor velorum superbiam, fluctuatio navis luxuriam, advectio auri et argenti avaritiam designat. At juxta expositionem graecorum sensus est, Deus in Ecclesia *cognoscetur* ex admirabili victoria Christianae religionis adversus impios persecutores. *Ecce* enim *reges terrae*, audita fama Christianae religionis, *congregati sunt*, *convenerunt in unum*, idest, ex variis locis, et ex variis superstitionibus, *convenerunt* adversus Christi Ecclesiam ut eam persecutionibus suis opprimerent, et extinguerent. *Sed videntes*, fortitudinem sanctorum martyrum, et mirabilem constantiam, in sexu etiam fragili, et in aetate tenera; necnon signa, et prodigia, quae per eos Deus faciebat, et quod numerus Christianorum persecutionibus, et mortibus augebatur, *admirati sunt*, *conturbati sunt*, *commoti sunt*, partim indignatione, partim dolore, et *tremor apprehendit eos*, sicut dolor parturientis, cum viderent templa idolorum deseri, et Christi regnum ipsis invitis, et totis viribus repugnantibus crescere. Hoc autem accidit, quia *Dominus in spiritu vehementi*, cum admirabili manifestatione potentiae suae contrivit idololatriam: quomodo solet tempestas venti brevissimo tempore dissipare, et conterere naves in mari. Quod attinet ad verba, vox illa, *terrae*, cum dicitur, *reges terrae*, non habetur in hebraico codice, sed septuaginta Interpretes explicandi gratia addiderunt. Illa autem particula, *sic*, jungenda est cum verbo sequenti, non cum praecedenti: est enim sensus, *ipsi videntes*, *sic admirati sunt*, idest, viderunt, et sic admirati sunt. Vox illa, *commoti sunt*, ex hebraeo a s. Hieronymo vertitur, *admirati sunt*. Sed vox hebraea, חפז *chaphaz*, significat quidem admirari, sed significat etiam commoveri. Et quoniam jam dictum erat *admirati sunt*, *conturbati sunt;* recte Septuaginta verterunt verbum sequens, *commoti sunt*, tum ne idem bis repeteretur, tum quia hic est ordo naturalis, ut inopinato malo adveniente primum oriatur in nobis admiratio, deinde turbatio, postremo commotio, sive fuga. Cum dicitur, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, subintelligitur, *quia*, vel alia similis particula: redditur enim ratio, cur ibi fuerint dolores ut parturientis. Potest autem duobus modis intelligi contritio navium: primum, ut subintelligatur particula similitudinis hoc modo, *in spiritu vehementi conteres eos*, quo modo ventus validus confringit naves: secundo, ut sensus sit, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, idest, non solum terrestres copias, sed etiam classes instructas adversariorum dissipabit. Sicut enim impii terra, marique Ecclesiam oppugnant, sic etiam Deus terra, marique pro Ecclesia pugnabit. De voce Tharsis, quam graecus et latinus interpres reliquerunt, ut in hebraico textu invenerant, magna quaestio est, aliis volentibus significare Ciliciam, aliis Carthaginem, aliis Indiam, aliis ipsum mare. Sed hoc postremum improbabile est, quoniam Jonas ascendit navem, ut iret in Tharsis, ut legimus Jon. 1. Si autem Tharsis mare significaret, jam fuisset Jonas in Tharsis, quando erat in navi: quorsum igitur navigabat, ut iret in Tharsis? ex aliis significationibus, illa videtur verior, qua pro Tharsis India designatur, cum ex Tharsis adferretur Salomoni tertio quoque anno magna copia auri et argenti, et eboris: ut dicitur 3. reg. 10. et 2. Paralip. 9. Atqui ex Cilicia, vel Carthagine non

adducuntur ejusmodi metalla, neque est opus triennio, ut ex Hierusalem navigetur in Ciliciam, vel Carthaginem. Sed hoc loco dicuntur *naves Tharsis*, naves magnae, quales esse solebant eae, quibus navigabatur in Tharsis, idest, in Indiam.

7. *Sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum.*

Verba sunt filiorum Ecclesiae, qui laetantur se experimento jam discere de Ecclesiae stabilitate, quod ante promissum audiverant. Et nos praesertim haec dicere possumus: audivimus enim Christum dixisse, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Matth. 16. et nunc post mille sexcentos annos, post tam multas, et tam graves paganorum, et haereticorum persecutiones, videmus Ecclesiam non potuisse deficere. Dicit ergo propheta in persona fidelium, *sicut audivimus* a prophetis et apostolis praedictum, *ita vidimus* adimpletum in Ecclesia, quae est *civitas Domini virtutum*, cui videlicet militant omnes res creatae, et qui ideo dicitur *Dominus virtutum*, idest, exercituum, *qui est Deus noster*. Quod autem audivimus et vidimus, est, quod *Deus fundavit eam in aeternum*, ut nullum sit periculum ne unquam evertatur. Atque ex hoc loco satis aperte colligitur in hoc psalmo non accipi civitatem Dei pro terrena Jerusalem, ut aliqui recentiores volunt: illa enim jam olim a Tito imperatore eversa fuit: et de illa praedictum fuit a Domino, *non relinquet in te lapidem super lapidem*. Luc. 19.

8. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

His verbis confitetur populus Dei, non suis viribus, aut meritis tribuenda magnalia, quae Deus fecit, et facit in Ecclesia, sed soli misericordiae Dei. Ideo subjungit, *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, idest, hanc stabilitatem Ecclesiae, et alia bona innumerabilia, quae sicut audivimus promissa, ita nunc videmus impleta; de tua manu accepimus, non ipsi nobis peperimus. Fatemur igitur *in medio templi tui*, idest, publice, et coram omnibus, nos suscepisse *misericordiam tuam*, et illi tribuimus omnia bona. In hebraeo habetur verbum, דמינו *dimminu*, quod non tam *suscipere*, quam *aestimare* significat; quare s. Hieronymus vertit, *aestimavimus misericordiam tuam in medio templi tui*. Sed idem est sensus, ut s. Chrysostomus recte exponit: qui verbum hebraicum et graecum exponit: illud enim, *suscepimus*, referendum est ad cognitionem et aestimationem beneficii, ut diximus. S. Augustinus legit *in medio populi tui*, sed habuit codicem graecum inemendatum ob literarum similitudinem; siquidem legit λας, *populi*, pro ναs, *templi*. In hebraeo nulla est similitudo literarum, unde error manare potuerit.

9. *Secundnm nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua.*

Pergit Propheta in persona fidelium laudare Deum ob accepta beneficia, ac sicut initio dixerat, *magnus Dominus, et laudabilis nimis*, ita nunc dicit, *secundum nomen tuum, sic et laus tua in fines terrae*, idest, secundum magnitudinem nominis tui est etiam magnitudo laudis tuae. Sicut enim nomen Dei in universa terra innotuit ob magnalia, quae in ecclesia fundanda, et protegenda patravit, sic etiam laudatur Deus per totum mundum, usque ad ultimos terminos terrae. Addit etiam materiam laudis, dicens, *justitia plena est dextera tua*. Inde enim ubique laudatur Deus magnificentissimus praeconio omnium gentium, quoniam justissime pios defendit, et impios punit. Dicitur autem *dextera Dei plena justitia*, non quod non sit etiam plena misericordia, sed quod nullum locum habeat apud eum injustitia, *justus enim Dominus est in omnibus operibus suis*, ut dicitur psal. 144.

10. *Laetetur mons Sion, et exultent filiae Judae, propter judicia tua Domine.*

Ex eo quod dextera Domini plena est justitia, hortatur Propheta populum Dei ad exultandum, quoniam is populus praeter caeteros novit per experientiam justitiam Domini. *Laetetur*, inquit, *mons Sion*, idest populus Dei, sive Ecclesia Dei, quae per eum montem significatur; *et exultent filiae Judae*, idest, non solum viri, sed etiam foeminae in populo Dei, laetentur *propter judicia tua Domine*, videntes scilicet justitiam, quam exercuisti in protegendis fidelibus et perdendis infidelibus. Fortasse etiam per montem Sion intelliguntur perfecti, et fortes; per filias Judae imperfecti et debiles. Vel, per montem Sion, intelligitur arx, et caput religionis, qualia erat Jerusalem apud Judaeos; per filias Judae intelliguntur reliqua membra ecclesiae, qualis erant oppida subjecta Jerosolymae: saepe enim in scripturis, ac praesertim in libro Josue, per filias intelliguntur castella, sive oppida subjecta majoribus civitatibus.

11. *Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus.*
12. *Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*

Hortatur in fine psalmi ad aedificationem et munitionem sanctae civitatis, de qua dixerat, *fundatur exultatione universae terrae mons Sion civitas regis magni*. Haec enim civitas non est similis materiali civitati, quae semel fundatur et aedificatur; sed usque ad finem mundi fundanda et aedificanda, et munienda est, ex lapidibus vivis, qui quotidie inferendi sunt, donec civitas perfecta in die novissimo dedicetur. Sic enim Apostolus loquitur ad Ephes. 2. *In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*; et cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quos*

http://www.obrascatolicas.com

dam autem Prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Et sanctus Petrus in epist. 1. cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spirituales.* Ait igitur, *circumdate Sion, et complectimini eam*, idest, muris cingere sanctam civitatem, ubi forte desunt. Dicuntur autem muri civitatis viri perfecti, qui reliquum populum defendunt ab inimicis. *Narrate in turribus ejus*, idest, ex toto loco publice praedicate : (nam ut supra diximus) praedicatio Evangelii est instrumentum, quo civitas fundatur et aedificatur. *Ponite corda vestra in virtute ejus*, idest, serio cogitate de munitione et robore civitatis, ne pateat hostium incursibus: *et distribuite domos ejus*, idest, post fundata, et aedificata moenia, fundentur, et aedificentur domus, et quoniam ad hoc opus multi requiruntur, distribuite variis operariis partes suas, ut domos aedificent; et sic civitas paulatim repleatur et crescat: et sic fiet, *ut enarretis in progenie altera*, idest, ut per vos multiplicatio populo Dei, ad posteros transmittatis notitiam Dei.

13. *Quoniam hic est Deus, Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi, ipse reget nos in saecula.*

Hoc est quod narrandum est posteris, quod videlicet hic Deus, qui fecit mirabilia in civitate sancta Jerusalem, *ipse est Deus noster in aeternum*, nec unquam recedemus ab eo, nec ipse recedet a nobis ; nos erimus in aeternum populus ejus, et *ipse Deus noster erit in aeternum, et reget nos in saecula*. S. Hieronymus vertit ex hebraeo haec ultima verba, *ipse reget nos in morte*. Sed facile est videre, unde orta sit varietas lectionis ; nam vox hebraica si legatur, עלמות *holamoth*, significat *saecula*, et sic legerunt septuaginta interpretes ; si legatur cum aliis punctis, על מות *hal muth*, significat *ad mortem*, et sic legit s. Hieronymus, et legunt hodie Rabbini. Uterque autem sensus verus est, et in idem recidit : nam si Deus regat nos usque ad mortem, reget sine dubio in saecula : non enim post mortem ab illo excidere poterimus. Qui exponunt hunc psalmum de terrena Jerusalem valde laborant in explicatione undecimi, et duodecimi versiculi. Qui autem exponunt ad litteram de ecclesia, nullas patiuntur angustias.

PSALMUS XLVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem filiis Core Psalmus.

In titulo nihil est novi. Argumentum est adhortatio utilissima ad virtutem sectandam, et fugienda vitia.

EXPLICATIO PSALMI XLVIII.

1. *Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.*
2. *Quique terrigenae, et filii hominum, simul in unum dives et pauper.*

Haec est praefatio ad captandam attentionem, quae sumitur ex eo quod oratio habenda conveniat omnibus hominibus aequaliter, nec solum praesentibus, sed etiam futuris. Itaque convocatur omne genus humanum ad audiendum ; et quoniam neque locus ullus tantam multitudinem caperet, neque ulla vox Oratoris a tam multis audiri posset; intelligere debemes Prophetam praevidisse psalmos suos in omni terra, et in omni futuro tempore decantandos ; et ideo omnes omnino ad audiendum invitasse. *Audite*, inquit, *omnes gentes*, (sive ut habetur in hebraeo, כל העמים *col hahammim*), *omnes populi*: quia videlicet ad omnes pertinent ea, quae dicenda sunt. *Auribus percipite omnes, qui habitatis terram* : declarat verba praecedentia : quod enim dixerat, *audite*, declarat addens, *auribus percipite*, idest, non ita audite, ut sermo tantum circumsonet aures, et pertranseat; sed ita audite, ut sermo intra aures recipiatur, ibique haereat, ut attente cogitari possit. Quod autem dixit, *omnes gentes*, explicat addens, *omnes qui habitatis orbem*, ne videlicet per gentes intelligantur soli gentiles ; vel per popôlos, ut est in hebraeo, intelligerentur soli, qui civitates incolunt. Vocat igitur ad audiendum omnes, qui orbem terrarum incolunt, sive sint gentiles, sive hebraei, sive congregati in civitatibus, sive disper-

si in montibus, et solitudinibus habitent. Ac ne videatur solos viventes, et praesentes alloqui, addit aliquid generalius dicens, *Quique terrigenae, et filii hominum*, idest, audite omnes, qui ex terra, et ab hominibus ortum dicitis : omnes enim homines tam qui sunt, quam qui erunt, communem habent matrem terram ; et communem patrem, Adamum; sive communem habent materiam, ex qua sunt, terram; et commune principium activum, hominem. In hebraeo habetur, בני אדם *bene Adam*, filii Adam, ubi nos habemus, terrigenae: sed credibile est septuaginta Interpretes, non legisse, Adam, sed . אדמה *adamà*, quae vox terram significat: facile enim est, literam ultimam ex nostris codicibus hebraicis excidisse. Adjungit postremo, *simul in unum dives et pauper*, ut ostendat id, quod dicendum est in hoc psalmo, ad omnes aequaliter pertinere, non magis ad divites, quam ad pauperes: neque in hoc theatro ullam rationem habendam differentiae personarum, sicut non habebitur in conventu illo, quo convocabimur ad judicium in die novissimo. Haec enim oratio, quam in hoc psalmo per Prophetam Spiritus sanctus ad homines habet, talem omnino conventum requireret, qualis erit in ultima die.

3. *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.*
4. *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.*

Haec est altera pars praefationis, in qua rursum Propheta praeparat auditorem ex alio duplici capite, ex dignitate materiae, et ex dignitate docentis. Dignitas materiae ostenditur ex eo quod sermo futurus est de sapientia, et prudentia, et sermo non simplex, sed parabolicus, et aenigmaticus, qualem decet esse sermonem de rebus gravissimis, ut non contemnatur, neque intelligatur, nisi a diligentibus, et attentis auditoribus. *Os meum*, inquit, *loquetur sapientiam*, idest, docebit ea, quae faciunt hominem sapientem ; *et meditatio cordis mei prudentiam*, idest, et meditatio cordis mei, quae per os foras erumpit, docebit ea, quae faciunt homines prudentes: declarat enim priorem versiculi partem per posteriorem: cum enim dixisset, *os meum loquetur*, ne putaremus eum temere loquuturum quidquid in buccam venerit, addit, *et meditatio cordis mei*, supple, loquetur, idest, os meum pariet, quod cor meum diuturna meditatione conceperit. Et quia dixerat se loquuturum sapientiam, ne quis existimaret, sermonem futurum de rebus speculativis, et ad actiones humanas parum pertinentibus, addidit, *prudentiam*. Itaque significat sermonem habendum de rebus, quae sapientiam simul et prudentiam contineant, quaeque faciant hominem sapientem in altissimis causis contemplandis, et prudentem in vita rectissime instituenda. Attingit deinde magnitudinem doctoris cum addit, *inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam*; quasi dicat, non ego loquuturus sum, quae mox audietis, sed spiritus Domini per me loquetur: ego enim attente primum audio internum doctorem meum ; deinde quae audivi loquor. *Inclinabo in parabolam aurem meam*, idest subjiciam aurem meam spiritui loquenti, et obedienter audiam, et sic *aperiam in psalterio propositionem meam*, mihi videlicet a Deo inspiratam, et communicatam. Per parabolam, hoc loco intelligitur aenigma, idest, propositio obscura, quae attentionem, et studium requirit ut intelligitur. Id patet ex verbis hebraicis, quae significant proverbium, et aenigma, et similia habentur Judicum 14. ubi Sampson proposuit explicandam illam sententiam. *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo* ; quam sententiam vocat problema, et propositionem ; et habentur eo loco eadem verba hebraica, משל חידה *mascial chidah* quae hic habentur ; quod autem additur, *in psalterio*, sive *in cithara*, ut proprie sonat vox hebraica, pertinet etiam ad praeparationem auditorum : significat enim David se propositurum doctrinam suam gravissimam cum cantu et sono, ut suavitas musicae temperet gravitatem doctrinae, et praecepta utilissima jucundius et avidus suscipiantur.

5. *Cur timebo in die mala ? iniquitas calcanei mei circumdabit me.*

Hoc est proverbium, sive aenigma, quod praemissa tam accurata praefatione toti humano generi Propheta proponit et solvit. Sed solutio non minus est obscura, quam propositio, ut tam propositio, quam solutio aenigmatica dici possit. Sed tamen aenigmatica sunt haec verba hominibus hujus saeculi amore praeoccupatis: nam veris spiritualibus, et veris Dei servis apertissima sunt. Ait igitur, *cur timebo in die mala* ? quasi dicat, propono vobis omnibus, qui habitatis orbem terrarum, hanc quaestionem solvendam: quid est, quod me terrere poterit *in die mala*, idest in die judicii divini, quae dicitur, Sophoniae 1. *dies irae, dies tribulationis et angustiae ; dies calamitatis et miseriae ; dies tenebrarum et caliginis ; dies nebulae et turbinis; dies tubae et clangoris?* Sive (quod est idem). Quid me securum reddere poterit in die illius judicii, a quo summa bonorum omnium et maiorum meorum dependet ? Magnum profecto problema, et quod omnes omnino contingit. Solvit autem propheta suum aenigma cum dicit, *iniquitas calcanei mei, circumdabit me*, idest quod me timere faciet in die illa mala, non est paupertas, quia Judex non corrumpitur donis ; non est humilitas generis, aut status, quia Judex non respicit personas ; non est malitia testium, aut advocatorum, quia Judex omnia novit; non est potentia adversariorum, quia Judex neminem timet ; denique nihil est aliud, nisi iniquitas ; et non quaevis iniquitas, sed sola *iniquitas calcanei mei*, idest, iniquitas extremae vitae meae, iniquitas perseverans usque ad finem vitae: illa enim si inveniatur in illa die in me, *omnino circumdabit me* instar aggeris, aut muri, ut nullo modo evadere possim ; quia tunc non erit amplius locus poenitentiae, vel indulgentiae. Et contra, quod me securum et impavidum in die mala facere poterit, non erunt divitiae aut nobilitas, aut advocatorum diligentia, vel amicorum potentia, sed

http://www.obrascatolicas.com

sola justitia; et non quaevis justitia, sed justitia calcanei mei, idest extremae vitae meae, sive innocentia perseveravit mecum usque ad mortem, sive per veram poenitentiam iniquitate deleta. in ejus locum successerit vera justitia. Scio multis aliis modis hos versiculos ab aliis exponi: sed ego brevitati studeo; et de variis sententiis lectori judicium relinquo.

6. *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

Posteaquam dixerat Propheta, nihil esse timendum nisi peccatum, ut quis in die mala securus sit, addit nunc multos esse, qui hoc non intelligentes, confidunt in viribus suis. ac per hoc gloriantur in divitiis, quas magno studio paraverunt, existimantes hac ratione, se tutissimos fore in qualibet mala die; et simul demonstrat illos omnino falli, et problema suum, ejusque solutionem esse verissimam. Ait igitur, *qui confidunt in virtute sua*, idest, qui non timent diem malam freti potentia, et viribus suis, ut sunt plurimi ex filiis hujus saeculi. illi etiam consequenter *gloriantur in multitudine divitiarum suarum*: existimant enim pecuniis omnia vinci, et expugnari posse. Et vere in hoc saeculo magna vis est in opibus et divitiis. ut vere dixerit Sapiens, *pecuniae obediunt omnia.* Eccles. 10. Sed in die mala nullae amplius invenientur pecuniae. neque si invenirentur prodesse possent. Ideo subjungit Propheta:

7. *Frater non redimit, redimit homo? non dabit Deo placationem suam.*

Ostendit vanam esse fiduciam confidentium in pecuniis. Ait enim, *frater non redimit*. id est, nemo poterit quamlibet magnis divitiis in die mala redimere fratrem suum. *Redimet homo*? hoc legendum est cum interrogatione, ut monet sanctus Basilius, *frater non redimit, redimet homo*, vel repetenda est negatio de more Scripturae sanctae. Frater non redimit, non redimet homo. Est enim sensus, *frater non redimit*, multo minus alius homo redimet. *Non dabit Deo placationem suam*, idest, neque alium, neque se ipse liberare poterit; quamvis enim pecuniis maxime abundet, ut eas omnes offerat ad placandum Deum in die mala, nihil ei proderit. Nam ut Dominus in Evangelio, Matth. 16. loquitur, *quam dabit homo commutationem pro anima sua*: superat enim pretium animae humanae omnia bona hujus mundi, et ideo solus sanguis unigeniti Dei, qui infiniti valoris erat, pretium animarum esse potuit. Itaque qui hoc magno pretio neglecto, in diabolica captivitate detentus perveniet ad diem malam, *non dabit Deo placationem suam.*

8. *Et pretium redemptionis animae suae, et laborabit in aeternum, et vivet adhuc in finem.*

Declarat quod dixerat, *non dabit Deo placationem suam*: placatio enim Dei est pretium redemptionis, quod solus unigenitus Dei dare potuit: de quo intelligit s. Basilius verba sequentia, *laborabit in saeculum, et vivet adhuc in finem*, idest, laborabit in hoc mundo ad tempus, et vivet postea in aeternum. Sanctus autem Ambrosius, et Chrysostomus exponunt haec eadem verba de viro pio et sapiente quocumque, quem opponunt viro stulto et impio confidenti in multitudine divitiarum suarum: vir enim pius et sapiens laborat ad tempus in servandis praeceptis, sed vivet in aeternum. Sanctus vero Augustinus exponit de illo eodem, de quo dictum est paulo ante, *non dabit Deo placationem suam*. et vult hunc sensum esse: Ille, qui confidit in multitudine divitiarum suarum, *laborabit in aeternum*. quia labor ejus non habebit finem, et vivet modico tempore, quia vita ejus erit usque in finem, et non ultra. Et videtur secundum hanc expositionem melius continuari textus Prophetae, ut magis proprie exponuntur verba, *in saeculum et in finem*; nam laborare in saeculum non est laborare in hoc mundo, vel laborare modico tempore, sed est laborare in aeternum: et vivere in finem, non est vivere sine fine, sed est vivere usque ad finem statutum, et definitum; ita ut finis naturalis vitae non praeveniatur, neque extendatur. Verba hebraica, pro laborabit in saeculum, videntur habere, *quiescet in saeculum*: nam חדל *chadal*, *quiescere* significat. Sed non est verisimile, septuaginta interpretes reddidisse omnino contrarium sensum, ideo suspicor illos legisse, חרל *Charal*: nam litterae ד, et ר, simillimae sunt. Verbum autem חרל *charal*, significat *angustiari*, et cruciari, et quasi urticis pungi: quod satis proprie convenit amatoribus divitiarum, quas Dominus in Evangelio Matth. 13. spinis comparavit. Itaque qui in divitiis suis confidunt, non solum non dabunt pretium redemptionis animae suae, sed laborabunt in tormentis cum divite Epulone usque in aeternum; et vivent vitam voluptariam, quae illis sola videtur esse vita, usque in finem a Deo constitutum. De varia interpunctione textus hebraici non laboro; quoniam illa posita est ad arbitrium Rabbinorum, quibus injuriam non facimus, cum eis septuaginta interpretes antiquiores et doctiores anteponimus.

9. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: simul insipiens, et stultus peribunt.*

Quia dixerat impium victurum usque in finem, cursu videlicet naturali; addit confirmans hoc ipsum, *non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes*, idest, continuabit cursum vitae suae usque ad ultimam senectutem, etiamsi videat aliquos sapientes, et justos rapi ante tempus, et non continuare cursum vitae usque in finem naturalem; saepe enim Deus iis, quibus daturos non est vitam aeternam, dat vitam temporalem diuturnam, quomodo Lazarus in Evangelio Luc. cap. 16. mortuus legitur ante Epulonem. Sed quamvis vita haec temporalis aliquando impiis satis longa contingat; tandem tamen finitur, et fit quod sequitur in psalmo, *simul insipiens, et stultus peribunt*. Itaque sensus totius versiculi est, *non videbit interitum*, id est, non morietur stultus, confidens in divitiis ante

tempus morientes: tandem tamen simul cum sapientibus etiam stultus et insipiens ad vitae temporalis finem pervenient. S. August. paulo aliter exponit illud, *non videbit interitum*: vult enim sensum esse, non intelliget, quis sit verus interitus: non enim verus interitus est mors corporis, sed mors animae. Posset etiam dici, *non videbit interitum*, idest, non cogitabit se quoque moriturum, quando sapientes viderit morientes: quae sententia verissima est; haec est enim caecitas humana. ut cum quotidie videamus morientes homines, nobis etiam meliores et juniores, tamen vix adduci possimus, ut serio cogitemus, nos quoque morituros esse; tamen ad litteram in Scripturis sanctis, *non videre interitum*, est non corrumpi. psalmo 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; et Joannis 8. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Quid autem intersit inter stultum, et insipientem, docet s. Basilius: dicit enim insipientem esse qui ad humana et communia ineptus est; qui videlicet, humana sapientia, sive prudentia caret; stultum autem vocari eum, qui caret notitia rerum divinarum, et solis terrenis intentus est: et videtur s. Basilius non tam ad graecas, quam ad hebraicas voces respexisse. Vere enim, כסיל *chesil*, vox hebraica, significat eum. qui sapientia etiam humana caret: vox autem, בער *bahar*, significat hominem pecori similem: pecora enim sola terrena cogitant: unde etiam paulo post dicit psalmus: *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.*

10. *Et relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus illorum in aeternum.*

Confidentes in divitiis stultos, et insipientes vocaveral sanctus Propheta: quomodo vocat etiam Dominus in Evangelio Luc. 12. cum dicit cuidam diviti, *Stulte hac nocte repetent a te animam tuam; et quae parasti, cujus erunt?* Ideo probat eos vere stultos esse, ex eo quod divitiis uti nesciunt, easque relinquunt iis, quos ignorant. *Peribunt*, inquit, *insipientes*, et stulti, quales sunt confidentes in divitiis, et ut stultitiam suam manifeste prodant, relinquent alienis divitias suas. Ubi recte notat s. Augustinus, per alienos intelligi posse etiam filios, et nepotes hominum impiorum: nam etiam isti, tamquam alieni, cito obliviscuntur eorum, quorum opes obtinuerunt: et quamvis etiam non obliviscerentur, tamen mortuos impios juvare non possent: quomodo dives ille de Evangelio quinque fratres habebat in saeculo, et tamen ab eis juvari non poterat, quo minus arderet in gehenna, Luc. 16. Proinde quinque illi fratres inter extraneos deputabantur: unus autem Lazarus, qui eum juvare potuisset, vere proximus, et non extraneus fuisset, si misericordiam in illum facere voluisset. Adjungit Propheta: *Et sepulchra eorum domus illorum in aeternum*, idest, ipsi quidem morientes reliquerunt alienis divitias suas, sibi autem nihil retinerunt, nisi angustissimam domum, idest, sepulchrum, in quo jacere debent *in aeternum*, idest, ad finem usque saeculi: saepe enim, aeternum, in scripturis significat integram durationem alicujus temporis, vel status: et declaratur haec phrasis in verbis sequentibus, *tabernacula eorum in progenie, et progenie.* Quod enim vocaveral sepulchrum, et domum aeternam, idipsum nunc vocat tabernaculum in progenie, et progenie, idest, habitaculum, ubi manebunt corpora eorum, donec generationes, et generationes peragantur; quod sine dubio erit usque ad mundi consummationem. In hebraeo non habetur *sepulchra*, sed, *interiora*: caeterum credibile est septuaginta Interpretes non legisse קרבם *kirbam*, ut modo legitur, et significat interiora eorum, sed literis transpositis קברם *kibram*, et significat sepulchra eorum.

11. *Tabernacula eorum in progenie, et progenie vocaverunt nomina sua in terris suis.*

De priore parte versiculi dictum est in explicatione versiculi superioris. Quod autem additur, significat, post mortem hominum insipientium nihil superesse in terris, praeter nomina ipsorum: multis enim modis conantur mortales, qui hanc solam vitam moverunt, nomina sua aeternitati commendare: vel enim nomina sua inscribunt parietibus; vel ea civitatibus indunt; vel in libris a se scriptis apponunt, vel denique filios, aut nepotes ad memoriam perpetuandam nomina sua gerere curant. Ita filii hujus saeculi nomina sua scribunt in terris, quoniam scripta esse non sperant in coelis.

12. *Et homo, cum in honore esset, non intellexit comparatus est jumentis insipientibus; et similis factus est illis.*

Occasione insipientis, atque in divitiis confidentis, digreditur Propheta ad ipsum genus humanum coarguendum, quasi dicat: *Et sic homo cum in honore esset, non intellexit*, idest, homo praeter caetera animalia honoratus a Deo intelligentia, et ratione, libero arbitrio, imagine divinitatis, immortalitate animae, imperio super omnia, quae in terris sunt, non intellexit hunc honorem suum; sed *comparatus est jumentis insipientibus*: quibus non est intellectus. *Et similis factus est illis*, dum more pecudum, non prospicit in futurum, sed praesentibus solum inhiat; et subjicit se corporalibus passionibus, quibus imperare debuerat; denique vera, et sempiterna bona contemnit, ut falsis, et caducis fruatur; eum e contrario temporalia omnia despicere debuisset, ut sempiternam vitam sibi compararet. In hebraeo codice non habetur, intellexit, sed, ילין *ialin*, *commorabitur*: caeterum septuaginta Interpretes non legerunt, *ialin*, sed, יבין *iabin*, quod est, *intellexit*. Facile autem fuit progressu temporis unam literam in alteram mutari.

http://www.obrascatolicas.com

13. *Haec via illorum scandalum ipsis, et postea in ore suo complacebunt.*

Pergit explicare, vel deplorare miseriam generis humani. *Haec via*, inquit, *illorum scandalum ipsis*, idest, haec vita quam ducunt similem vitae brutorum, sive haec via, quam sequuntur, dum vivunt more bestiarum, haec lex, hi mores, hoc institutum, *scandalum est ipsis*, idest, offendicula multa illis praebent, et ruinae magnae caussa sunt illis. *qui tamen postea in ore suo complacebunt*, idest, placebunt ipsi sibi in sceleribus, et gloriabuntur, cum male fecerint; quod ad summam miseriam, et calamitatem pertinet. In hebraeo non est, *scandalum*, sed insipientia: sed facile est videre, unde nata sit discrepantia; siquidem septuaginta Interpretes in suis codicibus hebraicis non habuerunt, כֶּסֶל *chesel*, quod nisi *insipientiam* significat, sed כֶּשֶׁל *chescel*, quod significat *scandalum*. Veriores autem fuisse codices, quos habuerunt Septuaginta, iis, quos posteriores habuerunt non credimus posse negari.

14. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.*

Quoniam dixit homines factos esse per peccatum similes bestiis insipientibus, addit finem illorum fore, ut more ovium insipientium mactentur: ubi demonstratur tum multitudo, tum imbecillitas hominum, qui post mortem ad inferos detruduntur: oves enim gregatim conjiciuntur in stabula, et sine ulla resistentia ducuntur ad macellum. Itaque minori labore Deus multitudinem impiorum, quamvis in mundo ditissimi et potentissimi fuerint, detrudet in infernum ad mortem sempiternam, quam soleat pastor oviculas et simplices, et inermes vel detrudere in stabulum, vel educere ad caedem. Quod autem dicitur, *mors depascet eos*. duplicem sensum habere potest; unum, ut significetur, mortem instar pastoris futuram et homines instar ovium ductarum ad pascua squalida, et arentia, ubi nihil inveniant praeter gemitus, et dolores: alterum, ut significetur mortem instar lupi famelici, depasturam, et consumpturam homines impios instar ovium destinatarum ad escam. Prior sensus convenit voci graecae ποιμανεῖ, posterior voci latinae, *depascet*: utrumque autem optime recipit vox hebraica, רָעָה *raha*, sed in re nulla videtur esse discrepantia. Huc enim tandem recidit uterque sensus, ut significetur mors impiorum numquam finienda.

15. *Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.*

Pergit narrare miseriam impiorum ad inferos descendentium, ac dicit eos *in matutino*, idest, in principio novi, ac futuri saeculi, quod incipiet in resurrectione universali, futuros omnino justis subjectos: justi enim in die novissimo, qui etiam erit principium futuri saeculi, judices erunt impiorum, eisque in aeternum dominabuntur; et nihil erit, quod impios eo die adversus justos juvare possit: omne enim *auxilium eorum*, quod in robore, et potestate situm erat, *veterascet*, ac marcescet. atque inutile fiet in inferno, *a gloria eorum*, idest, post gloriam eorum, quam in hoc mundo habuerunt. dum gloriosa palatia inhabitarent: Illud, *in matutino*, demonstrat tempus hujus saeculi totum esse noctem quamdam. Unde dicit Apostolus Rom. 13. *Nox praecessit, dies autem appropinquavit*. In nocte hujus saeculi videtur saepe injustitia praevalere, sed in matutino apparebit, ubi sint justi, et ubi sint injusti. In hebraeo secunda pars versiculi longe aliter haberi videtur: sic enim vertit sanctus Hieronymus. *Et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum*: aliud est enim auxilium, aliud figura, et aliud gloria, aliud habitaculum. Sed de prima voce non est magna difficultas: vox enim hebraica, צוּר *tsur* quamvis figuram significare possit a verbo, יָצַר *iatsar*, quod est formare, tamen proprie, *tsur*, quae vox hoc loco habetur, significat, *petram*, et metaphorice robur, ac potentiam. Itaque recte septuaginta Interpretes verterunt *auxilium*, quod in viribus, et potentia consistit. Altera vox, quae hebraice dicitur, זְבוּל *zebul*, videtur proprie significare habitaculum, non quodcumque, sed gloriosum, quale est coelum: habetur enim haec vox in duobus tantum locis. Isaiae 63. vers. 15. *Attende de coelo et vide de habitaculo sancto tuo, et gloria tua*. Et Habac. 3. vers. 11. *sol et luna steterunt in habitaculo suo*. Hoc igitur loco sanctus Propheta opponit infernum, habitaculum videlicet obscurissimum, et vilissimum, domibus gloriosis, et splendidis, quas in hoc mundo impii possidebant. Septuaginta vero Interpretes verterunt, *a gloria ipsorum*, volentes per gloriam significare gloriosas domos, quas impii cum inferno commutant: hic igitur totius versiculi sensus erit, *et dominabuntur eorum*, impiorum videlicet in inferno positorum, *justi in matutino*, idest, cum illucescet dies resurrectionis, atque initium saeculi futuri. *Et auxilium eorum*, idest, robur, et potentia impiorum *veterascet*, idest, conteretur, et inutile erit instar vestis consumptae, et lacerae. *In inferno a gloria eorum*, idest, quando post gloriam splendidorum habitaculorum, infernum teterrimum, et vilissimum habitaculum, etiam corporaliter habere incipient.

16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me.*

Addit nunc quae sit futura sors piorum, in quorum numero se ipse ponit, quasi dicat, impiis quidem accidet id, quod dixi: verum mihi, meique similibus contrarium eveniet. *Deus enim redimet animam meam de manu inferi*, idest, liberabit me, ne ab inferno detineat; quando veniens assumet me. Videtur hoc loco praedicere redemptionem, quae est in Christo Jesu, et descensum ejusdem Christi ad inferos: tunc enim persoluto pretio sanguinis redemit de manu inferi animas justorum, cum descendens ad inferos accepit eas, et ad se assumpsit. Sic veteres patres, Basilius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et Euthymius. Potest autem cum Chrysostomo hic locus intelligi de inferno inferiore, ubi torquentur animae impiorum, ut sensus sit: *deus redimet animam meam de manu inferi*, idest, non patietur Deus animam meam rapi a manu inferi, nec deduci ad loca poenarum; *cum* de hoc mundo per corporis mortem *accipiet me*.

17. *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.*
18. *Quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.*

Ex dictis concludit per modum exhortationis, non esse timendam potentiam divitum hujus mundi, quoniam brevissima est: alloquitur autem justos pauperes, atque a divitibus hujus mundi oppressos. *Ne timueris*, inquit, *cum dives factus fuerit homo*, idest, ne formides potentiam ejus, ne ob timorem temporalis potentiae forte offendas aeternam omnipotentiam Creatoris: neque etiam timeas, si forte videris, non solum hominem inimicum tuum divitem esse factum, sed etiam *multiplicatam gloriam domus ejus*, per numerosam familiam, et multiplices dignitates propinquorum ejus. *Quoniam cum interierit* per mortem videlicet, quam nemo effugere potest; et quae divitibus, et pauperibus communis est, *non sumet omnia*, idest, nihil sumet, nihil secum asportabit eorum, quae in hoc mundo possidebat: neque descendet cum eo gloria ejus, idest, non comitabuntur eum ad inferos descendentem propinqui, vel famuli, et multo minus honores et dignitates. Itaque divitiae et gloria impiorum ab brevissimum tempus durant; paupertas, et confusio sempiterna sunt: contra vero paupertas, et confusio piorum momentanea sunt opes et gloria manent in saeculum saeculi: quod Apostolus pulchre expressit, cum ait 2. Corinth. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes*. Tristitia enim piorum non est tristitia, sed quasi tristitia; qualis est ea, quam somniantes aliquando patimur laetitia vero non quasi laetitia, sed vera, solidaque laetitia est nunc quidem in spe, postea vero in re: et contra, laetitia impiorum de carnali voluptate, vel gloria, non est laetitia, sed quasi laetitia, quali fruuntur dormientes, dum se possidere, quae diligunt, somniant. Tristitia autem in gehenna non erit quasi tristitia, sed verissima, certissima, ac sempiterna tristitia.

19. *Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi, cum benefeceris ei.*

Reddit ra tonem, cur gloria impiorum non comitetur eosiad inferos. Quoniam, inquit, sicut ipsi Deum laudare consueverunt quando eis beneficia temporalia tribuit: ita Deus in hac solum vita eis benedicere solet. *Anima ejus in vita ipius benedicetur*, idest, anima impii sive ipse impius, in hac solum vita benedicetur, tum a Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per laudationes, sive potius adulationes. *Confitebitur tibi*, idest, et ipse vicissim confitebitur tibi, hoc est laudabit te, tibique gratias aget, *cum benefeceris ei*: sin autem aliquid mali illi evenire permiseris, continuo blasphemabit te: non enim ex illis est qui dicunt, psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; vel Job 2. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*. In hebraeo habetur active, יְבָרֵךְ *jevarech benedicet*, pro quo habemus in graeco, εὐλογηθήσεται, et latino, *benedicetur*: sed idem est sensus. Sic enim legi debent verba hebraica, *Quia animam ejus in vita ipsius benedicet*: : ex quo intelligimus, illud, *benedicet*, referri ad Deum, ac per hoc etiam, illud *benedicetur anima ejus*, referri debet ad Deum, ut nos supra exposuimus. Idem autem sensus est, sive legas, *anima ejus benedicetur a Deo in vita ipsius*, sive *animam ejus benedicet Deus in vita ipsius*. Quod autem sequitur, *confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, in hebraeo legitur *cum benefeceris tibi*: sed ex literarum similitudine corruptus videtur textus Hebraicus: nam septuaginta Interpretes non legerunt, לְךָ *lach*, quod est *tibi*, sed, לוֹ *lo*, quod est ei, et hoc modo posteriore legitur in omnibus codicibus graecis, et latinis, et est sensus multo facilior, et clarior.

20. *Introibit usque in progenies Patrum suorum: et usque in aeternum non videbit lumen.*

Impius in hac vita in luce honorum, et gloriae vivit, Deo illum beneficiis temporalibus replente, ut vel remuneret aliqua bona opera ejus, vel alliciat ad resipiscentiam, et conversionem. Sed in alia vita *apponitur* (ut Scriptura loquitur) *ad patres suos*, ut eos sequatur in suppliciis, quos sequutus est in flagitiis, *introibit*, impius videlicet, post hanc vitam, *usque in progenies Patrum suorum*, idest, introibit ad ea loca, ad quae illum praecessit progenies Patrum suorum, *et usque in aeternum non videbit lumen*, quia justo judicio manebit in aeternis tenebris, qui nimirum delectatus est luce honorum, et gloriae temporalis, et lucem gloriae coelestis non quaesivit.

21. *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Repetit Propheta versiculum duodecimum, tum ut ostendat praecipuam causam miseriae hominum esse insipientiam, et merito homines plurimos in aeternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, quia lumine rationis uti non voluerunt tum etiam, ut non miremur, si pauci omnino aenigma propositum in hoc psalmo intelligant. Id enim accidit, quia *homo*, propter peccatum *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XLIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

In priore libro Paralip. cap. 16. legimus, Asaph fuisse principem cantorum a Davide constitutum. Utrum autem ipse psalmos composuerit, qui inscribuntur nomine ejus, an solum cecinerit, vel canenti praefuerit, non est omnino certum, ut in praefatione diximus. Argumentum psalmi est duplex Domini adventus, unus ad praedicandum, alter ad judicandum; unus occultus, et in humilitate; alter manifestus, et in majestate. Et quoniam in utroque adventu Christus congregat homines, vel ad fidem, vel ad judicium: recte psalmus inscribitur, אסף *Asaph*, qui interpretatur *congregans*. Addit, et declarat Propheta, quibus de rebus potissimum reddituri simus rationem in die judicii: proinde psalmus utilissimus est.

EXPLICATIO PSALMI XLIX.

1. *Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram.*

Incipit a primo adventu, ac dicit, Dominum locutum esse ore proprio, qui per ora Prophetarum antea loquebatur: et ad concionem suam vocasse non Judaeos tantum, sed *omnem terram*, idest, omnes inhabitantes terram: quod per Apostolos suos fecit: si quidem *in omnem terram exivit sonus eorum*, ut dicitur psal. 18. Dicitur autem hoc loco Dominus esse *Deus Deorum*, ut intelligamus, Christum esse Deum verum, veri Dei filium, qui eamdem cum Patre divinitatem habet: una enim et sola esse potest vera divinitas, multi autem sunt Dii, vel per errorem, et aestimationem, ut Dii gentium, *qui Daemonia sunt*, ut dicitur in psalmo 95. vel per gratiam adoptionis, ut sancti Angeli et sancti homines; vel per similitudinem, ut principes, et judices terrae. Sed omnes isti Dii subjecti sunt uni, et soli Deo vero, qui ideo dicitur *Deus Deorum*. Ex hebraeo, אל אלהים יהוה *el elohim* Adonai, sanctus Hieronymus vertit, *Fortis Deus Dominus locutus est*: sed voces hebraicae utramque versionem patiuntur, et sensus utriusque lectionis est verus, ad propositum rerum dicendarum. Nam si respiciamus primum adventum, Christus Dominus Deum Deorum se ostendit, cum terribilis fuerit Doemonibus, qui sunt Dii gentium; et ipse per adoptionis gratiam multos fecerit Deos: et ipse idem *fortis Deus fuit*, cum hostem generis humani per crucem devicerit, et vasa ejus diripuerit. Si respiciamus secundum adventum, *Deus Deorum* rectissime dicitur, quoniam Judex Judicum omnium erit; nec minus proprie conveniet ei titulus *fortis Dei*, cum diabolum, et omnes assecias ejus, sive doemones, sive homines in gehennam verbo detrudet, et vectibus sempiternis portas inferni claudet. Ait igitur, *Deus Deorum Dominus locutus est*, idest, Dominus Christus, qui est Deus Deorum in hunc mundum adveniens, locutus est verba evangelii sui. *Et vocavit terram*, idest, et ad sermones suos audiendos, terram universam convocavit dicens, *venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. 11.

2. *A solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris ejus.*

Declarat se per terram, non intellexisse terram Palestinae, vel aliquam aliam particularem, sed omnem omnino terram: et simul explicat locum, unde Dominus loqui coeperit. Coepit enim ex Sion, sive ex Jerusalem, juxta illud Isaiae 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem;* et illud Luc. ult. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. A solis ortu*, inquit, *usque ad occasum*, vocavit terram, idest, omnes homines, qui habitant terram a principio, ubi sol oritur, usque ad finem, ubi sol occidit. *Ex Sion species decoris ejus*, idest, locutus est Dominus, et vocavit terram ex Sion, quae est species decoris ejus, idest, ex Sion orta est praedicatio evangelica, quae est species decoris ejus. Porro species decoris significat speciem pulcherrimam, sive perfectam pulchritudinem, ut magis sonant verba hebraica. Erat autem Jerusalem, juxta priorem sensum, *perfecti decoris*, ut dicitur Thren. 1. quia erat civitas nobilissima, antiquissima, frequentissima, ornata sede regia et pontificia, necnon tabernaculo, arca foederis, et caeteris, quae eam caput religionis, et Regni faciebant unde etiam typus erat coelestis, ac divinae civitatis. Sed juxta posteriorem sensum erat evangelica praedicatio perfecti decoris, quia continebat mysteria redemptionis, notitiam sanctissimae Trinitatis, sacramenta efficacissima, legem perfectam, et innumerabilibus signis, et prodigiis comitata veniebat; atque audientes, et credentes renovabat et justificabat; et ex ima terra ad summum coelorum exaltabat.

3. *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit.*

Hic jam praedicit secundum adventum; quasi dicat, Deus Deorum venit, et vocavit terram, sed occulte venit, quia in forma servi, in humilitate, in mansuetudine, ut esset locus redemptioni per passionem, et mortem, sed postea *manifeste veniet* in potestate, et majestate magna, non in praesepi speluncae, sed in nubibus coeli, non cruci affixus inter latrones, sed in sede Judicis cum omnibus Angelis suis. Neque solum manifeste veniet, sed etiam *non silebit*, sicut in primo adventu, quando ut agnus mansuetus ductus ad occisionem non aperuit os suum: et sicut hoc tempore silet, dum peccata fieri videt, et tacet; sed veniet cum tuba et clamore horribili. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*, Matth. 25. *Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis*, Matth. 24. et *Ipse Dominus in jussu, et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo*. 1. Thes. 4. et *In novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*, 1. Corinth. 15. In hebraeo prima illa verba, *Deus manifeste*, conjunguntur cum versu superiore, hoc modo, *Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestabitur*: et deinde subjungitur novus versiculus, *Veniet Deus noster, et non silebit*. Sed non tenemur sequi distinctionem hebraicam, quae a Rabbinis excogitata est: illud autem verbum, *manifeste*, in textu hebraico ambiguum est, ut possit esse adverbium, manifeste, et verbum, manifestabitur; proinde non erraverunt septuaginta Interpretes, qui per adverbium expresserunt. Quod si Rabbini contendant vocem hebraicam, הוכיע *hophiab*, non posse accipi adverbialiter; dicemus septuaginta Interpretes reddidisse non verba, sed sensum; idem enim est, Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit; et Deus manifestabitur veniet Deus noster, et non silebit.

4. *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.*

Haec accipiuntur communiter pro conflagratione mundi, idest, eorum omnium, quae sunt in terra civitatum videlicet, hortorum, vinearum, palatiorum, animantium, et similium rerum corruptibilium, de quibus dicit s. Petrus in epist. 2. cap. 3. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua coeli magnu impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur*: de qua conflagratione disputat s. Augustinus lib. 20. de civit. Dei. cap. 18. et Scholastici in 4. Sentent. dist. 47. sensus igitur est, *Ignis in conspectu ejus exardescet*, qui exuret omnia, et quae in terris inveniet. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, idest, commotio maxima ex omni parte mundi, tum in terra, tum in mari, tum in aere, tum in coelo, *arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi*, ut ait b. Lucas cap. 21. tamen s. Augustinus hunc locum psalmi exponens, per ignem intelligit judicium divinum; per tempestatem vero ventum separantem grana a paleis, idest, discretionem bonorum a malis. Alii non male, per ignem, et tempestatem, describi volunt iram judicis aeterni, cum qua adveniet in novissimo die; vel certe haec omnia signa esse majestatis Dei omnipotentis: nam et quando descendit Deus in montem Sinai daturus legem, mons totus ardere videbantur, et audiebantur tonitrua, et conspiciebantur fulgura et omnino tempestas ingens, et terror maximus, Exod. cap. 10.

5. *Advocabit coelum desursum, et terram discernere populum suum.*

Describit frequentiam eorum, qui in illo quasi theatro intererunt, atque ad spectaculum omnium maximum convenient. *Advocabit*, inquit, *coelum desursum*, idest, ex parte mundi superiore advocabit Judex ipsum coelum, idest, omnes Angelos coeli habitatores: sic enim Dominus ait Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo*. Et ex parte inferiore *advocabit terram*, idest, omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem per successiones generationum incoluerunt terram. Aderunt ergo omnes Angeli, et omnes homines. Advocabit autem hunc tam magnum conventum, *discernere populum suum*, idest, ad judicandum populum suum, et segregandos electos a reprobis: nam ut dicitur Matth. 13. *in consummatione saeculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum*. Et Matth. 25. *Separabit oves ab hoedis*, idest, ea facilitate Judex coelestis secernet omnes electos ab omnibus reprobis, quamvis prope innumerabiles sint futuri, qua pastor separare potest paucas oves a paucis hoedis. Alii existimant advocari coelum, et terram in testes divinae sententiae, tamquam immobilis, quomodo alibi saepe in divinis litteris. Prior expositio est s. Augustini, posterior s. Joannis Chrysostomi, quem sequuntur Theodoretus, et Euthymius. Utraque est vera, et una alteri non repugnat.

6. *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.*

Quamvis omnes omnino homines ad judicium vocandi sint, tamen peculiari ratione judicium ad fideles pertinebit: *qui enim non credunt, jam ju-*

http://www.obrascatolicas.com

dicati sunt, Joan. 3. unde etiam Matth. 25. soli fideles judicandi introducuntur, et de operibus, non de fide discutiuntur. Itaque nomine sanctorum intelligendi sunt fideles, qui ad populum Dei pertinent, qui per circumcisionem olim Deo consecrabantur, et nunc per baptismum consecrantur: sic David in psalm. 85. dicit, *Custodi animam meam quoniam sanctus sum*, et Apostolus in epistolis suis omnes Christianos vocat *sanctos*. Alloquitur igitur angelos, et dicit, *Congregate illi sanctos ejus*, idest, adducite ad judicium populum Dei peculiarem, quem sibi per sacramenta sanctificavit: quod enim id per angelorum ministerium faciendum sit, perspicuum est ex cap. 13. Matthaei, *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum*: et cap. 24. *Et mittet Angelos suos cum tuba, et congregabunt electos ejus*. Quod sequitur, *Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, est declaratio vocis sanctorum: illi enim dicuntur Sancti, qui ordinant testamentum super sacrificia: quae sententia clarior est in textu hebraico, ubi ad verbum legitur, *Qui feriunt pactum ejus super sacrificio*, idest, qui pactum cum Deo faciunt, ut sint populus ejus, et ipse sit Deus eorum, quod pactum est super sacrificio, idest, super cultu divino, qui praecipue in sacrificiis offerendis consistit. Lectio nostra est paulo obscurior, sed eumdem sensum facit: nam per, *testamentum*, intelligitur pactum, et per *ordinare*, significatur, *disponere*. Disponere testamentum, et ferire pactum, idem sunt, ut perspicuum est ex variis locis Scripturae, sed praecipue ex lib. 1. Machab cap. 1. *Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus, quae circa nos sunt: nam ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala*. Igitur sensus hujus versiculi est, congregandos esse ad judicium sanctos Dei, idest, homines Deo dicatos, *qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, idest, qui testamentum disponunt, et pactum feriunt cum Deo, ut ipsi colant Deum sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat. In hebraeo codice habetur pronomen primae personae, hoc modo, *Congregate mihi sanctos meos, qui feriunt pactum meum super sacrificio*. Sed septuaginta Interpretes in omnibus his vocibus legerunt literam, *vau*, ubi nunc est litera, *jod*: facile autem fuit, mutari literam, *vau*, in literam, *jod*, cum non differant, nisi quod una est paulo longior altera: posita autem in textu litera, *vau*, efficitur pronomen tertiae personae et recte Septuaginta verterunt, *congregate illi*, et *sanctos ejus*, et *testamentum ejus*.

7. *Et annunciabunt coeli justitiam ejus, quoniam Deus Judex est.*

Congregatis omnibus ad judicium, tum demum *annunciabunt coeli justitiam ejus*, idest, de coelo proferetur sententia in bonos et malos, inde apparebit omnibus, quanta sit justitia Dei, quae nunc saepe non apparet, cum permittente Deo justi opprimantur ab iniquis: tunc igitur *annunciabunt coeli justitiam ejus*: quia de coelo veniet, qui justissime judicabit, et in coelo aereo sedens, sententiam justissimam proferet, et totum coelum, idest, omnes coelites assensu, et laudibus confirmabunt justam sententiam, ac dicent, *Justus es Domine, et rectum judicium tuum*. Neque poterit esse falsa haec coeli annunciatio, *quoniam Deus Judex est*, idest, quoniam, qui judicabit Deus est, in quem injustitia cadere non potest.

8. *Audi populus meus, et loquar: Israel, et testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum.*

Transit nunc Propheta ad eruditionem populi, ac docet, quae sit futura materia judicii, idest, quibus de rebus reddenda sit ratio in judicio, ut unusquisque parare se possit. Atque ut admonitio majorem fidem habeat, Deum ipsum loquentem, et paterne admonentem inducit. *Audi*, inquit Deus, *populus meus, et loquar*: nisi enim audieris, non tibi loquar, sed aliis, qui habent aures audiendi: nam non sine causa Dominus in evangelio Matth. 11. et alibi saepe dicit, *Qui habet aures audiendi audiat*: sicut enim qui surdi sunt habent aures ad ornamentum corporis, sed non ad audiendum: sic etiam qui mentem habent, sed non attendunt ad doctrinam Dei, habent aures interiores, quasi non haberent. Oportet igitur attente cogitare, et considerare quid dicat Deus, si volumus, ut nobis loquatur. Explicat deinde clarius, dum addit, *Israel et testificabor tibi*, idest, audi populus meus Israel et loquar testificando, et notum faciendo tibi, quod tua maxime interest. Per Israelem autem non intelligitur solum populus, qui secundum carnem ab Israele descendebat, sed etiam populus Christianus, qui fidem Israelis imitatur. Imo hic maxime per Israelem intelligendus est, cum Apostolus dicat Roman. 9. *Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitae, neque omnes, qui semen Abrahae, hi filii; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine*. Quod autem sequitur, *Deus Deus tuus ego sum*, est ratio, cur nos oporteat audire, quia videlicet, qui loquitur, est Deus, et peculiariter Deus noster: ac per hoc certo scimus, illum scire et velle nobis utilissima praecepta tradere: nam si Deus est, omnia novit; si noster est, amat nos, ac propterea vult utilia nos docere.

9. *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*

Summa doctrinae divinae est, Deum non requirere a nobis munera, qualia sacrificia sunt, quasi illis indigeat, vel quasi haec illi praecipue placeant sed requirere internas virtutes fidem, spem, dilectionem, obedientiam: propter quas virtutes munera placent, et sine quibus non placent. Id conforme est verbis Samuelis, 1. reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta, et victimas, et non magis ut obediatur voci Domini?* et Isaiae cap. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum*, etc. et infra. *Lavamini, mundi estote*, etc. et Christi ipsius, Matth. 23. *Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae, quia decimatis mentam, et anethum, et cuminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, judicium, misericordiam, et fidem*. Et denique ipsius Davidis in psal. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies*. Ait igitur, *Non in sacrificiis tuis arguam te*, idest, non accusabo, vel damnabo te in judicio, quod pauca mihi sacrificia obtuleris: deinde reddit hujus rei multas rationes: quarum prima est in secunda parte hujus versiculi, quia videlicet satis multa holocausta sibi quotidie offerantur: nam cum dicit: *holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*, illud *autem* ponitur pro, *enim*: nam in hebraeo est particula, *et*, quae frequentissime ponitur pro, *enim*. Sensus igitur est, non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo.

10. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*
11. *Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum, jumenta in montibus, et boves.*
12. *Cognovi omnia volatilia coeli, et pulchritudo agri mecum est.*

Haec est secunda ratio, cur Deus non magnopere requirat nostra sacrificia, quoniam ipse est rerum omnium Dominus, et ideo, si velit oves, aut boves, aut aves, aut aliquid aliud, nullo negotio potest habere, cum ipse omnia noverit, omnia possideat. *Non accipiam*, inquit, *de dono tua vitulos neque de gregibus tuis hircos*, idest, non opus est mihi, si velim vitulos, aut hircos, ut illos tibi eripiam, vel a te petam. *Quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum*, idest, mea sunt omnia animantia sylvestria, ut cervi, caprae, apri et similia. *Jumenta in montibus et boves*, idest, mea sunt etiam omnia animalia, quae pascuntur in montibus, ut oves, caprae, arietes, hirci, boves, et vituli. *Cognovi omnia volatilia coeli*, idest, non solum animalia quadrupedia mea sunt, sed etiam omnes volucres coeli, quos ego novi ubi sint, et ad quid prosint. *Et pulchritudo agri mecum est*, idest, non solum animalia, sed etiam omnes fructus terrae, ex quibus agri pulchri et divites redduntur, apud me sunt, ad jus meum pertinent, et omnibus uti possum, ut mihi placet: vel apud me est, idest, omnis perfectio agri, cum omnibus frugibus, arboribus, animantibus, fontibus, et caeteris rebus, mecum est ab aeterno eminenter in essentia mea consistens, ut mihi opus non sit ad ista exteriora descendere. In hebraeo pro illa voce, *jumenta*, est vox, בהמות *behemoth*, quae vox significat *animalia* generatim, et non sola *jumenta* proprie dicta: nam psal. 8. eadem vox habetur, ubi noster interpres vertit, *pecora campi*: et psal. 148. ubi legimus, universa pecora, eadem etiam vox reperitur. Illud autem, *in montibus, et boves*, ex hebraeo verti posset, in montibus mille: nam vox hebraica, אלף *eleph*, quae hic habetur, significat, et *bovem*, et mille. Itaque septuaginta Interpretes non male verterunt, *boves*; quamvis s. Hieron. verterit, *millium*: sed utraque lectio verum sensum habet: nam secundum lectionem s. Hieron. sensus est, Dei esse animalia innumerabilia, quae in montibus mille, idest, plurimis inveniuntur. Secundum lectionem Septuaginta, sensus est, Dei esse animalia, quae libere vagantur in montibus, et etiam boves, qui in praesepibus detinentur: et quoniam in textu hebraico, ut nunc legitur, illud in montibus, regit post se genitivum, et legi debet, in montibus bovis, quae verba non videntur aptum sensum reddere; suspicor septuaginta Interpretes non legisse, בהרי אלף *beharere eleph*, *in montibus bovis*: sed, בהר ואלף *bear veeleph*, in monte, et bos, unica litera paululum immutata, idest, *jod*, mutata in *vau*, quae sunt literae simillimae; quod facile contingere potuit vitio librariorum: sed explicandi gratia Septuaginta posuerunt numerum multitudinis pro singulari, et pro *in monte et bos*, posuerunt *in montibus, et boves*. Illud autem, *cognovi omnia volatilia coeli*, s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *cognovi omnes aves montium*: et vere vox hebraea non coelum, sed montes significat, neque est similitudo literarum inter vocabula, ut errorem librariorum suspicari possimus. Sensus tamen idem est: nam *volatilia coeli, et aves montium* idem sunt: dicuntur enim volatilia coeli, quia per coelum aereum discurrunt, et aves montium, quia in arboribus montium, ut plurimum nidificant. Illud denique, *et pulchritudo agri*, vertitur a s. Hieronymo, *et universitas agri*: vox autem hebraica, זיז *ziz*, est omnino ambigua: nam Septuaginta hoc loco reddiderunt, *pulchritudo*; in psal. 79. reddiderunt eamdem vocem translulerunt, *introitus*. Sanctus autem Hieronymus hoc loco reddidit, *universitas*: in psalm. 79. *Omnes bestiae*; Isaiae 66. *omnimoda*. In hac tanta varietate tutissimum est auctoritatem septuaginta Interpretum sequi, a quibus quoad sensum s. Hieronymus non dissentit. Siquidem pulchritudo agri ex universitate agri, idest, ex universis fructibus agrorum consurgit.

13. *Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terrae, et plenitudo ejus.*
14. *Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?*

Haec est tertia ratio, cur Deus non requirat nostra munera propter suam necessitatem, vel utilitatem, quia videlicet non esurit, neque sitit, et consequenter non calet, neque friget, neque ulla re indiget: et si indigeret, omnia illi praesto essent, quia Dominus est omnium rerum. *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi*, ut cibum videlicet mihi provideas: quia *meus est orbis terrae, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* idest, non vescor ego ejusmodi rebus, qui substantia sum spiritualis, et immortalis.

15. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*
16. *Et invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me.*

Docuit hactenus, non esse spem ponendam in externis sacrificiis, quasi illa sine interiori cogni-

http://www.obrascatolicas.com

tione, et amore sufficiant: nunc docet, in internis actibus virtutum consistere sacrificium, quo delectatur Deus, et quod nos in Judicio ultimo securos praestare poterit. Sed observandum est aliud esse laudem Dei, aliud sacrificium laudis. Potest enim laudari Deus ab iis, qui labiis solis Deum honorant; sed non potest sacrificari laus, nisi ab iis, qui in ara cordis et cum igne charitatis thus laudis offerunt, idest, nisi ab iis qui credunt, et aliquo modo apprehendunt Deum esse summum bonum, quique Deum sic creditum, et cognitum toto corde diligunt, et tamquam pulcherrimum, optimum, sapientissimum, admirantur, et laudant. Itaque sacrificium laudis, signum, et effectus est cognitionis, et amoris: et quia beati in coelo semper Deum vident, et amant, ideo de illis dicitur psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Ait, igitur, *Immola Deo sacrificium laudis*, idest, non solis labiis, sed ex intima cognitione, et amore Deum lauda. *Et redde Altissimo vota tua*, idest, posteaquam Deum, ut est in se, laudasti, respice illum, ut est auctor, et fons omnium bonorum tuorum, quia ex te nihil es, et redde illi gratiarum actionem, et solve tributum obedientiae, quod est praecipuum votum inter omnia vota tua: hoc enim promisisti cum ad populum, et familiam ejus admissus es, et hoc ipse requirit magis, quam externa sacrificia: *melior enim est obedientia quam victima*, ut dicitur 1. reg. cap. 15. Denique *invoca me in die tribulationis*, idest, sicut in die prosperitatis agnoscere debes omnia bona tua a me fonte bonorum descendere; sic etiam in die tribulationis ad me confugere, et in me spem tuam totam collocare debes: ego enim *eruam te*, omni tribulatione, *et tu vicissim bonorificabis me* sacrificio laudis, et gratiarum actionis.

17. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

Post instructionem justorum, pergit psalmus ad eruditionem iniquorum, sed fidelium. *Peccatori*, inquit, *dixit Deus*, idest, peccatorem Deus per me admonitum voluit, *quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?* idest, quare profiteris te scire legem meam, ut enarres praecepta mea, in quibus omnis justitia continetur, et profiteris etiam ad te pertinere testamentum, sive pactum meum, dum te filium Abrahae esse gloriaris, cum neque legem meam serves, neque pactum custodias, neque vestigia Abrahae imiteris?

18. *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.*

Describit primum interna vitia iniquorum, deinde in sequentibus versiculis enumerat peccata operis et oris. *Tu*, inquit, *odisti disciplinam*, idest, aversaris animo eruditionem divinae legis. *Et projecisti sermones meos retrorsum*, idest, et factus es, quasi oblitus esses praecepta mea, eaque post tergum haberes.

19. *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Ex oblivione, et odio divinae legis nascuntur peccata operis, qualia sunt furta, et adulteria, quo nomine fornicationes quoque intelliguntur. Sunt autem haec duo peccata frequentissima, quae ex avaritia et luxuria oriuntur: ideo horum duorum meminit Propheta: dicit autem, *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas*, et non dicit, *furabaris*, vel *fornicabaris*, quoniam minus est furari, vel moechari, quod occulte, et libidine stimulante fieri solet, quam cum furibus concurrere, vel cum adulteris portionem ponere, quia ista fiunt palam, et prompte, et ex animi perversitate potius quam ex inopia vel libidine.

20. *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.*

Transit ad peccata oris, ac dicit, *os tuum abundavit malitia*, idest, abundanter ex ore tuo, tamquam ex fonte scaturivit maledicentia: nam verbum hebraicum, שלח *scialach*, significat *dimittere*, quasi dicat, dimisisti linguam tuam quasi ruptis habenis in omnem maledicentiam: sed septuaginta Interpretes declaraverunt metaphoram. *Et lingua tua concinnabat dolos*, idest, loquebaris apposite ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis, vel mendaciorum.

21. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum: haec fecisti, et tacui.*

Addit ad peccatum oris, quod non solum adversus extreaneos, sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. *Sedens*, inquit, *adversus fratrem tuum loquebaris*, idest, non obiter, et per iram, sed sedens otiosus, et pacato animo, studiose et longo tempore detrahebas fratri. *Et adversus filium matris tuae*, idest, adversus eumdem fratrem scandalum ponebas, calumnias struendo, unde ille offenderetur, et ruinae occasionem haberet. In textu hebraico habetur vox דפי *dophi*, quae proprie *opprobrium*, sive probrum, aut convicium significat. Sed septuaginta Interpretes, *scandalum* verterunt, aut quia vox illa scandalum etiam significat, aut quia probrum jactatum in alium, scandalum illi sit. Quod sequitur, *Haec fecisti, et tacui*, apud hebraeos ad sequentem versiculum pertinet. Sed non est magni facienda interpunctio hebraici textus, cum a Rabbinis excogitata sit: significant autem illa verba, Deum hoc tempore omnia videre sed non omnia statim punire, ut det locum poenitentiae. Itaque videt, et tacet, ac si non videret: caeterum veniet brevi dies judicii, in quo, ut supra dictum est versu 3. *Deus manifeste veniet, et non silebit;* et hoc idem subjungit, cum ait:

22. *Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

Dum sine timore Dei peccant impii, videntur existimare Deo non displicere peccata: sed in Judicio intelligent quod in hoc psalmo dicitur. *Existimasti*, inquit, *quod ego essem tui similis*, idest, quod iniquus essem, et peccatorum amicus, sed non ita est, imo *arguam te* in die judicii, *et statuam contra faciem tuam* peccata tua, idest, faciam, ut videas gravitatem, et multitudinem peccatorum tuorum, et negare non possis sententiam contra te latam esse justissimam. In hebraeo habetur, Statuam te contra faciem tuam; sed idem est sensus; nam *statuam te contra faciem tuam*, nihil est aliud, nisi statuam vitam tuam, actiones tuas, peccata tua ante oculos tuos, ut non possis ea non videre.

23. *Intelligite haec, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, et non sit qui eripiat.*

Haec exhortatio est Prophetae ad impios, qui obliviscuntur Deum esse Judicem justum, et omnipotentem, ut intelligant attenta consideratione recogitantes, quae dicta sunt. *Ne quando Deus rapiat eos*, dum nihil minus cogitant, et ad judicium adducat, et pro meritis damnet; et non sit, qui de manu ejus eripere possit. In hebraeo habetur in prima persona, פן אטרף *pen etroph, ne quando rapiam*; et secundum hanc lectionem continuantur verba Dei: sed septuaginta Interpretes videntur legisse in tertia persona, et sensus est idem.

24. *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

Concludit Deus verba sua docens, viam salutis ad unum sacrificium laudis reduci, ita ut illi in die judicii salvi futuri sint, qui hoc sacrificium jugiter obtulerint, illi reprobi, et condemnandi, qui hoc sacrificium offerre neglexerint. *Sacrificium laudis* inquit, *honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei*, idest, qui sacrificaverit laudem mihi, ille mihi acceptus erit: nam ab eo me honorificatum esse confitebor, *et illic*, idest, in eo sacrificio, *iter erit* ad salutem: nam per illud iter perveniet ad locum, in quo *ostendam illi salutare Dei*, divinam videlicet, plenam atque perfectam salutem. In hebraeo est vox ambigua, שם quae significat, *illic*, si legatur *sciam* cum puncto in dextero cornu, ut septuaginta Interpretes legerunt: sed si legatur *sam* cum puncto in sinistro, ut s. Hier. legit, significat, *posuit*, sive *disposuit*; sed in re ambigua non est, quod a communi, et recepta lectione recedamus. At unde est, quod summa salutis ponitur in oblatione sacrificii laudis? S. August. respondet, ex eo esse, quod nemo vere laudat Deum, nisi pius sit: impii enim si verbis laudant, vita non laudant; ac per hoc non vere laudant, cum verbis eorum vita contradicat. Potest etiam dici, ut nos supra monuimus, *sacrificium laudis* non esse simplicem laudem, sed laudem ex ara cordis, et igne charitatis procedentem: quare cum sacrificium laudis includat charitatem, et sic inchoatio sacrificii, sive officii, quod in saecula saeculorum in coelo a beatis omnibus exercetur, mirum non est, si in eo summa salutis includitur.

PSALMUS L.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta quando introivit ad Bethsabee.

Titulus docet, qua occasione compositus fuerit psalmus iste a Davide: historia vero fusius narratur lib. 2. reg. cap. 12. summa historiae haec est. David ex palatio suo vidit mulierem formosissimam nomine Bethsabee, se lavantem. Captus amore adulterium cum ea commisit: quod ut facilius celaretur, maritum ejus Uriam neci dedit: sic viduam conjugio sibi copulavit, et filium ex ea suscepit. Postea Dei monitu venit Nathan Propheta ad Davidem, eumque de perpetrato flagitio, et caede corripuit. David in se reversus poenitentiam serio egit, atque hunc psalmum, in quo peccatum suum deflet, ea occasione composuit. Sensus igitur tituli hic est: *Psalmus in finem* usque mundi canendus, quem David composuit, *quando venit ad eum Nathan Propheta*, qui tunc ad eum increpandum venit, *quando intravit idem David ad Bethsabeam* uxorem Uriae, atque adulterium cum ea patravit. Ad hunc titulum pauca quaedam annotanda videntur circa personas, quae in eo nominantur, videlicet Davidem, Nathan, et Bethsabeam. Primo peccatum Davidis justis hominibus magnum timorem incutere posse: si enim tantus amicus Dei, tam facile corruit, quis non timebit casum? Secundo, ejusdem Davidis poenitentiam omnibus peccatoribus spem salutis adferre: peccatum enim ejus omni ex parte gravissimum fuit, et tamen per veram poenitentiam facile invenit indulgentiam. Tertio Nathan fuisse quidem Prophetam, sed Davide inferiorem non solum dono prophetiae, sed etiam potestate, sapientia, aliisque donis Dei: et tamen placuisse Deo, ut is Davidem corriperet, et ad poe-

http://www.obrascatolicas.com

nitentiam adduceret. Quo exemplo admonentur homines magni, ut non contemnant ministros Verbi Dei, sed ad eos audiendos accedant, etiamsi sint ipsi forte sapientiores, et majores illis. Quarto hinc cognosci, quantorum malorum causa sit pulchritudo mulieris cum impudentia, et facilitate conjuncta. Si enim Bethsabea mulier speciosissima in loco, unde videri posset, corpus suum non nudasset; aut non tanta facilitate Davidi consensisset, certe vir tantus in tam gravia scelera non cecidisset. Quinto, Nathan non intrasse ad monendum Davidem statim post ingressum ejus ad Bethsabem, ut titulus indicare videtur, sed multo postea: jam enim natus erat filius Davidi ex Bethsabea, quando venit Nathan. Itaque quod dicitur in titulo, intelligitur potius de occasione, quam de tempore; et sensus est, psalmum scriptum esse, quando Nathan intravit ad Davidem ex occasione, quia intraverat David ad alienam conjugem, nomine Bethsabeam.

EXPLICATIO PSALMI L.

1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

Incipit Propheta psalmum ab oratione, qua remissionem peccati petit: et simul explicat primam rationem, qua movetur ipse ad petendum; et Deum moveri posse credit ad indulgendum: alias deinde rationes in sequentibus versiculis explicaturus. Ait igitur, *Miserere mei Deus*; miserum se agnoscit, et confitetur David ob iniquitatem admissam, quamvis alioqui naturae, et fortunae bonis omnibus abundaret; ut e contrario beatos dicere solet eos, *qui timent Dominum*; non qui divitiis, aut honoribus abundant: ex quo intelligimus, quam perverse de miseria, et foelicitate judicent filii hujus saeculi. Addit, *secundum magnam misericordiam tuam;* quasi dicat, ideo misericordiam tuam implorare audeo, quia miser sum: misericordia enim miseriam respicit, ut eam tollat: quamvis autem in hebraeo codice non sit vox illa, *magnam*, tamen septuaginta Interpretes eam vocem in sua versione posuerunt, vel quod in codicibus hebraicis emendatioribus illam invenerint: vel quod hunc locum voce illa addita explicare voluerint. Vocatur autem *magna misericordia*, quia peccata remittuntur, tum quia peccatum magna miseria est, tum quia comparatione hujus misericordiae, parva misericordia dici potest ea, per quam Deus bona temporalia tribuere solet, bona enim temporalia Deus inimicis etiam suis, atque iis, quos in fine reprobaturus est, praebet; gratiam vero remissionis peccatorum illis tantum donat, quos in filios et haeredes aeterni regni adoptare dignatur. David igitur non contentus parva illa misericordia, qua regni gloriam, et opes copiosas, ac filiorum multitudinem, et victoriam de hostibus, atque alia id genus acceperat, petit *misericordiam magnam*, quam in peccatorum remissione, et gratiae restitutione positam esse sciebat.

2. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

Idem repetit, et declarat: quod enim dixit, *Miserere mei*, declarat dicens, *dele iniquitatem meam*; et quod ait, *secundum magnam misericordiam tuam*, declarat, cum dicit, *secundum multitudinem miserationum tuarum*. Sed ordinem Prophetae non invertamus; ipse enim eleganter in hoc secundo versiculo incepit ab eo, quod erat postremum in primo versiculo, ut hac varietate pulchriorem psalmum efficeret. Illae igitur voces, *secundum multitudinem miserationum tuarum*, explicant quid sit magna misericordia Dei, quae filiis dilectis, exhibetur. Significat autem multitudo miserationum affluentiam pietatis Dei: nam vox hebraica רחמיך *rachamecha* ut notavimus in primo versiculo psalmi 17. significat proprie paternum, ac tenerum amorem, quem Scriptura explicare solet per *viscera misericordiae*. Ecclesia quoque rectissime id expressit in collecta Dominicae XI post Pentecosten, cum ait, *qui abundantia pietatis tuae, et merita supplicum excedis, et vota*. Vere enim pietas divina tanta est, ut multo plus donet non solum quam mereamur, sed etiam quam optare audeamus. Quod ostendit etiam Dominus in parabola de filio prodigo Luc. 15. Pater enim filium poenitentem non solum admisit ad gratiam; sed etiam continuo amplexatus, et osculatus est, et jussit illi dari stolam primam, et annulum pretiosum, et occidi in gratiam ejus vitulum saginatum; ac denique tanta signa benevolentiae erga filium, qui universa bona sua dissipaverat, ostendit; ut plura non posset erga eum, qui victor ac triumphator de hostibus rediisset. Quod sequitur, *dele iniquitatem meam*, refertur tum ad reatum, tum ad maculam peccatorum: sciebat enim David ex actione peccati relinqui in anima reatum mortis aeternae, qui scribitur in conscientia: et maculam privationis gratiae, quae reddit animam deformem, tenebricosam, Deo invisam; ad utrumque refertur vocabulum *delendi*, nam scripturae deleri solent, cum remittitur debitum, et maculae etiam delentur, cum abluitur, quod maculatum erat. Petit igitur David, ut Deus non agat secum ex rigore justitiae; sed ex paterna misericordia remittat debitum peccati, et lavet maculam restituendo nitorem gratiae.

3. *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.*

Post culpam remissam, et gratiam restitutam, adhuc remanent in homine mali habitus vitiorum, et ipsa concupiscentia carnis, quae hominum reddunt infirmum et debilem, quales sunt, qui recens ex gravi morbo convaluerunt; et quidem mali habitus paulatim exterminantur exercitatione virtutum: concupiscentia vero potest quidem minui, sed ordinarie non eradicatur, nisi in morte: quamvis autem ad vitiorum exterminationem, et concupiscentiae diminutionem multum valeat studium, et diligentia nostra: tamen praecipuae partes sunt gratiae Dei, sine qua nihil possumus, et cum qua omnia possumus. Ideo propheta David qui haec noverat omnium optime, in psal. 102. scripsit, *benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*. Et hoc loco posteaquam petiit deleri peccatum suum, et audivit a Nathan propheta 2. reg. 12. *Deus transtulit peccatum tuum, non morieris;* iterum petiit lavari et mundari, idest, magis ac magis justificari per majorem gratiae infusionem, ut malis habitibus sublatis et concupiscentia mortificata, anima candidior et pulchrior fiat, et per hoc etiam ad resistendum tentationibus fortior. *Amplius*, inquit, *lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*, idest, spero peccatum meum per gratiam tuam esse deletum, et animam meam lotam, et mundatam a reatu, et macula per actionem peccati contracta; sed cupio et peto, iterum atque iterum lavari per gratiae incrementum, ut anima mea candidior, et fortior evadat. Posset etiam simplicius exponi ut haec secunda petitio pertineat ad magnitudinem peccati declarandam, quasi dicat, si macula peccati mei levis esset, sufficeret simplex ablutio: sed quia macula ingens, et multiplex est; ideo multum valde, amplius atque amplius lavari desidero, ut tantae maculae vestigium nullum supersit.

4. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.*

Haec est secunda ratio, unde persuadere Deo conatur, ut indulgeat peccanti: quia videlicet confitetur peccatum suum, et illud in se punit continua cogitatione, et recordatione. Ignosce, inquit, *quia ego peccatum meum agnosco*, non excuso, non nego, nec solum agnosco, sed perpetuo, de illo cum dolore animi cogito: nam *contra me est semper*, idest in conspectu meo positum, me quasi jaculum fodere, et cruciare non cessat. Hoc exemplum imitari debemus, qui psalmos poenitentiales recitamus; ut vere dicere possimus, *peccatum meum contra me est semper*: quod fiet si peccatum semel admissum, et per gratiam Dei forte deletum, in memoria nostra vivat, et ingratitudinis nostrae erga tam magnum benefactorem nos semper admoneat.

5. *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.*

Tertia haec est ratio, cur a Deo indulgentiam postulet: quoniam non alium Judicem timet. *Tibi*, inquit, *soli peccavi*, non dicit, contra te solum peccavi: peccaverat enim etiam contra Uriam, quem occiderat, et contra Bethsabeam quam adulteraverat, et contra populum, quem scandalizaverat; sed dicit, *Tibi soli peccavi*, nimirum ut Judici, apud quem solum convinci poterat: nam nec alium Judicem habebat; et si habuisset, convinci non potuisset; quoniam factum erat sine teste; et quamvis ex suspicione fama peccati manasset in vulgus, tamen legitime peccatum probari non poterat; sed apud Deum Judicem convictus erat, tum quia Deus viderat, tum quia conscientia ipsius testis erat apud Deum, qui scrutatur renes et corda; et ideo subjungit declarans, *et malum coram te feci*: quamvis enim David occulte peccaverit, in tenebris clausi cubiculi, tamen oculos Dei excludere non potuit, *Ut justificeris in sermonibus tuis*: illud, *ut*, non significat causam, sed consequentiam, ut Theodoretus hoc loco notavit, et sensus est, *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, ex quo secutum est, *ut justificeris in sermonibus tuis*, dum me peccatorem et injustum esse pronuncias: vel certe subintelligitur verbum aliquod ut hic sensus sit, Dico, *tibi soli peccavi*, dico, *malum coram te feci*, confiteor me injustum, ut tu justus, et verax inveniaris in sermonibus tuis, quibus per Nathan Prophetam me adulterii et homicidii reum esse pronunciasti. *Et vincas cum judicaris*: repetitio est ejusdem sententiae: ac si dicat, et si judicium inter te, et me instituatur, et ego negare velim crimen, cujus tu reum me esse dixisti, tu omnino vincas causam, et ego causa cadam, cum mecum judicaris. Hunc existimo litteralem esse sensum hujus obscurae sententiae, qui sensus valde confirmatur ex verbis Apostoli, Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*. Sed non rejicio, quod alii dicunt, *Deum justificari in sermonibus suis*, et vincere cum judicatur, si poenitentibus ignoscat, quoniam veniam poenitentibus repromisit. S. Augustinus refert ad Christum hunc versiculum, quia solus ipse est sine peccato, et ideo illi soli justo nos injusti peccamus et ille solus vicit, cum judicatus est injuste ab injustis.

6. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

Quarta ratio ducitur a prima origine, et primi hominis peccato in nos transfuso per generationem, ex quo facti sumus infirmi, et proclives ad peccandum, et ob hanc quasi naturalem miseriam misericordia digni sumus. Quod autem hic locus non intelligatur de peccatis parentum, sed de ipso peccato originali, quod ex conceptione trahimus; probat hoc loco s. Augustinus, quia David non est natus ex adulterio, sed ex casto conjugio piorum parentum. Sed hoc ipsum probare possumus ex proprietate verborum hebraicorum: illud enim, *conceptus sum*, est in hebraeo, חוללתי *cholalthi*, quod non significat actum gignendi, qui ad parentes pertinet, sed actum formationis membrorum, quae conformatio in utero fit satis diu post concu-

http://www.obrascatolicas.com

bitum parentum. Et videtur Spiritus sanctus divina providentia non voluisse scribi hoc loco, genitus sum, sed *conceptus*, sive *formatus sum*, ut praeveniret haereticorum perversas interpretationes. Illud etiam, *concepit me mater mea*, in hebraeo est, יחמתני *iechemathni*, quod proprie significat, *calefecit me*, sive *fovit me*: proinde non refertur ad actum concubitus, in quo peccant parentes quando fornicantur, vel moechantur, sed ad actionem confovendi foetum in utero, dum formantur membra, ut anima infundatur: quamvis autem s. Hieron. verterit, *peperit me mater mea*, et s. August. legat, *aluit me mater mea*; et nos cum septuaginta legamus, *concepit me mater mea*: tamen proprietas verbi est, quam diximus, cum qua non pugnant illae variae lectiones: mater enim recte dicitur *concipere*, quando foetus in utero ejus formatur, et fovetur: sic etiam dicitur *alere*, non solum quando lacte nutrit jam editum, sed etiam quando in utero conservat, et auget: denique non male s. Hieron. vertit, *in peccato peperit me mater mea*, quia peccatorem peperit, quem in peccato conceperat. Adde etiam quod in textu originali, dicitur in singulari, *et in peccato conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea*. Vere enim peccatum originale, quod in conceptione contrahimus, unum est, non plura. Sed septuaginta Interpretes verterunt in numero multitudinis, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, quia unum illud peccatum est quasi fons omnium aliorum peccatorum, et in illo includuntur omnia.

7. *Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.*

Haec est ratio quinta, quae ducitur a veritate et simplicitate cordis, quae semper fuit in Davide; et quam Deus maxime diligere solet, propter quam etiam Deus, qui veritas est, Davidi multa mysteria futura revelavit: nam, ut S. Joan. Chrysost. hoc loco copiose docet, nullum est fere mysterium Christi et Ecclesiae, quod David non praeviderit, et in psalmis praedixerit. Igitur David hanc veritatem commemorat, propter quam tot mysteria divina cognovit, et quia in eadem veritate perseverat, simpliciter peccatum suum confitendo, inde petit a Deo remissionis donum. *Ecce*, inquit, *veritatem dilexisti*, idest, tu Deus veritatem, et sinceritatem cordis semper amasti: sicut etiam contra duplicitatem, et perversitatem semper odisti. *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi*, idest, quia veritatem amas, et in me veritatem, et rectitudinem cordis invenisti, ideo tam multa mihi patefecisti mysteria divina, secretissima, et occultissima, quae signa sunt infinitae sapientiae tuae. Illud, *incerta*, non significat mysteria divina esse incerta, idest, dubia in se, quasi possint non fieri: sed *incerta*: et dubia nobis, quomodo dicimus, incertus est hominibus dies Judicii, non quod non certum sit futurum esse diem Judicii, sed quia incertum est nobis quando sit futurus. In textu originali vox hebraica בטחות ובסתם *batluchot ubsathum*, significat *absconditum*, *et coopertum*. Itaque *incerta*, *et occulta* sapientiae divinae dicuntur illa, quae Sapientia divina ordinavit ab aeterno, ut fiant temporibus suis, sed abscondita, et occulta sunt, antequam fiant, nisi speciali privilegio revelentur.

8. *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.*

Aperit hic unum ex incertis, et occultis mysteriis divinae sapientiae, quod videlicet tempore novi testamenti aspergendi essent homines aqua munda in baptismo, et perfectissime justificandi: alludit autem ad caeremoniam, quae describitur, Num. 19. ubi ad expiationem tria necessaria esse dicuntur, cinis vaccae ruffae immolatae in holocaustum; aqua cineribus mixta: et hyssopus, quo aqua aspergebatur: per cinerem vaccae ruffae significatur Christi mors: per aquam, baptismus: per hyssopum, fides; hyssopus enim herba est humilis, radices habens in petra. Sicut enim in illa expiatione typica, aqua mundabat, sed vim habens ex cineribus vaccae occisae, et per hyssopum aspersa: sic etiam in baptismo aqua mundat, sed vim habens ex morte, et merito Christi, et per fidem applicata. Ad has igitur expiationes tum figurantem, tum figuratam respicit David, cum dicit: *Asperges me hyssopo et mundabor*: petit enim illam purgationem, quam noverat figuratam, per expiationem aquae hyssopo aspersae, et quam implendam praevidebat, et praedicebat in baptismo: et ut ostendat illius expiationis primarium, auctorem esse Deum dicit, *Asperges me hyssopo*, et non dicit, asperget me sacerdos hyssopo: et ut demonstret, expiationem baptismi fore perfectissimam, ita ut vere tollat peccata, ut non solum non imputentur, sed ut non sint: et non solum tollat peccata, verum etiam infundat copiosam gratiam, addit: *Lavabis me, et super nivem dealbabor*. Vide s. August. lib. Quaest. super Num. cap. 33. et Theodoretum in hunc locum psalmi.

9. *Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.*

Effectus, et signum perfectae justificationis est cum spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium in se ali, quando Propheta expertus, iterum illud petit, dicens. *Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam*, idest, cum me perfecte laveris, addes et hoc beneficium, ut interiore quodam gaudio tamquam signo remissi peccati me mirabiliter afficias: quod gaudium erit veluti bonus nuncius, quem cordis aure jucunde percipiam. In hebraico textu est unicum verbum תשמעני *thasmiheni* pro eo quod nos habemus, *auditui meo dabis*, et significat proprie *audire me facies*. Itaque sensus est, audire me facies internam vocem Spiritus sancti, qui me gaudio, laetitiaque perfundet. *Et tunc exultabunt ossa humiliata*, idest, tunc animus spiritu timoris confractus, et dissolutus, resumptis viribus exultabit. In hebraico textu habetur, תגלנה עצמות רכית *thaghelna hatzamoth dicchitha*, *Et tunc exultabunt ossa quae tu confregisti*. Ex quo intelligimus, spiritum timoris, quo cor conteritur, et humiliatur, a Deo esse, et disponere ad spiritum dilectionis, quo anima justificatur. Per ossa, intelliguntur vires animi, non ossa corporis, nam et paulo post dicitur, Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

10. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.*

Quod praedixit futurum, in praesenti sibi postulat: dixerat enim, *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor; Auditui meo dabis gaudium*, etc. nunc ista ipsa postulat. Ac primum petit remitti peccata, sicut antea dixerat, *Asperges me hyssopo, et mundabor. Averte*, inquit, *faciem tuam a peccatis meis*, idest, ne consideres peccata mea, ut ea punias: quo modo alius Sanctorum dixit, Tob. 3. *Ne reminiscaris Domine delicta mea*. Sunt tamen istae omnes loquutiones metaphoricae: neque enim fieri potest, ut Deus, quem nihil latet, avertat faciem a peccatis, vel obliviscatur eorum; sed dicitur avertere faciem, vel oblivisci, quando facit id quod faciunt, qui non considerant, aut non recordantur: qui enim non considerant, aut non recordantur, non puniunt. Addit autem, *et omnes iniquitates meas dele*, ut non solum ad tempus Deus non puniat, sed numquam omnino puniat: qui enim avertit faciem a scriptura aliqua, potest iterum convertere faciem, et considerare quod scriptum est: sed qui delevit scripturam, non potest amplius legere. Facit hoc adversus haereticos, qui docent, peccatum in justificatione non imputari, sed manere tamen; quasi Deus avertat quidem faciem a peccatis sed ea numquam omnino deleat.

11. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Hoc respondet illis verbis: *lavabis me, et super nivem dealbabor*: petit enim, ut non solum peccata deleat, sed etiam justitiam infundat, quae animam renovet, et formosam, ac splendidam reddat; quod etiam est contra haereticos, qui justificationem in sola peccatorum remissione constituunt. Quod autem dicit, *Cor mundum crea in me Deus*, intelligitur formaliter, ut scholae loquuntur, idest, de creatione munditiei, non de creatione cordis: per peccatum enim non perit substantia cordis, sed mundities. Itaque sensus est, crea munditiem in corde meo: et satis proprie dicit, *crea*, quoniam nihil invenit Deus in corde peccatoris, unde munditiem in illo efficiat, sed ex magna misericordia sua sine ullis meritis homines justificat: nam etiamsi disponantur peccatores per fidem, et poenitentiam ad justificationem: tamen fides, et poenitentia, et alia omnia similia dona Dei sunt. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis*. Explicatio est verborum praecedentium: ut enim intelligeremus, creari cor mundum, esse, creari munditiem in corde, addit, et in visceribus meis innova spiritum rectum, non autem, innova mihi viscera. Per viscera intelliguntur interiora animi, id est, voluntas ipsa, quae paulo ante cor dicta est. Per spiritum rectum, intelligitur recta affectio, quae nihil aliud est, nisi charitas: per cupiditatem enim affectus cordis distortus efficitur, dum convertitur ad inferiora, ac praecipue ad seipsum; sed per charitatem dirigitur, dum convertitur ad superna, ac potissimum ad Deum. Innovatur igitur spiritus rectus in visceribus, quando corde mundato per gratiam renovatur in anima pia affectio in Deum, quae per peccatum amissa erat, et in cujus locum cupiditas distorta successerat.

12. *Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

Hic jam perseverantiam postulat, memor videlicet fragilitatis suae, ne forte per gratiam erectus, iterum labi contingat. Dicitur in scriptura, *projici a facie Dei*, qui dimittitur, ac deseritur non amplius recipiendus in gratiam, 1. reg. 16. *Dixit Dominus ad Samuel, usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum*; et 2. reg. 7. *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstulit a Saul, quem amovi a facie mea*; et 4. reg. 24. *Irascebatur Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua*. Ait igitur, *ne projicias me a facie tua*, idest, ne sinas me iterum labi in peccatum, ne forte in perpetuum a gratia tua me removeas, parum enim mihi prodesset lavari, et super nivem dealbari, et spiritum rectum in me innovari, si tandem a facie tua cum reprobis projiciendus essem. Ut autem me non projicias a facie tua, *spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, idest, donum perseverantiae mihi tribue, efficiendo per gratiam tuam, ut Spiritus tuus sanctus jugiter in me manens, spiritum rectum in visceribus meis conservet. Hoc loco notandum est verum esse dogma ecclesiasticum Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. s. Augustini tract. 2. in Joannem, et s. Prosperi resp. 7. ad objectiones Vincentianas, neminem a Deo deseri, nisi prius ipse deserat Deum, idest, non auferri Spiritum sanctum a justis, nisi ipsi peccando spiritum in se extinguant, tamen ut homo non peccet, et spiritum non extinguat, ad donum perseverantiae pertinere, de quo dicit Apostolus, *oramus, ut nihil mali faciatis*, 2. Cor. 13. de hoc dono hunc locum psalmi intelligimus: cum enim dicit David, *spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, non significat, non auferas, si peccavero; sed ne auferas, ut non peccem.

13. *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

Respondet hic versiculus illis verbis, *auditui meo dabis gaudium et laetitiam*; sicut enim praedixit, post veram, perfectamque justificationem secuturum in homine internum gaudium, ex testimonio spiritus intus loquentis: ita nunc postea-

http://www.obrascatolicas.com

quam petiit remissionem peccati, et infusionem gratiae cum dono perseverantiae, petit signum, et effectum justificationis, dicens : *redde mihi laetitiam salutaris tui*, idest per peccatum amisi gratiam, et laetitiam consequentem , ideo sicut petii reddi mihi gratiam amissam, ita consequenter peto reddi laetitiam salutaris tui, id est, laetitiam, quae nascitur ex donata a te mihi salute: ac ne forte laetitia extollat, et periculosam securitatem inducat, adjungit, *et spiritu principali confirma me*, idest, peto, ut stabilias et confirmes me in bono per spiritum principalem mihi a te inspiratum. In hebraico textu est vox, נדיבה *nediva*, quae significat *principem*, et *spontaneum*, sive *liberalem*; et potest referri tum ad Spiritum sanctum, qui vere princeps est omnium spirituum, et liberalissimus, ac munificentissimus, cum sit fons omnium donorum : tum ad spiritum, idest, affectum ipsius Davidis, qui petitur a Deo talis qualis decet optimum principem. qui debet esse spontaneus erga Deum, et liberalis erga populum. S. Augustinus, et s. Hieronymus in commentario, et s. Bernard. serm. 3. de Pentecoste scribunt. posse per Spiritum principalem intelligi Deum Patrem; per Spiritum rectum, Deum Filium; per Spiritum Sanctum, Deum Spiritum sanctum. Sed videtur haec pia, non litteralis expositio.

14. *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.*

Exponit fructum justificationis suae, quae redundabit in gloriam Dei, et multorum utilitatem. Ego, inquit, a te receptus in gratiam, post tam graves offensiones, *docebo*, et verbis et exemplo *vias tuas*, misericordiam videlicet, et justitiam : nam *omnes viae Domini misericordia et veritas*: et inde sequetur, ut impii exemplo meo edocti ad te convertantur. Fuit autem David omnibus posteris insigne exemplum misericordiae et justitiae divinae : misericordiae quidem, quia post tam gravia scelera, mox ut ex corde dixit, *Peccavi Domino*, remissum fuit ei peccatum ; justitiae autem, quoniam gravissimas temporales poenas de eo Dominus sumpsit, ut non solum statim moreretur filius ex adulterio natus ; sed etiam paulo post ipse ejiceretur e solio Regni, uxores ejus publice violarentur a proprio filio, duo ejus filii Ammon et Absalon interficerentur. Hoc autem, exemplum non solum profuit hominibus illius saeculi ; sed etiam caeteris omnibus usque ad mundi consummationem: nam psalmus de hac re ab ipso compositus ubique frequentatur, et frequentabitur, quamdiu Ecclesiae militantis status permanebit. Itaque implevit David quod promisit, cum hunc psalmum edidit: docuit enim iniquos vias Domini, et occulti peccatores ad Deum conversi sunt, et alii princeps sine dubio convertentur. Verisimile quoque est, Davidem post reparationem suam multis praedicasse divinam indulgentiam, atque ejus exhortatione non paucos peccatores ad Deum fuisse conversos.

15. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

Oravit paulo ante David pro ablutione peccati, et promisit se docturum peccatores vias Domini : nunc orat pro liberatione a poena sive a vindicta, quam expetebat sanguis Uriae injuste fusus ; et promittit, se laudaturum Dei justitiam. Cur autem dicat, *de sanguinibus*, et non potius, de sanguine ut requirebat phrasis latina, rationem reddit s. Augustinus, quia voluit interpres servare numerum, quem invenit in textu hebraico: in textu autem hebraico ponitur numerus multitudinis מדמים *mid-damim* , ad significandum magnam effusionem sanguinis, ut Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* In hebraico est קול דמי *kol deme, vox sanguinum*, idest, vox multi sanguinis effusi. Sic igitur hoc loco dicitur, *libera me de sanguinibus*, idest, libera me a voce multi sanguinis Uriae, qui a me injuste fusus clamat ad te, et vindictam contra me exposcit et dicit, *libera me*, quoniam videbat sanguinem illum, quasi militem armatum contra se stare: proprie etiam addit, *Deus Deus salutis meae* : nam proprium est Salvatoris liberare ab imminenti periculo. Et haec etiam ratio est, cur adjungat, *et exultabit lingua mea justitiam tuam* : nam liberatio et salvatio vera per meritum Christi praevisi fiebat, ut nunc sit per meritum Christi re ipsa exhibiti. Meritum autem Christi exquisitissime justitiam continet, et talem, ut toto corde et maxima vocis contentione laudari mereatur. Atque hoc significat verbum hebraicum, תרנן *therannen*, pro quo nos habemus, *exultabit*, idest, exultando, et vociferando laudabit. S. Augustinus, et alii, per sanguinem, intelligunt peccata: sed, ut bene notavit Euthymius, litteralis sensus ad verum sanguinem Uriae referendus est: spiritualiter autem per sanguinem, peccata intelligi possunt, quoniam peccata ex prava concupiscentia oriuntur, in concupiscentia vero praecipue sanguis dominatur.

16. *Domine labia mea aperies: et os meum annunciabit laudem tuam.*

Hoc jam sequitur ex perfecta justificatione ; et liberatione peccatoris, ut labia solita Deum laudare, quae per peccatum clausa fuerant, iterum per indulgentiam aperiantur ad gratiarum actionem, et laudem Redemptoris. Ait igitur, *Domine labia mea aperies*, idest, tu quidem indulgendo, et condonando peccata; et fiduciam, et laetitiam restituendo, *aperies labia mea*, et tunc *os meum annuciabit laudem tuam*, praedicando misericordiam, et justitiam non solum praesentibus, sed etiam futuris hominibus.

17. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.*

Reddit rationem, cur sacrificium laudis offerre velit, quoniam videlicet sacrificia pecorum Deo non placent, ac si dixisset, *Os meum annunciabit laudem tuam*, quoniam sacrificio laudis delectari te scio, non sacrificiis animantium brutorum: nam si ea tibi placerent, non distulissem ea offerre. Non est autem sensus sacrificia pecorum nullo modo placere Deo, cum satis constet ex libro Levitici a Deo illa esse instituta, et offerri jussa. Sed dicuntur non placere ex seipsis quasi mactatio pecorum sit ex se opus Deo gratum, vel utile, aut necessarium: item dicuntur non placere, si conferantur cum sacrificio Eucharistiae; ut patet ex 1. cap. Malach. ubi sacrificia vetera dicuntur cessatura, quando oblatio munda in omnibus gentibus offerentur: dicuntur etiam non placere quando offerentur a peccatoribus, ut dicitur Isaiae 1. cum *Deo magis obedientia placeat, quam victimarum oblatio*, 1. reg. 15. Denique dicuntur non placere ad expianda peccata, quoniam *impossibile est*, ut dicit Apostolus ad hebr. 10. *sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata*, et hoc loco David, *si voluisses sacrificium* pro remissione peccati mei, *dedissem utique* : sed quia *holocaustis non delectaberis*, ita ut eorum gratia mihi peccata condones; ideo *os meum annunciabit laudem tuam*: nam, ut diximus in explicatione psalmi superioris, sacrificium laudis Deo gratissimum est, quoniam in ira cordis igne charitatis succenditur. In hebraeo videtur paulo aliter haberi. Sic enim ad verbum legitur, *quoniam non voles sacrificium, et dabo*: *holocaustum non placebit*. Sed videtur repetenda negatio, cum dicitur, *et dabo*, ut sensus sit, *quoniam non voles sacrificium, ego quoque non dabo*. Vel forte septuaginta interpretes loco negationis legerunt particulam conditionalem: nam ea posita potest littera ebraica sic legi, *Quoniam si velles sacrificium, et darem*; quod est idem cum eo, quod nos habemus, ex versione Septuaginta, *si voluisses sacrificium, dedissem utique.*

18. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.*

Explicat clarius, quod sacrificium laudis Deo placeat, illud videlicet, quod ex corde contrito, et humiliato procedit, quando videlicet homo agnoscens miseriam suam et misericordiam Dei, umiliatur sub potenti manu ejus, et illi honorem et gloriam, sibi autem ignominiam et confusionem tribuit. Dan. 9. *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei*; et paulo post, *Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, et principibus nostris et patribus nostris, qui peccaverunt: tibi autem Domino Deo nostro misericordia, et propitiatio.* Spiritus contribulatus idem est quod cor contritum: nam in codice hebraico, et graeco codice eadem vox repetitur, *spiritus contritus, et cor contritum*: sed Interpres maluit variare vocabula; et sensum idem est: dicitur enim *spiritus contribulatus* anima dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita ob peccatum in Deum commissum: sic etiam spiritus contritus, dicitur anima ex dolore conceplo ob admissum peccatum, quasi scissa, et pulverem redacta non amplius retinens lapideam duritiem, et resistentiam. Haec autem contritio spiritus est gratissimum Deo sacrificium; quia quemadmodum peccatis Deus offenditur, ita poenitentia placantur: et ideo recte subjungitur, *cor contritum, et humiliatum Deus non despicies: quoniam despicit Deus superbos, illisque resistit; sed humilibus*, qui se illi libenter subjiciunt, *semper dat gratiam*. Jac. 4.

19. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion; ut aedificentur muri Jerusalem.*

Haec est ultima ratio, qua David utitur ad placandum Deum, et impetrandam perfectam justificationem, et reparationem post tam gravem lapsum. Dicit enim hanc suam reparationem toti populo profuturam, sicut toti populo noceret ejus ruina. Itaque rogat, ut praestet hoc beneficium ipsi civitati Sion, et Jerusalem. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion*, idest si ego dignus non sum, qui exaudiar, respice civitatem, cujus ego sum caput, et illi benefac sanando caput illius, *in bona voluntate tua*, idest, juxta beneplacitum tuum, quo tibi complacuit, hanc civitatem tibi eligere in propriam et peculiarem sedem. *Ut aedificentur muri Jerusalem*, idest, ut sic muri Jerusalem, qui corruerunt, iterum aedificentur. Vocat muros Jerusalem seipsum, qui instar murorum totum populum custodiebat, et defendebat; qua metaphora dicitur etiam de rege Christo, *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale*, Isaiae 26. et, *dabo te populo huic in murum aeneum*, Hierem. 15. In hebraeo legitur *aedifica muros in Hierusalem*, qui per lapsum meum ceciderunt : restitue mihi spiritum copiosum et gratiam abundantem, ut populum tuum instar murorum defendere et custodire valeam.

20. *Tunc acceptabis sacrificium, justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Effectus justificationis sunt opera justitiae, quae placent Deo, ut vere sacrificia spiritualia, juxta illud Apostoli ad hebr. 13. *Beneficentiae et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostibus promeretur Deus* ; et 1. Petr. 2. *Offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Jesum Christum. Tunc*, inquit, idest, cum ego perfecte reparatus et justificatus fuero, *acceptabis sacrificium justitiae* bona videlicet opera mea et populi mei ; *oblationes et holocausta*, idest quae bona opera, vel erunt spirituales oblationes, vel spiritualia holocausta. Oblationes spirituales sunt, cum quis ex charitate donat bona sua, eleemosynas erogando : holocausta vero cum donat se totum in Dei obsequium, juxta illud Rom. 12. *Obsecro vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem sanctam* etc. *Tunc imponent super altare tuum vitulos*, idest, cum viderint homines ista sacrificia justitiae acceptissima tibi esse, accurrent multi, et certatim imponent super altare tuum sacrificia, non quaecumque, sed omnium optima: sacrificium enim vituli erat omnium sacrificiorum praestantissimum: ac per hoc vitulos super altare imponere nihil est aliud nisi opera justitiae perfectae Domi-

http://www.obrascatolicas.com

no Deo offerre. S. Augustinus more suo exponit hunc locum de aedificatione coelestis Jerusalem, ubi sacrificia justitiae undequaque perfecta ab omnibus offerentur. Theodoretus et Euthymius exponunt etiam mystice de aedificatione Ecclesiae Christianae, quae versatur in terris: iidem quoque addunt, posse intelligi hos duos versiculos de reaedificatione Jerosolymae, quae facta est tempore Nehemiae, ut videlicet David in spiritu post delatum peccatum suum, et impetratam remissionem praeviderit peccatum commune totius gentis, ob quod evertenda esset Jerusalem, et simul oraverit pro remissione illius peccati, et restauratione Civitatis.

PSALMUS LI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumaeus et nunciavit Sauli: venit David in domum Achimelech.

Titulus psalmi notissimus est ex historia libri primi Regum cap. 22. Argumentum autem est reprehensio Doeg Idumaei, qui calumniatus est Davidem et Achimelech sacerdotem apud regem Saul et causa fuit perditionis multorum hominum.

EXPLICATIO PSALMI LI.

1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

Orditur David ab interrogatione, ut efficacior sit reprehensio, quomodo M. Tullius adversus Catilinam incepit, quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? *quid gloriaris* inquit, *in malitia, qui potens es in iniquitate?* gloriabuntur enim Doeg Idumaeus, quod accusatione sua perdidisset sacerdotem Domini, et omnem familiam ejus. Saul enim cum audivisset ab isto Doeg Idumaeo, Davidem fuisse receptum hospitio ab Achimelech sacerdote, in tantam iram exarsit, ut non solum occidi jusserit ab ipso Doeg sacerdotem Achimelech, sed etiam octoginta quinque alios sacerdotes, qui erant cum eo: et deinde percussit in ore gladii civitatem sacerdotalem, occidens omnes viros et mulieres, parvulos et lactentes, oves quoque, et boves et asinos. Ecce quanta mala nata sunt ex calumniatore illo, ut vere dictus sit *potens in iniquitate*. Sed occurrit difficultas ex discordia codicum hebraicorum, graecorum et latinorum. Nam s. Hilarius et s. Augustinus legunt, *quid gloriatur*. Sed nostrae lectioni, *quid gloriaris*, favent textus hebraicus et s. Hieron. non solum in versione, sed etiam in commentario. Praeterea in textu hebraico et graeco constituitur punctum post vocabulum, *potens es*, *quid gloriaris in malitia, qui potens es*. Sed nostrae lectioni favent s. Hilarius et s. Hieronymus in commentario, quamvis s. Augustinus et Euthymius legant, ut nunc habetur in hebraico et graeco textu. Apparet igitur apud veteres fuisse varias interpunctiones. Denique in hebraico codice habetur, *misericordia Dei*, pro eo quod est in graeco ἀνομία, *iniquitas*: sic enim ad verbum legitur in hebraico, *quid gloriaris in malitia, qui potens es in misericordia Dei*. Sed vox hebraica חסד *chesed*, non significat solam misericordiam, sed etiam opprobrium, ut perspicuum est ex Levitico c. 20. vers. 17. et ex Proverbiis c. 14. vers. 37. Igitur hoc loco non debuisset verti, *misericordia Dei*, sed *opprobrio Dei*: quia occidit multitudinem sacerdotum, quod in opprobrium Dei redundavit. Septuaginta interpretes verterunt, ἀνομίαν, iniquitatem, quia factum illud Doeg Idumaei iniquissimum fuit: nam ut legitur 1. reg. 22. nulli alii ausi sunt mittere manus suas in sacerdotes, etiam rege jubente, praeter istum Doeg Idumaeum; qui tamen omnium optime noverat innocentiam sacerdotum, ut testis oculatus omnium rerum.

2. *Tota die in justitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.*

Exaggerat miris modis calumniosam illam delationem Doeg Idumaei: ac primum dicit non fuisse repentinam delationem, sed diu meditatam. *Tota die*, inquit, *in justitiam cogitavit lingua tua*, id est, assidue cogitabas, quo modo injuste deferres, et tandem oblata occasione lingua tua peperit, quod diu antea parturiebat: quamvis enim cogitatio ad mentem pertineat, tamen David poetice tribuit hoc linguae, quasi ipsa lingua tam mala fuerit ut etiam silens apud aures hominum, tamen apud se ipsu[illegible] Deinde addit deceptionem ab ipso celerrime factam esse, modo novacula acuta expeditissime, et facillime scindit: conjungit enim propheta eleganter tarditatem meditationis cum celeritate exequutionis. Vere enim Doeg Idumaeus quod diu antea cogitaverat, celerrime data occasione perfecit. Siquidem paucissimis verbis omnino Sauli persuasit, Achimelech sacerdotem cum Davide conjurasse, qui fuit dolus et impostura gravissima: ait igitur, *sicut novacula acuta fecisti dolum*, idest, sicut novacula acuto facillime scindit capillos, ita ut facillime Saulem decepisti. Potest etiam per *dolum*, intelligi dolosa, et fraudulenta occisio sacerdotum; quam Doeg effecit interficiendo totam progeniem Sacerdotum usque ad parvulos, et lactentes, quomodo novacula abradit penitus omnes pilos, quamvis tenuissimos. Dicitur autem dolosa occisio, quia sacerdotes non fuerunt vocati ad regem tamquam inimici, ut timere potuerint, se occidendos, sed circumventi sunt, et de improviso perierunt.

3. *Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis, quam loqui aequitatem.*

Declarat ex qua radice prodierit illa calumniosa delatio, ac dicit, illam non prodiisse ex ignorantia vel casu aliquo, sed ex mala voluntate ipsius, qui dilexit semper malum potius, quam bonum et mendacium potius, quam veritatem. *Dilexisti*, inquit, *malitiam super benignitatem*, id est, delectaris potius nocere proximo quam illi benefacere. *Iniquitatem magis, quam loqui aequitatem*, idest, mendacium potius loqui te delectat, quam veritatem: nam verbum hebraicum, שקר *seekher*, proprie *mendacium* significat: sed quia mendacium perniciosum iniquitas quaedam est, ideo septuaginta interpretes verterunt, ἀδικίαν *iniquitatem*, ut declararent hic agi de mendacio pernicioso: sic etiam ipse David cum deberet mendacio opponere veritatem, opposuit tamen justitiam, dicens, *quam loqui aequitatem*, quoniam voluit indicare mendacium illius Doeg Idumaei non fuisse mendacium otiosum, vel officiosum, sed plane perniciosum et injustum. Porro per, *aequitatem*, intelligenda est justitia, ut sonat vox hebraica, צדק *tzedek*, non autem id quod apud latinos proprie sonat vocabulum *aequitas*. At non videtur Doeg mendacium aliquod protulisse, cum ait, *venit David in domum Achimelech*. Respondeo mendacium fuisse in verbis illis juxta intentionem dicentis, et audientium: ipse enim significare voluit Achimelech fuisse socium conjurationis David; et in eo sensu accepta sunt verba ejus a rege Saul.

4. *Dilexisti omnia verba praecipitationis, lingua dolosa.*

Explicat adhuc magis, quid dixerit *mendacium et iniquitatem*: et ait, fuisse mendacium vere perniciosum, cum fuerit causa perditionis plurimorum hominum innocentium. *Dilexisti*, inquit, *omnia verba praecipitationis*, idest, dilexisti omnia verba quibus possent homines innocentes praecipitari in ruinam, et perditionem: vox ebraica בלע *bela*, perdere, et similia: [illegible] absorbere, exponi debet, praecipitationis in mare, vel in foveam, ut absorbeantur, vel devorentur, vel positum est, *praecipitationis*, pro ruinae et perditionis: constat autem ex lib. 1. reg. cap. 22. propter verba Doeg Idumaei integram civitatem periisse. Illud autem, *lingua dolosa*, varie legitur ab auctoribus: nam s. Hilarius, et s. August. legunt, *linguam dolosam*, ut etiam legit Theodoretus, et nunc habent, graeci codices, γλῶσσαν δολίαν; et si ita legantur, sensus erit, *Dilexisti omnia verba praecipitationis, linguam dolosam*, idest, dilexisti omnia verba praecipitationis; dilexisti inquam, linguam dolosam. At s. Hieronymus quamvis in hebraeo vertat, *linguam dolosam*, tamen in commentario psalmorum legit, *in lingua dolosa*, ut etiam legit Euthymius, licet non taceat varietatem codicum graecorum, in quorum nonnullis sit in accusativo, *linguam dolosam*, et si quis ita legat, sensus erit, *dilexisti omnia verba praecipitationis in lingua dolosa*, idest, per istrumentum linguae dolosae. Nostri codices videntur accipiendi in vocativo, ut sensus sit *o lingua dolosa*, tu dilexisti omnia verba praecipitationis, idest, delectaris semper loqui verba perniciosa: et videtur nostra lectio satis concordare cum textu hebraico, ubi simpliciter ponitur vocabulum sine ullo signo casus obliqui.

5. *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

Praedicit non fore impunitum peccatum Doeg Idumaei, sed pro temporali destructione Sacerdotum, cujus ipse causa fuit, retribuendum ei exitium sempiternum. *Propterea*, inquit, *Deus destruet te in finem*, idest, propter hoc tuum peccatum Deus te radicitus destruet in hoc saeculo, et in futuro, ita ut in aeternum destructus maneas, quibus significari videtur aeterna desolatio in hoc saeculo, et aeterna damnatio in futuro. Atque haec est justa retributio impiorum, ut qui alios perdunt, ipsi quoque male pereant. Deinde quod generatim dixerat, explicat per partes dicens, *evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium*, idest, hoc modo te penitus destruet, quia puniet te exilio et orbitate, ita ut primum amittas opes, et patriam; deinde in exilio et sine liberis moriaris. *Evellet*, inquit, *te, et emigrabit*, idest migrare faciet de tabernaculo tuo; et sic exul, et vagabundus errabis: *et radicem tuam evellet de terra viventium*, idest, te cum omni posteritate tua de terra eradicabit: filii enim similes sunt radicibus quia per eos Pater radicatur, et stabilitur in terra. Et quoniam per terram viventium significari potest, patria coelestis, indicatur hoc loco, ut supra diximus, etiam damnatio sempiterna. In hebraico textu, pro, evellet te, habetur, יתדך *jachtheca*, quam vocem s. Hieronymus ver-

http://www.obrascatolicas.com

tit, *terrebit te*: sed s. Hieronymus deduxit eam vocem a, חתת *chathath*, quod est *terrere*. Caeterum septuaginta interpretes deduxerunt a, חתה *chatha*, quod est *capere*, sive *carpere*, quod idem est cum evellere.

6. *Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent, ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.*

7. *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in vanitate sua.*

Ex poena impii delatoris id sequetur, ut multi erudiantur. *Videbunt justi, et timebunt*, idest, casum istum considerabunt viri justi et cordati et horrebunt. *Et super eum ridebunt, dicentes, ecce homo* etc., idest et illum irridebunt, quod stultissime egerit, cum in Deo, qui potentissimus est, sperare noluerit, et in divitiis fragilibus, quae facillime amittuntur, spem suam posuerit: *praevaluit in vanitate sua*, idest, eumdem irridebunt, quod praevalere studuerit non vero robore, veraque virtute, sed in insidiis et mendaciis vanitatum plenissimis: illud enim, *praevaluit*, non significat, quod vere tandem praevaluerit, sed quod opinione sua praevalere se posse crediderit: nam etiamsi ad tempus adversus innocentes praevalere visus est, tamen exitus demonstrabit, eum succubuisse, non praevaluisse: quando *justi stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, ut dicitur cap. 5.

8. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei; speravi in misericordia Dei in aeternum, et in saeculum saeculi.*

Concludit psalmum ostendens se omnino contrariam viam ingressum esse. *Ego*, inquit, *similis sum olivae fructiferae in domo Dei*, idest, non evellar, neque eradicabor magis et magis, ut oliva speciosa, semper virens et fructum adferens; et quia talis sum, ideo *speravi in misericordia Dei in aeternum, et in saeculum saeculi*, idest, speravi, me adjutum iri a Deo in aeternum, et in saeculum saeculi. Ubi mire opponit se Doeg Idumaeo; illum comparat ligno arido, se vero olivae virenti: illum dicit, sperasse in divitiis suis, se autem in misericordia Dei.

9. *Confitebor tibi in saeculum, quia fecisti; et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.*

Gratias agit pro re futura, quasi praeterita, quoniam futura apud Deum, et in cognitione Prophetarum certissima sunt. *Confitebor*, inquit, *tibi in saeculum*, idest, laudabo te, semper, quia fecisti judicium hoc, ut sperantem in divitiis suis confunderes, et destrueres; sperantem in te consolareris et aedificares. *Et expectabo nomen tuum*, id est, et semper deinceps sperabo in te: idem enim est sperare in Deo, et expectare Deum, et nomen Dei pro ipso Deo ponitur. *Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum*, idest, merito sperabo in nomine tuo, quoniam nomen tuum dulce est sanctis tuis, qui ejus dulcedinem gustaverunt.

PSALMUS LII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro Machalath intelligentia David.

Hic titulus habet unam vocem non interpretatam, videlicet *pro*, מחלת *Machalath*. Et s. Hieronymus vertit, per chorum. Sed per chorum videtur intellexisse instrumentum musicum, ut ipse idem testatur in epistola ad Dardanum (si tamen ea epistola ipsius est) de musicis instrumentis: quo modo nonnulli accipiunt vocabulum chori in psalmo ultimo in illis verbis, *in tympano et choro, in chordis et organo*. Neque improbabile est, per chorum posse intelligi coetum cantorum canentium, ut sensus sit, psalmum esse compositum pro choro, ut videlicet canatur a multis simul. Fateor tamen priorem expositione videri veriorem; quoniam septuaginta Seniores non reliquissent eam vocem non interpretatam nisi existimassent ea voce significari nomen proprium alicujus instrumenti musici. Quod additur, *intelligentia David*, significat, in hoc psalmo aperiri intelligentiam, sive *eruditionem David*, ut vertit s. Hieron. ex quo titulo colligitur argumentum psalmi, quod est, deploratio insipientiae generis humani: ideo enim fit mentio intelligentiae David, quia per ipsum coarguenda erat caecitas et insipientia generis humani.

EXPLICATIO PSALMI LII.

1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*
2. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis, non est qui faciat bonum.*
3. *Deus de coelo prospexit, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.*
4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*
5. *Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis.*
6. *Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*
7. *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt quoniam Deus sprevit eos.*
8. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suae, exultabit Jacob, et laetabitur Israel.*

Hic psalmus idem fere est cum psalmo tertiodecimo, inde igitur petatur explicatio; satis enim erit hic annotare diversitatem utriusque psalmi.

Primus versiculus est omnino idem.

Secundus versiculus est etiam idem, nisi quod in isto habetur, *in iniquitatibus*, in illo, *in studiis*; sed idem est sensus: studia enim illa sunt affectus, et desideria mala, quae omnia iniqua sunt, et peccata, ac per hoc iniquitates.

Tertius versiculus idem est, nisi quod hic dicitur, *Deus* ibi dicitur *Dominus*.

Quartus versiculus idem omnino est.

Quintus versiculus, sextus et septimus, qui habentur in psalmo tertiodecimo, in hoc non habentur; sed ut ibi admonuimus, illi tres versiculi additi sunt ex diversis Scripturae locis, et ad psalmum proprie non pertinent.

Quintus versiculus qui respondet octavo in psalmo tertiodecimo, idem cum illo est, nisi quod hic dicitur, *Nonne scient*, ibi dicitur *Nonne cognoscent*.

Sextus versiculus, qui respondet nono, idem est cum illo, nisi quod hic dicitur, *Deum*, ibi *Dominum*.

Septimus versiculus, cui respondet decimo, plane diversus est: ibi enim dicitur, *Quoniam Dominus in generatione justa est; consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est*: hic vero dicitur, *quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*. Hic igitur versiculus, qui solus explicandus est, reddit rationem, cur impii trepident timore ubi non est timor; et dicit causam esse, *quoniam Deus dissipat omnia ossa eorum*, idest, debilitat omne eorum, ut etiam levissima quaeque formidant, id vero facit admirabili providentia sua infatuando consilia eorum, impediendo conatus eorum, et ad nihilum redigendo omnes machinationes eorum: ossa enim in scripturis pro fortitudine passim accipiuntur. Addit Propheta, *qui omnibus placent*; quoniam ejusmodi homines pleni sunt timore humano, sive mundano, et totum studium eorum est hominibus placere. Apostolus autem e contrario dicit, Gal. cap. 1. *si hominibus placerem, Christi servus non essem*. In hebraeo non habetur, *qui hominibus placent*, sed *circumdantium te*, sed septuaginta interpretes non legerunt, *chonach*, quod est, *circumdantium te*, sed, חנף *chaneph*, quod significat hypocritam, simulatorem, adulatorem, quam vocem rectissime interpretati sunt, ἀνθρωπαρέσκων, idest, eorum qui hominibus placent: ejusmodi enim sunt adulatores, et hypocritae. Adjungit Propheta, *confusi sunt quoniam Deus sprevit eos*: quibus verbis videntur alludere ad versiculum decimum psalmi decimitertii, *consilium inopis confudistis, quoniam dominus spes ejus est*, quasi dicat, vos impii confudistis consilium inopis confidentis in Deo: et Deus confundet vos ut saepe erubescere cogamini videntes irrita consilia vestra, quoniam in Deo non sperastis, et Deus sprevit vos ac per hoc non adjuvit vos. Possent etiam haec referri ad novissimum judicium, in quo omnes impii confundentur, quoniam Deus judex omnium spernet eos, dicens, *non novi vos, ite in ignem aeternum*. Matth. 25.

Octavus versiculus qui et postremus, idem est cum postremo versiculo psalmi tertiidecimi, nisi quod ibi dicitur, *cum averterit Deus captivitatem*. Sed quamquam avertere, et convertere videantur esse contraria; tamen hoc loco sensum eumdem faciunt: dicitur enim Deus avertere captivitatem, cum tollit e medio et ad nihilum redigit ipsam captivitatem: quod fit cum captivis liberatis, captivitas esse definit. Dicitur autem idem Deus convertere captivitatem, quando captivos revocat, et reducit in patriam. Denique cum dicitur averti captivitas, sumitur captivitas pro forma, idest, pro ipsa vera captivitate: cum dicitur converti captivitas, sumitur captivitas pro personis, quae erunt captivae.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in carminibus intellectus David cum venissent Ziphaei, et dixissent ad Saul, nonne David absconditus est apud nos?

Ex titulo colligitur argumentum. Scribitur lib. 1. reg. cap. 23. Ziphaeos proditores fuisse Davidis, qui apud eos, tamquam apud amicos manens, declinarat persecutionem Saulis. Ipsi enim Sauli patefecerunt Davidem apud se latere; unde factum est, ut Saul cum maximo exercitu ad eos accederet, et quasi in modum coronae totum locum cingeret, ut David pene de vita desperaret. Occasione igitur tam imminentis periculi, David ad Deum per orationem confugit, et hunc psalmum, Domino inspirante, composuit. Theodoretus, et Euthymius, quem aliqui recentiores sequuntur, existimant psalmum compositum fuisse post liberationem; et esse hymnum gratiarum actionis. S. Hieronymus, et s. Augustinus, quamvis mystice solum exponant; tamen indicant psalmum compositum fuisse instante persecutione; quod clarius tradit s. Hilarius exponens ad litteram, et mystice. Hanc sententiam veriorem esse, et ipse titulus, et totus psalmi contextus ostendit. Illud, *intellectus David*, significat hanc fuisse sanctam prudentiam Davidis, ut intelligeret in tam magno periculo ad Deum esse recurrendum, et in illo sperandum. In qua oratione intellexit etiam inspirante Domino se de omni periculo liberandum.

EXPLICATIO PSALMI LIII.

1. *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.*

Orat Deum, ut quando defecerant omnia humana remedia, ipse per se ad juvandum accederet. *Deus*, inquit, *in nomine tuo*, id est, potestate tua, cui omnia cedunt, *salvum me fac*; et per alia verba idem significans, addit, *et in virtute tua*, idest, potentia, et robore tuo, *judica me*, idest, sis judex meus, et pro meritis retribue mihi defensionem; et adversario meo ultionem: non enim habebat tunc David, ad quem appellaret ab injustitia regis, nisi solum Deum. Quo exemplo admonemur, numquam esse desperandum de auxilio Domini, etiamsi mors evidentissime imminere videatur: Deus enim ubique est, et omnia in manibus habet, et cultores suos ad se confugientes non despicit.

2. *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.*

Jam confessus fuerat potentiam Domini: nunc orat, ut Dominus ad potentiam adjungat voluntatem. *Deus*, inquit, *exaudi orationem meam*, quasi dicat, scio te omnia posse; sed oro, ut velis: ideo peto, ut exaudias orationem meam, qua te rogavi, ut potestate tua salvum me faceres. Idem repetit sequentibus verbis, *auribus percipe verba oris mei*, idest, ne avertas aures tuas, neque despicias orationem meam.

3. *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

Explicat pericula, a quibus liberari desiderat, dicens, *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me*, idest, Ziphaei, qui proximi videbantur, sed corde alieni erant a me, insurrexerunt contra me, irritantes Saulem ad me persequendum: *et fortes quaesierunt animam meam*, idest, et Saul cum armato exercitu, quaesierunt vitam meam ad extinguendum eam: haec enim erat tota ratio persecutionis: quia enim timebat Saul, ne aliquando David regnaret, cupiebat eum de medio tollere: quamvis enim Davidem innocentem esse Saul non ignoraret, tamen cupiditas retinendi in propria familia regnum, quam rationem status nunc vocant, faciebat, ut justum videretur quod injustissimum erat. *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum* idest, et neque illi, neque isti timorem Domini prae oculis habuerunt: illi enim, Ziphaei videlicet, gratiam regis legi Domini; et isti, Saul, et satellites ejus, regnandi cupiditatem justitiae, quam Deus in primis observari jubet, anteposuerunt. Vere enim initium omnium malorum est avertere oculos mentis a Deo, et ejus lege naturali omnibus nota. Vide s. Thomam quaest. 1. de Malo, art. 3.

4. *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.*

Illi, inquit, non habuerunt Deum ante oculos suos: sed Deus habuit illos ante oculos, et vidit quid molirentur, et non permisit, ut malam suam voluntatem implerent. Illud, *ecce*, significat repentinam illustrationem Prophetae, qua praevidit auxilium Dei sibi non defuturum, et tam certo praevidit, ut tamquam de re praesente dicat, *Ecce Deus adjuvat me*: particula *enim*, vel ponitur pro autem vel subintelligitur aliud, hoc modo: Ibi non proposuerunt Deum ante conspectum suum, ut facere debuissent: *ecce enim Deus adjuvat me. Et Dominus susceptor est animae meae*, idest, ecce video Deum me adjuvantem, et suscipientem quasi in sinu suo custodiendam vitam meam, quam isti quaerunt mihi eripere. Et vere repentinum, et inopinatum fuit auxilium Dei: nam cum undique circumdedisset. Saul exercitu suo Davidem, ut evadere non posset; repente venit nuncius ad Saulem, qui diceret Philisthaeos magno agmine se infudisse in regionem Saulis, quo nuncio coactus est Saul recedere a persequendo Davide, et fortasse orante Davide venit ille nuncius, et David, qui eum in spiritu praeviderat, dicit: *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae.*

5. *Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos.*

Per imprecationem intelligitur praedictio, ut saepe monuimus; et in hebraeo legitur per modum praedictionis: sic enim ad verbum reddi possunt verba hebraica: *Revertetur malum inimicis meis*: nostra autem lectio facilior esset, si ita legeremus, *Averte mala a me ad inimicos meos*. Sed in eumdem sensum verba explicanda sunt. *Averte mala, quae impendent*, a me, et converte illa ad inimicos meos. Quod quidem ita factum est: nam Saul Davidem persequebatur et continuo factum est, ut Philisthaei persequerentur Saulem. Itaque pericula, quae imminebant a Saule Davidi, coeperunt imminere a Philisthaeis Sauli. Illud autem, *et in veritate tua disperde illos*, impletum est non diu postea: nam in montibus Gelboe periit Saul cum exercitu suo, in quo exercitu credibile est adfuisse, et similiter periisse illos, qui Davidem persequuti fuerant: disperdere enim hoc loco non significat dissipare, sed omnino delere, et extinguere, si vox hebraica צמיתם *hatsmithem*, consideretur. Vide lib. 1. reg. cap. ult. Illud, *In veritate tua*, significat, juxta promissiones tuas, sive secundum justitiam tuam, qua reddis unicuique secundum opera sua. Matth. 16.

6. *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.*

Videns Propheta, se continuo exauditum, sive ex praenotione futurae liberationis, sive ipso orante discesserit. Saul propter pericula Philistinorum sibi denuntiata; gratias agit Deo, ac dicit, *Voluntarie sacrificabo tibi*, idest, promptissimo animo offeram sacrificium laudis: et idem aliis verbis repetens ait, *et confitebor nomini tuo*, idest, confessionem laudis offeram tibi, (nomen enim Dei pro ipso Deo ponitur) *quoniam bonum est*. Siquidem nomen Dei, pro re significata sumptum, idest, pro ipso Deo, res est omnium optima; ita ut Christus ipse dixerit, *nemo bonus nisi solus Deus*. Matth. 19. Luc. 18. Marc. 10. s. Augustinus recte monet, occasione adverbii, *voluntarie*, Deum esse diligendum propter seipsum amore puro, non tam propter praemium aliquod, quam propter ipsius Dei summam, et ineffabilem bonitatem; quam dilectionem qui habet, non minus Deo sacrificat, eique confitetur in prosperis, quam in adversis: siquidem Deus non minus bonus est cum nos flagellat, quam cum pascit, et reficit.

7. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.*

Ostendit ex effectu Deum esse bonum, quoniam tam cito exaudivit servum suum. *Quoniam*, inquit, *ex omni tribulatione eripuisti me*, idest, quoniam revelans mihi meam certam liberationem, jam in spe ex omni tribulatione liberasti me, *et super inimicos meos despexit oculus meus*, idest, et in eadem praenotione jam oculus meus vidit inimicos meos prostratos, et consumptos: refertur enim hoc ad id, quod antea dixerat, *in virtute tua disperde illos*. Nisi forte placeat, ut supra indicavimus, ipso Propheta orante incoepisse ejus deliberationem; recedente videlicet Saule propter nuncium allatum de adventu Philistinorum: tunc enim sensus erit: *Quoniam ex omni praesenti tribulatione eripuisti me, et oculus meus vidit inimicos meos*, recedentes cum Saule Duce ipsorum. Nam vox illa, *despexit*, non significat contemptum, sed simplicem visionem, ut perspicuum est ex hebraica voce, דאתה *raatha*: verti enim potuisset, Super inimicos meos respexit oculus meus, idest, oculus meus libere, et sine timore respexit inimicos meos. Vulgatus Interpres posuit *despexit*, ut significaret Davidem ex alto loco vidisse inimicos prostratos, aut recedentes, juxta duas expositiones indicatas. Vere enim David *despexit*, idest, deorsum aspexit inimicos suos, sive quia tunc erat in monte edito corporaliter, sive quia spiritus Prophetiae in altum illum evexerat, et ex alto divinae revelationis inimicos suos vidit quasi jacentes in imo. Porro hic psalmus quotidie in Ecclesia frequentatur ad horam primam, ut exemplo Davidis discamus adversus omnes persecutores armis orationis ad initium diei communiri, scientes quod *omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu persequutiones assidue patientur.*

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in carminibus intellectus David.

In titulo nihil est, quod non sit alias explicatum. Argumentum esse volunt sancti patres Hilarius, et Hieronymus de Passione Christi. Euthymius, et Theodoretus psalmum exponi volunt de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis. S. Augustinus de homine justo in tribulatione posito, sive de corpore Christi, quod est Ecclesia. Sed omnes expositiones admitti debent, aut certe possunt; nam quod de Davide psalmus ad litteram recte exponatur, intelligi potest ex praecedente, et sequente, et ex aliis multis, ubi disertis verbis ponitur in titulo, psalmum esse compositum occasione talis, vel talis persecutionis, quam David patiebatur: quod etiam David figuram Christi gesserit, et quod psalmi fere omnes ad Christum principaliter pertineant, dubitari non potest, cum ipse Dominus aliquoties psalmos de se scriptos allegaverit, et Lucae ultimo dixerit: *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosis et Prophetis, et psalmis de me.* Denique quod exemplo Davidis omnis justus eodem modo orare possit, dubium esse non potest.

EXPLICATIO PSALMI LIV.

1. *Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.*

Incipit David quasi a prooemio, quo captatur benevolentia Judicis, ac petitur, ut benigne, et attente audire velit: ac primum dicit, *Exaudi Deus orationem meam.* Deinde ne forte oratio, vel persona orantis displiceat, utrumque commendat, ac de oratione dicit, *Ne despexeris deprecationem meam*, idest, humilem, et supplicem precem meam: id enim proprie significat vox hebraica, מתחנתי *mittechinnathi*, hoc loco posita: de persona vero orantis addit, *Intende mihi, et exaudi me*, idest, benigne me respice, et benignam aurem mihi porrige. Forte etiam ter eamdem orationem repetit, quia noverat Deum esse Trinitatem, et orationem dirigit ad Patrem, deprecationem ad Filium, personam orantis ad Spiritum sanctum. Denique tertio idem aliis verbis orat, ut affectum, et desiderium ostendat, quo modo et Christus in horto *eamdem orationem tertio repetivit*, Matth. 26. et Apostolus *ter Dominum rogavit*, 2. Cor. 12.

2. *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.*

Exponit nunc materiam orationis suae, quae est vehemens persecutio inimicorum, ob quam contristabatur, et conturbabatur, et a qua liberari desiderabat. In hebraeo, pro voce, *Contristatus*, est verbum, אריד *arid*, quod significat, *flebo*, sive *ululabo*, sed futurum ponitur pro praeterito, ut ex versione Septuaginta, et s. Hieronymi perspicuum est, et pro voce, *in excitatione mea*, est, שיחי *Sichi*, quod significat, *meditationem, et submissa voce loquutionem.* Itaque sensus est, flevi dum exercerer cogitando, et mecum ipse conferendo miserias meas: quod idem est cum eo, quod nos habemus, *Contristatus sum in exercitatione mea.* Sed verba hebraica clariora sunt: sequitur, *Et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*, idest, non solum tristis fui, et flevi ob praesentes miserias, sed etiam timui futuras, *conturbatus a voce inimici* comminantis longe pejora; et a tribulatione, quam minabatur peccator inimicus meus. Idem enim est a voce inimici, et tribulatione peccatoris; nam inimicus peccator voce sua tribulationem minabatur innocenti. Istum autem inimicum peccatorem intelligere possumus tum Saulem, aut Absalonem respectu Davidis; tum Caipham et Annam respectu Christi; tum quemlibet persecutorem respectu hominis probi.

3. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.*

Ostendit, non vanam fuisse turbationem suam. *Quoniam* inimici *declinaverunt*, inquit, *in me iniquitates*, idest, projecerunt in me falsa crimina, convicia, calumnias, opprobria, ut exponunt ss. Patres Hilarius, et Augustinus; ex quo intelligimus, vocem, iniquitates, esse in casu accusandi, non in casu nominandi, ut nunc habent codices Graeci communiter: *et in ira molesti erant mihi*, idest, et ob iram in me conceptam, molesti erant non verbis tantum calumniantes, sed etiam factis me persequentes.

4. *Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.*

Explicat magis in particulari, quod dixerat, *conturbatus sum. Conturbatum*, inquit, *est cor meum in me*, idest, in intimis meis, ubi sedes cordis est, conturbatus sum. In hebraeo habetur clarius, *cor meum doluit in medio mei*; et subjungit rationem dicens, *et formido mortis cecidit super me*: nulla enim res facilius ad intima descendit, et magis totum hominem turbat, quam mortis imminentis periculum: hoc impletum fuisse in Davide, cum plorans fugeret a facie Absalon; et in Christo, cum in horto paveret, et sudorem sanguineum funderet, Matth. 26. Luc. 22. notissimum est.

5. *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae.*

Idem aliis verbis dicit, et quasi summatim omnia comprehendit: nam timor in anima erat, tremor in corpore, tenebrae autem moeroris totum hominem operuerant: sicut enim laetitia exhilarat, et dilatat cor, sic etiam moestitia constringit, et obducit, ac per hoc tenebras facit, unde etiam qui moerent, tenebras quaerunt, in cubicula se abdunt, fenestras claudunt.

6. *Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?*

Verba sunt justi suspirantis ad patriam coelestem: neque enim alibi vera requies invenitur, quasi dicat, o si nunc possim ad altissimos montes coelestis Hierusalem confugere, quomodo columba potest pernicitate sua ungues accipitris evadere, vel quomodo columba tempore diluvii, *cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, ad manus Noe, atque ad arcam rediit.* Genes. 8. Proprie autem justus columbae comparatur, quae innoxium est animal, foecundum, et simplex; et non pugnando, sed fugiendo vincit: sic enim, et vir justus adversus tentationes accipitris Tartarei fugiendo potius, quam disputando, vel altercando vincere solet.

7. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.*

Haec satis apposite Davidi conveniunt, qui fugiens Saulem, et postea Absalonem ad desertum se contulit; quasi dicat, quia non datur mihi, ut instar columbae ad locum verae quietis ascendam, feci quod potui; nam *elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Idem convenit cuilibet viro justo in tribulationibus posito, qui cum non possit ad patriam commigrare, elongat se cogitatione a tumultibus saeculi, quantum potest, et ad solitudinem cordis, et conscientiae se transfert, ubi solus cum solo Deo colloquens, aliquantulam quietem invenit.

8. *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.*

In ea solitudine, *expectabam Deum*, idest, auxilium ejus, *qui me salvum fecit* idest, cui alias salvum fecit, et salvum facere solet *a pusillanimitate spiritus et tempestate*, idest, a parvo animo ad tolerandum, et a magna tentatione. Ubi conjunguntur duo, quae mirum in modum amplificant necessitatem auxilii divini: nam si parvitati animi contingat parva tentatio: vel magno animo magna tentatio, aequale erit certamen; sed si cum parvitate animi jungatur magna tentatio, intolerabilis erit. Hoc igitur nunc dicit sibi accidisse, ac proinde petit a Deo vel ut sibi addat vires, vel diminuat tentationem, (vel quod magis optandum est) utrumque faciat. Sed codices hoc loco sunt admodum varii: nam hebraicus habet ad verbum, *Festinabo, ut salver a spiritu concitato a tempestate.* Graecus autem habet, *Expectabam Deum, qui me salvum faceret* a pusillanimitate, et tempestate. Noster autem Interpres videtur aliquid ab hebraeo, aliquid a graeco accepisse. Prima vox hebraica, אחישה *achiscia* significat, *Festinabo*, nec video quid legere potuerint Septuaginta, ut verterent, *expectabam*; ideo existimo illos vertisse non verba, sed sensum; nam, *festinabo, ut salver*, bene cohaeret cum *expectabam salvantem Deum*: siquidem expectabat salutem ex festinatione per orationem ad Deum, quo modo, qui in fuga spem ponit, dicere potest, expectavi salutem ex festinatione in currendo, et fugiendo. Sic igitur vir justus festinans ad Deum ferventi desiderio, orando, et pulsando, expectabat auxilium, quo salvus fieret. Illa vox, *Deum*, quae est in graeco, non est in hebraeo, neque in patribus, Hilario, Hieronymo, Augustino. Itaque videtur addita a posterioribus explicandi gratia. Illud autem, *a pusillanimitate spiritus*, facile colligitur ex hebraeo, et concordatur cum graeco; nam vox hebraea. סעה *Soha*, non habetur nisi hoc loco, et communiter dicitur significare concitationem; unde s. Hieronymus vertit, *a spiritu tempestatis*, idest, a spiritu concitato; sed quia sequitur, *a turbine*, sive *a tempestate*; rectius dicemus, spiritum concitatum hoc loco significare spiritum hominis metu concitatum, et turbatum, quod idem est cum pusillanimitate spiritus: nam qui magno spiritu, vel animo sunt, non facile turbantur, et concitantur; sed firmi, ac stabiles permanent. Itaque sensus erit in hebraeo, *festinabo, ut salver a spiritu concitato a tempestate*, idest, a parvitate animi, *et a tempestate tribulationis.* In graeco non nominatur spiritus, quia intelligitur in voce pusillanimitatis: idem est enim pusillus animus, et pusillus spiritus.

9. *Praecipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.*

Quia expectabat salutem a Domino per orationem, orat Deum, ut impediat consilia hostium suorum. *Praecipita*, inquit, *Domine*, idest, praecipita

http://www.obrascatolicas.com

in profundum inimicos meos: hoc enim significat vox hebraea, בלע *balah*, et graeca καταπόντισον. Unde legit Augustinus *demerge eos*: deinde addit modum, quo velit illos praecipitari in exilium. *Divide*, inquit, *linguas eorum*, idest, fac, ut qui contra me conspirarunt, non conveniant in consiliis, sed unus hoc, alius aliud judicet, et loquatur; et vere sic accidit inimicis David: nam cum Absalon capta civitate, consultaret de modo perdendi Davidem, varii varia consilia dederunt: infatuavit autem Deus consilium Architophelis, quia inspiravit Absaloni, ut consilium ejus non sequeretur; inde deteriore consilio electo rem male gesserunt, et plurimi eorum perierunt. Itaque ex divisione linguarum in praecipitium acti sunt: vide l. 2. reg. c. 17. et 18. sequitur, *Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate*. Haec etiam satis apposite exponuntur de Davide, qui viderat in civitate sua Jerusalem proditionem iniquissimam adversus personam suam et rebellionem manifestissimam, quae significata est nomine contradictionis; quia contradicebant ejus imperio, cum Absalonem in regem elegissent. Possunt etiam exponi haec omnia de Christo, ut exponit s. Hilarius: necnon de viro justo, qui persecutionem injustam patitur, et contradictionem a civibus Babyloniae, id est, ab amatoribus mundi, qui semper persequuntur, et odio habent eos, qui de mundo non sunt, sed ut hospites, et peregrini in mundo sunt.

10. *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: et labor in medio ejus, et injustitia.*
11. *Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.*

Pergit describere iniquitatem civitatis, a qua ipse persecutionem patiebatur, ac mirabili modo loquendi dicit iniquitatem, quasi armatum militem obtinuisse muros ejus, ut justitia non posset accedere. *Die*, inquit, *ac nocte*, idest, semper *circumdabit eam super muros ejus iniquitas*, idest, iniquitas super muros ejus consistens circumdabat eam instar custodiae militaris, *et labor in medio ejus, et injustitia*, idest, et interim intus in ipsa civitate nihil aliud erat, nisi labor miserorum, et injustitia potentiorum, dum secure, et libere, injusti divites et potentes opprimerent pauperes, et imbecilles. *Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus*, idest, et oppressio illa partim erat manifesta, dum in ipsis plateis exigerent usuras divites a pauperibus; partim occulta, dum variis dolis, et insidiis eos circumveniebant, et vexabant. Haec conveniebant quidem Jerosolymae tempore Davidis sed multo magis tempore Christi; et multo maxime conveniunt Babyloniae, idest, amatoribus mundi hujus, in quo regnat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae.

12. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*
13. *Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo.*
14. *Tu vero homo unanimis, Dux meus, et notus meus.*
15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

Postea quam conquestus est David de tota civitate, et populo, conqueritur nunc de uno particulari proditore, qui videtur fuisse Achitophel, si psalmus exponatur de Davide: Judas autem, si exponatur de Christo: quivis alius falsus amicus, si de homine justo generatim accipiatur. Ait igitur, *Si inimicus aliquis* manifestus *maledixisset mihi* aequo animo tulissem; quia inimicus solet id facere, et non est mirum si faciat. *Et si is, qui oderat me*, ita ut profiteretur manifestam inimicitiam mecum, magna aliqua convicia, vel magnas calumnias de me loquutus fuisset; *ego forsan abscondissem me ab eo*, ut ejus iracundiam mitigarem, et ne darem occasionem majorum conviciorum. Sed a te abscondi non poteram, neque unquam ejusmodi proditionem a te expectassem, quoniam *tu homo unanimis videbaris*, idest, amicissimus meus et unum cor et unam animam mecum habens. Item *Dux meus*, idest, Consiliarius meus primarius, cujus ego sententiam in rebus agendis semper sequebar. (*Erat enim Achitophel Consiliarius Davidis, et talis Consiliarius, ut consulere Achitophelem idem fere esset, ac Deum consulere*, ut dicitur 2. reg. 16.) Sed si exponatur psalmus de Juda, dicetur Judas *Dux Christi*, quia a Christo Dux fuerat constitutus populorum cum aliis Apostolis, juxta illud psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram*. Item *notus meus*, idest, familiaris et commensalis, *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, dicuntur autem dulces cibi, quia amicitia convivarum eos facit dulciores: nam in hebraeo ad litteram habetur, *qui simul dulces faciebamus cibos*. Sed s. Augustinus *dulces cibos*, intelligit Eucharistiam, quam Judas cum Christo in ultima coena gustavit, qui cibus omnem habet saporum suavitatem. Denique, non solum unanimis, et notus et commensalis in rebus politicis, et domesticis, sed ejusdem religionis, et ejusdem sententiae in sacris caeremoniis: *ambulavimus enim in domo Dei cum consensu*, idest, non fuit inter nos ulla dissensio in actionibus, quae ad cultum Dei pertinebant. In hebraeo pro, *cibos* est, סוד *sod*, quod *secretum*, non *cibum* significat. Sed credibile est septuaginta Interpretes non habuisse in suis codicibus, סוד *sod*, sed, זיד *zed*, quod *escam*, significat: et magis cohaeret dulcedo cum cibis, quam cum secreto: capere enim dulces cibos rectius dicitur, quam capere dulce secretum. Illud etiam, *cum consensu*, ex hebraeo s. Hieron. vertit, *in terrore*. Sed fortasse s. Hieronymus non habuit in suo codice, רגש *raghes*, ut nos habemus, quod significat, *conjunctim*, sed habuit, רגז *roghez*, quod *terrorem* significat: nostra lectio convenit cum hebraico, et graeco codice.

16. *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.*

Imprecatur, seu potius praedicit per formam imprecationis, eam poenam quam juste dederunt

Dathan, et Abiron. Num. 16. Qui seditionem, et schisma facientes vivi a terra dehiscente absorpti sunt: qui quidem *viventes perierunt*, idest, videntes se absorberi, et vivos sepeliri, perierunt. Hoc impletum est in iis, qui Davidem, Absalone duce, persequebantur: nam *plurimos eorum saltus consumpsit, non gladius*, ut dicitur, 2. reg. 18. Impletum quoque est in Judaeis, qui in obsidione Jerosolymae viventes et videntes peribant, vel fame cadentes in plateis, vel ex muris se dejicientes, vel in foveis delitescentes: denique, impletur in plurimis impiis, qui vident apertissimam veritatem, et sponte oculos claudunt, vel non ignorant in eo statu, in quo versantur, se salvos esse non posse, et tamen scientes, et volentes in eo ad mortem usque perseverant.

17. *Quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in medio eorum.*

Haec est ratio tam severae imprecationis; juste enim absorbentur viventes a terra, ut perpetuo habitent cum poenis, qui elegerunt habitare cum vitiis: nam *nequitiae in habitaculis eorum;* et non in habitaculis vacuis, *sed in medio eorum*, idest, cum ipsis in eisdem habitaculis commoratae sunt.

18. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.*
19. *Vespere et mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet vocem meam.*

Praedixit interitum inimicis, nunc sibi salutem praedicit. *Ego*, inquit, *clamavi ad Dominum*, ardenti oratione, et ipse salvabit me a periculo, in quo versor, et deinceps clamabo non semel; sed etiam secundo, et tertio, videlicet *vespere, mane, et meridie*, narrando, et annunciando aerumnas meas, et misericordias Domini, *et ipse Dominus exaudiet me*, Consuetudo ter in die orandi, legitur etiam apud Danielem, cap. 6. Fortasse in honorem sanctissimae Trinitatis, cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Cur autem dicatur, *vespere, mane, et meridie*, et non potius mane, meridie, et vespere; ratio esse videtur quoniam secundum legem *festa celebrabantur a vespera ad vesperam*, ut dicitur Levit. 23. proinde primum tempus orationis erat vespertinum: quod etiam nunc observat Ecclesia, quae incipit officia Divina a primis vesperis.

20. *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.*

Explicat in quo sit exaudiendus a Deo. *Redimet in pace*, idest, ad pacem restituet, *animam meam*, idest, vitam meam, *ab his, qui appropinquant mihi*, idest, qui de propinquo adversus me dimicant: *quoniam inter multos erant mecum*; idest, quoniam multi erant dimicantes mecum, sive multi erant adversum me unum, sive in magna multitudine erant, qui mecum pugnabant. Hunc existimo sensum esse hujus obscurissimi loci cum sancto Hieronymo in versione sua ex hebraeo. Itaque sententia erit, Deus liberabit vitam meam, transferendo eam a praelio appropinquantium contra me, ad optatam pacem, et id faciet ea ratione quoniam iniquum erat ut multi contra me unum pugnarent. Quod si hoc duriusculum videatur, poterit cum Euthymio ita exponi, *Redimet in pace*, idest, sine labore meo, *animam meam*, idest, vitam meam, *ab his qui appropinquant mihi* ut mihi noceant; quoniam isti ipsi antea inter multos alios erant mecum; proinde proditorie et injuste contra me pugnant, qui paulo antea in meis castris militabant. Impletum est hoc in Davide qui in praelio contra Absalonem sine labore vicit quia domi remansit, ut dicitur 2. reg. 18. Impletum quoque est in Christo, qui liberatus est a morte per resurrectionem omnino in pace et sine labore.

21. *Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante saecula.*

Exaudiet, inquit, *me*, qui oppugnor injuste, *et humiliabit eos*, qui me oppugnant, *is, qui est ante saecula*, idest, Deus creator saeculorum: in hebraeo significantius habetur, *Qui sedet ab initio*, idest, qui ab initio mundi judex sedet omnium hominum, is judicabit pro me, et condemnabit adversarios meos.

22. *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.*

Merito, inquit, humiliabit illos justus Judex, *quia non est illis commutatio*: obdurati enim sunt, neque poenitet eos sceleris sui; *et non timuerunt Deum*, sed magis homines reveriti sunt, ideo *Deus extendit manum suam in retribuendo* singulis, prout merebantur. Non desunt, qui illud (*non est illis commutatio*) volunt debere exponi, non est illis redditio vicissitudinis, et hanc esse vim graecae vocis. Sed vox hebraica non potest accipi pro redditione vicissitudinis: nam s. Hieronymus recte vertit, *non mutantur*, et similiter reddit Symmachus, Theodoreto teste: proinde si velimus concordare codicem graecum cum hebraico, oportet vocem illam ἀντάλλαγμα accipere hoc loco pro commutatione hominis a vitio ad virtutem, non pro permutatione unius rei cum altera: et potest ita accipi, ut communiter accipiunt Interpretes tum graeci, tum latini, quia vox illa generalis est.

23. *Contaminaverunt testamentum ejus, et divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius.*

Hic versiculus obscurissimus est propter mutationes numeri singularis in numerum multitudinis. In hebraeo habetur in singulari, *contaminavit testamentum ejus, diviserunt*, sive *molliverunt prae butyro os suum*, vel *os ejus*: sed cum dicitur, *contaminavit*, potest exponi, *contaminavit unusquisque testamentum ejus*, quod est idem cum illo, *contaminaverunt testamentum ejus*. Illud etiam, prae butyro, si legatur vox hebraica,

http://www.obrascatolicas.com

chamaoth, per, חמהות ה non per, תסאות א significabit *prae ira*, vel *ab ira*, ut verterunt septuaginta Interpretes. Illud etiam, *diviserunt*, potest etiam significare, divisi sunt: nam utramque significationem habet vox, חלקו *chaleku*: sensus igitur hic erit, Deus juste extendit manum suam in retribuendis suppliciis inimicis meis, quoniam illi non solum non voluerunt mutari de vitio ad virtutem, sed magis ac magis contaminaverunt testamentum sive pactum ejus, malis suis operibus, praevaricando leges ejus: propterea *divisi sunt*, hoc est, dispersi, ac dissipati sunt ab ira vultus Dei; *quia appropinquavit cor illius*, Dei videlicet, ad eos puniendos.

24. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.*

Redit ad malitiam praecipui proditoris, qualis fuit Achitophel respectu Davidis, et Judas respectu Christi. *Molliti*, inquit, *sunt sermones ejus super oleum*, idest, prae oleo; et tamen ipsi sermones ejus non sunt verba, sed jacula, sive lanceae: delectant aures, feriunt corda: tales sunt omnes occultae detractiones, omnes blanditiae meretricum, omnes persuasiones haereticorum; omnes proditorum simulationes.

25. *Facta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem justo.*

Consolatur Propheta in fine psalmi se, et sui similes, atque exhortatur ad fiduciam totam in Domino collocandam, qui sine dubio sollicitus est pro servis, et amicis suis, ut s. Petrus admonet in epistol. 1. cap. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis*: quod ipsum copiose, et multis exemplis allatis Christus ipse monet, Matth. 6. Quae non eo pertinent, ut otiose vivamus, et de victu quaerendo solliciti nullo modo simus: sed ut non anxie et perturbate vivamus, ac ut praecipuam spem et fiduciam non in nostris viribus, vel industria sed in Dei misericordia, et providentia collocemus. *Jacta*, inquit, o anima mea et quisquis es timens Deum, *in Dominum curam tuam*, idest, relinque providentiae divinae curam eorum, quae tibi necessaria sunt ad vitam, sive sustentandam, sive protegendam *et ipse te enutriet*, ipse tibi de necessariis omnibus providebit, benedicens laboribus manuum tuarum, et prosperans omnia opera tua: nec solum enutriet te, sed etiam defendet ab inimicis, et si aliquamdiu fluctuari justum permiserit ad probandam patientiam, sive defectu rerum necessariarum ad vitam, sive persecutionibus impiorum: tamen haec non diu durabunt, quia non permittet Deus Justum in aeternum aerumnarum fluctibus agitari: aeterna enim tribulatio solis impiis reservatur, ut dicitur in sequenti versiculo.

26. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.*

Impios videlicet, tu Deus Judex deduces in puteum mortis, unde numquam emergere poterunt. Vocatur autem *puteus interitus* ipsa gehenna ignis aeterni, in qua qui decidunt, perpetuo moriuntur: vivunt enim semper in poenis, ut semper moriantur, et mortis finem, quem cupiunt, numquam inveniant.

27. *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.*

Non solum viri, qui insidiantur sanguinibus praecipitabuntur in puteum mortis aeternae, sed etiam hic in terris non diu vivent: justum enim judicium est, ut qui vitam eripiunt, vitam perdant. Sic enim Deus ait, Genes. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; et Dominus Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Sed haec omnia testimonia tum psalmi hujus, tum Genesis, et Evangelii, non significant, omnes omnino, qui occidunt, esse occidendos; sed eos tantum, qui injuste occidunt, et eos praecipue, qui ex insidiis occidunt: *illi* enim proprie sunt viri sanguinum, et dolosi. Deinde neque significant omnes omnino, qui ex insidiis occidunt, gladio perituros; sed ut plurimum fieri ut occidantur, vel a Judice, vel ab hostibus, vel a seipsis, vel a casu aliquo, qui tamen respectu Dei non sit casus, sed dispositio providentiae ipsius. Denique illud, *non dimidiabunt dies suos*, non est accipiendum mathematice, idest, nimis subtiliter; sed est modus loquendi, quo vitae brevitas significatur. Quod autem quidam objiciunt ex psal. 72. *Et dies pleni invenientur in eis*, non impedit veritatem hujus versiculi: nam s. Hilarius hoc loco scribit, verba illa intelligi de justis, haec de iniquis: quod si etiam quis contendat, utraque intelligi de peccatoribus, responderi poterit, illud non dici de viris sanguinum, et dolosis; sed de aliis peccatoribus, vel de paucis quibusdam qui interdum extra communem regulam diu vivere permittuntur. Concludit Propheta illis verbis sibi valde familiaribus, *Ego autem sperabo in te Domine*, quae videntur referenda ad omnia supra dicta, ut sensus sit: Ego autem tum ut liberer a proditoribus, qui sunt hostes occulti: tum ut evadam inimicos manifestos; tum ut non incidam in poenas impiorum; ut non cadam in puteum interitus; ut dies mei in medio cursu non deficiant; sperabo in te Domine, non in viribus meis.

PSALMUS LV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus est. David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

In hoc titulo habetur primo materia, sive argumentum psalmi: deinde Auctor, et excellentia psalmi. Sed haec omnia pendent ex historia, quae habetur lib. 1. reg. cap. 21. ubi scribitur, Davidem fugisse a Saule, qui eum quaerebat ad necem; et pervenisse ad Achis regem Geth Philisthaeum: sed cum a Philisthaeis agnitus fuisset, et detentus tamquam hostis ipsorum; simulasse insaniam et furorem, et eo modo e manibus eorum elapsum venisse in speluncam quamdam, ibique ad eum congregatum fuisse populum quadringentorum hominum exulum et miserorum. Ex hac historia colligimus populum elongatum a sanctis, pro quo scribitur psalmus, esse populum illum quadringentorum exulum, qui ad tabernaculum Dei accedere non poterant, sed cum Davide huc, atque illuc vagabantur: et hoc est argumentum psalmi, deploratio miseriarum Davidis, et populi ejus. Auctor, et excellentia psalmi continetur in illis verbis, David in tituli inscriptionem: nam tituli inscriptio, ut intelligi potest ex voce graeca στηλογραφία, est inscriptio incisa in columna ad aeternam memoriam. Sensus igitur est psalmus Davidis scriptus ab eo, quasi incisus in columna, ad memoriam sempiternam: denique occasio scribendi fuit illa evasio de manibus Philistinorum per simulatam stultitiam, quando tenuerunt eum Allophyli, idest, Philisthaei in Geth. S. Hieronymus ita vertit hunc titulum: *Pro columba muta, eo quod abierit David simplex, et humilis, quando tenuerunt eum Philisthaei in Geth.* Quae versio satis convenit cum verbis hebraicis, ut nunc habentur in bibliis: et pro columba muta, intelligitur idem David, qui obmuluit quando stultum se finxit. Caeterum septuaginta Interpretes viri doctissimi, sine dubio recte verterunt, quod in libris hebraicis invenerunt. Ideo dicendum est per columbam, quae legitur in hebraeo, illos intellexisse populum, et vertisse sensum, non verba. Saepe enim in scripturis populus per columbam significatur: per vocem, אלם *elem*, quod significat *mutam*, illi verterunt, a Sanctis, quia habuerunt in suo codice inverso modo easdem literas, מאל *meel*, quod est a Deo, et per Deum intellexerunt aream Dei, et ut clariorem sensum redderent, verterunt, *a Sanctis*, idest, a sanctuario, ubi erat circa Dei: per vocem מכתם *mictam* quam s. Hieron. vertit, *simplicem, et humilem*, ipsi verterunt inscriptionem tituli, quia legerunt, מכתב *mictab*, quod inscriptionem significat. S. Hilarius, et s. Augustinus totum psalmum de Christo exponunt, qui per Davidem figuratus est; et per tituli inscriptionem s. Augustinus titulum crucis intelligit.

EXPLICATIO PSALMI LV.

1. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.*

Incipit ab oratione, et misericordiam postulat, quoniam miseriam suam agnoscebat: patiebatur enim indignam persecutionem Saulis et cum ab ea declinare vellet, incidit in graviorem Philistinorum et ab utraque ad tempus liberatus in spelunca interim exul, et inops delitescebat. *Miserere*, inquit, *mei Deus*, qui miserorum unicum soles esse refugium. *Quoniam conculcavit me homo*, idest, Saul: dicit autem, *homo*, potius, quam Saul, ut opponat hominem Deo, quasi dicat, Tu Deus miserere, quandoquidem homo est, qui tribulat: coelum aspicio, dum a terra despicior: ad Dominum confugio, dum conservus me persequitur. *Tota die impugnans tribulavit me*, hoc est, non semel mihi nocuit, sed omni tempore mihi molestus fuit; neque me unquam quiescere passus est. Haec verissima esse intelliget, qui legerit primum librum regum. Neque difficile erit haec omnia ad Christum applicare, qui propter nos factus est homo, et tamen homo semper eum impugnavit, et tribulavit a nativitate usque ad sepulturam, et postea corpus ejus, quod est Ecclesia, impugnare, et tribulare non cessat, neque ad diem usque judicii cessabit. Significatur autem nomine hominis, cum dicitur, *conculcavit me homo*, vel Diabolus,

http://www.obrascatolicas.com

qui in Evangelio Matth. 13. dicitur *inimicus homo* vel ipsum genus humanum, quatenus spiritu Dei caret, et nihil est nisi homo, juxta illud 1. Cor. 2. *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* et paulo infra, *Nonne homines estis*, unde et Dominus, Matth. 16. distinguit Apostolos ab hominibus cum dicit, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* et, *vos autem, quem me esse dicitis?*

2. *Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.*

Non solus Saul, sed omnes servi ejus Davidem persequebantur, et conterere nitebantur. Nec solus Diabolus, sed omnes ministri ejus adversus Christum et Ecclesiam bella gerebant, et gerunt.

3. *Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.*

Hic variant hebraea, et graeca: nam in hebraeo conjungitur altitudo cum versiculo superiore, hoc modo, *Multi bellantes adversum me altissime*: et deinde sequitur alter versiculus, *Diem timebo, ego in Deo confidam.* Sed de hac distinctione Judaeorum parum laboramus; quoniam in textu antiquo nulla erat distinctio. In graecis codicibus additur negatio, hoc modo, *Ab altitudine diei non timebo*; et sic etiam legit s. Hilarius. Sed nostram lectionem approbat s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, ubi dicit, negationem esse superadditam: et in commentario hujus psalmi utramque lectionem explicat. Igitur sensus est, ego tametsi tam multos habeam inimicos, tamen non ab illis timebo, sed *ab altitudine diei timebo*, idest, a divinis judiciis timebo quae procedunt ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen omnia penetrat etiam intima cordium; sed cum timore spem quoque adjungam: ego enim qui timebo ab altitudine luminis tui, simul etiam, in tua misericordia et bonitate confidam.

4. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.*

Explicat clarius fiduciam suam, et rationem fiduciae. Deus enim per Samuelem olim promiserat Davidi regnum, nam lib. 1. reg. cap. 13. dicit Samuel de Davide, *quaesivit sibi Dominus virum secundum cor suum, et praecipit ei ut esset dux super populum suum*: ac deinde eod. lib. cap. 16. jussit eum inungi in medio fratrum ejus. Haec igitur promissio erat causa fiduciae, et de hac dicit, *in Deo laudabo sermones meos*, idest, fretus auxilio Dei laudabo aliquando promissiones mihi factas a Deo tamquam verissimas, quando videlicet completae fuerint. *In Deo speravi*, adimplendas scilicet ejus promissiones, *et ideo non timebo quid faciat mihi caro*, idest, non timebo minas, et persecutiones inimicorum meorum, qui caro sunt, idest, infirmi, et fragiles, si cum Deo, qui mihi salutem et regnum promisit, comparentur. In hebraeo habetur, *laudabo verbum ejus*, sed non repugnat nostrae lectioni, quae habet, sermones meos; siquidem illae promissiones erant Dei, quia ille promiserat, et erant Davidis, quia ille promiserat. Potest etiam fieri, ut septuaginta interpretes non legerint, דברו *devarò, verbum ejus*, sed, דברי *devari, verbum meum*: sola enim differentia consistit in una media litera. Non erit difficile de Christo exponere hunc versiculum, siquidem angelus promittens virgini, ait, *dabit ei Dominus sedem David Patris ejus*, etc. et ipse Christus verissime dicere potuit, *non timebo quid faciat mihi caro.*

5. *Tota die verba mea execrabantur; adversum me omnes cogitationes eorum in malum.*

Redit ad explicandam malitiam adversariorum suorum ac dicit eos toto tempore, quo apud illos fuit, non cessasse vituperare omnia verba et facta ejus; et excogitare, quomodo eum perderent: quod non minus convenit in scribas et pharisaeos calumniantes verba, et opera Christi, et consilia agitantes de morte ejus, quam in Saulem, et ministros ejus erga Davidem. Dixi autem verba, et opera, quia vocabulum, דבר *dabar* verbi apud hebraeos, et verba, et opera significat.

6. *Inhabitabunt, et abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.*

Addit aliam malam adversariorum suorum qualitatem. *Inhabitabunt*, inquit, *et abscondent*, idest, simul habitare solebant mecum, tamquam amici, et contubernales et interim abscondebant se, et tecte, atque occulte machinabantur dolos. *Et calcaneum meum*, idest, gressus meos, actiones meas *observabant*, ut me ad casum impellerent, Haec enim erga Davidem ministri Saulis, et erga Christum Judaei faciebant. Quamvis autem verba, *inhabitabunt et abscondent*, sint futuri temporis, tamen apud hebraeos pro praeterito, ac praesertim pro imperfecto, praeterito, frequenter accipiuntur. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, congregabantur: sed vox hebraica, יגודו *iagudu*, a septuaginta lecta est, יגורו *iaguru*, per ר, non per ד.

7. *Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: in ira populo confringes.*

Praedicit nunc ruinam adversariorum suorum, justo judice Deo illis reddente, quod proximo suo facere cogitaverunt. *Sicut*, inquit, *sustinuerunt animam meam*, idest, sicut in abscondito observantes expectaverunt vitam meam, ut eam perderent: ita tu Deus, *pro nulla re eos salvos facies*, idest, nullo modo salvabis, sed *in ira tua populos illos confringes*, et ad internecionem persequeris. Hoc impletum est in hostibus Davidis, qui cum Saule rege simul interierunt in montibus Gelboè, ut dicitur lib. 2. Reg. cap. ult. Impletum est quoque in hostibus Christi, qui consumpti fuerunt in obsidione Jerosolymae a Romanis, et reliquiae dispersae, inter gentes; sed multo magis implebitur in die ultimi judicii. Hoc loco in codice hebraico et graeco est manifesta corruptio: nam in hebraico, ubi nos habemus, pro nihilo, est *hal aven*, quod significat, על אוך *pro iniquitate*, sed legendum est, על איך *hal ain*, pro nihilo: sic enim legunt septuaginta, et ipse etiam sanctus Hieronymus, sanctus Hilarius, sanctus Augustinus, et alii: in graecis, quibusdam codicibus est ἄ σεις *expelles*, et sic legunt et exponunt Theodoretus et Euthymius. Sed vera lectio est σώσεις *salvabis*: quae respondet hebraicae, et exponitur ab omnibus fere interpretibus. Porro illud, *pro nihilo salvos facies illos*, sanctus Hilarius exponit, resurgent quidem impii, sed pro nihilo, sive ad nihilum, quia non proderit illis resurrectio. Sanctus vero Augustinus in bonam partem explicat, *pro nihilo*, idest, sine meritis propriis, ex pura gratia salvabis illos. Sanctus Hieronymus tum in versione, tum in commentario, impios non salvandos dicit: quod magis cohaeret cum sequentibus, *in ira populos confringes.*

8. *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*

Posteaquam de supplicio inimicorum loquutus est: revertitur ad precandum pro se, ac dicit, *Deus vitam meam annunciavi tibi*, idest, narravi in oratione cursum vitae meae, transmigrationes, varietates, labores: vox enim hebraica, *nodi*, significat mutationem, et migrationem: sed septuaginta interpretes verterunt, *vitam meam*, ut brevissime omnia comprehenderent. Itaque per viam intellexerunt cursum vitae. Et tu *posuisti in conspectu tuo lachrymas meas*, idest, ego flens coram te exposui cursum afflictissimae vitae meae, et tu misericors, et pius Pater non avertisti faciem tuam, sed aspexisti cum misericordia lachrymas meas. In hebraeo habetur, pro, *in conspectu tuo*, נדי *nodi*, quod utrem hebraei significare dicunt. Sed non solum septuaginta verterunt, *in conspectu tuo*: et sic habent omnes latini, et graeci codices. Quare vel vox illa significat conspectum, vel aliquid aliud legerunt, tum septuaginta, tum sanctus Hieronymus. Parum autem refert, quod in hebraeo habetur *numerasti*, pro eo quod nos habemus annunciavi: nam facile potuit mutari persona secunda in primam addendo unam vel alteram literam hebraicam; et sensus est idem: nam et Propheta narravit suae vitae miserias, et Deus eas numeravit: idem autem verbum, ספר *saphar, narrare, et numerare* significat.

9. *Sicut et in promissione tua, tunc convertentur inimici mei retrorsum.*

Prima pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem: nam non solum in codice hebraico conjunguntur haec verba, *sicut et in promissione tua*, cum superioribus: sed etiam sic exponunt Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Euthymius et alii. Itaque sensus est, *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua*; idest, sicut promisisti te exauditurum deprecantes cum lachrymis, ita fecisti, quia *posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, ut eas exaudires. Et cum exaudieris, *tunc convertentur inimici retrorsum*, idest, fusi, fugatique dissipabuntur et peribunt. S. Augustinus exponit more suo in bonam partem, ut sensus sit, inimici, qui antea praeire nos volebant, et ad interitum ducere, convertentur per poenitentiam, et nos sequentur ad vitam quo modo dixit Dominus Petro Matth. 16. *Vade post me Satana, scandalus es mihi, quia non sapis quae Dei sunt*, idest noli me praeire, sed post me ambula; quoniam dum praeire tentas, scandalum es mihi. Euthymius non minus utiliter exponit de doemonibus, qui nos praeire et ducere cupiebant ad gehennam; sed per gratiam Dei nostras preces audientis coguntur retrocedere, et nos oblatrantes sequi, dnm properamus ad regnum, unde illi exciderunt.

10. *In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.*

Concludit gratias agendo, et laudando Deum, ecce, inquit, experimento cognovi quod *in quacumque die invocavero te, tu Deus meus es*, idest tu declarabis exaudiendo, te meum esse Deum.

11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.*

Hunc versiculum supra exposuimus: est enim omnino idem cum versiculo quarto, excepto quod hic bis repetitur, *in Deo laudabis verbum*: quamvis enim interpres primo verbum dixerit, deinde, sermonem, tamen in hebraeo, et graeco est eadem vox utrobique. Quare poterat verti, *in Deo laudabo verbum, in Domino laudabo verbum*: cur autem primo dixerit, *in Deo*, deinde *in Domino*, ratio esse videtur, ut ostendet se confidere in Deo, ut Judice, quod significat nomen Dei, et ut executore justitiae, quod significat nomen Domini, cui omnia serviunt: addit, *non timebo, quid faciat mihi homo*, ut declaret quod ibi dixerat: per carnem videlicet hominem intelligi debere.

12. *In me sunt Deus vota tua, quae reddam laudationes tibi.*

Pro his omnibus beneficiis pollicetur se persoluturum vota laudum in tribulatione concepta, *In me sunt*, inquit, *vota tua*, idest, in memoria mea sunt, sive in intimis praecordiis apud me conservantur, ut non excidant *vota tua*, idest promissiones tibi factae a me. *Quae reddam laudationes tibi*, idest *quae vota reddam*; vota videlicet laudum, et gratiarum actionis, sive, quae vota continent laudationes tibi, assidue a me concinendas.

13. *Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo in lumine viventium.*

Haec est summa beneficiorum divinorum. *Quoniam eripuisti animam meam de morte*, idest, vitam meam conservasti ab imminente morte, a

http://www.obrascatolicas.com

Saule, sive ab Achis rege Philistinorum : *et pedes meos de lapsu*, idest, et conservasti me, ne laberer in peccatum inter tot, et tantas tentationes, quibus provocabar, ut Saulem interficerem, vel ei maledicerem: conservasti autem me a morte, et a peccato, a morte videlicet corporali, et spirituali. *Ut placeam coram Deo*, sive, *ut ambulem* (ut habet vox hebraica, להתהלך *lehithallech*) *placens Deo in lumine viventium*, idest, in lumine vitae hujus temporalis, quo carent qui mortui sunt: item in lumine fidei et gratiae, quo carent infideles et peccatores, ut tandem perveniam ad lumen gloriae coelestis, quo fruuntur illi, qui soli vere, proprieque viventes dici possunt. Possunt haec etiam de Christo exponi, qui per resurrectionem liberatus est a morte carnis, et ab omni periculo sudjacendi ulli passioni, et vivit et regnat a dextris Patris in lumine viventium. Amen.

PSALMUS LVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.

Historia, cujus occasione psalmus iste conscriptus fuit, habetur lib. 1. reg .cap. 24. tunc enim David Saulem fugiens absconditus est cum aliquot ex suis in speluncam Engaddi, et cum Saul casu ad eam speluncam devenisset, et solus in eam intrasset, ut purgaret ventrem; David, qui in parte interiore latebat incitatus a suis, ut interficeret Saulem, noluit id facere: ex qua historia colligitur argumentum hujus psalmi simile esse argumento psalmi superioris. In titulo nihil est novi, praeter illa duo verba, *ne disperdas*, quae quid significet, incertum est. S. Hilarius id refert ad Christi resurrectionem, per quam factum est, ne caro Christi in sepulchro corrumperetur: nam alia lectio de titulo crucis Christi, quem Pilatus noluit corrumpere ad petitionem judeorum, quasi id praedixerit David hoc loco, Theodoretus, et Euthymius exponunt de Davide, qui noluit occidere Saulem, cum impune possent. Itaque volunt ad aeternam rei memoriam scriptum, *ne disperdas*, sive *ne perdas*, quia David non perdidit Saulem, sed quamvis haec expositio in hunc psalmum quadret, tamen in psalmum 57. et 58. et 74. ubi est eadem sententia in titulo, non videtur quadrare. Alii volunt Davidem pro se rogare Deum ut non sinat eum occidi, et perdi. Alii denique arbitrantur, illis verbis significar inistrumentum musicum, in quo psalmi isti concinendi erant.

EXPLICATIO PSALMI LVI.

1. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.*
2. *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.*

David in spelunca precatur Deum pro liberatione a persecutione Saulis, et in hoc figura Christi est, qui latens in spelunca formae servi, cum esset Dominus omnium, orat pro liberatione corporis sui quod est Ecclesia, a persecutione Satanae, et ministrorum ejus. *Miserere*, inquit, *mei Deus*, idest, tu Deus misericors tolle miseriam, quam patior ob periculum vitae, cui Saul insidiatur. *Misereri mei, quoniam in te confidit anima mea*, confidentia in Deo est optima ratio, quae allegari potest ad impetrandam misericordiam, cum Deus promiserit auxilium confidentibus in se. *Et in umbra alarum tuarum sperabo*, idest, non solum hactenus in te confidit anima mea ; sed etiam perseverabo in hac confidentia toto tempore quo protectione indigebo, quod erit *donec transeat iniquitas* ; idest, finem habeat haec nostra peregrinatio, et exilium a patria coelesti: tamdiu enim durabit iniquitas, quamdiu durabit peregrinatio, in qua mali bonis admixti sunt. Porro metaphora illa de umbra alarum Dei familiaris est scripturae sanctae : nam in psal. 16. dicitur *sub umbra alarum tuarum protege me:* in psalmo. 62. *In velamento alarum tuarum sperabo*; et in psal. 90. *sub pennis ejus sperabis;* et Dominus, Matth. 24. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* sensus autem est, sperabo in protectione tua, quomodo sperant pulli in protectione gallinae, qua sub alas suas colligit eos, et mirabili zelo a milvo defendit. Significatur hac metaphora ingens amor Dei erga suos electos, quos fovet, et protegit, ut res sibi unice charas.

3. *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.*

Ex hac fiducia qua sub umbra alarum Dei speravit prodibit, clamor *ad Deum altissimum*, id est ad supremum judicem, qui super omnes alios judices in altissimo throno residet; et ratio clamandi erit experimentum proprium: jam enim expertus erat David clamando ad Deum, se multum profecisse. *Clamabo*, inquit, *ad Deum qui benefecit mihi*, idest, qui ultus me est, de inimicis meis: vox enim hebraica, *gomer*, hoc loco non significat benefacere absolute, sed ulcisci, ac per hoc benefacere ulciscendo innocentium injurias: unde sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo, *invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.* Qualis autem fuerit haec ultio habetur lib. 1. reg. cap. 23. Nam cum Saul cinxisset exercitu suo montem, ad quem David confugerat, ut jam de vita sua pene desperaret providentia divina fecit ut nuncius veniret ad Saulem, qui referret Philisthaeos cum magnis copiis in terram Israelitarum se infudisse, quo nuncio accepto coactus est Saul recedere a persequendo Davide cum magno suo opprobrio, et dolore; et hoc breviter attingitur in sequenti versiculo.

4. *Misit de coelo, liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me.*
5. *Misit Deus misericordiam suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.*
6. *Filii hominum dentes eorum arma, et sagittae : et lingua eorum gladius acutus.*

Misit de coelo auxilium videlicet, *et liberavit me*, quando cinctus legionibus hostium jam jam capiendus, et occidendus eram, *Dedit in opprobrium conculcantes me*, idest, exposuit probris Saulem, et milites ejus, qui me ut pulverem conculcabant, et contemnebant, quando re infecta coacti sunt recedere, et Philisthaeis occurrere, ut supra diximus ex cap. 23. lib. 1. reg. *Misit*, inquam, *de coelo misericordiam, et veritatem*, quasi duas manus suas, *misericordiam*, qua liberaret me, *et veritatem*, idest, justitiam, qua hostes meos pudore, et dolore afficeret. *Et eripuit animam meam*, hoc est, vitam meam, *de medio catulorum leonum*, idest, Saulis, et militum ejus; qui ferocia leones juvenes, ac per hoc, fortissimos referebant. Sed etiam sic liberatus ab imminente morte, tamen *dormivi conturbatus*, quia timui detractiones, et calumnias inimicorum meorum, quorum dentes, et linguae feriunt instar lancearum, et gladiorum actorum. In hebraeo deest verbum, *eripuit*, et sic vertit s. Hieronymus, *anima mea in medio leonum dormivit ferocientium*. Sed in hebraeo Codice non est, *dormivit*, sed dormivi, אשכבה *eschebah*, in prima persona. Quare vel excidit verbum, *eripuit*, vel subintelligi debet: et quia hebraei non habent casus, recte possumus vertere tam *anima mea*, quam *animam meam*: denique illud, *conturbatus*, quod Hieronymus vertit, ferocientium, videlicet leonum, in hebraeo proprie significat, *ardentem*, vel *inflammatum*, quod satis apte convenit cum voce, *conturbatus* : qui enim conturbati sunt, aestuare et ardere solent. Itaque lectio hebraica non difficulter cum nostra graeca et latina concordari potest, et hunc sensum facere, *animam meam eripuit de medio leunculorum, dormivi aestuans, et conturbatus*: cur autem dormierit conturbatus, quando jam liberatus erat, exponit cum addit, *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus*, idest, *dormivi conturbatus*, quoniam etiamsi Saule recedente liberatus eram a morsu leonum, qui de propinquo mordent ; tamen sciebam non deesse detractores, et calumniatores, qui etiam longe feriunt instar jaculorum, et sagittarum: multi enim erant, qui calumniis suis incitabant Saulem adversus Davidem, ut ipse testatur lib. 1. Reg. cap. 24. *Quare*, inquit, *audis verba hominum loquentium, quaerit David malum adversum te?* Porro phrasis illa, filii hominum dentes eorum arma et sagittae, est hebraeorum propria; sensus autem est, filii hominum tales sunt, ut dentes eorum sint veluti lanceae (hoc enim sonat vox hebraica, חנית *Chanith*, pro qua septuaginta reddiderunt *arma*) *et sagittae*; *et lingua eorum* veluti *gladius acutus*: quibus verbis significatur detractio, quae per instrumenta dentium, et linguae formatur, et non minus nocet et interimit, quam lancea, sagitta et gladius cum incitet ad iracundiam et sit causa malorum plurimorum.

7. *Exaltare super coelos Deus, et in omnem terram gloria tua.*

Exposito timore suo precatur Deum, ut exercendo justitiam in impios hostes suos, manifestet gloriam suam. *Exaltare*, inquit, *super coelos Deus*, idest, sede in altissimo throno, qui est super omnes coelos, ut judices : vel exaltetur nomen tuum super coelos coram Angelis, *et in omnem terram* coram hominibus dilatetur *gloria tua*, ita ut omnes intelligant, et laudent justitiam tuam.

8. *Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.*
9. *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.*

Reddit causam, cur judicium Dei adversus hostes suos imploret. Nam praeter alia inquit, *laqueum paraverunt pedibus meis*, idest, insidias mihi tetenderunt, ut me quasi feram de improviso caperent. *Et incurvaverunt animam meam*, idest atque his insidiis me afflixerunt, ut prae continua sollicitudine incurvus ac moestus incederem. Deinde idipsum repetit alia metaphora, *foderunt*, inquit, *foveam ante faciem meam*, idest foderunt foveam in itinere, quo iturus eram, ita ut fovea ante me esset, quamvis eam a me conspici non existimarent: illud enim, *ante faciem meam*, non significat, me aspiciente et vidente ; sed in loco, qui ante me erat, et per quem transiturus eram. *Et in-*

http://www.obrascatolicas.com

ciderunt in eam, idest, paraverunt mihi periculum vitae, et ipsi in illud inciderunt: nam ut dictum est supra ex cap. 23. lib. 1. reg. Saul insidiabatur vitae Davidis, et illo ipso tempore incidit in spelunca in manus Davidis, a quo poterat occidi, si David voluisset.

10. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, et psalmum dicam.*

Jam in fine psalmi excitat Propheta spiritum suum in Deum, ac dicit, *paratum cor meum, paratum cor meum*, idest, paratus sum vivere, paratus sum mori; paratus conculcari, paratus regnare; et quicquid acciderit, de manu tua accipiam: *cantabo, et psalmum dicam*, laudabo justitiam et voce, et instrumento musico.

11. *Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.*

Quia dixerat *cantabo, et psalmum dicam*; nunc ut id recte fiat, non invocat Musas ut prophani Poetae faciunt, sed invocat spiritum prophetiae, ut Theodoretus exponit. *Exurge*, inquit *gloria mea*, idest donum spiritus, quo afflante canere soleo mysteria divina, *exurge psalterium et cithara*, idest, exurge spiritus meus, et lingua mea: spiritus enim per psalterium intelligitur, quod ex parte superiore sonum edit, et lingua per citharam, quae ex parte inferiore sonat. *Exurgam diluculo*, idest summo mane, quod est aptissimum tempus contemplandi divina et canendi Deo, ego spiritus Dei exurgam et excitabo spiritum tuum, et linguam tuam ad canendum. Potest etiam cum s. Hieron. et s. August. hic locus intelligi de resurrectione Christi: David enim, qui satis intelligebat, se in passionibus suis Christi patientis, et morientis figuram gerere, Spiritu sancto afflatus ad Christum loquitur, ac dicit, *exurge gloria mea*: nullam enim majorem gloriam David habere potuit, quam ut pater Christi diceretur. *Exurge gloria mea*, Christe redemptor filius meus, et Dominus meus: *exurge psalterium et cithara*, idest, exurge caro Christi, quae psalterium fuisti, dum divina miracula operando ex parte superiore sonuisti: et cithara, dum humana patiendo ex parte inferiore sonitum dedisti. Deinde inducit ipsum respondentem, *exurgam diluculo*: satis enim constat Christum a mortuis diluculo surrexisse.

12. *Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.*

Surgens diluculo David ad canendum Deo dicit, *confitebor tibi*, idest laudabo te in populis judaeorum, *et psalmum dicam tibi in gentibus*. Noverat enim sanctus Propheta psalmos suos toto terrarum orbe cantandos a fidelibus, tum ex judaeis tum ex gentibus in Ecclesia congregatis. Potest etiam sic exponi, ut Christus, qui dicit, *exurgam diluculo*, addat etiam, se per corpus suum, quod est ecclesia, Deum semper et ubique laudaturum.

13. *Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.*

Haec est materia laudis apud omnes gentes, quod *misericordia Dei* magna effecta sit, et creverit usque ad coelos, non in se, quomodo semper est infinita, sed in operibus suis: et pari ratione *veritas Dei*, sive pro fidelitate, sive pro justitia accipiatur, replevit omnia *usque ad nubes*, idest, usque ad coelos: accipit enim Propheta pro eodem *usque ad coelos, et usque ad nubes*, quae ideo dicuntur in scripturis nubes coeli. Matth. 26. *Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.*

14. *Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloria tua.*

Quomodo misericordia, et veritas Domini pertingunt usque ad coelos; sic etiam par est ut gloria et laus ejus, et coelum et terram repleat.

PSALMUS LVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, ne disperdas David in tituli inscriptionem.

Titulus nihil habet novi. Argumentum est acris reprehensio hominum iniquorum: quamvis enim occasio scribendi nata sit ex iniquitate Saulis et ministrorum ejus persequentium Davidem: tamen reprehensio est generalis, et ut monuit sanctus Augustinus, concionatur Spiritus sanctus per os Prophetae ad universum genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI LVII.

1. *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.*

Non desunt ex recentioribus, qui velint totum versiculum hunc legi per interrogationem, hoc modo, *num vere justitiam loquimini? num recta judicatis filii hominum?* Sed veteres omnes Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii legunt ut nos in textu nostro habemus. Sanctus autem Hieronymus non solum in expositione psalterii sed etiam in versione ex hebraeo vertit, *si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum*. Quamvis enim in prima parte versiculi adsit in hebraeo litera ה *he*, quae est signum interrogationis; tamen in secunda non habetur: proinde ad verbum sic vertendum esset, *num vere justitiam loquimini? recta judicabitis filii hominum*: quae sententia eadem est cum ista, *si vere justitiam loquimini, recta judicate filii hominum*. Igitur sententia Prophetae haec est, cum omnes homines interrogati, an sit bonum furari, moechari, decipere et similia, recte respondeant, non esse bonum; quia lex scripta in corde docet, ista non esse bona, cum nemo velit talia sibi fieri; convincuntur omnes iniqui non vere loqui justitiam: sed ficte, ac simulate, quia in corde suo judicant, sibi esse bonum furari, moechari, decipere et similia: non enim facerent nisi bonum sibi esse crederent. Nec solum convincuntur esse mendaces, dum falso loquuntur justitiam, et dicunt, non est bonum furari, moechari, decipere, et similia: sed etiam convincuntur mirabili coecitate laborare, cum negare non possint, malum esse furari, cum videant se non posse pati fures: et tamen judicent, sibi bonum esse furari, et facere alteri, quod sibi fieri nolunt: nam si bonum est furtum, quare nolunt sibi fieri? si non est bonum, quare volunt alteri facere? Adversus istam voluntariam et inexcusabilem caecitatem clamat Spiritus sanctus, *si vere utique justitiam loquimini*, dum dicitis, malum est furari, moechari, et similia, *recta judicate filii hominum*, idest, judicate in corde vestro, non esse facienda, ac per hoc nolite facere, quae mala esse confessi estis.

2. *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestrae concinnant.*

Ostendit non sine causa se admonuisse, ut recta judicent, si justitiam vere loquuntur: nam apparet contraria illos facere, ac per hoc non vere justitiam loqui, sed ficte, ac mendaciter. *Etenim*, inquit, *in corde iniquitates operamini*, idest in corda judicatis, ac decernitis mala: neque ibi sistitis sed *in terra manus vestrae* cordis mandata exequentes *concinnant iniquitates*. Illud, *in terra*, significat peccata operum non posse fieri, nisi dum hic in terris vivimus: nam in inferno erunt quidem mala desideria, sed facultas exequendi non erit. Illud *concinnant*, in hebraeo est, תפלטון *thephallesun appendunt*; in graeo συμπλέκουσιν *connectunt*. Sed omnia idem significant, nimirum peccata peccatis apte conjungi, et appendi unum alteri, sed admixta saepe specie aliqua virtutis, ut turpitudo iniquitatis aliquo modo tegatur. Exemplo esse potest Davidis adulterium: nam adulterio perpetrato, concinnavit David dolum, quo adulterium tegeretur; advocato videlicet Uria marito, atque ad uxorem misso, ut ex eo concepisse videretur: et quia hoc non successit; adjunxit adulterio homicidium; atque hoc etiam dolo alio concinnato, ut in praelio periisse dici posset. Vide alia exempla apud s. Augustinum.

3. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa.*

Haec est alia peccatorum miseria, quod non post multos annos vitae peccare incipiunt, sed ab ipsa nativitate, vix in lucem editi a recto tramite deflectunt. *Alienati sunt peccatores a vulva*, idest ab ipso exitu de vulva alienati sunt a recto tramite, a via veritatis, a beata vita: *erraverunt ab utero*, haec est repetitio, et declaratio ejus quod dictum erat, *alienati sunt a vulva, loquuti sunt falsa*: hoc enim est primum ordinarie peccatum actuale, quod pueri committunt, mendacium videlicet, inde se primum prodit naturae corruptio.

4. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae, et obturantis aures suas.*
5. *Quae non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter.*

Docuit morbum peccati ab ipsa infantia incipere: nunc addit, non solum hunc esse morbum diuturnum, sed etiam gravissimum, quia nonnunquam peccatores tanto furore et tanta obstinatione grassantur in perniciem aliorum hominum, ut similes efficiantur serpentibus illis, qui surdi dicuntur, quia incantationibus nullis cedunt. *Furor illis*, idest gravissimis peccatoribus, qualis tunc erat Saul, *est sicut secundum similitudinem serpentium*, qui nulla arte mansuefieri possunt: imo secundum similitudinem *aspidis surdae*, quae obturat cauda aures suas, *ut non exaudiat vocem incantantium, nec venefici incantantis sapienter*, idest valde periti in arte sua. Utrum sit verum, an fabulosum, quod dicitur de aspide, claudentis sibi aures, ne audiat maleficum incantantem: non multum refert ad hujus psalmi explicationem. David enim similitudinem ducit ab eo quod vulgo fertur. Monet etiam s. August. non ideo approbari incantationes veneficorum, quia David inde similitudinem accepit: nam et Dominus in Evangelio similitudines duxit a judice injusto, *qui nec Deum timet nec hominem reveretur*. Luc. 18. et a villico iniquitatis, qui *donando bona Domini sui amicos multos sibi conciliavit*. Luc. 16. et ab illo qui *invento thesauro in agro alieno, continuo emit agrum illum ut thesauro solus potiretur*. Matth. 13. nec tamen approbavit injustitiam Judicis, neque fraudes servorum, nec astutiam cupidorum.

http://www.obrascatolicas.com

6. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.*

Descripta gravitate peccati aliquorum hominum, inter quos Saulem David numerabat in primis: describit nunc poenas eorumdem peccatorum aptissimis similitudinibus. Prima similitudo continetur in hoc sexto versiculo, et summa ejus est, a Deo auferri potentiam hominum peccatorum, quantumvis magni, robusti et feroces esse videantur: nihil enim robustius et terribilius leone, et in ipso leone nihil durius acutius et horribilis dentibus molaribus. *Deus igitur dentes leonum confringet*, idest, robur, et potentiam peccatorum quamvis potentissimorum auferet. *Deus*, inquit, *dentes eorum*, peccatorum videlicet, qui instar leonum discrepunt, et dilaniant innocentes. *In ore ipsorum*, idest, dum adhuc sunt in ore ipsorum viventium et rugientium: nam conterere dentes leonum jam evulsos facile est. Declarat, vel repetit more suo Propheta quod dixit, dum addit, *molas leonum confringet Dominus*, idest, non solum dentes minores, sed etiam molares, qui sunt omnium maximi et durissimi, confringet Dominus.

7. *Ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum, donec infirmentur.*

Haec est altera similitudo, quae docet potentiam impiorum fore brevissimam, et post modicum ita redigendam esse ad nihilum, ut tota progenie extincta ne vestigium quidem ejus remaneat. Similitudo autem deducitur, vel a torrentibus secundum Augustinum, qui ita interdum intumescunt, et omnia secum rapiunt, ut flumina maxima esse videantur, et tamen post unam, vel alteram horam omnino siccantur, et evanescunt, ut ne gutta quidem aquae remaneat in alveis torrentium; vel ducitur similitudo ab ingenti pluvia hyemali, ut exponit s. Hieron. quae per loca declivia ita statim decurrit, ut post modicum cessante pluvia, nusquam aqua ipsa compareat. Exempla innumerabilia adduci possunt tum potentissimorum tyrannorum, ut Saulis, Achab, et Jeroboam, vel Neronis, Caji, Domitiani, et similium: tum haeresiarcharum magni nominis, ut Arii, Nestorii, Dioscori, et caeterorum. *Ad nihilum*, inquit, *devenient tamquam aqua decurrens*, torrentis vel pluviae, quae velocissime transit, et vestigium non relinquit. Ac ne putaremus casu fieri, vel ex naturalibus causis, ut potentissima regna tyrannorum: aut famosissimae haereses tam cito finem accipiant; subjungit Propheta, *intendit arcum suum, donec infirmentur*, idest, impiorum potentia tam celerem finem habebit, quia Deus omnipotens intendit arcum suum adversus eos, neque arcum remittet, donec illi infirmentur, ac debilitentur, et viribus amissis deficiant, et pereant.

8. *Sicut cera, quae fluit, auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.*

Tertia est haec similitudo quae demonstrat, non minus facile esse Deo potentiam tyrannorum, atque aliorum impiorum ad nihilum deducere, quam facile sit soli, aut igni ceram liquefacere: cera enim quamtumvis indurata, calori solis vel ignis nullo modo resistit; sed continuo liquescit, defluit, et perit. *Sicut cera*, inquit, *quae fluit* tangente illam sole, vel igne, ita *auferentur* de medio homines peccatores. Nam *supercecidit ignis irae Dei* in illos, et ipsi tamquam cera continuo liquefacta perierunt, et non viderunt amplius solem, quem soli viventes videre possunt. In codice hebraeo hic versiculus longe aliter habetur. Sic enim vertit s. Hieron. *Quasi vermis tabefactus pertranseant, quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem.* Sed quod attinet ad vocabulum, שבלול *sciabbelul*, non possunt reprehendi Septuaginta, quod verterint, *ceram*, quia vox illa non habetur nisi hoc loco, et aliqui volunt significare *vermiculum*: aliqui *limacem*, alii alia. Inter tot opiniones de obscurissima voce cur non magis credemus septuaginta Interpretibus, antiquioribus, doctioribus, et pluribus? Quod vero pertinet ad illam vocem, תמס *themes*, nulla est difficultas: nam proprie significat *liquefactionem*; et Septuaginta recte verterunt *ceram, quae fluit*, hoc est, liquescit: et s. Hieronymus qui vertit, *tabefactum*, sensum expressit, non verbum. Denique illa verba, נפל אשת *nephel esceth*, s. Hieronymus recte vertit, *abortivum mulieris*: sed Septuaginta recte etiam verterunt, *supercecidit ignis*, quia remotis punctis Rabbinorum illud, נפל *nephel*, potest legi, *naphel*, quod significat, *cecidit*: illud, אשת *esceth*, legerunt sine ultima litera, et verterunt *ignis*, quia, אש *es*, ignem significat.

9. *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.*

Haec est ultima similitudo, qua docet Propheta, impios succidendos, et perdendos a Deo, antequam implere possint mala, quae adversus justos meditati sunt, ut non habeant gaudium de exterminio justorum, quod maxime cupiebant: quomodo Saul antea male periit, quam de morte David laetari potuerit; et Diocletianus, et Maximianus, aliique persecutores ecclesiae prius perierunt quam ultimum exitium Christianorum viderint, ad quod totis viribus inhiabant. Similitudo autem desumpta est a spinis, quae ab agricola succiduntur dum tenerae sunt antequam ad robur rhamni, quod est lignum magnis, et durissimis spinis instructum, crescendo perveniant. *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum*, sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit, *Antequam spinae vestrae crescant in rhamnum.* S. Hilarius et s. Augustinus legunt, *antequam producat spinas vestras rhamnus.* Nostra lectio concordat ad verbum cum hebraica, et cum graeca. Porro lectio s. Hilarii, et s. Hieronymi in sensu conveniunt: nam spinas crescere in rhamnum est spinas teneras, quae ferire non possunt

paulatim crescere, et fieri rhamnum, qui duris aculeis suis pungat, et feriat; sic etiam rhamnum producere spinas, est rhamnum tenerum, et qui nocere non potest, crescere et inducere aculeos, ut maxime nocere valeat. Oportet igitur ad eumdem sensum reducere verba obscura nostrae lectionis: id quod fiet, si per vocem, *intelligere*, quae est in hebraico, יבינו *iabinu*, et graeco codice συνιέναι, interpretemur, crescere ad perfectum robur: quod quidem hominibus convenit, qui tunc ad perfectam aetatem pervenerunt, quando sapere et intelligere incipiunt; sed per metaphoram tribuitur etiam aliis rebus. Itaque sic exponi potest versiculus. *Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum*, idest, priusquam ad perfectionem suam spinae tenerae crescendo pervenirent, ut ad instar rhamni pungere, ferire, et lacerare possent: *sicut viventes, sic in ira absorbet eos*, idest, Deus absorbebit, (*absorbet* enim hoc loco positum est pro *absorbebit*, sicut in Evangelio, Joan. 15. *ardet* pro *ardebit*) Deus inquam absorbebit eos sic in ira sua, sicut viventes absorbere solet terra, aut mare: mutatio autem illa personae familiaris est Prophetis, ut cum loqueretur ad ipsos impios in secunda persona dicens, *spinae vestrae* mox transeat ad tertiam dicens, *absorbet eos*, pro absorbebit.

10. *Laetabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Cum haec facta fuerint, quae supra dicta sunt de perditione impiorum: tunc *laetabitur justus cum viderit vindictam*, non autem amore vindictae laetabitur, sed amore justitiae; et quia videbit se Dei gratia custoditum non esse lapsum in ea peccata, unde tam severe puniri mereretur: nec solum laetabitur, sed etiam *manus suas lavabit in sanguine peccatorum*, idest, opera bona ipsius magis elucebunt ex comparatione malorum operum peccatorum: nam opposita juxta se posita magis splendent, per sanguinem enim in Scripturis, peccatum intelligi solet. Vel dici potest cum sancto Augustino, Justum hic in terris lavare manus suas, idest, mundare opera sua, et bene operando fieri diligentiorem, dum cernit sanguinem, idest, mortem, ac supplicia impiorum. In hebraeo habetur, פעמיו *pehamau, pedes suos lavabit.* Sed omnes alii codices graeci, et latini, et omnes traductores legunt, *manus.*

11. *Et dicet homo, si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.*

Cum impii punientur, et justus laetabitur; tunc *dicet homo*, idest, tunc homines, qui ista videbunt dicent, si justitia fructum aliquem adfert, ut vere adfert, ille maximus est fructus, quod Deus summus omnium Judex non sinit peccatores impunitos, neque justos irremuneratos; sed retractat omnia injusta judicia, et judicat eos, idest, tam malos, quam bonos; tribuens justis debita praemia pro omnibus bonis operibus, quae fecerunt, et pro omnibus malis, quae praetulerunt: et impiis debita supplicia pro omnibus malis, quae fecerunt, et pro omnibus deliciis, in quibus lascivierunt. Et sic impletur illud Apoc. 18. *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Judicium autem hoc dicitur fieri in terra; quia fit pro his actionibus, quae factae sunt in terra; et quia saepe inchoatur in hac vita, licet perficiendum sit in altera; denique quia ultimum etiam judicium fiet de hominibus, qui adhuc erunt in terra; et inde transituri erunt, vel ad coelum, vel ad gehennam. Unde dicitur Deus judicaturus orbem terrarum in aequitate. In hebraeo codice non habetur conditionalis, אם *si*, cum dicitur, *si est fructus justo*: sed, אך *ac, vere est fructus justo, vere est Deus judicans eos in terra.* Illud igitur *si*, quod ex graeco transiit in codices latinos, non est conditio, vel particula dubitationem significans: sed explicanda est, ut nos paulo ante explicuimus, *si est aliquis fructus justo*, ut sine ullo dubio est, ille est, quod Deus judicabit accuratissime omnia opera bona, et mala, et non sinet justos in perpetuum opprimi ab impiis, sed impiis condemnatis justos coronabit. Quae certe magna est consolatio justorum afflictorum, qui ex fide vivunt, et expectant beatam spem, et adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit laus, et gloria in saecula.

PSALMUS LVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret.

Ex hoc titulo colligitur occasio scribendi psalmum praesentem. Scribitur enim lib. 1. reg. cap. 19. missos fuisse satellites a Saule, qui custodirent domum David, ne forte noctu effugeret, ut eum mane facto interficerent: sed Davidem conjugis suae consilio, et auxilio per fenestram noctu demissum aufugisse. Scribit igitur in hoc psalmo David orationem, quam imminente tam ingenti pe-

http://www.obrascatolicas.com

riculo fudit ad Deum: et simul praedicit, ut solet perditionem inimicorum suorum. S. Augustinus, et Theodoretus volunt, Davidem figuram Christi fuisse: Christus enim in sepulchro, quasi in domo custodiebatur a satellitibus, ut impediretur ejus resurrectio, et proinde etiam praedicatio Apostolorum, et aedificatio ecclesiae, quae corpus est Christi. Sed Christus resurrexit non aperto sepulchro, relictis sindonibus; et David evasit relictis in lecto pellibus caprinis. Potest etiam totus psalmus commode explicari generatim de impiis persequentibus justos, et impiorum exitio, ac justorum liberatione. Solet enim David occasione afflictionum suarum concionari in universum de afflictionibus, et consolatione justorum, et malitia, ac suppliciis iniquorum. Quae etiam causa est cur Ecclesia frequenter assidue cantet psalmodiam: quod non tam accurate faceret, si de solo Davide plerique psalmi intelligendi essent.

EXPLICATIO PSALMI LVIII.

1. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.*

Vox est Davidis in propria domo, quasi in carcere detenti, obsidentibus eum satellitibus Saulis: vox item est Christi in sepulchro jacentis, custodibus adhibitis: vox denique est cujuscumque justi in mortis periculo constituti.

2. *Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.*

Haec est explicatio versiculi superioris: quos enim dixit ibi *inimicos suos*, hic dicit *operantes iniquitatem*, justi enim non alios habent inimicos nisi iniquos; neque alia est causa inimicitiae ipsorum, nisi quia illi iniqui sunt, isti justi; et quos ibi dixit *insurgentes in se*, hic dicit *viros sanguinum* idest, viros homicidas, qui insurgunt in proximum ut ejus sanguinem fundant.

3. *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.*

Reddit rationem cur dixerit, *salva me*, vel *eripe me*: quia videlicet in maximo discrimine vitae amittendae versabatur. Erat enim quasi fera inter rete conclusa, et comprehensa, et jamjam interficienda; quod explicat clarius vox graeca ἐθήρευσαν, idest, *venati sunt animam meam*: quod etiam satis congruit cum voce hebraica, ארבו *arebu*, quam s. Hieronymus vertit insidiati sunt animae meae. Ergo illud, quod in nostra editione legimus *ceperunt animam meam*, non significat, acceperunt vitam meam, meque occiderunt; sed comprehenderunt me, sive captivum me ceperunt. *Et irruerunt in me fortes*, idest, viri potentes, qualis erat rex Saul, Abner dux militiae, et similes, in me impetum fecerunt: quod dicit, ut ostendat persecutionem suam non esse paucorum satellitum, a quibus tunc obsidebatur, sed regis potentissimi, qui alios satellites, ac milites ad eum occidendum mittere poterat.

4. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi.*

Si ad personam Davidis haec referantur, non significant, nullum fuisse in Davide peccatum absolute, sed non fuisse peccatum adversus regem, ut aemuli ejus calumniabantur. At si referantur ad Christum, absolute verissima sunt: Christus enim *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; ut scribit b. Petr. 1. epistol. cap. 2. Ait igitur, *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine*, idest, irruerunt in me fortes, et tamen nulla est iniquitas, nulla injustitia, neque peccatum aliud adversus eos a me patratum, ut causam persequendi me habeant. Ego enim *sine iniquitate cucurri*, idest, cursum vitae huc usque peregi sine ulla ipsorum offensione. *Et direxi*, idest, rectum cursum institui, non declinavi ad dexteram ad aucupandos favores potentiorum: neque ad sinistram, ut opprimerem pauperes, et humiles. In hebraeo habetur in tertia persona, *cucurrerunt*, *et direxerunt*, idest, inimici mei cucurrerunt, adversum me, et direxerunt acies suas, ut me occiderent. Sed septuaginta Interpretes aliter legerunt verba hebraica, et facilis fuit mutatio, cum prima persona, et tertia non differant, nisi in ultima terminatione. Sed res non est magni momenti.

5. *Exurge in occursum meum, et vide, et tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.*
6. *Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.*

Dixerat, *cucurri, et direxi*: qui autem dirigit cursum suum, sine dubio ad Deum currit, ad quem omnia bona, ut ad finem ultimum diriguntur. Ait igitur, Ego bene operando ad te cursum meum direxi: tu igitur vicissim me protegendo, *mihi occurre, atque ad me cursum auxilii tui dirige, et vide* de proximo periculum meum, considera afflictionem meam: neque potes excusare impotentiam, et ignorantiam, nam *Dominus et Deus virtutum es*, atque ut Dominus, omnia potes; ut Deus, omnia vides; ut Deus virtutum, idest, exercituum, non solum per te, sed etiam per angelos, et quaslibet alias creaturas me juvare potes, quia tibi omnia militant: denique *tu es Deus Israel;* proinde

Israelitas, ut proprius eorum Deus ex foedere cum patribus nostris inito protegere debes. *Intende ad visitandas omnes gentes*, idest, adveniat aliquando dies universalis Judicii tui, et tunc *non miserearis omnium operantium iniquitatem*, idest, nullius operantis iniquitatem misereris; sed omnes pro meritis punias. Haec videntur accipienda prophetice potius, quam per modum imprecantis, ut sensus sit, Veniet aliquando magna illa visitatio omnium gentium, in qua reddent omnes Deo summo Judici rationem factorum suorum, et tunc Deus nullius impii miserebitur, sed omnes malos male perdet. Atque ex hac explicatione cessat quaestio, quam s. Augustinus movet; quo modo verum sit, quod hic dicitur, *non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*, cum constet, Deum misertum esse ipsius Davidis operantis iniquitatem adulterii, et homicidii; et s. Petri ipsum Christum negantis; et s. Pauli Ecclesiam persequentis. Cessat, inquam, ista quaestio, quoniam Deus miseretur operantium iniquitatem non ut Judex, sed ut pater misericordiarum, dum operantes iniquitatem misericorditer convertit ad poenitentiam. David autem hoc loco loquitur de Deo, ut Judex est, *qui reddet unicuique secundum opera sua*. Matth. 16. ac praesertim in ultimo Judicio nullius impii, vel iniqui miserebitur.

7. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.*

Pergit explicare miseram conditionem iniquorum in novissimo die. *Ipsi enim convertentur ad vesperam*, idest, finito die, in quo fructuose converti licebat, nimisque sero sapere incipient, et poenitentiam agere nihil eis profuturam, de quibus dicitur Sap. 5. *Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes. Et famem patientur ut canes*, famem utique justitiae, quam esurire nescierunt quando tempus erat: vel famem qualiscumque consolationis, et quietis; *et circuibunt* ut canes famelici *civitatem Dei*, idest, electorum coetum: respicient enim ad omnes, si quo modo apud aliquem misericordiam invenire possint, sed non invenient: nemo enim sanctorum in illa die miserebitur operantium iniquitatem. Erit autem haec digna retributio, quoniam in hac vita viri iniqui *conversi sunt ad vesperam*, idest, tenebras noctis non ad lucem diei: *et famem passi sunt* ut canes, idest, famelici fuerunt carnalium delectationum, quae si comparentur ad spiritualia, cibi sunt corrupti, ac putridi, et canum proprii; et ideo circumierunt civitatem: nam extra civitates in fossis murorum projici solent cadavera equorum, aliorumque animantium immundorum, quae non ab hominibus, sed a canibus devorantur. Hunc locum alii exponunt de reversione satellitum ad vesperam, ut noctu Davidem in domo sua raperent et instar canum vitam ejus devorarent. Alii de conversione Judaeorum circa finem Mundi, juxta illud Apostoli Rom. 11. *Caecitas ex parte cecidit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret*. Alii de conversione eorumdem Judaeorum ad vesperam, idest, post mortem Christi, qui famem passi sunt, sicut canes, idest, sicut gentiles, et simul saturati sunt ad praedicationem Apostolorum, et tum ipsi quoque circumierunt civitatem docendo, et praedicando, quae est expositio s. Augustini. Alii de reversione Judaeorum in Palaestinam post eversionem civitatis suae Jerusalem, qui famem patiebantur pristinae foelicitatis caeremoniarum legalium, et circuibant eversam civitatem; si quo modo eam raedificare possent. Nos lectori judicium relinquimus.

8. *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?*

Revertitur ad malitiam iniquorum: vicissim enim loquitur Propheta nunc de culpa, nunc de poena impiorum. *Ecce*, inquit, qui me quaerunt ad necem, *loquentur in ore suo*, idest, submissa voce inter se loquentur, ut vix ex ore sonus egrediatur. *Et gladius in labiis eorum*, idest, et verba ipsorum quasi gladius erunt, quoniam de nece inter se consultabunt. Secure autem inter se loquentur, *quoniam* dicent, *quis audivit?* id est, nemo audivit, secretus erit sermo.

9. *Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.*

Illi putant se non audiri, quando inter se secreto consultant, et putant se magna facturos: *sed tu Domine*, cui nihil est occultum, *deridebis eos*, tamquam vanos, qui nosti eorum concilia, et impedire conatus ipsorum nullo negotio potes, nec solum inimicos meos deridebis, sed etiamsi omnes gentes cum illis conjungerentur, eas quoque contemneres, et nihil faceres. Ubi illud, *Ad nihilum deduces*, in hebraeo est, תלעג *thilhag*, *subsannabis*, ut sit fere idem cum deridebis. In graeco est, εξουδενώσεις, *pro nihilo duces*, quod in idem recidit. Itaque ut nostra latina editio cum textibus originalibus conveniat, sic explicandum est illud, *Ad nihilum deduces*, idest, pro nihilo habebis, sive ad nihilum deduces in mente tua, quia tamquam nihilum existimabis. Clarius id habetur in psal. 14. ubi dicitur, *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*, ubi illud, *in conspectu ejus*, demonstrat, deduci ad nihilum, non esse extingui penitus, ac deleri, sed pro nihilo reputari. Quomodo dicitur Isaiae 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.*

10. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia ejus praeveniet me.*

Quia meminit omnipotentiae Dei, coram quo omnes gentes pro nihilo reputantur, humiliat se sub potenti manu Dei, ut gratiam mereatur, *Fortitudinem*, inquit, *meam ad te custodiam*, idest, ego robur meum non ex me habeo, sed a te accepi. ideo non in meis viribus est illud conservare, sed *ad te*, idest, apud te custodiam: tu qui dedisti, conservabis: *quia susceptor meus es, Deus meus;*

http://www.obrascatolicas.com

idest, non sine causa confido in protectione tua, qua tu Deus suscepisti me protegendum ab infantia mea, quia tu es proprie Deus meus, quem solum colo. *Misericordia ejus praeveniet me*, idest, non frustra haec loquor, quia misericordia Dei praevenit me olim, et (ut confido) semper praeveniet, ut non sinat me opprimi ab hostibus meis. Haec justissime David dicit, qui in pueritia praeventus fuit gratia Dei, et robur divinitus accepit, ut ursum, et leonem ac deinde Goliath gigantem armatum ipse inermis occideret, et in regem item adhuc puer a Samuele inunctus fuit. Quod si haec referantur ad Christum, multo magis verificantur, cum ipse non a pueritia, aut infantia, sed a conceptione *unctus fuerit Spiritu sancto, et virtute*, ut loquitur s. Petrus Apostolus Act. 10. In hebraeo legitur, *Dei misericordia ejus praeveniet me*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, אלהי *elohe*, sed אלהי *elohai, Deus meus*. Itaque Rabbini non recte puncta collocaverunt.

11. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne perdas eos, ne quando obliviscantur populi mei.*
12. *Disperde illos in virtute tua, et depone eos protector meus Domine.*

Revertitur Propheta ad inimicos suos, ac praedicit poenam ipsorum: sed haec omnia magis loquitur in persona Christi, quam in persona propria, *Deus*, inquit, *ostendet mihi super inimicos meos*. idest, demonstrabit mihi supplicium, quod patientur inimici mei; quasi dicat, jam revelavit mihi Deus quid eventurum sit inimicis meis, sed etiam re ipsa ostendet eventum, et tunc videbo supplicium, quod justissime patientur. Ego autem precor Deum, ut non occidat eos, idest, non omnino exlinguat gentem Judaicam: *ne quando homines obliviscantur populi mei*: vult enim Christus agnosci populum suum, unde originem secundum carnem ducit. Rogo igitur, inquit, *ut Deus in virtute sua*, in potentia sua, cui nemo resistere potest, *disperdat illos* per orbem terrarum, et deponat eos de altitudine gloriae, in qua positi erant, cum essent populus Dei peculiaris, et regnum, ac sacerdotium obtinerent. Quae omnia in Judaeis videmus ad litteram adimpleta. In graecis codicibus habetur, *nequando obliviscantur legis tuae*; et sic legunt Hilarius, Augustinus, Euthymius, et alii. Sed nostra lectio concordat cum hebraico codice; et credibile est sic etiam vertisse septuaginta Interpretes, sed graecum textum postea fuisse mutatum: testatur enim s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, in septuaginta interpretibus haberi populi mei, ut habetur in hebraeo.

13. *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua.*

Explicat causam dispersionis Judaeorum, quasi dicat, haec illis eveniant propter *delictum oris eorum*, idest, propter sermonem labiorum ipsorum, quo dixerunt Joan. 29. *non habemus regem nisi Caesarem*; et *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Matthaei 27. Deus enim juste illis tribuit quod sibi imprecati sunt juxta illud Dan. 9. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et comprehendantur in superbia sua*, idest, captivi fiant a Romanis, et humilientur, ac dejiciantur ob superbiam suam, qua gloriabantur se filios esse Abrahae, et liberos, et nemini usquam servivisse, ut perspicuum est ex cap. 8. Joannis. Vere enim propter superbiam, et contumaciam suam Romanorum indignationem in se provocaverunt, ut patet ex libris Josephi de bello Judaico. Sed illa occasio fuit exitii: vera autem causa fuit superbia, qua Dei filium contempserunt.

14. *Et de execratione et mendacio annunciabuntur in consummatione, in ira consummationis, et non erunt.*

Per execrationem, et mendacium intelligo verba illa supradicta: *Sanguis ejus super nos*; et *non habemus regem, nisi Caesarem*. Illud enim, *Sanguis ejus super nos*, fuit horrenda execratio, quia sibi imprecati sunt Judaei poenam debitam immanissimi omnium scelerum. Illud autem, *Non habemus regem nisi Cesarem*, mendacium, et simulatio fuit: constat enim illos noluisse dare Caesari censum, et jactasse se liberos, et nemini unquam servivisse, cum tamen hoc ipsum esset insigne mendacium: servierunt enim Pharaoni in Aegypto, Nabuchodonosori in Babylonia, Philisthaeis in terra promissionis; et tunc cum haec dicerent, Romanis manifestissime servicbant. Praedicit ergo Propheta, quod de hac execratione, et mendacio, idest, propter haec delicta oris ipsorum, propter eam horrendam execrationem, et tam superba mendacia *annunciabuntur in consummatione*, idest divulgabuntur, et infames erunt toto orbe terrarum, quando eversa civitate consummabitur, ac destruetur omnis potentia, omnis gloria, omnis status reipublicae Judaeorum. *In ira consummationis*, hoc est, in illa consummatione, quae non casu accidet; sed ab ira, et indignatione Dei proveniet, et ideo erit perfecta, et absoluta consummatio ut numquam deinceps Judaei regnum, et civitatem regiam sint habituri: ideo additur, *et non erunt*, idest, et sic peracta consummatione, non amplius subsistent Judaei, idest, non erunt populus, nec regnum, sed dispersio, et dissipatio miserabilis, ut hodie cernimus oculis nostris. In codice hebraico legitur, *De execratione et mendacio annunciabunt*: sed verba hebraica facile mutant significationes: propterea septuaginta Interpretes, qui peritissimi erant hebraicae linguae, verbum activum in passiva significatione interpretati sunt. In eodem codice legitur, *Consume in ira, consume, ut non subsistant*. Verum septuaginta Interpretes, vel acceperunt vocem, כלה *calle*, pro nomine, non pro verbo, idest, pro consummatione, non pro imperativo, *consume*, vel certe sensum expresserunt, non verbum verbo reddiderunt.

15. *Et sciant, quia Deus dominabitur Jacob, et finium terrae.*

Et cum fuerint dispersi Judaei per omnes terras, *tunc scient*, et aperte videbunt, Deum verum, non solum Dominum esse Jacob, idest, populi Israelitici, sed etiam *finium terrae*, idest, omnium gentium usque ad ultimos fines terrae. Antea siquidem *notus erat in Judaea Deus et in Israel magnum nomen ejus*, ps. 75. et dicebatur, *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt*, ps. 78. sed post eversionem Jerosolymae, Evangelio Christi per orbem terrarum praedicato, dispersi Judaei viderunt ubique Deum verum coli, Idola confringi, psalmos Davidicos cani: ita didicerunt, Deum non solum Judaeorum Deum esse, sed etiam gentium.

16. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes; et circuibunt civitatem.*

Sed numquam apertius scient, Deum dominari Jacob, et finium terrae, quam in novissimo die, quando *stabimus omnes ante tribunal Christi*, Rom. 14. *et illi flectetur omne genu*: tunc *convertentur* ad poenitentiam sed *ad vesperam*, finito tempore misericordiae; *et famen patientur ut canes, et circuibunt civitatem* electorum, ut cibum consolationis inveniant.

17. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et mur murabunt:*

Iidem Judaei *dispergentur ad manducandum* recurrendo ad Patriarchas suos, et Prophetas, atque ad eos clamando, ut canes famelici; et quia nihil consolationis accipient, neque ab illis pro filiis agnoscentur, murmurare incipient, et queri de infoelicitate sua. Quod si haec nostra explicatio non probetur, jam indicavimus alias multas, dum versiculum septimum explicaremus.

18. *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exultabo mane misericordiam tuam.*

Hactenus de impiis persecutoribus; nunc David in persona propria, sive potius in persona Christi, et Ecclesiae, quae corpus ejus est, explicat laetitiam, et exultationem suam nec non laudem Dei, et actionem gratiarum. *Ego autem*, inquit, *cantabo fortitudinem tuam*, idest, miseri illi latrabunt, et murmurabunt; ego autem e contrario *cantabo*, et laudabo *fortitudinem tuam*, id est, magnam potentiam tuam, quam ostendisti in debellatione, et perditione iniquorum. *Et exultabo misericordiam tuam*, idest, exultans laudabo misericordiam, quam stendisti in liberatione, et glorificatione justorum: id autem faciam summo *mane*, idest, primo quoque tempore, ante omnia alia negotia, vel *mane*, idest, inchoante die sempiternae foelicitatis, transacta jam nocte terribilis Judicii universalis, Pro, *exultabo*: sed lectio nostra concordat cum textu hebraico, et graeco; et sic legunt Patres.

19. *Quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meae.*

Declarat effectum misericordiae, quam exultando decantaturum se promittit, quod videlicet Deus susceptor ejus fuerit, idest, protegendum susceperit, et refugium illi praestiterit in omni tribulatione sua.

20. *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.*

Idem aliis verbis repetit, ut affectum suum, et gratum animum erga tantum benefactorem ostendat. Illud, *Adjutor meus*, in hebraeo est, עזי *huzi, fortitudo mea*, ex quo intelligimus, significari adjutorem robustum, et potentissimum proinde laudatur ea voce potentia Dei. Per illud autem, *susceptor meus*, laudatur bonitas Dei, quae sub alas suas protegendos suscipit electos. Per illud, *Deus meus*, significatur summum bonum nostrum ac finis ultimus omnium desideriorum; quamvis autem in hebraeo sit, *Deus misericordiae meae*: tamen recte septuaginta, et latinus Interpres verterunt, *Deus meus, misericordia mea*. quia vox hebraea, una, et eadem si legatur, אלהי *Elohe*, significat, *Deus*; si legatur, אלהי *Elohai*, significat, *Deus meus*: et sic legerunt Septuaginta; et haec est vera lectio, quicquid Rabbini dicant. Denique illud, *Misericordia mea*, significat in compendio omnia beneficia Dei, quibus ad ipsum Deum idest, ad summum bonum pervenimus: recte enim observat s. August. multo amplius esse misericordia mea, quam salus mea, vita mea, spes mea, et similia. Misericordia enim fecit, ut essemus, ut viveremus, ut liberaremur a malo, ut proficeremus in bono: misericordia Dei praedestinati sumus, vocati sumus, justificati sumus, glorificati tandem erimus: nam etiamsi glorificatio ex meritis detur, tamen ipsa merita nostra, dona sunt Dei, quia sine gratia praecedente nulla essent. Merito igitur idem Propheta in psal. 102. dicit, *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.*

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem pro his, qui immutabuntur, In tituli inscriptionem ipsi Davidi in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriae, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumaeam in valle Salinarum duodecim millia.

Occasio scribendi psalmi praesentis fuit ea victoria, quae narratur in titulo, et fusius lib. 2.reg. cap. 8. et 1. Paralip. 18.Occasione,inquam, hujus victoriae canit Propheta praeteritas afflictiones suas et totius populi, et praesentem, ac futuram foelicitatem. Quae omnia possunt etiam applicari Ecclesiae,quae post multas persecutiones mirum in modum dilatari, et crescere coepit, ut etiam imperatores, et reges eorumque imperia,et regna sceptro suo subjiceret.Non legitur quidem in libris regum quo David succenderit Mesopotamiam,et Sobal,sed tantum quod ceperit: caeterum non omnia scripta sunt in libris regum,neque pugnat hic titulus cum ea historia, cum utrumque fieri potuerit. Videtur etiam hic titulus dissentire ab historia, quod hic dicantur caesa a Joab duodecim millia Idumaeorum in lib. autem 1. Paral. 18. dicantur caesi Idumaei ab Abisai fratre Joab, ad decem et octo millia.Sed non est necesse, ut de eadem caede intelligamus titulum hujus psalmi, et locum Paralipom. Potest enim fieri,ut et Joab interfecerit duodecim millia, et Abisai alio tempore decem et octo millia.

EXPLICATIO PSALMI LIX.

4. *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.*

Incipit narrare praeteritas afflictiones populi Israelitici. *Deus*, inquit,*repulisti nos* a paterna cura, et protectione, *et destruxisti nos*, permittens nos destrui, opprimi, et vexari a Philisthaeis, Idumaeis, Moabitis, aliisque populis inimicis nostris. *Iratus es, et misertus es nobis*, idest,iratus es nobis ob peccata, quibus te ad iracundiam provocavimus,et ideo tradidisti nos in manus hostium nostrorum; sed tamen paulo post *misertus es nobis*, dum nos per gratiam tuam ad poenitentiam revocasti, et post poenitentiam a captivitate et persecutione liberasti. Haec verissima esse intelliget, qui leget librum Judicum, et librum primum regum. Vicissim enim Judaei nunc ob peccata tradebantur in manus hostium,nunc ob poenitentiam liberabantur.Eadem contigerunt Ecclesiae Christi: persecutionum enim causa tribuitur peccatis Christianorum a s. Cypriano in ser. de lapsis, ab Eusebio lib. 8. hist. Ecclesiasticae, a Victore Africano lib. 1. de persecutione Vandalica, et ab aliis. Tanta autem erat interdum vis persecutionis, ut Ecclesia verissime dicere posset, *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis*. Istud autem, *misertus es nobis*, potissimum tribui debet fortitudini sanctorum Martyrum: quamvis enim Deus iratus peccatis Christianorum persecutiones permitteret; tamen valde miserebatur Ecclesiae, dum insigni dono fortitudinis armaret plurimos christianorum; et major esset Ecclesiae gloria ob coronas innumerabilium martyrum, quam depressio, et vastatio ob rapinas bonorum, et ruinas aedificiorum sacrorum.

2. *Commovisti terram, et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.*

Explicat magnitudinem persecutionis. *Commovisti* inquit,*terram*, idest, non unum, aut alterum populum; non unam, aut duas civitates, sed orbem terrae commovisti. Et quidem si respiciamus persecutiones judaicas, sensus erit, *commovisti* totam *terram* promissionis: si vero cogitemus persecutiones christianas; quae saepe universales erant, sensus erit, *commovisti terram* universam, idest, ecclesiam toto orbe diffusam: *et conturbasti eam*, idest, *dirupisti* (id enim proprie sonat vox hebraica, פצמתה *pelsamthah*) sive *scidisti, aut vulnerasti eam*, multis ecclesiae membris amputatis, ac per hoc valde *conturbasti eam*. Magna enim turbatio erat in ecclesia, quando membra principalia, episcopi, et doctores trucidabantur. *Sana contritiones ejus, quia commota est*, idest, tu Deus, qui non ut medicus ecclesiam ferro, aut igne vexasti, sana etiam scissiones, et vulnera ejus; quoniam bona commotione mota est, admonita videlicet hoc flagello, conversa est ad poenitentiam, et ad currendam deinceps viam mandatorum tuorum,quae diuturna prosperitate languere, ac in via subsistere coeperat.

3. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.*

Persistit in eadem narratione, ac dicit, *ostendisti populo tuo dura*, idest, fecisti ut populus tuus videret, et experiretur duras persecutiones, et afflictiones, *potasti nos vino compunctionis*, idest, occasione hujus flagelli fecisti ut rediremus ad cor, et biberemus calicem amarum, sed salubrem sanctae compunctionis. In verbo, *ostendisti*, insinuatur benignitas Dei, qui tribulationes nobis, non tam immittit, quam ostendit, ut terreat, non ut noceat: unde multo sunt minores, quam carnalibus videantur: ideo dicit Apostolus 2. Cor. 4. *Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostrae*, etc. In verbo autem, *potasti nos*, insinuatur eadem benignitas Dei qui donum saluberrimum poenitentiae non ostendit, sed intra nos, atque adeo in imum cordis infundit: quomodo vinum epotum ad viscera calefacienda descendit. Non desunt, qui legant, *vinum soporis*, et sic in hebraeo haberi contendant. Sed vox hebraica, תרעלה *tharhela*, ambigua est; et sicut *soporem* secundum aliquos significat, ita secundum alios *tremorem vel fletum*, vel ut septuaginta viri peritissimi transtulerunt, *compunctionem*. S.Agustinus legit *vino stimulationis*, quod est idem cum *vino compunctionis*, stimulus enim ad pungendum fieri solet.

4. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

Per illa omnia dura (persecutiones videlicet, et afflictiones) quibus in hoc mundo justi vexantur, Deus *signum dat* electis suis *metuentibus eum, ut fugiant a facie arcus*, qui sagittas lethiferas jaculabitur in omnes impios tempore suo, idest, in novissimo die: tribulationes enim quibus nunc purgantur electi a venialibus maculis, signa sunt gravissimarum poenarum, quas luent impii post hanc vitam; atque hoc est, quod scribit Apostolus Petrus in priore epistola, cap. 4. *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei: si autem primum a nobis quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* Et coapostolus ejus Paulus 1. Cor. 11. *Cum judicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Deus igitur dum purgat electos, significat illis, ut a temporali sua tribulatione admoniti, intelligant, quae supplicia maneant impios, et ideo juste et pie viventes fugiant a facie arcus divini, qui extensus nunc manet, sed in die novissimo cum tanto impetu laxabitur, ut impios aeternum perdat.

5. *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

Concludit orationem suam, ac si diceret, ut ergo liberentur dilecti tui a persecutionibus, et angustiis, in quibus tamdiu versati sunt, *salvum fac dextera tua* me regem populi tui, *et exaudi me* pro universo populo deprecantem.

6. *Deus loquutus est in sancto suo: laetabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.*
7. *Meus est Galaad, et meus est Mannasses: et Ephraim fortitudo capitis mei.*

Jam incipit ostendere, exauditam fuisse orationem suam, et se victoriam obtinuisse de omnibus fere hostibus suis, ac dilatasse vehementer imperium suum. *Deus* inquit, *loquutus est in sancto suo*, idest, Deus locutus est per me sanctum Prophetam suum et aperte praedixit, quae futura erant: et jam magna ex parte completa sunt. In textu hebraeo juxta puncta Rabbinorum legitur, *Deus locutus est in sanctitate sua*, sive in sanctuario suo. Sed eadem vox hebraica cum aliis punctis significat, in sancto suo: nam. קדשו *Kodscio*, est *in sanctitate sua*, et, קדשו *Kedoscio*, *est in sancto suo*, et sic legerunt septuaginta Interpretes, et omnes veteres, excepto s. Hieronymo, qui in versione ex hebraeo legit cum Rabbinos, *in sanctuario suo*, sed in commentario legit et interpretatur, *in sancto suo*, idest, in Christo, cujus typum David gerebat. Erat autem notissima haec praedictio toti populo: nam Abner dux militiae Saulis lib. 2. reg. cap. 3. dicit populo, *Dominus locutus est ad David dicens in manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. Laetabor, et partibor Sichimam*: post mentionem factam prophetiae incipit demonstrare, eam prophetiam magna ex parte esse adimpletam. *Laetabor*, inquit tamquam victor Imperio acquisito, et mirifice dilatato: ac primum *partibor Sichimam*, idest, Samariam, tamquam Dominus ejus in partes suas dividam, numerabo urbes, oppida, pagos, costituam in eis judices, et magistratus. *Et convallem tabernaculorum metibor*, idest, et idem faciam in regione proxima, quae dicitur *convallis tabernaculorum*. Lege c. 33. Gen. ibi enim dicitur regio illa appellata *Sochor*, idest, *tabernacula*, quia ibi primum Jacob fixit tabernacula, et emit partem agri in terra Sichimorum. Notandum hoc loco est, Davidem enumeraturum provincias regni sui coepisse a Sichima, quae in Samaria est, et pro ipsa Samaria accipitur, et a valle tabernaculorum, quia ibi fuit initium possessionis Jacob,et filiorum ejus in terra promissionis. Notandum etiam, Davidem non meminisse hoc loco nisi Sichimae, Sochot, Galaad, Manasse et Ephraim, quae omnia pertinebant ad tribum Joseph, quia illa erat omnium maxima, et ideo sub nomine ejus intellexit provincias omnium decem tribuum, quae pertinebant ad regnum Jsrael. Seorsim postea meminit tribus Juda, cum qua conjungebatur tribus Beniamin, et dicebatur regnum Juda, post divisionem factam sub Roboam. Addit igitur, *Meus est Galaad, et meus est Manasses*, idest, mea est regio, quae dicitur Galaad, a viro sic nominato, et mea est regio, quae dicitur Manasses a Manasse filio Joseph. *Et Ephraim fortitudo capitis mei*, idest, et mea est regio, quae dicitur Ephraim ab altero filio Joseph; quae quidem regio plena est virorum fortium, ut dici possit, *fortitudo capitis mei*, idest, in qua

http://www.obrascatolicas.com

consistit praecipuum robur et defensio capitis mei, seu vitae meae, et regni mei.

8. *Juda rex meus: Moab olla spei meae.*

Post enumeratas provincias decem tribuum sub nomine Manasse, et Ephraim, nunc addit tribum Juda, cum qua, ut dixi, coniungebatur tribus Beniamin. *Juda*, inquit, *rex meus*, idest mea quoque est tota regio, quae dicitur Juda a Juda filio Jacob, quae tribus Juda est tribus regia: nam ut dixit idem David lib. 1. Paralip. cap. 28. *Deus de Juda elegit Principes*: et ipse etiam Jacob moriens et benedicens filii dixit de Juda Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus*, etc. ad quam promissionem hoc loco David alludens usus est eadem voce hebraica, qua usus fuerat Jacob: nam hebraeo est utrobique vox, מחקק *mechokek*, pro qua hoc loco habemus. rex, et in Genesi, *dux*; significat autem proprie, מחקק *mechokek legislatorem*: proprium enim principis, sive regis, sive Ducis est leges dare subjectis populis. Dicit igitur *Juda rex meus*, idest, tribus Juda, quae principatum gerit in populo meo, vel ex qua prodierunt principes, patres mei, et prodibunt principes filii mei. Post enumeratas provincias regni proprii, enumerat provincias hostium debellatorum: quae tributariae sanctae erant: ac primo loco ponit provinciam Moabitarum, quae dicebatur Moab a Moab filio Loth nepote Abraham. *Moab*, inquit, *olla spei meae*, idest, provincia Moab mihi jam subiecta est instar ollae plenae carnibus, in cujus abundantia, et ubertate sperare possum. In hebraeo legitur, סיר רחצי *sir rachtzi, Moab olla lotionis meae*: et sensum esse volunt qui ita legunt, Moabitas coactos fuisse ab Israelitis victoribus servire in humili ministerio lotionum. Sed in nulla historia legitur, Moabitas in tam humili ministerio servivisse hebraeis. Deinde, quamvis verbum, רחץ *rachat*, quod hic habetur, significet *lavare*, tamen septuaginta Interpretes non erant tam imperiti, ut verterent *olla spei meae*, si vox hebraea solam *lotionem* significaret. Itaque credibile est, aut septuaginta Interpretes aliquid aliud legisse, aut eam vocem significare non solum *lotionem*, sed etiam *spem* ac *fiduciam*, quemadmodum apud Chaldaeos significat.

9. *In Idumaeam extendam calceamentum meum: mihi alienigenae subditi sunt.*

Pergit referre, quas alias provincias hostium debellaverit, aut debellare cupiat. *In Idumaeam*, inquit, *extendam calceamentum meum*. Idumaea est regio: quam possidebant, qui ab Esau fratre Jacob ortum ducebant. Et quamvis cum hic psalmus scriberetur, jam obtinuisset David unam victoriam adversus Idumaeos, et occidisset ex ipsis duodecim millia, ut dicitur in titulo psalmi; tamen nondum totam Idumaeam sibi subiecerant, quod postea factum est, ut patet ex illis verbis, 2. reg. 8. *Et facta est universa Idumaea serviens David*. Ait igitur. *In Idumaeam extendam calceamentum meum*, id est, pergam ad debellandam, et pedibus conculcandam Idumaeam. *Mihi alienigenae subditi sunt*, hoc est, jam enim Philisthaeos, qui alienigenae sunt, debellavi. Philisthaei dicuntur alienigenae, quia nullam affinitatem habebant cum Israelitis. Idumaei enim, Ammonitae, et Moabitae quamvis non essent filii Jacob: tamen erant affinitate aliqua illis conjuncti, siquidem Idumaei descendebant ab Esau, sive Edom, qui erat frater Jacob: Ammonitae, et Moabitae descendebant a Loth nepote Abrahami. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *alienigenae mihi confoederati sunt*: et nostra vulgata editio in psal. 107. ubi repetuntur hi versiculi, sic habet, *alienigenae mihi amici facti sunt*. Vox hebraica התרועעי *hithr, ohehahi*, ambigua est: potest enim deduci a verbo רעע *rahah*, quod significat subjicere et conterere, et hanc significationem sequuti septuaginta dixerunt, *mihi subditi sunt*. Potest etiam deduci a verbo, רעה *raha*, quod significat pascere, et societatem, atque amicitiam contrahere: et hanc significationem amplexus est s. Hieron. et noster interpres in psal. 107. qui dixerunt, *confoederati sunt*: vel *amici facti sunt*: sed uterque sensus est verus. Siquidem Philisthaei devicti bello, et tributarii effecti, ac per hoc subditi, ad foedus et amicitiam admissi sunt.

10. *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?*

Quoniam haec sola gens restabat omnino subjicienda, quae habitabat in locis munitissimis, ideo David nunc dicit, *quis deducet me in civitatem munitam*, idest, quo Duce, quo auxiliante ingredi potero victor in Regiam Idumaeae, quae est civitas valde munita? De munitione regis Idumaeorum scribit Abdias Propheta cap. 1. vers. 2. et 5. *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram: si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sydera posueris nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus*. Declarat autem David de qua civitate munita loquatur, cum addit, *quis deducet me usque in Idumaeam*? Idest, quis faciet, ut, capiam Idumaeam, et in eam victor ingrediar? Haec omnia ad Christum, et Ecclesiam mirifice accommodantur: nam regnum Juda est ipsa Ecclesia fidelium. Sichimitae, sive Samaritani significant haereticos, qui magno cum labore, sed tandem aliquando vincentur et subjicientur omnes. Ephraim, et Manasse significant schismaticos, siquidem Hieroboam separavit eos a Hierosolyma, et templo Domini, et erexit aliud altare: et isti quoque tempore suo subjicientur. Moabitae, et Philisthaei significant Gentiles, qui et ipsi ab Ecclesia superabuntur. Denique Idumaei significant Judaeos qui in Christum credere noluerunt, qui omnium obstinatissimi in fine mundi convertentur ad Christum. Quamvis enim Judaei recentiores nos Christianos, Idumaeos vocent, se autem Israelitas: tamen Apostolus ad Rom. 9. satis aperte declaravit carnales Israelitas secundum spiritum Idumaeos esse, non Israelitas, Christianos autem secundum spiritum veros esse

Israelitas: de qua re vide sanctum Augustinum in epist. 197. quae est ad Asellicum, alias 200.

11. *Nonne tu Deus, qui repulisti nos? et non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

Respondet interrogationi per aliam interrogationem, quasi dicat, non est alius, qui me introducere possit in civitatem munitissimam Idumaeae, nisi tu *Deus qui repulisti nos, et non egredieris* ad bellum, confisus *in virtutibus*, idest, in exercitibus *nostris*: sicut enim te repellente, et deserente vincebamur, ita te solo praesente, et adjuvante vincere poterimus, non confidentes in viribus exercituum nostrorum, sed in tua solius omnipotentissima virtute.

12. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*

Ergo, inquit, tu qui solus potes, et in quo solo confidimus, *da nobis auxilium, quo de* omni *tribulatione* et angustia liberemur, quia *vana est salus*, quae ab hominibus expectari potest.

13. *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

In Dei auxilio confisi *faciemus virtutem*, idest, fortiter agemus, *et ipse* erit, qui ut principalis auctor per instrumenta manuum nostrarum profligabit omnes inimicos qui nos tribulant. Nomine virtutis in versu undecimo intelleximus *exercitum*, in hoc autem versiculo intelligimus *fortitudinem*: quia verba hebraica, צבאות *tzebaoth*, חיל *chail* diversa sunt, et illud exercitum, hoc fortitudinem significat. Quod si in bello corporali verum est in solo Deo confidendum esse, tamquam in auctore praecipuo, multo magis id verum est de bello spirituali, quo Ecclesia pugnat adversus haereticos, schismaticos, ethnicos et judaeos: *et contra spiritualia nequitiae in coelestibus*. Ephes. 6.

PSALMUS LX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, in hymnis David.

Argumentum hujus psalmi ex sententia recentiorum quorumdam est oratio Davidis in exilio positi. Ex sententia Theodoreti, et Euthymii est oratio populi apud Babylonem captivi. Sed ex sententia ss. Hilarii, Hieronymi, et Augustini, quos nos sequimur, est oratio hominis justi, sive ecclesiae christianae in peregrinatione inter tentationes varias laborantis, et ad patriam coelestem et quietem perpetuam suspirantis.

EXPLICATIO PSALMI LX.

1. *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meae.*

Praefatio brevissima haec est, quia vir justus, sive populus Christianus petit audientiam a Deo, ut exaudiat deprecationem suam, et ab ea audita non avertatur, sed benigne potius eam consideret. Vox hebraica, רנה *rinna*, significat, *clamorem*, non simplicem deprecationem intelligere debemus orationem magno affectu prolatam, et cum ingenti clamore cordis, et ideo merito petit audiri, et attendi: oratio enim frigida, et solis labiis fusa non penetrat nubes, nedum coelum coelorum.

2. *A finibus terrae ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum: in petra exaltasti me.*

Numquid fuit David exul in finibus terrae, neque captivi ducti sunt unquam filii Israel in fines terrae: quare vox haec Ecclesiae est, quae occupavit orbem terrae usque ad ultimos terminos ejus, juxta illud psalm. 2. *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*. Ait igitur, ego propagata usque ad fines terrae, *ex ipsis finibus terrae*, idest, ex toto orbe simul per voces membrorum meorum, *ad te*

http://www.obrascatolicas.com

clamavi; ubi per verbum *clamavi*, declaravit vocem illam, *deprecationem*, nihil esse aliud, nisi ingentem clamorem. Potest etiam per *fines terrae*, intelligi distantia maxima ab eo qui clamat, ad eum qui clamatur. Deus enim, qui clamatur, est in finibus coeli, idest in summo coelo; is vero qui clamat, est in finibus terrae, idest in ima terra; ut haec sit ratio tanti clamoris. Quomodo in ps. 129. dicitur, *De profundis clamavi ad te Domine*. Magna enim voce clamare debet, qui in imo positus exaudiri vult ab eo qui sedet super Cherubim in altissimo coelo, idest, qui intelligens infinitam distantiam inter suum nihil et divinas perfectiones, tamen cum ipso Deo colloqui in oratione praesumit. *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me*. Reddit rationem cur magna fiducia clamet ad Deum, quia videlicet alias expertus est auxilium divinum sibi in tribulatione non defuisse. *Dum* alias, inquit non raro *anxiaretur cor meum*, ob varias tentationes deprimentes me, tu clamantem exaudisti, *et in petra exaltasti me*, idest in altissimo et munitissimo loco collocasti: quem locum paulo post, *turrim fortitudinis* appellavit. Porro petra ista sublimis Christus est, in quem quicumque per contemplationem exaltatur; et quanta ipse prior passus sit, et quem exitum passiones ejus habuerint, diligenter recogitat, facile vincit et contemnit omnia. In hebraeo habetur, *in petra exaltabitur super me*, quae verba nullum sensum faciunt, ideo credibile est, septuaginta non legisse, ירום ממני *jarum mimmenni, exaltabitur supra me*, sed iisdem literis, una dempta, ירוממני *jeromemeni, exaltabit me*, sive *exaltavit me*, ut habetur in psal. 26. nam futurum saepe accipitur pro praeterito: parum autem refert, quod ad sensum attinet, sive dicatur, *in petra exaltasti me*, sive Deus in petra exaltavit me.

3. *Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.*

Declarat quod dixit, *in petra exaltasti me*. *Deduxisti me*, inquit, idest, Dux mihi fuisti, cum fugerem ab hoste tentationibus me impugnante. *Quia factus es spes mea*, idest, hoc fuit me deducere, et ducem mihi se praebere, implere me bona spe, quae fecit ut non caderem, sed magno animo omnia tolerarem. Itaque tu *factus es spes mea, et turris fortissima a facie inimici*: qui enim confidit in Deo, et recogitat quid Christus ipse sit passus, et ad quantam gloriam resurgendo pervenerit, et ipsum esse caput nostrum, quem intuendo discimus quid in terris agere et pati, et quid in coelo expectare et desiderare debeamus: ille sine dubio turrim munitissimam ascendit, ibi non solum jacula hostium vitare, sed etiam in hostes tela jaculari poterit.

4. *Inhabitabo in tabernaculo tuo saecula, protegar in velamento alarum tuarum.*

Docet turrim istam fortissimam non esse coelestem habitationem, sed peregrinantium tabernaculum; nam et vox hebraea, גור *gur*, et graeca παροικέω, quae hic habentur, significant proprie habitare, more peregrinorum. Ait igitur, *Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula*, idest, in turri illa fortitudinis inhabitabo tamquam peregrinus in tabernaculo; atque interim *protegar in velamento alarum tuarum*, ut pullus sub alis gallinae ne morsibus milvorum pateam. Sanctus Hilarius exponit hanc habitationem tabernaculi de habitatione domus coelestis, propter illud verbum, *in saecula*. Sed sanctus Augustinus exponit de habitatione peregrinantium, cui favent proprietates vocabulorum, et etiam metaphorae, quibus propheta utitur, *turris*, quae defendit ab impetu hostium, tabernaculi, quod defendit a pluviis, et sole, et velamenti alarum, quod defendit a morsibus milvi. Illud, *in saecula*, significat hoc loco, assidue, perpetuo, semper, ut sensus sit ab hoc tabernaculo non recedam, quamdiu periculum tentationis erit quod verbis propriis dicere potuisset, in tua protectione semper confidam, quamdiu vixero in hac carne mortali: vel ut s. Augustinus exponit, illud *in saecula*, significat, usque in finem saeculi: ecclesia enim, quae hic loquitur, durabit usque ad mundi consummationem, in velamento alarum Dei: quamvis enim undique ab hostibus impetatur; tamen *portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Matt. 16.

5. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.*

Ratio fiduciae meae est, *quia tu Deus meus exaudisti*, idest, semper exaudire consuevisti *orationem meam*, exaudisti autem orationem meam, quia inter filios tuos numerasti me, *quibus haereditatem jam dedisti*, idest, firmiter promisisti si enim Deus timentibus se filiis suis, haereditatem aeternam servat, quomodo non defendet eos in via? quomodo non exaudiet eos de quacumque tribulatione clamantes ad se? quis enim pater filios probos unquam despexit, aut deseruit? *Et si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Itaque de haereditate in coelis, et de protectione in terris omnino securi, ac certi sumus, si vere timuerimus eum

6. *Dies super dies regis adjicies: annos ejus usque in diem generationis et generationis.*

Quia propheta meminit haereditatis sanctorum, quae est vita aeterna, declarat hanc haereditatem toti ecclesiae promissam, inchoandam esse in capite: et ideo dicit, *Dies super dies regis adjicies*, idest Christo regi multiplicabis dies super dies sine ullo fine et similiter *annos ejus* multiplicabis, *usque in diem generationis et generationis*, idest, usque in diem aeternitatis, qui dies quamvis unus sit tamen aequivalet generationi et generationi; saeculo; et saeculo: temporibus et temporibus sine fine. Hac phrasi aeternitatem significari perspicuum est ex psalmo 118. ubi dicitur. *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo, in generatione, et generationem veritas tua*. Cui simile est quod dicitur in psalmo 134. *Domine nomen tuum in aeternum, Domine memoriale tuum in generatione et generationem*. In quibus locis pro eodem accipitur, *in aeternum, et in generatione et generationem*. Ex his aperte colligitur, hunc psalmum non convenire regi David, sed soli regi Christo. David enim non vixit ultra septuaginta annos: neque regnum permansit in domo ejus, nisi ad certum ac definitum tempus. Itaque aeternitas regis, et regni in scripturis sanctis praedicta in Christo adimpletur: nam *et regni ejus non erit finis*, ut dicitur Luc. 1. et *ipse resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Rom. 16

7. *Permanet in aeternum in conspectu Dei: misericordiam, et veritatem ejus requiret?*

Rex ecclesiae Christus *permanet in aeternum in conspectu Dei*: ad hoc enim *introivit in coelum: ut appareat vultui Dei pro nobis*, Apostolo teste, ad hebr. 9. In hebraeo est ישב *iescieb, sedebit;* sive *sedet in aeternum in cospectu Dei*, ut intelligamus, Christum permanere sedendo, ut decet regem, non assistendo more ministrorum. *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?* idest misericordiam qua redimit genus humanum, et veritatem, qua promissa servavit, et servat, *quis investigabit?* sunt enim abyssus multa, ac ut Apostolus dicit ad Ephes. 3. *Charitas Christi supereminet scientiae*, id est, major est, quam intelligi possit. Ita exponunt Theodoretus et Euthymius. S. Hilarius et s. Hieronymus hunc sensum esse volunt, *Misericordiam et veritatem ejus nemo requiret*, quia praesto erit omnibus. In hebraeo habetur, *Misericordiam et veritatem para, servabunt eum*. Sed septuaginta vocem מן *man, para*, legerunt מי *mi, quis*, et verbum נצר *matsar*, quod significat *servare*, ipsi interpretari solent, *scrutari*, ut perspicuum est ex psal. 118. vers. 2. et alibi saepe. Itaque dubium esse non debet, quin significet etiam *quaerere, investigare, scrutari*: alioqui non tam constanter septuaginta viri doctissimi ita redderent: sed mirum est, quam varie legant Patres pronomen additum in hebraeo; sanctus Hilarius legit, *quis requiret eorum*. Sanctus Augustinus, *quis requiret ei*, sanctus Hieronymus in commentario, *quis requiret ejus*: at in versione ex hebraeo legit *eum*. Septuaginta omiserunt pronomen in fine verbi: sed addiderunt ad nomen veritatis, *veritatem ejus quis requiret?* Et sine dubio versio septuaginta interpretum optima et clarissima est. Ad litteram ex hebraeo sic verti deberet, *misericordiam et veritatem ejus quis requiret eum?* et sensus est, misericordiam et veritatem quis requiret ab eo, vel in eo; quem sensum optime reddiderunt septuaginta, dicentes, *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?*

8. *Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi: ut reddam vota mea de die in diem.*

Quia misericordia Christi Domini tam abundanter nihil est, et veritas ejus tam certa est, ut non sit opus eam requirere, *ego sic psallam nomini tuo in saeculum saeculi*, idest laudabo te Deum meum; non hic in terris tantum, sed etiam in coelis, aeternis hymnis, et canticis celebrabo: ut hoc modo *reddam vota* gratiarum actionis *de die in diem*, idest, omnibus diebus praesentibus et futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedet. Potest etiam sic accipi, *sic psallam voce nomini tuo semper*, ut etiam opere impleam promissa mea, legem tuam semper et ubique servando; sed prior expositio, quae sancti Hilarii est, magis probatur.

PSALMUS LXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem in carminibus intellectus David.

De hoc titulo diximus in explicatione psalmi tricesimi octavi. Argumentum psalmi est exhortatio ad patientiam in adversis, et confidentiam in Deo; cujus occasione agitur de vana confidentia in divitiis.

---

http://www.obrascatolicas.com

EXPLICATIO PSALMI LXI.

1. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.*

Vir justus graviter impugnatus a concupiscentiis variis, quarum quaelibet animum humanum sibi subjicere satagit, fortiter reluctans clamat: *nonne Deo subjecta erit anima mea?* idest, nonne aequum est, et mihi utilius, ut Deo subjiciar, quam dominatui avaritiae, vel superbiae, vel luxuriae? *ab ipso enim salutare meum.* Nam concupiscentiae, quae mihi dominari affectant, nullum stipendium aliud polliceri possunt, nisi mortem sempiternam. Deus autem salutem pollicetur, et certissime praestabit, si fidelem illi subjectionem, et obedientiam exhibebo. In hebraeo ad litteram legitur, *attamen ad Deum silebit anima mea, quia ab ipso salus mea*; sed idem est sensus; idem est enim ac si dicat, quamvis multa mihi dominari velint, tamen anima mea soli Deo subjecta ad omne mandatum, sive ad omne ejus beneplacitum, ut vera obediens silebit, non contradicet, non murmurabit.

2. *Nam et ipse Deus meus et salutaris meus; susceptor meus non movebor amplius.*

Non solum, inquit, ab ipso pendet salus mea, sed ipse est Deus meus, et salutaris meus. In hebraeo pro voce, *Deus*, est צור *tsur*, quod proprie, *petram*, sive *fortitudinem* significat. Itaque sensus est, ipse Deus mihi in hac vita est petra, ac robur, in alia erit salus mea, in utraque *susceptor meus est*, quippe qui nunc suscipit protegendum, tunc suscipiet coronandum. Ideo non multum movebor, non nutabo, sed fortis permanebo, quamvis tentationibus quatiar. Illud, *amplius*, ut ex hebraeo רהב *rabba* cognoscitur, non significat, *deinceps*, aut, *imposterum*, sed, *multum*, sive, *valde*.

3. *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato, et maceriae depulsae.*

Posteaquam de se locutus est, convertitur ad deplorandam stragem animarum, quam per arma variarum concupiscentiarum maligni spiritus quotidie faciunt: vere enim innumerabiles sunt homines, quos doemones dejiciunt in peccatum, quod est mors animae, per avaritiam, ambitionem, luxuriam, iracundiam, invidiam, et alias ejusmodi passiones. Itaque indignabundus adversus malignos spiritus, dicit, *quousque irruitis in hominem*; et quia vox hebraica תהותחו *thehothethu*, proprie *insidiari* significat, intelligimus prophetam per, *irruere*, significare voluisse, irruere per desiderium, et astutiam, ut sensus sit, quousque non cessatis, insinuando generi humano irruere in hominem, impetu astutiae, et insatiabilis desiderii vestri? *Interficitis universi vos*, idest, undique stragem editis animarum universi vos maligni spiritus diversis quidem in locis, et modis variis, sed ad malefaciendum conjuncti. *Tamquam parieti inclinato, et maceriae depulsae*; hic subintelligitur verbum accommodatum, ut sensus sit, vim facitis humano generi, ex peccato originis sauciato, et ad malum prono, tamquam parieti inclinato, et parieti non solido, sed ex luto, et paleis composito, et maceria potius quam murus dici possit. Quibus verbis miro modo descripsit propheta, tum doemonum potentiam, et crudelitatem erga genus humanum, tum debilitatem et fragilitatem ipsius generis humani. Vere enim homines post corruptam naturam similes facti sunt maceriae impulsae, et inclinatae, quae facillime dejici potest; cum et fragiles sint, *et propensi ad malum ab adolescentia sua*, ut dicitur Gen. 8. proinde merito clamat Apostolus *infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*? et mox addit de potentia gratiae, *gratia Dei per* Jesum Christum *Dominum nostrum*. Rom. 7.

4. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.*

Revertitur vir justus ad causam, unde digressus erat ad apostrophem contra inimicos, atque ostendit finem hostibus spiritualibus propositum, dum justos impugnant, esse, ut privent eos aeternis honoribus, quos videlicet illis invident, quoniam ipsi inde culpa sua exciderut. Verumtamen, inquit, pretium meum cogitaverunt repellere, idest ideo tentant, ideo impugnant, ideo concupiscentias excitant, ut pretium, quo redemptus sum, repellant a me, et dignitatem, atque honorem illum magnum aeternae gloriae mihi auferant. Sed ego contra *cucurri in siti*, idest, tanto ardore cucurri ad bravium supernae vocationis, quanto isti cucurrerunt ad illud a me repellendum. *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant*, idest, ore suo blandiebantur hortantes ad voluptates vitae praesentis tamquam res bonas, atque utiles: atque interim *corde maledicebant*, atque ad impediendam laetitiam sempiternam istrumenta esse aptissima. In hebraeo, ut nunc legitur secundum puncta Rabbinorum, sic habetur, *verumtamen exaltationem ejus cogitaverunt repellere, complacuerunt mendacio, ore suo benedicebant, corde suo maledicebant*. Itaque de quatuor vocibus est difficultas, quae sunt *pretium, meum, cucurri, in siti*. Vox pretium, in hebraeo est משאת *maseth*, quam vocem s. Hieronymus vertit *partem*, septuaginta verterunt *pretium*, alii verterunt *exaltationem*, in graeco est, τιμή, quae honorem, et pretium significat. Hilarius, Augustinus, Teodoretus, Euthymius, et Hieronym. in commentario legunt *honorem*: et satis concordat vox hebraica, quae exaltationem signifiat. Basilius et Ambrosius legunt pretium, et exponunt de pretio redemptionis Christi. Sed vox pretium significat etiam dignitatem: proinde possumus per pretium intelligere dignitatem, honorem, et exaltationem. Et quod attinet ad sensum, in idem recidit, sive accipiamus pretium pro dignitate, sive pro pretio redemptionis, sive pro utroque, ut supra in nostra explicatione ostendimus. Vox meum

sine dubio recte posita est hoc loco, et eam habent omnes codices graeci et latini, et omnes tractatores: proinde illud *ejus*, quod est in hebraeo, indicat vocem hebraicam esse corruptam vitio scriptorum, quod facile fuit cum litera quae significat, meum, sit Jod, litera quae significat ejus, sit tau, quae non differunt, nisi quod una est paulo longior altera. Vox *cucurri*, vel *cucurrent*, ut alii legunt bene posita est, et cum hebraica concordat, si removeantur puncta Rabbinorum: Rabbini enim legunt ירצו *irtsu, complacuerunt, sed* septuaginta viri longe doctiores legerunt ירצו *iarutsu cucurrerunt*, vox graeca ἔδραμον ambigua est, et tam *cucurri* quam *cucurrerunt* significare potest. Et quidem Hilarius, Augustinus et Hieronymus in commentario legunt, *cucurri*. Basilius, Theodoretus, et Euthyimius legunt, *cucurrerunt*. Ambrosius utramque lectionem probat et exponit, ut nos in nostra explicatione fecimus: nam uterque sensus est verus. Vox *in siti*, habetur in textu graeco: et omnibus latinis, legitur ab omnibus expositoribus. Quid autem legerint septuaginta in hebraeo, ut verterint *in siti*, fateor me ignorare: nam vox hebraica כזב *cazab*, mendacium significat, neque est ulla literarum similitudo inter, *sitim*, et *mendacium* in lingua hebraica: sitis enim dicitur צמא *tsama*, s. Ambrosius conatur concordare hanc diversitatem textuum, dicens mendacium sitim habere, veritatem ubertatem. Sed verisimile est septuaginta interpretes aliter legisse, et in voce בזב כזב *cazab* pro ב *caph* legisse כ *beth*, quae sunt literae similes, et sic habuisse praepositionem, in; pro aliis duabus literis, vel aliquid aliud legisse, vel scivisse ea voce *sitim* significari.

5. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*
6. *Quia ipse Deus meus, et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.*
7. *In Deo salutare meum, et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.*

Redit ad primos duos versiculos, eosque repetit ut ostendat, magnas quidem esse tentationes, quibus urgetur, sed tamen se in Dei amore fundatum, atque ejus auxilio fretum nihil metuere. *Verumtamen*, inquit, *Deo subjecta esto anima mea*, idest, quamtumvis hostes fremant, tu anima mea tacita, et subjecta obedias Deo. Est enim hoc loco eadem vox hebraica, quae in primo versiculo, nimirum, *Deo silebit anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*, idest, tace Deo, quoniam ipse tibi praestabit auxilium. Nam hoc loco nomine patientiae significatur, patiens expectatio auxilii divini, ut ex verbo hebraico et graeco constat. *Quia ipse Deus meus*, etc. hic versiculus sextus est omnino idem cum secundo: quamvis enim Interpres latinus vocabula variaverit, tamen in hebraeo sunt omnino eadem. Itaque illud, *Deus meus*, est etiam hoc loco, *petra mea*: et illud, *Salvator meus*, est *salus mea*, sive *salutaris meus*: et illud *adjutor meus*, est *susceptor meus*: et denique illud *non emigrabo*, est eadem vox, quae antea versa est, *non movebor*: proinde non emigrabo, significat hoc loco, non dejiciar de statu meo, non emigrabo ad partes hostium, sed immotus in castris Dei permanebo. Concludit in septimo versiculo, se omnia a Deo expectare, finem videlicet et media. Finis est liberatio ab omnibus malis, et adeptio summi boni: illud significatum est per salutem, hoc autem per gloriam: media sunt auxilium Dei, et spes nostra, quae proprie nominata sunt. *In Deo* inquit, *salutare meum et gloria mea*, idest, a Deo expecto salutem, idest, liberationem a malis, et gloriam aeternam, quae est summum bonum: nam cum Deum videbimus, et similes ei erimus, perfecteque illi adhaerebimus, tunc vere salvi et beati erimus: potest tamen etiam cum s. Basilio exponi, in Deo solo, non in ulla re alia glorior: non in divitiis, non in honoribus, non in potentia humana, quia nihil excellentius cogitari potest, quam filium esse Dei. Nec solum in Deo finem ultimum repositum habeo, sed ipse etiam est Deus auxilii mei, idest, ipse est fons gratiae, quae adjutus perveniam ad finem illum: et ideo tota spes mea in eo est. In hebraeo habetur, *petra roboris mei*, pro *Deus auxilii mei*.

8. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in aeternum.*

Hortatur nunc caeteros ad virtutem, quam ipse Dei dono acceperat: ac primum monet, sperandum esse in Deo, deinde addit, non esse sperandum in rebus creatis. *Sperate*, inquit, *in eo*, idest, in Deo, *omnis congregatio populi*, idest, omnis coetus, omnis populus, omnes homines, non Judaei solum sed etiam gentes. In hebraeo est, *sperate in eo omni tempore*: sed manifesta est corruptio in textu hebraico per defectum unius literae: nunc enim legitur, עת *heth*, quod significat, *tempus*, sed esse debet עדת *hadath*, quod significat congregationem, et sic legerunt Septuaginta. *Effundite coram illo corda vestra*: effundi dicitur vas, cum evacuatur, et etiam liquor, cum ex vase ejicitur. Itaque si cor accipiatur pro vase, ut accipit s. Basilius, *effundere cor*, est evacuare cor a vitiis, affectibus malis, perversis cogitationibus, et similibus quasi liquoribus noxiis, non enim impleri potest cor gratia Dei, sanctisque cogitationibus, et desideriis, nisi evacuetur contrariis. Pulchre notat s. Ambrosius, admonitos esse homines, ut effundant corda evacuantes ea sordibus, quia scriptum est, Joel. 2. *effundam de spiritu meo super omnem carnem*. Si cor accipiatur pro actu cordis, idest, pro cogitationibus, et affectibus, tunc effunditur cor, quomodo effunditur aqua, vel vinum. Et hoc modo accipit s. Augustinus, qui vult effundendum esse cor, idest, non retinendum cor in corde; sed effundendum ad Deum, ut cogitationes nostrae, et affectus sint in Deo, non in nobis. Significat etiam effusio cordis secundum Ambrosium confessionem sinceram, et apertam, quam confitemur peccata, et miserias nostras, et ex intimo corde oramur Deum ut misereatur, quomodo dixit Anna 1. reg. 1. *Effudi animam meam in conspectu Domini*. Et de hac effusione videtur hic locus praecipue intelligendus

http://www.obrascatolicas.com

nam sequitur, *Deus adjutor noster in aeternum*, idest, secure confitemini Deo aerumnas vestras, et orate eum, nam adjutor noster est, et non despicit orationes sperantium in se. Illud, in aeternum, in hebraeo est, סלה *selah*, quod Graeci verterunt διάψαλμα, noster autem Interpres aliquando vertit, *semper*, aut, *in aeternum*: haec est ratio cur Hilarius, Augustinus, et alii non legant in aeternum.

9. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*

Quoniam animadvertit Propheta, paucos esse, qui consilium suum sequi velint, ideo invehitur in multitudinem iniquorum. *Verumtamen*, inquit, *vani filii hominum, mendaces filii hominum*. In hebraeo significantius dicitur, תפל כני אדם *ebel bene Adam, vanitas filii hominum*, quia maxima pars hominum vacua est vera sapientia; et si apparenti sapientia, quam *prudentiam carnis* Scriptura sacra Rom. 8. appellat, plenissima sit; ideo autem plerique homines vani, insipientes, et imprudentes sunt, quia *mendaces sunt in stateris ad decipiendum*, idest, in stateris dolosis, et fraudulentis. Nam ut recte observat s. Basilius, non agitur hic de stateris proprie dictis, quibus pauci utuntur, illi videlicet soli qui vendunt carnes, aut lanas, aut alia id genus, sed de stateris communibus toti humano generi, idest, de judicio rectae rationis, quod nobis datum est a Deo, ut discernamus, et quasi in statera appendamus vera bona, et vera mala, apparentia bona, et apparentia mala, et eligamus vera bona et vitemus vera mala. Porro maxima pars hominum mentitur sibi, et aliis, decipitque se, et alios utens stateris dolosis, et quod miserius est voluntarie stateris utitur dolosis, juxta illud, *video meliora, proboque deteriora sequor*. Nemo est enim qui negare audeat, maximum verissimumque malum esse peccatum, et gehennam; maxima verissimaque bona esse justitiam et beatitudinem; et tamen cum appenduntur in statera lucrum temporale, et offensio Dei, lucrum praeponderat, et praeeligitur: et cum appenduntur temporale detrimentum, et mors aeterna, temporale detrimentum praeponderat; atque ut illud evitetur, ignis gehennae contemnitur. Addit Propheta, *Ipsi de vanitate in idipsum*, idest, ipsi vani et mendaces, licet variis modis vani sint et mendaces, tamen in idipsum conveniunt, uniti, et conjuncti sunt in hoc, ut vani sint, et mendaces: vel brevius *Ipsi de vanitate in idipsum*, id est, ipsi ex vanitate habent, ut unum sint. In Hebraeo habetur paulo aliter, *Vanitas filii hominum, mendaces filii hominum in stateris ad ascendendum ipsi prae vanitate in idipsum*, idest, filii hominum non solum vanitas sunt, et mendacium, sed etiam positi in statera cum ipsa vanitate, ascendunt prae vanitate; ac per hoc leviores, et magis vani sunt, quam ipsa vanitas; quae est elegantissima amplificatio. Sed tamen non existimo hunc esse litteralem sensum; sed eum, quem paulo ante tradidimus: nam vox illa hebraica לעלות *lanhalot ad ascendendum*, cum aliis punctis legi potest, לעלות *laholoth*, ad iniquitatem, sive ad deceptionem, et sic legerunt Septuaginta: imo etiam s. Hieronymus eodem modo legit, cum verterit, *in stateris dolosis*: et omnes patres graeci et latini sic legunt et interpretantur. Illud, *ut decipiant*, non debere conjungi cum *ipsi*, perspicuum est ex hebraeo et graeco textu. Sic enim legendum est, *mendaces in stateris ad decipiendum ipsi de vanitate in idipsum*.

10. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiae si affluant, nolite cor apponere.*

Reddit ad exhortationem, ac praecipue, ut caveatur avaritia, quae est *radix omnium malorum*, 1. Tim. 6. *Nolite*, inquit, *sperare in iniquitate*; et *rapinas nolite concupiscere*: per iniquitatem intelligitur calumnia, ut proprie significat vox hebraica, כעשק *behosciek*: proinde prohibetur lucrum injustum, tum ex occulta injustitia, quale est calumniantium, tum ex manifesta, quale est sapientium: et additur, *divitiae si affluant, nolite cor apponere*, idest, ad opes etiam justo titulo acquisitas nolite affectum ponere. Pulchre notat sanctus Augustinus, eos qui rapinis delectantur, videre quid rapiant, sed non videre a quo rapiantur: rapiunt enim pecuniam fratri, et rapit illis diabolus animam: notat etiam idem Augustinus cum Basilio divitias fluere dum affluunt; caecos autem cupidos considerare quod affluant, et non cogitare quod fluant. Ideo autem dictum esse, *nolite cor apponere*, ne videlicet cum fluentibus fluant, et pereat. Oportet igitur cum affluunt divitiae, corde immoto et stabilito apud Deum, disponere fluxum earum, ut utiliter fluant: quomodo prudens agricola disponit fluxum aquarum ad irrigandum hortum, ad molam vertendam, et ad alia ejusdem generis opera, sed non labitur ipse cum aquis labentibus.

11. *Semel locutus est Deus: duo haec audivi quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.*

Concludit rationem reddens, cur non sint appetendae divitiae, et cur ab omni peccato cavendum sit. *Semel*, inquit, *locutus est Deus duo haec audivi*. In hebraeo est, אחת דבר אלהים *achath dibber Elohim, unum locutus est Deus*, quod non videtur cohaerere cum sequentibus, *Duo haec audivi*: sed illud, *semel*, vel, *unum* significat immobilitatem Verbi Dei, ut docet s. Hieronymus in commentario hujus psalmi, quasi dicat, *semel Deus loquitur, et sit omnino quod loquitur*: obediunt enim omnia Deo ad nutum, ut non sit opus repetere. Vel per *unum*, quod Deus locutus dicitur, non intelligitur unum verbum, sed unus sermo, quo multa continentur, ut docet s. Basilius. Vel per *unum* intelligitur Verbum aeternum, ut s. Augustinus exponit: Deus enim unum tantum Verbum dixit ab aeterno, et illud manet in aeternum, et aequivalet innumerabilibus verbis. Duo autem, quae David audivit, et nobis omnibus nuntiavit, haec sunt: Unum quod potentia, et misericordia in Deo

sint; illa ut timeatur, ista ut ametur: alterum, *quod unicuique reddet secundum opera sua*, ita ut neque injuste oppressurus sit aliquos per potentiam neque misericordia ejus sit praejudicatura justitiae. Et vere, qui ista duo serio cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

PSALMUS LXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, cum esset in deserto Idumaeae.

Non legitur David latuisse unquam in deserto Idumaeae, sed in deserto Judaeae 1. reg. 22. et 23. In textu hebraico, et graeco habetur, *in deserto Judaeae*, tamen quoniam sancti patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus in commentario legunt *in deserto Idumaeae*, non est contemnenda lectio vulgatae editionis. Euthymius conatur concordare has lectionum varietates, dicens, desertum in quo latuit David, olim ad Idumaeam pertinuisse, postea ad Judaeam: sed hoc divinare est: probabilius videtur, desertum Judaeae vocatum esse desertum Idumaeae amplificandi gratia; quomodo Jerusalem aliquando vocatur Sodoma. Nam desertum Idumaeae est longe majus deserto Judaeae, imo tota Idumaeorum regio in montibus, et solitudine est, ut intelligi potest ex cap. 1. Malachiae; ubi loquens Deus de possessione Edom, *posui*, inquit, *montes ejus in solitudinem et hereditatem ejus in dragones deserti*. Idem colligitur ex lib. 4. reg. cap. 3. ubi describitur desertum Idumaeae itineris septem dierum, et carens aqua, etc. Argumentum psalmi est oratio Davidis, qui occasione deserti in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, et sibi similium justorum et desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto mundi hujus ad patriam coelestem.

EXPLICATIO PSALMI LXII.

1. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*
2. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea?*

Describit vir justus, quae sint prima opera sua oriente die, ac dicit esse, quaerere Deum, desiderare Deum, miserias suas confiteri Deo. *Deus Deus meus*, idest, Tu Deus es fortitudo, et robur meum, quia sine te nihil sum, et nihil possum: in hebraeo sunt duo nomina, אלהים אלי *Elohim eli*: unum significat Deum, alterum significat fortem, sed verti solet etiam per vocem, Deus. Itaque editio graeca, et latina quae habent, *Deus Deus*, reprehendi non possunt: tamen sensus est, quem diximus, quia vox אל *El*, significat Deum, ut fortem. *Ad te de luce vigilo*, idest, cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem, et increatam; atque ita ad te quaerendum vigilare incipio, non ad opera mundi hujus. Id autem facio, quia *sitivit in te anima mea*, idest, quia desiderat te, ut cibum, et potum suum, ut lumen, et laetitiam suam. Ipsa etiam caro mea multis modis sitivit ad te fontem omnium bonorum quamvis enim caro non proprie Deum sitiat tamen sitire dicitur, quia indiget ejus misericordia ob multiplices suas miserias: quomodo dicitur terra arida sitire pluviam, sine qua nihil boni producere potest. Quot sint autem carnis hujus corruptibilis necessitates et miseriae, quibus ille solus mederi potest, de quo dicitur in psal. 102. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, nemo est qui non experiatur. In hebraeo codice post illa verba, Deus Deus meus, est pronomen, אתה *atthah tu*, quod Septuaginta omiserunt, sed subintelligi debet, ut sensus sit, *tu es Deus meus*, et ideo confidenter ad te confugio, et te alloqui praesumo. Illud autem, *Ad te de luce vigilo*, in hebraeo est unica dictio, אשחרך *asciacharecha*: quae significat sub auroram te quaero; sive in crepusculo matutino, cum incipit misceri lux aurorae tenebris noctis, ego evigilo, ut te quaeram: ex quo intelligimus continuum, et vehemens fuisse in David desiderium Dei, et merito, cum ipse sit omne bonum nostrum: et ingrati sint omnes homines, qui obliviscuntur Deum, juxta illud Luc. 6 *qui benignus est super ingratos et malos*. Denique illud *quam multipliciter*, est in hebraeo, כמה *camah*, quae vox non habetur, nisi hoc loco. S. Hieronymus vertit *desideravit*, sed frustra laboramus de significatione vocis, quae nusquam habetur alibi, et nemo potest reprehendere primos Interpretes.

3. *In terra deserta, invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.*

Describit proprietates deserti, quae tres sunt, *terra deserta* ab habitatoribus; terra *invia*: terra *sine aqua*: quarum secunda est effectus, et tertia est causa primae: nam terra aliqua deseri solet ab habitatoribus praecipue propter carentiam aquae: quae carentia terram arentem et sterilem reddit: sed cum terra deseritur, et inhabitabilis efficitur, hoc ipso fit invia: quamvis hoc loco, *invia*, non

http://www.obrascatolicas.com

est solum terra sine via, sed terra inaccessa, et per quam difficulter ambulari potest: nam vox graeca ἄβατον inaccessum significat, vox hebraea, עיף *haieph*, significat *lassum, fatigatum, laboriosum*, ac per hoc significat terram, quae magno cum labore et fatigatione transmittitur. Videtur autem Propheta significare voluisse terram illam incultam et rebus necessariis, ne dum deliciis carentem utilem sibi fuisse ad inveniendum Deum. Anima enim quo magis destituitur carnalibus bonis, vel certe quo magis affectum removet a rebus terrenis et se in quodam deserto mentis constituit, eo facilius ascendit ad coelestia contemplanda, et gustanda. *Ego*, inquit, *in terra ista deserta, invia, arida*, et sitiente constitutus, *sic apparui tibi*, idest, sic apparui coram te per ascensionem mentis, quasi in sanctuario tuo essem; ita ut desertum loco sanctuarii mihi fuerit. Apparui autem coram te *ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam*, idest, potentiam tuam, et majestatem tuam. Illud enim, *in sancto*, in hebraeo est, בקודש *bakodesch in sanctitate*, per quam sanctuarium hebraei significare solent. S. Augustinus paulo aliter exponit, et eum sequentes dicere possumus, per desertum intelligi mundum, qui desertus est a veris hominibus, et inhabitatur a bestiis hominibus videlicet *carnalibus et animalibus*, ut eos vocat Apostolus 1. Cor. 1. item est invius, quia difficillimum est invenire viam, qua excatur; denique est inaquosus, quia quamvis lacunas habeat aquae putrefactae, quae est sapientia carnalis, caret tamen aqua de coelo, quae est sapientia vera, nisi Deus ex magna gratia sua peregrinantibus in hoc deserto viam ostendat, et rorem de coelo aspergat. Ait igitur David in persona sua, et sanctorum peregrinorum comitum suorum: Ego in hoc deserto positus et sitiens aquam de coelo, et exitum invenire cupiens, de mane vigilans mente conscendi ad sanctuarium tuum coeleste, et sic in sancto apparui coram te, ut meditando et contemplando viderem virtutem tuam et gloriam tuam, quoniam in deserto mundi non videmus nisi temporalia, fragilia, et vilia. *Ut viderem*, inquit, *virtutem tuam*, qua de nihilo omnia fecisti et portas ea verbo virtutis tuae viderem quoque *gloriam tuam*, qua longe ac longe superemines universis, et nihil est simile tibi, et omnia velint nolint, serviunt tibi: et ex hac visione irrorari coepi, et manna gustare, et viam, quae Christus est, invenire.

4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.*

Illud, *quoniam*, non videtur referendum esse ad superiora, sed ad sequentia, ut sensus sit, Non solum videbo virtutem tuam, et gloriam tuam, sed etiam *laudabunt te* assidue *labia mea*, quoniam misericordia tua melior est mihi prae ipsa vita: nam misericordia tua vitam dedit, eadem ipsa misericordia vitam conservat, et si ipsam vitam propter te perdidero, misericordia tua illam mihi multo foeliciorem restituet: sed si ut vitam conservem a misericordia tua, et gratia excidero et vitae et misericordiae jacturam faciam. In hebraeo habetur quidem, חיים *chaiim*, vitas, in numero multitudinis, sed vox illa etiam pro vita in singulari accipitur: quo modo multa vocabula habent formam numeri multitudinis, et significationem numeri singularis: et in versiculo sequenti, *Sic benedicam te in vita mea*, habetur eadem vox in numero multitudinis, et tamen interpretes verterunt in numero singulari. Itaque possumus hoc loco simpliciter per *vitas*, vitam interpretari, ut interpretantur sancti patres Hilarius et Hieronymus in commentario: et sicut legit in textu s. Hilarius: tamen si magis placeat accipere in significatione numeri multitudinis, per vitas accipiemus varias functiones viventium, ut vitas mercatorum, vitas militum vitas clericorum, vitas agricolarum, et similes, ut accipit s. Augustinus: vel vitas quantumlibet longas, et foelices in hoc mundo: vel denique vitas, tum nostram, tum nobis conjunctorum et charorum, ut parentum, fratrum, filiorum.

5. *Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.*

Sic laudando assidue, *benedicam te in vita mea* idest, quicquid mihi acciderit, sive prosperum, sive adversum, benedicam tibi in omni tempore, *et in nomine tuo levabo manus meas*, idest, in invocatione nominis tui levabo in oratione manus meas, a te solo expectans auxilium in adversis, et tibi vicissim gratias agens in prosperis. Porro ritus levandi manus in oratione, in utroque testamento in usu fuit. Nam cum Moyses Exod. 17. levaret manus ad Deum, populus vincebat; cum deponeret, vincebatur. Et Apostolus 1. Timoth. 2. *Levantes*, inquit, *puras manus*. Monet autem s. Augustinus eos qui levant manus ad Deum in oratione, si impetrare velint, debere etiam levare manus ad bona opera facienda. Significat etiam in scripturis, *levare manus*, idem quod jurare per Deum sic legimus Gen. 14. dicentem Abrahamum: *Levo manum meam ad Deum possessorem coeli, et terrae, quod a filio subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus quae tua sunt*. Et Apoc. 10. *Angelus levavit manum suam ad coelum, et juravit per viventem in saecula saeculorum*. Posset igitur illud, *In nomine tuo levabo manus meas*, exponi hoc modo, per nomen tuum jurabo, ac per hoc te solum pro vero Deo colam: sed prior expositio communior est.

6. *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum.*

Hoc est quod petebat cum levaret in oratione manus suas ad Deum. Hoc, inquit, peto, *ut anima mea repleatur quasi adipe, et pinguedine*, id est repleatur adipe, et pinguedine spirituali, quae non est adeps, et pinguedo proprie (id enim corporale quid est) sed quasi adeps et pinguedo. Nam sicut qui adipe bona, et pinguedine naturali praediti sunt non autem inflati, aut vento distenti, sani fortes, rubicundi, et hilares sunt: et contra macie confecti, aridi, debiles, tristes deformesque sunt: sic qui gratia spirituali, quasi bona adipe pleni sunt, devoti, ferventes ac semper gaudentes sunt: et contra qui spiritu carent, ad omnia spiritualia nauseant, acedia consumuntur, infirmi, ac debiles nihil boni facere, nihil mali tolerare valent. Sed ut recte monet s. Augustinus, in hac eremo saginam sapientiae et justitiae desiderare et petere possumus, sed tunc demum obtinebimus, cum ad patriam pervenerimus: tunc enim implebitur illud psal. 147. *Frumenti adipe satiat te Dominus;* et illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; et tunc perfecte, et sine ullo fine, vel taedio *labiis exultationis*, idest, labiis exultationem resonantibus laudabit Deum *os nostrum*: tunc enim succedet orationi laudatio, quando ita pleni erimus, ut nulla re indigeamus, quod fiet cum Deus erit omnia in omnibus: nunc autem numquam tam multa habemus, quin pluribus ageamus, ac per hoc oratione assidua opus habemus.

7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.*

Ostendit, in hac etiam vita se perpetuo recordaturum Dei, et beneficiorum ejus, et non solum in patria, quando repletus adipe, labiis exultantibus laudabit Deum. *Si*, inquit, *memor fui tui* nocte etiam profunda, dum adhuc jacerem *super stratum meum*, multo magis interdiu, atque adeo *tempore matutino surgens meditabor in te*, idest, de te cogitabo, et considerabo potentiam tuam, et gloriam tuam, *quia* tu semper *fuisti adjutor meus*, idest, ideo semper recordabor tui in gratiarum actione, quia tu semper recordatus es mei in auxilio, et protectione. S. Augustinus colligit ex hoc loco utilissimum documentum, ut si quis velit inter operandum recordari Dei, atque ejus amorem, et timorem semper ante oculos habere, dum operatur, necesse esse, ut antea super stratum, id est, in quiete recordetur Dei, et beneficia ejus ac promissa consideret. Ideo enim plerique mortales inter operandum se gerunt, ac si Deum non haberent; quia non habent tempus aliquod feriatum, in quo colligant se et meditationi rerum coelestium vacent. Quidam codices latini habent, *Sic memor fui*: sed recte habet nostra lectio. *Si memor fui*, quoniam sic legunt codices hebraici, et graeci, et s. Patres Hilarius et Augustinus.

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te, me suscepit dextera tua.*

Quia dixerat, *tu fuisti adjutor meus;* ne putaretur jam securus, et de Dei protectione non amplius laborare, subjungit, *Et in velamento alarum tuarum exultabo*, idest, continebo me sub umbra alarum tuarum, et in protectione tua sperans, *exultabo*, securus a milvo, dum sub omnipotentis aquilae pennis latebo. *Adhaesit anima mea post te.* Ex hac protectione et tam ingentibus beneficiis provocata *anima mea adhaesit* glutino fortissimae charitatis *post te*, idest, vestigiis tuis inhaesit ab illis nulla tentationum vi separari se patiens. Porro adhaerere vestigiis Domini glutino charitatis, non est sterili quodam affectu Deum diligere, sed ejus praecepta ex charitate servare; nam *qui diligit me*, ait Dominus Jo. 13. *sermonem meum servabit*: ideo non dixit, adhaesit tibi, sed *post te*, tibi videlicet obediens, ac subjecta. Ac ne videatur sibi tribuere, quod tam ardenter Deo inhaeserit, addit, *me suscepit dextera tua*; idest, ideo sequor te, quia tu me traxisti: ideo te diligo, quia tu prior dilexisti me, ac ut te diligerem, tu me diligendo fecisti. Beatus plane qui quantumvis in virtute proficiat, sub Deo proficere se intelligit, et semper ut parvulum, et quasi pullum gallinae sub alis Dei se collocat. Beatior autem, qui vere dicere potest, *Adhaesit anima mea post te*: qui non solum sperat in velamento alarum Dei, sed etiam ex toto corde ita diligit, ut cum Apostolo dicere possit, *Quis me separabit a charitate Christi?* Rom. 8. Beatissimus vero, qui proprio experimento, vel potius testimonium reddente spiritu Dei spiritui suo, didicit se *a dextera Dei esse susceptum*: ipse enim Dominus de talibus dicit Joan. 10. *Non rapiet eos quisquam de manu mea. Et nemo potest rapere eos de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.*

9. *Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam introibunt in inferiora terrae, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

In duobus ultimis versiculis praedicit Propheta interitum, et exterminium ultimum eorum, qui persequuntur justos, et foelicitatem ac beatitudinem sempiternam justorum. *Ipsi vero*, videlicet impii persecutores, *in vanum quaesierunt animam meam*: nam ideo impii persequuntur justos, ut ipsi soli secure possideant terram, et fruantur deliciis, et imperio terreno: sed frustra laborant, nam ipsi non possidebunt terram, sed a terra absorbebuntur: et absorpti a terra, et in inferno constituti non ibi deliciis, aut imperio fruentur, ac ne quiescent quidem, sed addicti erunt perpetuis suppliciis et subjecti erunt doemonibus, quasi lupis et vulpibus crudelissimis. *In vanum quaesierunt animam meam*, idest, frustra conati sunt vitam meam tollere, meque interficere. Hoc dicere potest quilibet justus, sive Christus pro se, et pro membris suis: *introibunt in inferiora terrae*: ecce cur in vanum quaesierunt: nam finis eorum erat, libere terram possidere; sed infra terram dejicientur, in corde terrae, in inferno inferiore cogentur perpetuo habitare. *Tradentur in manus gladii*, idest, in inferno non quiescent, multo minus fruentur bonis terrae, sed *tradentur in manus gladii*, idest in potestatem tormentorum: supplicia enim, ut instrumenta Dei judicis supremi, et irati in miseros sine cessatione desaevient. *Partes vulpium erunt*, idest, non dominabuntur amplius super homines justos, sed ipsi subjecti erunt doe-

http://www.obrascatolicas.com

monibus injustis, quasi pars et haereditas ipsorum. Vocantur autem vulpes potius, quam lupi vel leones, ipsi doemones, quia magis versutia vulpina, quam vi leonina peccatores capiunt, sibique subjiciunt. In hebraeo nunc habetur, *Ipsi interficere quaesierunt animam meam*, pro eo quod nos habemus, *Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam*. Sed facile est videre, quid nostri Interpretes secuti sint: eadem enim vox hebraica, לשואה *lescioah*, si legatur cum aliis punctis, et ultima litera tollatur, fiet, לשוא *lesciav*, *in vanum*, et haec videtur esse verissima lectio, quam habuerunt in suis codicibus septuaginta Interpretes.

10. *Rex vero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

Ecce quomodo omnino in vanum impii laboraverunt: nam non solum ipsi non consequentur bona quae optabant, sed neque poterunt justos bonis suis privare. Nam *Rex* ipsorum Christus de quo dixerunt Judaei, *Tolle tolle, crucifige eum*, Joan. 19. et cujus nomen pagani delere totis viribus laboraverunt, et cui omnes impii contradicebant, vivet et regnabit in saecula et *laetabitur in Deo*, sedens in dextera Patris gloriosus: et *laudabuntur* (in die judicii) *omnes qui jurant in eo*, qui videlicet hoc tempore, non obstantibus persecutionibus eum tamquam verum Deum religiose colunt et per nomen ejus jurant, sive illi fidelem obedientiam jurant. *Laudabuntur*, inquam, omnes Christi fideles, *quoniam obstructum est os loquentium iniqua*, idest, obstructur in die novissimo os omnium iniquorum: tunc enim veritas manifesta erit, et nemo erit qui eam inficiari possit; proinde impii dicent, ut habetur in lib. Sapient. cap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis; et hi sunt quos habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Itaque laudabuntur justi etiam ab inimicis, quando veritas per divinum judicium patefacta obstruet ora omnium, qui nunc blasphemantes, maledicentes, calumniantes, detrahentes, conviciantes, mentientes iniqua loquuntur. Hos duos versiculos aliqui exponunt de Davide, aliqui de Christo. Vere enim Saul, et caeteri inimici Davidis, qui eum interficere cupiebant, ut ipsi secure regnarent, *in vanum laboraverunt*, nam et ipsi extincti sunt, et David gloriose regnavit; sic etiam Judaei, qui Christum occidere satagebant, *ne venirent romani, et tollerent locum eorum, et gentem*, ut dicitur Joan. 11. noluerunt Agnum habere regem, et habuerunt vulpem simul et leonem: nam et romani civitatem eorum everterunt, et regnum abstulerunt, ipsis maxima strage ferme deletis, et Christus resurrexit, et gloriosissime regnabit, *et regni ejus non erit finis*. Luc. 2. Nos tamen sanctum Hilarium, et sanctum Augustinum sequuti exposuimus de justis in universum, et eorum capite ac rege Christo, ut doctrina et consolatio scripturarum ad plures pertineret.

PSALMUS LXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David.

Hunc psalmum de solo David aliqui explicant, qui liberari a persecutoribus cupiebat; aliqui ad solum Christum referunt, cujus passio in hoc psalmo ex parte describi videtur. Sed nihil impedit quominus de Davide, et de Christo, cujus typum David gerebat, psalmum intelligamus, imo etiam de Martyribus aliisque justis, quorum caput Christus est, et in psalmis, nunc in persona sua, nunc in persona membrorum suorum loquitur. Nos tamen persequemur expositionem sanctorum patrum qui de Christo potissimum totum hunc psalmum explicaverunt.

EXPLICATIO PSALMI LXIII.

1. *Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor a timore inimici eripe animam meam.*

More suo Propheta primum petit exaudiri, deinde exponit, quid cupiat. *Exaudi*, inquit, *orationem meam, cum deprecor*, idest, fac obsecro ne frustra deprecer. Sanctus Hilarius legit, *Cum tribulor* pro eo, quod nos habemus, *cum deprecor*: sensus est idem; sed nescio quid sequutus sit: nam vox hebraica, כשיחו *besichi*, significat submisse loqui, quod est signum humilitatis, et reverentiae: et sic Anna orabat 1. reg. 1. *ut tantum labia moverentur et vox penitus non audiretur*: vox enim graeca δέεσθαι, precari non tribulari significat. *A timore inimici eripe animam meam*: haec est petitio, quae duobus modis intelligi potest: primum ut petat liberari a timore inimici volentis occidere tollendo materiam timoris; efficiendo videlicet, ut inimicus non possit, vel non velit occidere: et haec videtur litteralis expositio: secundo, ut petat liberari ab ipso timore humano, non tollendo materiam timoris, sed augendo charitatem, et constantiam, ut non timeat mortem carnis; sed timeat mortem peccati: sive non timeat homines, *qui possunt corpus occidere, et post haec non habent amplius quid faciant*: sed timeat Deum, *qui potest et corpus et animam perdere in gehennam*, ut Dominus monet, Matth. 10. Et haec est expositio sancti Augustini spiritualis, et utilissima: nam liberari a timore mundano et radicari in timore divino in omni tribulatione optimum est. Sed in hoc posteriore sensu Christus in persona membrorum suorum infirmorum loquutus est: in priore autem, in persona etiam sua locutus esse videtur: sicut enim in horto pridie passionis timere, et pavere dignatus est, et orare Matth. 26. *Pater si fieri potest, transfer calicem hunc a me*: sic hoc ipsum per Prophetam praedicere voluit.

2. *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.*

In hoc versiculo exauditum se fuisse Christus ostendit, et quod de se dicit in praeterito, idem membris suis promittit in futurum. *Protexisti*, inquit, *me a conventu malignantium*. Notum est ex evangelio, quam saepe *convenerint Principes Judaeorum adversus Jesum, ut eum morti traderent*, Matth. 26. ac doctrinam ejus, et nomen extinguerent: nec solum principes in concilium convenerunt ad consultandum, sed etiam multitudo militum, ac satellitum *cenvenit ad operandum iniquitatem*, ad Christum videlicet illudendum, flagellandum, et crucifigendum. Sed protexit eum Deus, ut neque conventus malignantium Judaeorum, neque multitudo gentilium operantium iniquitatem illi noceret. Permisit quidem Deus Christi carnem flagellari, et caedi; sed et flagella, et mors mundi salutem operata, in gloriam, et triumphum versa sunt: et quod in capite praecessit, in membris quoque factum est, et fiet. Martyres enim protexit Deus, ut occisio corporis non solum non eis obesset, sed etiam prodesset ad gloriam sempiternam; et pios omnes Deus proteget, ut tribulatio, ac persecutio cooperetur eis semper in bonum. Illud *protexisti*, in hebraeo est, תסתירני *tasthireni proteges*, sive, *abscondes*: in graecis plerisque est, σκέπασον *proteges*; et sic legunt Theodoretus, et Euthymius. Tamen Hilarius, Hieronymus, et Augustinus in commentario legunt *protexisti*, quae lectio facile cum hebraica concordatur: nam apud hebraeos saepe futurum ponitur pro praeterito, et contra: sed in sensu nulla varietas est.

3. *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*

Haec referuntur ad conventum malignantium, qui lingua pugnarunt, non manibus; nimirum consultando, accusando, insistendo apud Judicem Pilatum, ut Christum de medio tolleret: comparat autem Propheta verba malignantium Judaeorum gladio et sagittas, quoniam gladius de proximo ferit, et praesentem: sagitta longe positum; et absentem vulnerat; sic igitur Judaei palam praesentem Christum gladio linguae occiderunt cum eum coram in concilium suum adductum accusarunt: et quasi convictum damnarunt dicentes Matth. 26. *Reus est mortis*, et postea ad tribunal Pilati iterum accusarunt, quasi seductorem, et ut crucifigeretur saepe, ac sepius institerunt: et hoc modo gladio linguae iterum interfecerunt. *Quia*, inquit, *exacuerunt ut gladium linguas suas*, ut acutis interrogationibus eum ferirent, dum condemnarent. *Intenderunt arcum rem amaram* non solum palam quasi gladio ferierunt, sed etiam in absentem ex occulto per insidias, quasi sagittas tetenderunt, cum tam saepe ad eum miserunt, qui eum caperent in sermone, et cum proditore Juda occulta colloquia miscuerunt, et cum falsos testes instruxerunt. *Intenderunt arcum rem amaram*, idest insidias tetenderunt, quae insidiae res amarae ac lethiferae erant, *ut sagittent*, idest, ut sagittarent *in occulto*, idest, ex insidiis, *immaculatum*: hic enim erat finis, et quasi scopus insidiarum, ut Christum maculatum et peccatorem, idest blasphemum, et seductorem falsis testimoniis, et accusationibus ostenderent; qui tamen re vera immaculatus erat, et ad hoc venerat in mundum; ut maculas peccatorum ab aliis abstergeret. Illud, *quia*, non est in omnibus codicibus: nam in graecis et quibusdam latinis habetur, *qui*, et est res parvi momenti; et vox hebraea אשר *ascer*, ambigua est, et tam *qui*, quam *quia*, significare potest. Sanctus Hilarius legit, *qui*, sanctus Hieronymus et sanctus Augustinus, *quia*.

4. *Subito sagittabunt eum, et non timebunt: firmaverunt sibi sermonem neguam.*

Dixerat conventum malignantium jam intendisse arcum, ut sagittarent immaculatum: nunc addit, omnino id futurum, eo quod obfirmati, et obdurati sint in malo: praevidebat enim Spiritus sanctus, et praedicebat obstinationem pene incredibilem Judaeorum, quam etiam clarissime praedixit Isaias, cap. 6. Cujus vaticinii meminit s. Joannes cap. 12. *Subito*, inquit, *sagittabunt eum*, idest de improviso sagittas insidiarum emittent *et non timebunt*, idest nudacter sagittabunt, non cogitantes timorem Domini, non formidabunt divinum judicium, non reverebuntur oculos Dei omnia videntis. *Firmaverunt sibi sermonem nequam*, idest ideo non timebunt sagittare immaculatum, quia obstinati et obdurati sunt, et jam stabilierunt firmiter sententiam illam plenam injustitiae, qua semel dixerunt: *reus est mortis*: hinc enim postea cum Pilatus multis rationibus conaretur eos a scelere revocare, semper obstinate clamaverunt, *crucifigatur*.

5. *Narraverunt, et absconderunt laqueos, dixerunt, quis videbit eos?*

Addit propheta ad obstinationem malignantium Judaeorum, etiam hypocrisim, qua tegere volue-

http://www.obrascatolicas.com

runt invidiam, et malignitatem suam sub tegumento obsequii ad Caesarem: Christum enim propter invidiam persequantur, quod Pilato quoque notum erat. *Sciebat enim* (inquit sanctus Matthaeus capit. 27.) *quod per invidiam tradidissent eum*: sed illi hanc invidiam tegebant dicentes: *hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari*, Luc. 23. et rursum: *si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*, Joann. 19. *Omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari*. Hoc ergo est, quod dicit: *narraverunt, ut absconderent laqueos*, idest dixerunt intra se, abscondamus insidias, fingamus nos moveri ob injuriam Caesaris: quis videbit hanc simulationem? quis propterea nos puniet? quasi vero Deus non omnia videat; vel parum sit videri a Deo, qui supremus est Judex.

6. *Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.*

Pergit propheta in explicanda et amplificanda malignitate Judaica, ac dicit Judaeos non contentos insidiis et hypocrisi, addidisse, ut diligentissime scrutarentur, et investigarent iniquitates, si quas invenire possent in Christo. Hinc enim *principes sacerdotum, et omne Concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum*, et quamvis testimonia convenientia non erant, dicebant tamen, *nihil respondes ad ea, quae isti contra te testificantur?* Id enim est *scrutari iniquitatem*, quaerere falsa testimonia, et iis quasi veris scienter abuti. *Defecerunt autem scrutantes scrutinio*, quia nihil invenerunt, quod vel colorem veritatis habere videretur; et quia Dei judicio tanta caecitate percussi sunt, ut non adverterent se ab omnibus deridendos, quod etiam dormientes testes adduxissent, cum ad custodes sepulchri dixerunt, *dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli noctu, et furati sunt eum*. Matth. 27. quam caecitatem notavit et expendit sanctus Augustinus. Parum autem refert si legamus, *scrutantes scrutinio*, sive *scrutantes scrutinia*, sive *scrutantes scrutinationes*: omnia enim in idem recidunt.

7. *Accedit homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.*

Exposita perversitate malignantium inimicorum, praedicit nunc Propheta quid Christus egerit tempore tantae persecutionis. *Accedet*, inquit, *homo ad cor altum*, idest Christus, qua homo est, *accedet*, offeret atque objiciet se quasi infirmus et quasi nesciens; et tamen vere penetrans profunda cordis ipsorum, *accedet* ad illas omnes passiones, quas in occulto corde suo disposuerunt; idest perfert patienter et humiliter injurias, quas illi alto, profundo et pravo corde machinati sunt. Potest etiam per *cor altum*, intelligi cor ipsius Christi, ut sensus sit, *accedet homo Christus ad cor altum*, idest, ingredietur cor suum profundum et secretum, quo disposuit objicere Judaeis formam servi percutiendam, et celare intus formam Dei, per quam resuscitandus erat. Utramque expositionem attingit sanctus Augustinus. *Et exaltabitur Deus*, idest, humiliabit se ut homo, exaltabitur ut Deus, quia tunc maxime demonstrabitur sapientia divina vincens malitiam humanam, quando apparebit, Christum moriendo mortem destruxisse, et resurgendo vitam reparasse. Haec est expositio verborum editionis nostrae vulgatae; sed sciendum est, hanc lectionem nostram a multis oppugnari, et rejici; quoniam textus hebraicus et graecus repugnare videntur. In hebraeo sic legitur ad verbum, *et cogitatione viri, et corde profundo, et sagittabit eos Deus*, pro eo quod nos habemus, *accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus*. Sed facile conciliabitur hic textus cum nostra editione: nam vox hebraica, קרב *Kereb*, quae *intimum*, sive *cogitationem* significare potest, si legatur cum aliis punctis, קרב *Karab*, significabit, *accessit*, sive *accedet*: et sic legerunt septuaginta interpretes, qui verterunt, *accedet homo*. Illud autem, *et corde alto*, potest etiam legi, *et cor altum* quia non habent hebraei diversos casus, et tota difficultas est in particula, *et*, pro qua nos habemus, *ad*, et quamvis in graecis libris, qui nunc extant, habeatur, *et cor altum*, tamen cum veteres patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus legant in Commentario, *ad cor altum*, credibile est, eos ita in graecis textibus invenisse: nam erant periti linguae graecae, et ex iis Hieronymus in Commentario psalmos exponit ex interpretatione septuaginta virorum. Mirum autem est, quod Cornelius Jansenius, vir doctissimus, conetur ostendere ab Augustino lectum fuisse, *et cor altum*, cum Augustinus saepissime repetat, *ad cor altum*, et ne semel quidem, *et cor altum*; corruptum autem fuisse textum Augustini in tam multis locis, et in omnibus editionibus, verisimile non est: credibilius autem est, corruptum fuisse textum hebraicum post interpretationem septuaginta virorum in particula, *et*, sicut corruptum esse constat in particula קרב *Kereb*, ut ostendimus, praesertim, cum ista lectio (*accedet homo et cor altum*) nullum fere sensum commodum recipiat: quid enim significat, *accedet homo, et cor altum*? Illud autem, *et sagittabit eos Deus*, pro, *et exaltabitur Deus*, ex errore Rabbinorum natum esse videtur: nam vox hebraica, וירם *vajarem*, si deducatur a verbo, ירה *jarah*, significat, *sagittabit eos*; si deducatur a verbo, רום *rum*, in conjugatione *hophal*, significat, *exaltabitur*, et sic acceperunt eam vocem septuaginta viri Rabbinis omnibus doctiores.

8. *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.*

Hoc fecit potentia et sapientia Dei, de qua dictum est, *et exaltabitur Deus*, ut plagae ab adversariis Christo inflictae, tam parum illi nocuerint ac si factae essent a sagittis infantium parvulorum; nam et tela infantium leves festucae sunt, et manus eorum infirmae ac tenerae, quae nihil detrimenti adferre possunt. Et vere quales plagas Christo intulerunt Judaei, cum triduo, vel potius in momento post triduum, ita curatae sint, ut corpus ejus impassibile, et immortale surrexit? *Sagittae*, inquit, *parvulorum fuerunt*, quibus factae sunt plagae, ac vulnera eorum. *Et infirmatae sunt contra eos linguae eorum*, idest et calumniae ac blasphemiae eorum infirmatae sunt, quia nihil ei nocere potuerunt, ac si gladii plumbei fuissent; sed *infirmatae sunt contra eos*, idest, in detrimentum, et poenam ipsorum calumniantium et blasphemantium. Alludit propheta ad illud, quod supra dixerat, *evacuerunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram*, ac si diceret, laboraverunt ut gladium linguae exacuerent, atque ut sagittas lethales, ex arcu jacerent; sed linguae gladius plumbeus, et sagittae tela infantium evaserunt. Atque hoc ipsum de persecutoribus Martyrum, omniumque justorum dici potest: dies enim judicii ostendet, quam parum, ac potius nihil eis nocuerit crudelitas persecutorum, quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Ex hebraeo juxta puncta Rabbinorum non legitur, *sagittae parvulorum*, sed *sagitta repentina*. Facile autem est videre, unde sit nata diversitas: nam vocem hebraicam legerunt, פתאם *pithom*, quod significat *repente*, aut *repentinum*: cum septuaginta legerint, פתאים *pethaim*, quod *parvulos* significat.

9. *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, et timuit omnis homo.*

Explicat propheta, quid consecutum sit ex eo quod per Christi resurrectionem factae sint judaeorum sagittae, *sagittae parvulorum, et infirmatae sint*, ac prorsus evanuerint calumniae et contumeliae eorum. *Conturbati sunt*, inquit, *omnes qui videbant eos*, judaeos videlicet, attonitos et confusos, quando ab Apostolis audiebant eum, quem occiderant, surrexisse a mortuis, in coelum ascendisse, et venturum judicem vivorum et mortuorum; et ea quae audiebant, signis magnis, ac divinis approbari cernebant: *et tunc timuit omnis homo*, idest, omnes, qui recta ratione utebantur, coeperunt contremiscere et expavescere et dicere, *quid faciemus viri fratres*? De hoc timore sancto sic scribit sanctus Lucas Act. 2. *Fiebat autem omni animae timor, multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat ingens in universis*. Parum autem refert, quod s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *fugerunt omnes qui videbant eos*: nam vox hebraica, נדד *nadad* quae hoc loco habetur, utramque significat, et fugere et commoveri et omnis qui commovetur, ac turbatur, fugit, si non pedibus, saltem affectu: contrahit enim se, et latebras quaerit: timor enim fuga quaedam est hominis ad seipsum: sicut e contrario desiderium, et amor effundunt hominem extra se.

10. *Et annunciaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.*

Illi, qui sancto timore correpti sunt, ac in primis Apostoli, qui primi Christo resurgente, atque eis apparente timuerunt, ut dicitur Luc. 24. *Illi*, inquam, *annunciaverunt opera Dei*, idest, praedicare coeperunt Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, doctrinam, miracula et similia. *Et facta ejus intellexerunt*: particula enim, *et*, passim in scripturis accipitur pro, *quia*. Apostoli ergo edocti, tum ab ipso Christo, qui post resurrectionem *aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas*, Luc. 24. tum a Spiritu sancto, qui superveniens in eos, *docuit illos omnem veritatem*, Joan. 15. *facta ejus intellexerunt*, et eadem ipsa toti mundo annunciaverunt.

11. *Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.*

Ex illa apostolica praedicatione id consequetur, ut omnis vere justificatus, idest, justus ex impio factus, *laetetur deinceps in Domino, et speret in eo*, deposito metu servili, et mundano: *fructus enim spiritum justificantis est charitas, gaudium, pax*. Et tandem in fine saeculorum *laudabuntur omnes recti corde*, omnes qui in justitia perseveraverunt, et per hoc rectum cor habuerunt ad Deum, non sapientes, neque volentes, nisi quae Deo placent, illi a Deo laudabuntur in theatro totius Mundi, quando e contrario omnes pravi corde in theatro eodem cum summa ignominia confundentur.

PSALMUS LXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem psalmus David. Canticum Hieremiae, et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

Titulus hujus psalmi in codicibus hebraicis non continet nisi prima illa verba, *in finem psalmus David*. Apud Hilarium quoque non habentur alia verba. Theodoretus autem affirmat, nihil aliud haberi in editione graeca septuaginta interpretum; caetera addita esse a posterioribus. Tamen non videtur contemnendum, quod additur, *canticum Hieremiae, et Ezechielis populo transmigratio-*

http://www.obrascatolicas.com

nis, cum inciperent exire: nam haec verba habentur in antiquis codicibus, et leguntur a s. Hieronymo et Augustino in commentario hujus tituli. Quicumque autem addidit hanc partem tituli, non voluit significare re ipsa cantatum fuisse hunc psalmum a Hieremia et Ezechiele, quando populus incipiebat exire ex captivitate Babylonica. Nam Hieremias numquam fuerit in Babylonia, et sine dubio mortuus erat, quando coepit solvi captivitas. Credibile est etiam Ezechielem tunc fuisse defunctum ut Epiphanius testatur in vita Ezechielis. Tribuitur igitur hic psalmus (qui revera Davidis est) Hieremiae et Ezechieli, quoniam isti duo prophetae praedixerunt reversionem populi de Babylone in Hierusalem: et fingitur decantatus ab his Prophetis initio egressionis hebraeorum de captivitate, ut intelligeremus hunc psalmum exponi debere de reditu filiorum Israel a captivitate in patriam. Et quoniam ea liberatio de captivitate typus fuit liberationis generis humani de captivitate Diaboli; altiore sensu psalmus praedicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, et reditum spiritualem peregrinorum ad patriam coelestem: nam et Ecclesia, et coelestis patria per Jerusalem in sacris litteris significari solent.

EXPLICATIO PSALMI LXIV.

1. *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.*

Incipit propheta in persona populi Dei a quodam verissimo principio, ex quo colligitur desiderium justum redeundi ad patriam. Principium verissimum est, conveniens esse, ut populus Deum laudet, et vota illi offerat in Jerusalem. Laus enim debetur bono, et summa laus summo bono, quod est Deus: et haec laus debet exhiberi, ubi bonum, quod laudatur, est notum. Deus autem notus non erat in Babylone, sed in Jerusalem; ideo in Jerusalem Deus a populo laudandus erat. Sic etiam vota, ac praesertim sacrificiorum, ibi solvenda sunt, ubi templum et altare invenitur: templum Dei et altare non erat nisi in Jerusalem, igitur in Jerusalem vota populi Dei solvenda erant. Ex hoc principio recte colligitur, populum Dei jure desiderare, ac petere reditum in patriam. Et si hoc erat verum de reditu ad terrenam Jerusalem, multo verius est de reditu ad coelestem Jerusalem, ubi multo notior est magnitudo divinae bonitatis, et ubi est tabernaculum non manufactum et altare aureum, in quo igne perfectissimae charitatis sese totos offerunt omnes cives Jerusalem in holocaustum Deo. Veniamus ad verba psalmi: *Te decet hymnus Deus in Sion*, idest convenit omnino, ut populus tuus tibi Deo suo laudes canat *in Sion*, idest ubi nota est magnitudo tua, non in terra aliena, ubi Dii lignei et lapidei, aurei et argentei laudantur. *Et tibi reddetur votum in Jerusalem*, idest convenit quoque ut idem populus tibi solvat vota gratiarum actionis in Jerusalem, ubi nota sunt beneficia tua; et vota sacrificiorum, ubi est templum et altare tuo nomini dicatum, non in Babylone, ubi nec agnoscantur beneficia tua, neque sunt templa et altaria, nisi idolorum: nam *omnes Dii gentium daemonia*, ut dicitur in psal. 95. In hebraeo pro verbo *decet*, est nomen *silentium*. Sic enim vertit s. Hieronymus, *tibi silentium laus Deus in Sion*. Sed septuaginta interpretes viri doctissimi per vocem, דמיה *dumi a*, non existimaverunt significari *silentium*, quod deducitur a verbo דום *dum*, sed convenientiam, ut sic loquar a verbo דמה *dama*, quod significat *assimilari*. Similitudo enim nihil est aliud, nisi conformitas et convenientia unius ad aliud. Laus autem convenit maxime bonitati et ideo soli Deo, propriissime convenit laus quia solus Deus propriissime bonus est, dicente Domino, *nemo bonus nisi solus Deus*, Luc. 18. Sed tamen vox *silentium*, quamvis non sit ex mente septuaginta interpretum, tamen utilissimum documentum continet: nam laus Dei quae ore cantatur, deberet sequi ex praecedenti silentio, atque attenta admiratione magnitudinis Dei: qui enim cantant absque praevio tali silentio, *labiis Deum honorant, cor autem eorum longe est a Deo*, ut dicitur Isai. 29. Itaque recte dicitur, *tibi silentium laus Deus in Sion*, idest, tibi Deus primum convenit tacita admiratio magnitudinis tuae: deinde constituto corde in hoc silentio, debetur tibi laus in Sion, et votum in Hierusalem. Porro vox, *Jerusalem*, non habetur in hebraico codice, sed vel excidit vitio librariorum, vel addita est ab interpretibus explicandi gratia.

2. *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.*

Eo quod debetur Deo laus in Jerusalem, orat populus, ut sibi concedatur ex captivitate redire in Jerusalem ad ipsum Deum laudandum: et non solum optat sibi reditum concedi, sed ut omnes homines convertantur ad Deum, et veniant per fidem in Jerusalem, quae est in terris, idest, ad Ecclesiam, et postea per visionem in Jerusalem, quae est in coelis: sicut enim *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, 1. Timoth. 2. sic etiam populus Dei cupit et orat, ut omnes homines veniant ad Deum agnoscendum et laudandum. *Exaudi*, inquit, *orationem meam* quae est, ut te auxiliante quam citissime canam tibi hymnum in Sion, et reddam tibi votum in Jerusalem. *Ad te omnis caro veniet*, idest si me exaudieris, non ego solus, sed omnes homines ad te laudandum, et vota tibi reddenda venient. Id enim cupio et peto, et quod in me erit, verbis et exemplo, ut id fiat laborabo. Quod omnis caro per figuram intellectionis omnes homines significet, perspicuum est ex multis Scripturae locis, Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*. Joelis 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*. Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei*. Matth. 24. *Nisi brevitatis fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*. Joan. 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis*. S. August. per omnem carnem intelligit omne genus hominum, quia de omni genere aliqui veniunt ad Deum per fidem et salvantur, videlicet, ex divitibus, ex pauperibus, ex doctis, ex indoctis, ex viris, ex foeminis, ex judaeis, ex romanis, ex graecis, ex barbaris, etc. *Non enim omnium est fides, neque omnium est salus; sed eorum, qui praeordinati sunt ad vitam aeternam* ut dicitur Act. 13. In hebraeo habetur, *donec tibi omnis caro veniat*: sed septuaginta interpretes non legerunt, עדיך *hadecha, donec tibi*; sed עליך *halecha, ad te*, et haec est verior lectio.

3. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Haec est altera ratio, cur populus Dei petat a Deo liberationem de captivitate, et reditum in patriam, quia videlicet ex peccatis parentum traditus sit in captivitatem: qui enim erant in Babylone cum soluta est captivitas, fere omnes in captivitate nati erant, ac per hoc parentum peccatis captivitatem suam tribuere poterant: sicut nos omnes captivitatem sub diabolo primis parentibus debemus. *Verba iniquorum praevaluerunt super nos*, idest, mala opera iniquorum parentum nostrorum praevaluerunt super nos filios eorum, nosque gravaverunt jugo durissimae captivitatis: sed *tu* Pater misericordissimus *propitiaberis impietatibus nostris* quas a parentibus haereditavimus, et quas ipsi eorum exempla imitati superaddidimus. Quod autem per *verba*, interpretati simus, *opera*, nemo mirabitur, qui in Scripturis versatus sit. Sic Luc. 2. *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis*. Psal. 21. *Verba delictorum meorum*. Psal. 104. *Posuit in eis verba signorum suorum*. 2. reg. 1. *Quid est verbum, quod factum est, indica mihi*.

4. *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.*

Haec est tertia ratio, cur populus Dei desideret, et oret revocari in patriam: quae ratio ducitur a foelicitate patriae. *Beatus*, inquit, *est* omnis ille, *quem tu elegisti ab aeterno*, et assumpsisti in tempore ad tantam dignitatem, ut sit civis sanctorum, et domesticus Dei, *Is enim, inhabitabit in atriis tuis*, idest, in domo tua manebit: ponitur enim pars pro toto, atrium pro palatio.

5. *Replebimur in bonis domus tuae, sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.*

Bona spe fretus populus Dei, jam numerat se inter beatos illos, qui habitabunt in domo Dei ac dicit in ea domo se bonis omnibus abundaturum, imo ita satiandum, ut nihil desideret amplius: hic enim versiculus etiamsi utcumque convenire possit terrenae Jerusalem, vel ecclesiae militanti; tamen absolute soli coelesti patriae convenit. *Replebimur*, inquit, *in bonis domus tuae*, idest, replebimur ex bonis domus tuae, ut nihil nobis desit, quod foris quaerendum sit. Quid enim boni deesse poterit in domo illius, qui fecit omnia, cui serviunt omnia, qui erit omnia in omnibus, in quo sunt thesauri bonorum infiniti? De hoc dicitur in psalm. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, et in psalm. 16. *Satiabimur, cum apparuerit gloria tua. Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*. In illa sancta civitate Jerusalem hoc erit prorsus mirabile et amabile, quod nos in Deo habitabimus tamquam in templo; ipse erit domus nostra et nos domus ejus, juxta illud, *Manete in me, et ego in vobis*, Joan. 15. Et illud, *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo*. 1. Joan. 4. Et si haec reciproca mansio inchoatur in via, certe multo magis perficitur in patria. Porro *templum hoc Dei sanctum est mirabile in aequitate*, idest, in justitia, ut vox hebraea, בצדק *betsedek*, demonstrat. Mirabile enim valde erit videre homines in peccato natos et peccatis ita obnoxios, ut de illis diceretur psal. 13. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum*: et Prov. 24. *septies in die cadit justus*: et psal. 142. *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: qui tamen postea ad illam sanctitatem, justitiamque perveniunt, ut neque peccatum ullum habeant, neque habere possint, et evadant in templum sanctum, cujus sanctitatem, et justitiam ipsi etiam sancti angeli admirentur in coelis. In hebraeo pro, *mirabile*, habetur, נוראות *noraoth*, terribile. Sed quoniam admirabilia terrorem venerationis inculiunt, recte septuaginta Interpretes, *mirabile*, posuerunt ut indicarent, *terribile*, quod legitur in hebraeo, non esse terribile, quia terreat, sed quia admirationem magnam pariat.

6. *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae, et in mari longe.*

Redit ad orationem, et adfert novum motivum, ut exaudiri debeat, videlicet quia Deus Salvator est, et in eo sperant omnes gentes. *Exaudi*, inquit, *nos Deus*, dum a te petimus liberationem a captivitate, et revocationem in patriam; exaudiri autem petimus confidenter, quia *tu es salvator noster*, quippe qui saepe ab hostibus, et persecutoribus nos salvasti: tu etiam *es spes omnium finium terrae*, idest, in te sperant omnes gentes totius terrae usque ad ultimos ejus fines: nec non tu spes es *in mari longe*, idest omnium habitantium Insulas maris longissime positas. Haec dicit Propheta praevidens conversionem omnium gentium ad cultum veri Dei: et dicit in praesenti, *Tu es spes omnium finium terrae*, quia Prophetis erant praesentia, quae in se futura erant.

http://www.obrascatolicas.com

7. *Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia qui conturbas, profundum maris, sonum fluctuum ejus.*

Addit aliam rationem a potentia Dei maxima, cui facile est, si velit, populum suum de captivitate liberare, atque ad patriam, unde pulsus fuerat, reducere. Ostendit autem omnipotentiam Dei ex duobus contrariis: nam Deus omnipotentia sua ita firmiter stabilivit terram, ut montes ejus nulli venti commovere possint: et contra ita fecit elementum aquae liquidum, et mobile, ut quavis aura moveatur. *Praeparans montes in virtute tua*, idest, tu es Deus, qui praeparasti, sive stabilivisti (utrumque enim significat vox hebraica, כון *cun*) montes altissimos in virtute tua, *accinctus potentia*, idest, potentia tua firmasti montes, quia accinctus es potentia, id est, ab omni parte circumdatus et armatus potentia. *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.* In hebraeo habetur, *qui mitigas sonitum maris sonitum fluctuum ejus.* Sed Septuaginta videntur non legisse, משביח *masbiach*, quod est *mitigans*, sive *compescens*, sed מבעית *mabahith*, quod est, *conturbans*, et nunc sensus erit, tu conturbas profundum maris, excitans sonitum fluctuum ejus. At si non videatur verisimile Septuaginta legisse, *maunhith*, pro *maunhith*, pro *masbiach*, ut textus graecus et latinus cum hebraeo conveniant et unus explicetur per alium; per illud verbum *conturbas*, non erit intelligenda *commotio et concitatio* tempestatis maris, sed *comminatio et terrefactio*, qua compescatur fremitus maris: quo modo Dominus comminatus est mari turbato dicens, *tace obmutesce*, Marc. 4. Confirmatur haec expositio ex eo quod idem verbum, *conturbas*, refertur etiam ad sonitum fluctuum ejus. *Qui conturbas*, inquit, *profundum maris: et conturbas sonitum fluctuum ejus*: non recte autem diceretur, qui conturbas sonitum fluctuum, nisi sensus esset, Qui terrendo et comminando compescis sonitum turbati maris. In hebraeo eadem vox habetur, שאון *sceon*, cum dicitur in latino, *profundum*, et cum dicitur, *sonitus*; quare per profundum intelligere debemus hoc loco, *fremitum maris*, qui ex imo mari erumpit, denique per sonitum fluctuum, altiorem vocem quam fluctus turbati maris emittunt, illud etiam non est omittendum, in hebraeo haberi omnia in tertia persona, *praeparans montes in virtute sua*, Deus videlicet, accinctus potentia, conturbans, sive compescens fremitum maris, sonitum fluctuum ejus. In editione latina habentur in secunda persona, sed sensus est omnino idem.

8. *Turbabuntur gentes et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis, exitus matutini et vesperae delectabis.*

Quemadmodum versiculo superiore potentiam Dei Propheta ostenderat ex montium stabilitate et fluctuatione maris: ita in hoc versiculo demonstrat sapientiam Dei, qui coelestibus signis nunc terret, nunc exhilarat humanum genus. *Turbabuntur*, inquit, *gentes*, omnes videlicet gentes universae terrae. Id quod explicat clarius, cum subjungit, et *timebunt, qui habitant terminos*, idest, turbabuntur, et timebunt omnes homines, usque ad illos qui habitant terminos terrae. Turbabuntur autem, et timebunt *a signis tuis*, idest, a coruscationibus tonitruis, et fulminibus coelestibus, juxta illud, 1. reg. 2. *Formidabunt Dominum adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit*: nihil est enim horribilius, et formidolosius et quod fortissima etiam pectora metu concutiat, et dissolvat, quam fulmen coeleste. Sed idem Deus per ortum, et occasum solis humanum genus mirifice recreat: nam oriente sole refectis artubus homines laeti ad opera exeunt et occidente sole fatigati respirare incipiunt; et rursum nihil jucundius ortu fulgentissimi et pulcherrimi luminis: nihil item delectabilius conspectu coeli, syderibus innumerabilibus, quasi gemmis pretiosissimis, ornati. *Exitus*, inquit, *matutini, et vesperae delectabis*: idest, exortum aurorae, et crepusculi vespertini delectabiles facies. In hebraeo, pro, *turbabuntur gentes*, habetur, *multitudo gentium*; sed septuaginta Interpretes non legerunt, המון *hamon*, quod multitudinem significat; sed, המו *hamu*, quod significat turbati sunt. Illud autem, delectabis, in Hebr. est, תרניך *tharnin*, quod *laudare*, sive *jubilare facies*: quod intelligi debet efficienter, non formaliter: dicitur enim aurora, et vespera *laudare*, seu *jubilare*, quia facit homines prae laetitia exultare, et laudare. Sicut etiam cum dicitur in textu latino, *Delectabis exitum matutini et vesperae*, intelligi debet per figuram, quia exortus aurorae et vesperae delectat homines illa varietate, et vicissitudine noctium, ac dierum. Miratus sum, cur quidam ex recentioribus, vir doctus scripserit, pro voce *exitum*, in hebraeo esse vocem, quae ad solum diei exortum referatur, et non possit referri etiam ad exitum noctis: nam, מוצא *motsah*, *exitum* in genere significat a verbo, יצא *iatsa*, quod est exire. Et si exitus in hebraeo significaret ortum diei, non fuisse opus addere, בקר *boker*, quod tempus matutinum significat, ut re vera in textu hebraeo est additum. Sic enim habetur ad verbum, *exitus ipsius mane, et ipsius vesperae laudare facies.*

9. *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.*

Laudavit potentiam, et sapientiam Dei, nunc adjungit laudes bonitatis, sive beneficentiae ejusdem, quae maxime ostenditur in admistione terrae et aquae, ex qua oriuntur omnes fructus terrae, sine quibus haec vita non ducitur. Terra enim si non irrigetur aquis, et aqua nisi misceatur terrae, nihil omnino producit. *Visitasti*, inquit, *terram*, quae per se *erat inanis, et vacua*, sed visitatione tua facta est foecunda et plena: visitatio enim Dei efficax est, et non simplex visio, sed provisio. Explicat quomodo visitavit terram, dum adjungit, *et inebriasti eam*, idest, aquis ad satietatem irrigasti, et hac irrigatione *multiplicasti locupletare eam*, idest, multum valde illam locupletem et copiis omnibus refertam reddidisti.

10. *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est praeparatio ejus.*

Explicat idipsum clarius: per flumen rivi aquarum intelligendi sunt: nam in hebraeo est, כלצ *peleg*, quod divisionem significat. Itaque sensus est, *Flumen Dei*, idest, rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram pleni sunt aquis, ex divina providentia et benignitate: sic enim ita *tu Deus praeparasti cibum eorum*, idest, hominum et animantium caeterorum: *quoniam ita est praeparatio ejus*, idest, quoniam sic fundata et disposita est terra, ut per aquarum irrigationem foecundetur et fructus suos pariat.

11. *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus in stillicidiis ejus laetabitur germinans.*

Rursus aliis, atque aliis verbis idem beneficium Dei extollit. Sed hoc loco per *rivos* intelliguntur sulci terrarum, ut ex hebraeo textu perspicitur; et textus quem sanctus habuit Augustinus, *sulcos ejus legit*. Ait igitur, *rivos ejus inebria*, idest, perge Domine et sulcos terrae abundanter riga fluentibus aquis et sic *multiplica genimina ejus*, herbas, fruges, plantas: *in stillicidiis ejus*, idest, pluvia Dei super cadente *laetabitur* terra *germinans*.

12. *Benedices coronae anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate.*

Benedicendo benefacies totius anni revolutioni, quae instar *coronae* variis floribus ornatae a tua benignitate quasi semper renovatur, et ex hac benedictione *campi tui* a te conditi et foecundati *replebuntur* abundantia omnium bonorum.

13. *Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.*

Nec solum campi ratione et satione culti replebuntur ubertate frugum, sed etiam loca deserta, quae solis pascuis deserviunt et speciosa prae caeteris sunt ex multitudine, et varietate herbarum et florum, quae sponte funduntur a terra; *pinguescent coelesti rore, et colles* pariter deserti et inculti herbescente viriditate ita vestientur; ut ex omni parte laetari, et exultare videantur.

14. *Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.*

In summa foecunditas erit maxima et multiplicatio tum pecorum, tum frugum. In hebraeo sic legitur ad verbum, *Induti sunt agni pecore*, idest, pusillus grex, qui quasi nudus ob paucitatem videbatur, *tanta multitudine pecoris circumdabitur, ut vestitus multiplici indumento videatur. Induti sunt arietes ovium*, idest, ovibus multiplicatis vestiti sunt arietes, sive agni, qui pauci antea erant. Alii tamen referunt haec verba ad vellera, quibus induuntur pecora, quando bona pascua inveniunt. Sed qui ita exponunt, non considerant verba hebraica, quae non habent, *arietes ovium*, sed, *arietes*, sive potius, *agni pecore sive ove induti sunt. Et valles abundabunt frumento*, idest, loca deserta abundabunt pecore et valles cultae abundabunt frumento: omnia autem, sive colles, sive valles, sive campi exculti, sive deserti, sive pecora, sive fruges, suo modo *clamabunt* in laudem Dei, imo etiam quodammodo *hymnum cantabunt* conditori, et benefactori suo. Porro res omnes creatae specie sua clamant, et canunt: ut homines quorum usui deserviunt et mente, et voce Deum laudent, eique perpetuo gratias agant. Haec omnia sanctus Propheta in laudem potentiae et sapientiae et bonitatis Dei cecinit; ut inde argumentum duceret, quo probaret, speranduin esse et cum fiducia petendam liberationem a captivitate, et revocationem in patriam. Sed possunt etiam mystice exponi de vocatione gentium et beneficiis Dei in ecclesiam, ut s. Augustinus et Theodoretus tradit: qui Theodoretus recte Judaeos redarguit, quod fabulentur, haec omnia impleta fuisse in terra Palaestinae post reversionem ex captivitate: tantum enim abest, ut post reditum ex Babylone terra illa foecundior fuerit et beatior, ut potius in deterius semper abierit.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis.

Non habetur in hebraeo nomen *Resurrectionis* neque legitur apud Hilarium: et Theodoretus testatur non esse in editione Septuaginta Interpretum, sed postea additum. Legitur tamen a sanctis patribus Hieronymo et Augustino in commentario hujus psalmi: et videtur haec unica vox, a quocumque addita sit, prudenter addita, ut indicaret argumentum enim psalmi est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta foelicitate post omnes finitas calamitates: quod sine dubio in resurrectione erit.

EXPLICATIO PSALMI LXV.

1. *Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.*

Invitat ad jubilandum, et psallendum Deo omnem terram, idest, omnes electos ex universa terra vocatos, quia communis erit causa laetandi in communi resurrectione justorum. Tria vult exhiberi, jubilum, sonum psalterii, et vocem humanam. Jubilum, quod magis in affectu, quam in verbis positum est, recte tribuitur Deo, *Jubilate Deo*: Deo enim, qui spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Sonitus psalterii debetur nomini, idest, famae, sive gloriae Dei, *psalmum dicite nomini ejus*, vel ut clarius habetur in hebraeo, *psallite gloriae ejus*, idest, pulsate psalterium in gloriam ejus. Denique vox humana divinae laudi tribuenda est, *Date gloriam laudi ejus*, idest, nolite gloriam vobis sumere, vel tribuere, sed totam date laudi ejus; vel ut habetur in hebraeo, *ponite gloriam in laude ejus*, idest, haec sit gloria vestra Deum perpetuo laudare, et in ejus laudibus gloriari.

2. *Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine? in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.*

Haec est materia laudis Dei, opera summae potentiae, et sapientiae. *Dicite Deo*, dum eum laudare vultis, *quam terribilia sunt opera tua Domine*, idest, opera tua prae magnitudine sua terrorem omnibus incutiunt. *In multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui*, idest, tanta est virtus et potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multo etiam minora non posse jactabant: exempla sunt in Scripturis non pauca. Psal. 77. *Male*, inquit, *locuti sunt de Deo dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Deus autem in multitudinem potentiae suae fecit, ut tanta multitudo coturnicum deferretur in desertum, ut omnibus abunde sufficeret, atque hoc modo mendaces eos ostendit, et ut mendaces terribiliter punivit, ut dicitur in eodem psalmo et fusius in lib. Num. capit. 11. item lib. 4. reg. 7. cum Elisaeus Propheta tempore gravissimae famis dixisset, *Audite verbum Domini, cras modius similae statere uno vendetur in porta Samariae*: Dux quidam respondit, *etiamsi Deus faciat cataractas in coelo, non poterit verum esse quod dicis.* Sed Deus in multitudine virtutis suae mendacem illum ostendit. Vere enim sequenti die tanta fuit abundantia rerum omnium, ut modius similae statere uno in porta Samariae venderetur; et Dux, qui contra Deum mentitus fuerat, in ipsa porta conculcatus a populo transeunte miserrime periit. Simile est mendacium Judaeorum adversus Christum, cum pendenti in cruce insultarent, *Si filius Dei es, descende de cruce*. Ille autem in multitudine virtutis suae fecit miraculum longe majus, quia surrexit de sepulchro, quod est multo majus, quam de cruce descendere. Itaque mendacii coarguit inimicos suos potentia virtutis suae. Posset etiam cum Theodoreto dici, *in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici*, hoc significare multos fore qui mentiantur Deo se illius esse cultores ob metum terribilium operum ipsius: multos item Christi fidem, non sincero, sed ficto corde suscepturos propter eamdem rationem.

3. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.*
4. *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.*

Iterum excitat Propheta universos homines, qui terram incolunt ad Deum vero corde adorandum et laudandum. Atque ut majore affectu id faciant, hortatur ad consideranda opera Dei, qui terribilis est in consiliis rerum agendarum, supra omnes filios hominum.

5. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi laetabimur in ipso.*

Ponit duo exempla operum mirabilium Dei, quae nullo humano consilio unquam fieri potuissent. *Qui convertit*, inquit, *mare in aridam*, hoc est primum opus, quod narratur Exod. 14. Fecit enim Deus, ut siccaretur mare rubrum, ut filii Israel libere pertransirent. *In flumine pertransibunt pede*, hoc est alterum, quod refertur, Josue 3. Rursus enim Deus fecit, ut Jordanis fluvius siccaretur, ut filii Israel non ponte, aut navicula, sed pede flumen trajicerent. *Ibi laetabimur in ipso*, id est, ubi haec facta sunt, ibi laetati sumus in ipso, non in nobis gloriati sumus, quasi nostra haec essent opera; sed in Deo laetati, et gloriati sumus, Deumque laudavimus, ut narratur Exod. 15. utitur autem Propheta tempore futuro pro praeterito; nisi forte hoc loco uti voluerit verbo futuri temporis, ut indicaret miracula illa praeterita fuisse figuras majorum miraculorum futurorum. Majus enim miraculum est, quod homines transeant mare amarum hujus saeculi, quod in maligno positum est et transmittant flumen temporalitatis, et mortalitatis hujus, quae numquam stat, et plurimos absorbet, et suffocat, et perveniant vivi, et salvi ad terram aeternae promissionis et ibi laetentur in ipso Deo ipsum videntes facie ad faciem: et tamen hoc majus miraculum ita facit per gratiam suam Deus, ut multi jam transeant per hoc mare, quasi per aridam et flumen pertranseant pede, idest, facillime temporalia omnia, sive bona, sive mala despicientes, idest, nec bonis adhaerentes, nec mala pertimescentes, ut securi perveniant usque ad ipsam coelestem Jerusalem, ubi laetabimur in ipso, non spe gaudentes, sed ipso in aeternum fruentes.

6. *Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.*

Haec videtur digressio ad impios, qui Deo subjici, eumque laudare contemnunt. Eos enim admonet omnipotentiae, et omniscientiae Dei, ut vel timore poenae resipiscant. *Qui dominatur*, inquit, *in virtute sua in aeternum*, idest, ille, qui ex potentia sua non aliunde accepta, sed sibi propria, dominatur aeterno imperio, is quoque videt omnes gentes, et ex alto speculatur omnia. Ideo *qui exasperant* tam potentem, et sapientem Dominum, *non exaltentur in semetipsis*, non superbiant, non glorientur de suis viribus, quia non effugient manus omnipotentis, et omnia videntis Dei.

7. *Benedicite gentes Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus.*

Illa digressione praemissa, repetit exhortationem, quam in primo, et in tertio versiculo posuerat. Itaque tertio jam invitat omnes gentes ad benedicendum Deo nostro, qui solus est verus Deus, et ad praedicandas laudes ejus tam clara voce, ut ab omnibus audiatur.

8. *Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.*

Aperuit nunc caussam, cur tanto ardore cupiat Deum ab omnibus laudari, quia videlicet de maximis periculis vitam suam liberavit. *Qui posuit animam meam ad vitam*, idest, laudari cupio Deum, qui fecit, ut anima mea non periret, et qui me titubare et labi non permisit. Haec dicuntur ab electis, qui post multas variasque tentationes ad portum salutis tandem aliquando perveniunt. Per *animam*, intelligitur totus homo, quod frequens est in Scripturis sanctis: ac ut alia loca omittamus, in lib. Gen. cap. 46. plusquam sexies ponitur anima pro toto homine. Illud autem, *posuit*, significat ordinavit, sive praeordinavit, vel praedestinavit, ut sensus sit, Qui me praeordinavit ad vitam, sive qui me posuit in numero eorum, qui victuri sunt in aeternum. Quod autem sequitur, *Et non dedit in commotionem pedes meos*, ad donum perseverantiae pertinet; quod est proprium praedestinatorum ad vitam; quos enim Deus praedestinavit, eos etiam conservat, protegit, ac dirigit, ut non cadant ad dexteram, vel sinistram. In hebraeo habetur, *animam nostram, et pedes nostros*, in numero multitudinis. Sed idem est sensus: nam per, *animam meam et pedes meos*, non intelligitur unus tantum homo, sed unus populus, coetus videlicet omnium Electorum.

9. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argumentum.*

Variis metaphoris explicat Propheta tribulationes justorum; ac primum metaphora fornacis probantis argentum, ut significet, justis a Deo permitti tribulationes, non ut laedantur, sed ut probentur, vel probati, et puri, sinceri, fideles ostendantur. Ignis enim paleas consumit, argentum et aurum puris reddit: et palea in igne fumat, argentum in igne lucet. Hinc angelus sanctus dicit Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*, et Sap. 3. *Deus tentavit illos et invenit eos dignos se, tamquam aurum in fornace probavit illos*. Et Ecclesiastici 27. *Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis*. Et 1. Petri 1. *Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.*

10. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.*

Descendit nunc ad particulares afflictione sub aliis metaphoris. *Induxisti nos in laqueum*, idest, in captivitatem nos tradidisti hostibus nostris, in vincula, in catenas, in compedes, in carceres. Sicut enim aves, et ferae, cum laqueis comprehen-

http://www.obrascatolicas.com

duntur, libertate sua privantur; ita dici possunt homines induci in laqueos cum captivi effecti, carceribus includuntur, vel catenis et vinculis constringuntur. *Posuisti tribulationes in dorso nostro*, idest, nos more jumentorum onerari, et caedi verberibus permisisti: quibus oneribus, et verberibus intelliguntur varii labores, et dolores, quos sancti in hoc mundo ab impiis pertulerunt, ut cum ad metalla fodienda, ad marmora secanda, ad onera pro extruendis aedificiis portanda, aliaque id genus laboriosa opera facienda, non sine flagellis et verberibus adigebantur. *Imposuisti homines super capita nostra*, idest, fecisti ut homines pedibus suis capita nostra calcarent, quasi nobis jure belli devictis, et triumphatis. Sed haec etiam metaphora est, qua per similitudinem conculcationis capitum devictorum significatur tyrannica, et crudelis potestas principum in miseros subditos. Nam principes modesti, et aequi praesident quidem capitibus subditorum, sed ita leviter premunt, ut onus obedientiae suaviter ferri possit: Tyranni vero et laevi, atque inhumani principes, quales erant persecutores Christianorum et quondam Pharao Aegyptius, et Nabuchodonosor Assyrius, ita premunt subditos exactionibus, edictis, poenis, ut respirare non possint. Hoc versiculo Propheta miro artificio personas Justorum toto corpore afflictas demonstravit: nam laquei ad manus, et pedes; onera et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent.

11. *Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

Haec est ultima metaphora, qua Propheta pulcherrimis similitudinibus sub aspectum ponit supplicium sanctorum. Ignis enim, et aqua contraria sunt; ignis ardet, aqua congelatur; ille acerrimus, ista mollissima; ignis desiccat aquam, et aqua extinguit ignem: quare si ignis dolore afficit hominem aqua consolari, et mulcere deberet. Et tamen in poenam justorum servorum Dei, ignis, et aqua conjurasse videntur, ignis consumendo, aqua suffocando. Igitur, per ignem, intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, caedes, combustio: per aquam supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, fames. Sanctus tamen Augustinus per ignem, intelligit omne genus angustiarum, et molestiarum contristantium hominem: per aquam vero omne genus voluptatum, et abundantiam temporalium bonorum, quae spiritum suffocant. Sed sicut ignis consumit lignum, non aurum; sic etiam aqua corrumpit, et putrefacit lignum, non aurum: et sicut aurum per ignem purgatur a scoria, sic idem aurum per aquam lavatur a sordibus. Itaque justi et sancti, qui sunt auro similes sine detrimento transeunt per ignem, et aquam, quia in tribulatione patientiam, in prosperitate modestiam servant. Sed filii hujus saeculi similes ligno putrido in igne consumuntur in aqua suffocantur: quia impatientes in tribulatione murmurant, maledicunt, blasphemant: dissoluti in prosperitate mollescunt, luxuriantur, superbiunt. Dicunt igitur Electi, *transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium:* quoniam etiamsi in coelesti patria non deerunt ignis et aqua tamen ille ignis calefaciendo recreabit, non comburendo consumet et illa aqua sitim extinguet, non vitam. Ita utrumque suo modo refrigerabit, id est, erunt in coelo ardores charitatis, erit ignis divinus foeliciter consummans, non consumens; perficiens, non destruens, transformans in Deum, non convertens in cineres: erit aquarum abundantia, erit ubertas bonorum aeternorum, erunt gaudia immensa et ineffabiles jucunditates, sed non mollem, aut pigrum efficient animum, non carnis adversus spiritum concupiscentiam nutrient; denique refrigerando delectabunt, non obruendo suffocabunt.

12. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.*

Haec videtur esse conclusio ex iis, quae dicta sunt, quasi dicat, *tu eduxisti nos in refrigerium postquam transivimus per ignem et aquam. Introibo*, igitur *in domum tuam*, ad quam te Duce, te defensore perveni. Introibo autem *in holocaustis*, id est, offeram sacrificium gratiarum actionis: holocaustum est enim proprie ad gratias agendas pro acceptis beneficiis. Et vere holocaustum nusquam perfectius offertur quum in coelo, ubi sancti omnes totos se offerunt Deo in igne perfectae charitatis, nulla parte animae repugnante: tota enim actio, totum negotium in coelo erit laudare Deum. *Reddam tibi vota mea, qua distinxerunt labia mea*, idest, ista oblatio holocausti debita est, quoniam id vovi dum essem in tribulatione positus. Itaque introibo in domum tuam cum holocaustis, ut sic reddam vota mea, quae non alius pro me, sed ego ipse labiis meis distincte promisi. S. August. more suo ad aedificationem populi psalmos exponens, notat, illud *distinxerunt*, significare distinguenda esse vota, ut placeant Deo. Distinctio autem talis esse debet, ut confiteamur nos Deo indigere, Deum bonorum nostrorum non egere, nos mutabiles, illum immutabilem, nos creaturas, illum creatorem; nos ex nobis nihil esse, illum ex se perfectum esse.

13. *Et locutum est os meum in tribulatione mea.*
14. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.*

Explicat quae vota voverit in tribulatione sua; et dicit se vovisse sacrificia pinguia omnium pecorum, quae in holocaustum secundum legem offerri possunt. Ea vero tria tantum erant, arietes, boves, et hirci. Sed nomine arietum intelliguntur etiam agni, et nomine boum intelliguntur, etiam vituli et nomine hircorum intelliguntur etiam hoedi. *Et locutum est os meum in tribulatione mea*, idest, hoc est quod dixi, *reddam vota*, quae distinxerunt labia mea, quia locutum est os meum dum tribularer et auxilio Domini indigerem, atque illius opem cum lachrymis implorarem. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum*, idest, immolabo tibi agnos pingues et medullis plenos cum bono odore ex arietibus pariter in holocaustum oblatis: *offeram tibi boves cum hircis*, idest, ad holocaustum agnorum et arietum addam holocaustum vitulorum, et hircorum. In textu graeco legitur, *holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus*: et sic legit etiam s. August. et per incensum intelligit thus. Sed s. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam improbat hanc lectionem et veram lectionem esse dicit, *cum incenso arietum* (ut nos in nostra latina editione habemus) cui concordat lectio hebraica: per incensum autem non intelligitur thus, sed odor, qui ex incensis arietum carnibus emanat; qui odor suavissimus dicitur Levitici 1. Odor autem ex incensis carnibus sacrificiorum suavissimus dicebatur, quoniam figura erat odoris vere, ac proprie suavissimi patientiae et humilitatis, obedientiae et charitatis filii Dei, qui ut patrem glorificaret et mundum redimeret *humiliatus est usque ad mortem, morte autem Crucis*, Phili. 2. Dicuntur vero holocausta medullata, quae offeruntur in coelis, actiones gratiarum, confessiones, et laudes ex intimo corde et ex pinguedine verae charitatis profectae.

15. *Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae.*

Hortatur in fine psalmi Propheta in persona beatorum electorum Dei nos omnes, ut intelligamus beneficia Dei in sanctos collata et quid illi contra rependerint, ut eos imitantes similia beneficia recipiamus, et ad eamdem quietem et gloriam aliquando perveniamus. *Venite*, inquit, *audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae*, idest, venite omnes qui timetis Deum et audite et ego narrabo vobis quanta fecit animae meae: oratio enim in hebraeo et graeco textu perturbata est quantum ad ordinem verborum, et latinus Interpres non est ausus ordinem codicum originalium commutare. Vocat *timentes Deum* quoniam *timor Domini est initium sapientiae*, psal. 110, ipse solvit pedes, ipse aperit aures: proinde, qui nullo Dei timore tangitur, frustra vocatur ut veniat, vel ut audiat.

16. *Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.*

Hoc est primum donum Dei quod animae suae datum dicit electorum coetus, qui in hoc psalmo loquitur. *Hoc*, inquit, *fecit Deus animae meae*, dedit fidem, et spiritum orandi. *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt*, inquit Apostolus Rom. 10. Igitur ex dono fidei cognovi miseram captivitatem, in qua detinebar, cognovi liberatorem et redemptorem, et sic *ad ipsum ore meo clamavi*. Addit deinde secundum beneficium *et exaltavi sub lingua mea*, idest, non solum oravi, sed etiam laudavi Deum meum, et pro acceptis beneficiis gratias egi, ut rursum alia mererer accipere quae mihi deerant. Atque hoc totum, ut laudarem et orarem, ipse fecit, ut facerem. Quamvis autem illud, *sub lingua mea*, vel *in lingua mea*, idem sit quod lingua mea, vel in lingua mea: tamen annotavit sanctus Augustinus fortasse dictum, *sub lingua*, ut intelligeremus, justum non solum lingua ad aures hominum, sed etiam *sub lingua*, in silentio ad aures Dei, exaltare solitum ipsum Deum.

17. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Hoc est beneficium tertium, quod accipit a Domino, ut videlicet Deo illuminante cognosceret quid sit, quod impedit, ne oratio exaudiatur. *Iniquitatem*, inquit, *si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus*. Aspicere iniquitatem in corde, est in secreto cordis diligere iniquitatem, sive aspicere ad concupiscendum eam, quomodo dicitur in evangelio, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*. Multi enim et verbis et factis videntur odisse peccata, reprehendunt, et puniunt peccatores; et ipsi tamen in secreto cordis, ubi nemo videt quid agatur, cum delectatione aspiciunt iniquitatem et si impune possent, exercerent. Hos hypocritas non exaudit Dominus, sed eos exaudit, qui ex corde iniquitatem odio habent, et si forte peccant, confitentur peccata sua, et medicum quaerunt, a quo sanentur, et quoniam tales sunt omnes electi, ideo subjungit Propheta in persona populi electi.

18. *Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meae.*

Propterea exaudivit Deus, quia ipse scrutatur corda et vidit mihi serio displicere peccata, meque non *aspicere iniquitatem in corde*, sed faciem cordis avertere ob omni iniquitate. *Et attendit voci deprecationis meae*; quia vidit me attendere voci praeceptorum suorum, non voci serpentis praevaricationem suadentis.

19. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam a me.*

Ergo *benedictus sit*, et in perpetuum laudetur *Deus*, qui tanta fecit animae meae, quorum summa est, *quod non amovit a se orationem meam*, nec amovit *a me misericordiam suam*. Ita misericordia ejus perseverante mecum perseveravi et ego in via mandatorum ipsius et perseverantiae praemium jam obtinui, liberationem a captivitate et reditum in coelestem Jerusalem. Sanctus Augustinus paulo aliter exponit et quamvis fortasse non omnino ad litteram tamen utilissime ad mores. Vult igitur illud, *non amovit deprecationem meam*, sic intelligi, *non amovit a me deprecationem meam*, id est, fecit ut non intermitterem unquam orationem et per hoc implerem dominicum praeceptum. *Oportet semper orare, et numquam deficere*. Luc. 18. Est autem insigne donum Dei, perseverantia in oratione, quia securum reddit hominem de perseverantia miserationis. Cum videris, inquit sanctus Augustinus, non a te amotam deprecationem tuam securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI.

In finem, in hymnis Psalmus Cantici David.

In hebraeo codice non habetur nomen David, et ideo non desunt qui auctorem hujus psalmi nolint esse Davidem: sed cum in codice graeco et latino habeatur, et sic legant Hilarius, Hieron., August., et alii in commentariis in psalmos, credibile est, aut ex codice hebraico vocem illam excidisse, vel a septuaginta interpretibus additam fuisse, ne quis suspicaretur psalmum non esse a Davide compositum, quia non legatur nomen ejus in titulo. Argumentum psalmi est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi adventum Messiae, et redemptionem generis humani, juxta illud Luc. 10. *Multi prophetae et reges, voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt*: existimo enim Dominum loqui de Prophetis, qui simul etiam reges fuerunt; alioqui non dixisset, *multi prophetae*, sed omnes prophetae. Nomine autem regis intelligendi videntur omnes principes, qui regium jus in populum suum habebant, quales fuerunt Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, Job et alii, qui simul prophetae fuerunt, et Christum videre desideraverunt: sed inter omnes excelluit David, qui proprie rex, et propheta fuit, et desiderium Messiae in multis psalmis expressit, sed in hoc potissimum, qui totus in hoc desiderio explicando consumitur.

EXPLICATIO PSALMI LXVI.

1. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.*

Vox optantis et desiderantis est, quasi dicat, utinam *Deus misereatur nostri* secundum magnam illam misericordiam, qua mittat ad nos, quem missurus est. Et ex hoc affectu misericordiae paternae *benedicat nobis*; benedictio autem sit non solum ubertas temporalium rerum, sed *illuminatio vultus sui super nos*. Illuminatio vultus Dei super nos multa significare potest. Primum enim dicitur Deus *illuminare vultum suum super nos*, quando remotis nubibus irae, et indignationis sereno vultu nos respicit ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. Deinde dicitur etiam *illuminare vultum suum super nos*, quando nos illuminat, et calefacit, sapientiam, et charitatem infundens, quomodo Sol iste corporalis facere solet, quando nullis nubibus tegitur. Denique dicitur *illuminare vultum suum super nos*, quando praestat, ut eum, quasi remoto velamine, intueamur, quod maxime praestitit, quando per Incarnationis mysterium *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, ut dicitur Baruch 3. Atque hoc vidatur hoc loco petere sanctus propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat. Quod etiam petiit cum ait in psal. 79. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.* Et quoniam haec est misericordia, quam initio petiit, ideo repetit, *et misereatur nostri*, idest, et sic, illuminando videlicet vultum suum super nos, misereatur nostri. In hebraeo habetur haec repetitio, *et misereatur nostri*, neque legitur a s. Augustino, et s. Hieronymo: tamen habetur in Codice graeco et legitur a s. Hilario, ab Euthymio, et aliis.

2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam in omnibus gentibus salutare tuum.*

Haec est ratio, cur tanto ardore desideretur illuminatio vultus Dei, ut in lumine illo divino cognoscamus in hac terra tenebrosa viam Dei, idest, viam ad patriam, a qua tamdiu peregrinamur ambulantes in tenebris, et umbra mortis: haec autem via sine dubio Christus ipse est, qui ait Joan. 16. *Ego sum via*, et non solum via, sed etiam lux, qua via ipsa cognoscatur; de qua dixit Isaias cap. 9. et explicuit s. Matthaeus cap. 4. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. In omnibus gentibus salutare tuum*, haec est explicatio verborum superiorum. *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, idest ut cognoscatur inter omnes gentes Salvator tuus: clarius habetur in hebraeo, *ut nota fiat in terra via tua, in omnibus gentibus salvator tuus*: quod etiam Isaias praedixit cum ait, *videbit omnis caro salutare Dei*: ut refert s. Lucas cap. 3.

3. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*

Quoniam desiderium prophetae secundum veram charitatem ordinatum erat, cupiebat Christum venire in terras: primum propter gloriam Dei, deinde propter utilitatem generis humani. Ideo de gloria Dei dicit, *confiteantur tibi populi Deus*: deinde adjungit, *laetentur et exultent gentes* etc. Ait igitur, *confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*, idest, ob hoc tam insigne, et tam universale donum, omnes populi confiteantur tibi confessionem laudis, et gratiarum actionis. Cesset cultus, et veneratio falsorum Deorum; tibi uni vero Deo ab omnibus populis honor divinus habeatur.

4. *Laetentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in aequitate et gentes in terra dirigis.*

Post laudem Dei agnoscatur etiam utilitas populorum, ideo *laetentur et exultent gentes*, omnes videlicet homines gaudeant, *quoniam*, tu Deus per Christum tuum *judicas populos in aequitate*, idest, ablato jugo tyrannicae potestatis principis tenebrarum harum, regnum justissimum in Ecclesia tua constituisti. *Et gentes in terra dirigis*. Regens eas, et dirigens per saluberrimas leges tuas ad portum aeternae salutis. In hebraeo et graeco codice haec habentur in futuro, *quoniam judicabis populos in aequitate, et gentes in terra diriges*. Sed non ideo falsum est, quod habetur in latino, quoniam etsi haec futura erant, tamen propheta spiritu Dei videbat ea tamquam praesentia. S. Augustinus refert ad ultimum judicium id quod dicitur *judicabis populos in aequitate*, et ad praesentis vitae directionem, quod additur, *gentes in terra diriges*, ut sensus sit: *laetentur et exultent gentes*, quoniam si quid mali hic ab hominibus patiantur, veniet tempus quo tu Deus judicabis populos in justitia: et interim gentes tibi subjectas, et devotas in terra diriges.

5. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.*

Iterum repetit exhortationem, ut populi omnes Deum laudent et addit novam rationem; quoniam *terra dedit fructum suum*, idest, quoniam jam tandem terra protulit fructum suum illum, cujus gratia facta erat, idest, Christum in carne. *Hic est enim fructus terrae sublimis*, de quo dicitur in cap. 4. Isaiae, *erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terrae sublimis*. Et in psalmo 84. *Et terra nostra dedit fructum suum*, tantus enim hic fructus fuit, ut comparatione ejus nihil unquam terra nostra protulisse videatur, nisi spinas, et tribulos. Utitur autem Propheta tempore praeterito pro futuro, quoniam in ejus praenotione jam factum erat, quod nobis futurum praedicebat. Potest tamen hic versiculus cum sancto Augustino exponi de fructu bonorum operum, quem homines habitantes in terra facturi erant per gratiam Christi reconciliati et justificati; de quo dicit Apostolus ad Tit. 2. *Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem factorem bonorum operum*. Terra enim olim arida et sterilis, idest, genus humanum pro peccatum primi hominis gratia Dei destitutum, non nisi spinas et tribulos, id est, peccata vel opera inutilia ad salutem germinare noverat; sed a sole justitiae postea calefacta, et imbrae doctrinae coelestis compluta per Jesum Christum, qui et sol, et verbum est, foecunda effecta producere coepit fructum bonum justitiae, fidei et operum sanctorum, quibus merces deberetur corona justitiae, et bravium salutis aeternae.

6. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.*

Ergo deinceps haec sit grata vicissitudo, ut Deus aperiat manum suam, et impleat nos benedictione, idest, copia bonorum omnium, praecipue spiritualium et coelestium: et contra, omnes homines usque ad ultimos terrae fines habitantes, Deum verum timeant timore sancto, reddentes ei tributum obedientiae et laudis usque in aeternum. Porro trina illa repetitio nominis Dei, quae in hoc versiculo habetur, quamvis affectum prophetae significet, tamen insinuat etiam mysterium sanctissimae Trinitatis, quae per Christum et Apostolos manifestissime praedicata est.

PSALMUS LXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus Cantici ipsi David.

Argumentum hujus psalmi volunt aliqui esse victoriam Ezechiae de Assyriis, aut aliquam aliam similem, quae post tempora Davidis contigerit: quoniam in hoc psalmo fit mentio templi Domini, dum dicitur, *a templo, quod est in Jerusalem*, quod tamen post mortem Davidis a Salomone ejus filio extructum fuit; sed hoc argumentum non convincit: nam tabernaculum Domini, quod erat in Silo, et postea in Jerusalem, templum dicitur, 1, reg. 3. vers. 3. *Samuel dormiebat in templo*; et habetur eadem vox hebraica, היכל *hechal*, quae habetur in hoc psalmo. Alii volunt, psalmum compositum et decantatum, quando translata est arca Domini in Jerusalem, quod ea ratione confirmant, quia verba primi versus, *exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*, dici solebant, quando elevabatur arca, ut alio transferretur, ut notum est ex cap. 10. Num. Alii totum psalmum referunt ad Chri-

http://www.obrascatolicas.com

stum resurgentem et ascendentem in coelum, et ad ecclesiam, quae est corpus ejus, ut s. Augustinus et Euthymius. Sed s. Hilarius, et qui eum sequitur s. Hieronym., docent in hoc psalmo decantari mysteria utriusque Testamenti, quod verissimum nobis esse videtur, cum negari non possit, in hoc psalmo describi descensum Domini in montem Sina ad legem populo dandam; et Christi ascensionem in coelum, et alia id genus mysteria. Est autem psalmus plenus figuris, et metaphoris, et poeticis descriptionibus admirabilibus, ut propterea, quanto est pulchrior, tanto sit etiam difficilior: augent vero obscuritatem lectionum varietates, et dissentiones, quae inter codices hebraicos et graecos, ac latinos esse videntur.

EXPLICATIO PSALMI LXVII.

1. *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.*

Haec sunt verba quae a Moyse dici solebant, cum elevaretur arca, et populus migrare inciperet: quibus verbis Moses precabatur Deum, ut arca exurgente et praecedente populum, ipse quoque surgere dignaretur, et defensione sua, ac protectione sacurum populum redderet. David igitur Mosem imitatus, et praevidens Christi resurrectionem, per quam arca humanitatis ejus elevanda erat, et ipse Dux futurus erat omnibus electis ad terram verae promissionis, dicit, *exurgat Deus*, idest, resurgat a mortuis Christus Deus, et sic elevetur arca, et populum Dei praecedat ad coelestem Jerusalem: sic exponunt communiter patres, Hilarius, Hieronymus, Augustin. et alii. *Et dissipentur inimici ejus*, idest, judaei, qui dixerunt, *nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 19. Atque hoc jam impletum videmus: nulla enim gens magis dissipata est per omnes terras, quam judaeorum. *Et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus*, idest et doemones inimici ejus jam devicti et superati fugiant a facie Dei, Christi videlicet triumphantis, et per resurrectionem verum se Deum esse demonstrantis.

2. *Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis: sic pereant peccatores a facie Dei.*

Celeritas, et facilitas, quae praesentia Christi dissipat peccatores, non poterat aptius depingi, quam similitudine sumi, qui a vento dispergitur; et cerae, quae coram igne liquescit, atque consumitur. Quod si per peccatores intelligantur doemones, quod dicitur, *pereant*, significat interitum, virium et roboris, non substantiae: et hoc modo intellexisse hos duos versiculos s. Antonium testis est s. Athanasius, qui describens vitam ejus, dicit eum, cum a doemonibus oppugnaretur cantare solitum, *exurgat Deus*, etc. quod si ad homines referatur haec sententia; tunc sensus erit, homines peccatores, qui justos injuste persequuntur, maxima celeritate et facilitate a Deo tollendos de medio.

3. *Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia.*

Iniquis persecutoribus deturbatis hoc sequitur, ut justi fruentes praesenti auxilio Dei, securi *epulentur*, idest, reficiantur, alimonia tum corporali, tum spirituali. *Et exultent coram Deo*, idest, gestiant prae gaudio, sed ea modestia et gravitate, quae decet eos, qui sciunt se a Deo semper videri, utpote in conspectu ejus jugiter constitutos: *et delectentur in laetitia*, idest, et ex ea laetitia delectationem capiant, ut non sit eis necessarium ob inopiam consolationis coelestis, carnalem, atque mortiferam quaerere voluptatem.

4. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.*

Haec dicuntur ad Apostolos, aliosque primos fideles ex sententia non solum veterum latinorum, sed etiam graecorum, Theodoreti, et Euthymii. *Cantate Deo* vos primitiae credentium. *Psalmum dicite nomini ejus*, laudate Deum voce, et opere vos, qui digni facti estis cognitione tantorum mysteriorum. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*, idest, parate viam Domino praedicationibus vestris, ut is qui jam ascendit super occasum, qui supergressus est omnem corruptionem et mortalitatem, et habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras praedicationes aditum apertum, et paratum inveniat. *Dominus enim nomen est illi*, et ideo jure suo regnare debet. Dominus autem est, quia condidit et redemit. Quod attinet ad verba, iter facere, hoc loco non est ambulare, sed ponitur iter pro via, ut sensus sit, facite viam ubi non est, parate transitum liberum removendo impedimenta, quomodo dicitur, Isa. 40. *Parate viam Domino*: et declaratur cum additur, *omnis vallis implebitur, omnis mons et collis humiliabitur*: quod spiritualiter significat, debere pusillanimes erigi in spem salutis, et superbos deprimi ad humilitatem terrore divini judicii. Illud, *qui ascendit*, non significat ascendere in altum, sed equitare, sive curru vehi, idest ascendere super rem aliquam eam conculcando pedibus equorum, aut rotis currus. Id patet ex hebraica voce, רכב *rocheb*. Illud *super occasum*, hebr. est, בערבות *haharaboth*, *super vesperam*, sive *tenebras noctis*, vel etiam *super desertum*: quae omnia significant corruptionem mortalitatis, quae plena est tenebris et ariditate. Dicitur igitur Christus resurgens ascendere super occasum, quia quodammodo equitat, et curru invehitur super omnia mortalia, triumphans de morte, de tenebris, de deserto mundi hujus inferioris; et sic exponunt non solum patres citati, sed etiam s. Gregorius in homilia de ascensione Domini.

5. *Exultate in conspectu ejus: turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.*

Vos qui paratis viam Domino, *exultate in conspectu ejus*: nec timeatis eos, qui vos turbant persecutionibus suis: nam et ipsi *turbabuntur a facie ejus*, idest, tempore suo, cum dies *judicii venerit*, aut etiam antea, quod tempus opportunum Deo esse videbitur, gravissime *turbabuntnr a facie irae Dei*, qui est *Pater orphanorum, et judex viduarum*, idest omnium desolatorum et afflictorum. In hebraico textu desunt illa verba, *turbabuntur a facie ejus*, et legitur, *exaltate in conspectu ejus, Patris orphanorum, et judicis viduarum*. Unde aliqui existimant in graecis et latinis codicibus esse duplicem interpretationem illius sententiae, *exultate in conspectu ejus*. Nam verba hebraica literis paululum immmutatis, possunt etiam facere hanc sententiam, *turbentur a facie ejus*. Sed non video, cur non possimus dicere excidisse ex textu hebraico illa verba, *turbabuntur a facie ejus*. Id enim facilius est, quam ut septuaginta interpretes in eodem loco duplicem interpretationem posuisse credantur.

6. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

Quia dixerat propheta, Deum esse patrem orphanorum, et judicem viduarum, ut ostendat se potissimum loqui de orphanis, et viduis spiritualibus, de iis videlicet hominibus, qui non agnoscunt in terris patrem, neque sponsum, sed Deum solum habent pro patre, et sponso, et in illo solo confidunt, eum solum diligunt, ad ejus visionem suspirant, ideo addit, *Deum habitare in loco sancto suo*, idest, in mentibus horum peregrinorum in terra aliena: et ipsum esse, qui facit sibi hanc domum, *dum habitare facit unius moris in domo*. Verbum hebraicum, pro quo nos habemus, unius moris, est, יחידים *jechidim*, quae vox proprie significat unitos, et ideo recte verterunt septuaginta, *unius moris*, idest, unius sensus, unius voluntatis, unius fidei, spei, dilectionis, quales erant in Jerusalem primi Christiani, qui dicebantur esse *cor unum, et anima una*, Actor. 4. sed potest etiam eadem vox significare *unicos*, et *solitarios*, ut sanctus Hieronym. vertit, et tunc sensus erit, *qui habitare facit unicos et solitarios*, destitutos aliorum auxilio, facit, inquam, habitare *in domo sua* sine timore et periculo, quia ipse Pater orphanorum eos protegit. Potest etiam sensus esse secundum alios, *qui habitare facit unicos in domo*, idest, faciat ut qui unicus erat, multa prole procreata, amplam familiam habere incipiat. Denique non est absurdus sensus eorum, qui haec referunt ad monachos, qui relictis mundi curis solitarii habitant. Isti sensus veri sunt omnes et unus alium non destruit: sed primus videtur maxime litteralis, et eum sequuntur omnes fere patres, graeci et latini, qui hunc locum tractaverunt, qui etiam per unius moris interpretantur, unanimes. Sic exponit s. Hilarius, sic etiam s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii.

7. *Qui educit vinctos in fortitudine similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.*

Declarat magnam pietatem Dei, qui non solum unanimes facit habitare in domo, sed etiam *educit vinctos in fortitudine*, idest ligatos vinculis peccatorum educit de captivitate in fortitudine brachii sui; et quod magis est admirandum *eos qui exasperant* per incredulitatem ipsum Deum, et qui *habitant* quasi jam mortui *in sepulchris* profundissimae iniquitatis, eos quoque potentia gratiae suae educit de sepulchris, reducit ad vitam, et habitare facit unanimes in domo. Notat autem s. August. discrimen inter vinctos, et sepultos: vincti enim dicuntur, qui ligati quidem sunt vinculis concupiscentiae et in peccatis haerent, sed cupiunt liberari; et petunt auxilium. Sepulti autem dicuntur illi, qui cum in profundum malorum venerint, contemnunt salutem, et incredulitate sua Deum valde exasperant. Et tamen utrosque interdum magna Dei pietas emollit ad poenitentiam, et liberat a miseria illa diabolicae captivitatis, qua major non invenitur. Possunt etiam haec intelligi de liberatione a malis temporalibus, ut a captivitate Aegyptiaca, et Babylonica et similibus, et per sepulchra metaphorice intelligenda erunt loca arida deserti, ut sonat vox hebraica hoc loco posita, צחיחה *tsechichah*, quae locum arentem proprie significat; vel ipsa terra captivitatis, per sepulchra, intelligenda erit: quomodo Ezechiel. cap. 37. captivitatem Babylonicam non semel appellat sepulchra hebraeorum.

8. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*
9. *Terra mota est, etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.*

Jam ut credibiliora faciat Propheta beneficia redemptionis Christi, commemorat beneficia antiqua, quae figura erant futurorum beneficiorum. *Deus*, inquit, *cum egredereris in conspectu populi tui*, idest, cum coram populo tuo praecederes in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem: eo tempore cum pertransires in deserto, per transitum maris rubri, nunc *terra mota est, et etiam coeli distillaverunt, sed terra mota est a facie Dei Sinai, et coeli distillaverunt a facie Dei Israel*. Sic enim ordinanda sunt verba hujus versiculi. Porro terra mota est, quando tremere coepit a conspectu Dei descendentis in montem Sinai, ut perspicuum est ex lib. Exodi cap. 19. ubi dicitur, *eratque omnis mons terribilis*: nam pro voce, *terribilis*, est in hebraeo, *tremens, sive saliens*. Dicitur enim *Deus Sinai*, Deus qui apparuit in monte Sinai. Coelum autem distillavit quando pluit manna, et dicitur distillasse a facie Dei Israel, quoniam Deus in gratiam populi sui Israel fecit ut manna de coelo descenderet.

http://www.obrascatolicas.com

10. *Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae, et infirmata est, tu vero perfecisti eam.*

Patribus in deserto coelum distillavit te jubente pluviam quamdam, idest, manna: sed *haereditati tuae*, idest, Ecclesiae tuae, quam tibi tamquam propriam haereditatem vindicasti, *segregabis pluviam voluntariam*, idest, pluviam spontaneam, quae ex se descendit: haec vero pluvia, gratia est Spiritus sancti, quae voluntaria, sive spontanea dicitur, quia non descendit ex meritis operum, quasi vaporibus terrae sursum elevatis, sed sponte sua Spiritus sanctus infundit corda fidelium aqua coelesti: et dicitur *segregata haereditati Dei*, quia bona temporalia sunt communia fidelibus, et infidelibus, sed gratia Spiritus sancti segregata est, ut detur solum fidelibus in Ecclesia, extra quam non est salus. Posset etiam per pluviam voluntariam intelligi doctrina coelestis, quae non solum voluntaria est respectu Dei, sed etiam (ut Theodoretus observavit) respectu hominum, qui eam recipiunt si volunt, rejiciunt si nolunt; *et infirmata est, in vero perfecisti eam.* Illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut sensus sit, *pluviam voluntariam segregabis haereditati tuae*, quia *haereditas tua infirmata est*, jam dudum, videlicet ob ignorantiam Dei et invalescentes concupiscentias debilitata erat, cum idolis serviret, et vitiis omnibus laboraret: sed tu per gratiam Spiritus sancti tamquam per pluviam salutarem confirmasti, et roborasti eam.

11. *Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

In ea haereditate, idest, Ecclesia, quae irrigatur aqua coelesti, *habitabunt animalia tua*, idest, oves pascuae tuae, quas pascendas, regendasque suscipies: ut enim Deus *parasti*, cibum videlicet *pauperi*, idest, egeno populo tuo, *in dulcedine tua*, idest, juxta bonitatem et misericordiam tuam, quae dulcissima est miseris, et egentibus.

12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

Declarat quis sit cibus, quem paravit Deus pauperi populo suo, ac dicit esse verbum suum. *Dominus*, inquit, *dabit verbum evangelizantibus*, idest, efficiet Deus, ut qui annunciant verbum Dei, quod est cibus animarum, abundent copia sermonis, *virtute multa*, idest, multa, cum efficacia, et libertate, ut non possint resistere et contradicere omnes adversarii eorum. Posset etiam per multam virtutem, intelligi efficacia signorum, et prodigiorum, quibus Deus praedicationem Evangelii confirmabat. In hebraeo habetur in foeminino genere, annuntiantibus, sed non est inusitatum apud hebraeos ponere genus foemininum pro masculino: nam in libro Ecclesiastae cap. 1. juxta hebraicum textum legitur, *verba concionatricis filii David, regis Jerusalem, vanitas vanitatum dixit concionatrix*, ubi ponitur *concionatrix* pro *concionator*. Itaque septuaginta, qui haec non ignorabant, recte verterunt, *evangelizantibus*. Illud autem, *virtute multa*, contendunt nonnulli vertendum fuisse, *exercitibus multis*. Sed non est necesse ita vertere: nam vox צבא *tsaba*, significat exercitum, sed significat etiam robur, et fortitudinem: imo credibile est exercitum dici, צבא *tsaba*, sive virtutem, quia exercitus res est magnae fortitudinis, et multarum virium. Denique non solum septuaginta hoc loco verterunt, *multa virtute*, sive *potentia*; sed etiam s. Hieronymus vertit, *fortitudinis plurimae*. Quare inepta videtur expositio illorum, qui docent, in hoc versiculo significari, datum esse sermonem foeminis hebraeis, ut concinendo annunciarent victoriam exercitibus multis.

13. *Rex virtutum dilecti, dilecti et speciei domus dividere spolia.*

Hoc loco ridet Joan. Calvinus haeresiarcha in antidoto concilii Tridentini hanc lectionem editionis latinae vulgatae, et vult ipse legendum esse, *reges exercitum fugerunt fugerunt, et habitatrices domus diviserunt spolia.* Sed interpres latinus non ex hebraeo, sed ex graeco traducit psalmos; graecus autem textus (qui septuaginta interpretum esse censetur) habet idipsum, quod latinus interpres fideliter reddidit. Sanctus quoque Hieronymus non vertit, *fugerunt, fugerunt*, sed *foederabuntur, foederabuntur*. Proinde Calvinus ridere potuisset non solum editionem vulgatam, sed etiam interpretationem sancti Hieronymi et septuaginta virorum sapientissimorum: ipse pro tam impia temeritate deflendus potius, quam ridendus. Adde quod non est difficile videre quid in textu hebraico legerunt septuaginta interpretes, et eos recte vertisse hunc locum, et latinum interpretem eumdem locum fideliter reddidisse: ac primum pro, *rex virtutum*, in hebraeo duo sunt verba, quae si legantur, מלכי צבאות *malchi tsebaoth*, significant, *rex virtutum*, ut noster interpres vertit: si legantur cum aliis punctis, מלכי צבאות *malche tsebaoth*, significant *reges virtutum*, sive *exercituum*. Sed ut saepius diximus credibile est melius legisse septuaginta interpretes, quam Rabbinos, qui puncta literis addiderunt. Illud autem *dilecti*, in hebraeo nunc est, ידדון *Iddodun*, quod significat, *fugient*: sed septuaginta interpretes non habuerunt hanc vocem in suis codicibus, ut neque etiam sanctus Hieronymus: videntur enim septuaginta legisse, ידידות *jedidoth*, quod significat *dilectum*, haec enim vox habetur in titulo psalmi quadragesimi quarti, quam septuaginta verterunt, *dilecto*, et sanctus Hieronymus, *amantissimo*. Denique illud נות בית *nevath baith*, significat quidem *habitatricem domus*, sed significat etiam *mulierem speciosam* et *delicatam*, quae fere semper domi manet: et inde translato vocabulo, significat *speciem et pulchritudinem*, ut hoc loco non solum septuaginta, sed etiam b. Hieronymus reddiderunt, quibus major fides debetur quam Rabbinis, aut Calvino. Sensus igitur ex patrum expositione hic erit, *rex virtutum*, idest rex exercituum multorum, *dilecti, dilecti*, idest dilectissimi, Christi videlicet, dilectissimi Deo et hominibus, *ipse dabit speciei domus*, idest ad speciem et decorem domus Dei, quae est Ecclesia, *dividere spolia*, gentium videlicet ad fidem Christi conversarum per evangelizantes Apostolos. Ubi verbum, *dabit*, subintelligitur ex versiculo praecedenti, ut hic sit integer sensus, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, et ipse idem *Dominus rex virtutum dilectissimi dabit ad speciem domus dividere spolia.* Illud autem dilectissimi, conjungitur cum nomine *virtutum*, *rex virtutum*, idest, exercituum, qui exercitus sunt. Christi filii Dei dilectissimi. Neque obstat, quod nomine regis, idem Christus intelligatur, nam phrasi hebraica consuetum est dicere, Christus rex exercituum Christi, pro quo nos diceremus, Christus rex exercituum suorum, ut notat s. Augustinus, et sunt exempla in scripturis plurima, ut Rom. 1. *Qui praedestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*, idest, ex resurrectione ejus a mortuis; et Exodi 16. *Dicit Moyses ad Aaron, sume vas*, etc. *sicut praecepit Dominus Moyses*, idest, sicut praecepit Dominus mihi. Denique in Pentateuchio saepe legitur, *fecit Moyses* hoc, aut illud, *sicut praecepit Dominus Moysi*, id est, sicut praecepit ei Dominus. Porro rectissime dicitur Christus rex exercituum: nam Apoc. 19. *Vidit Joannes quemdam insignem equitem, qui habebat vestem sanguine aspersam, et nomen ejus erat verbum Dei, et sequebantur eum exercitus, qui sunt in coelo.*

14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

Hunc versiculum fateor obscurissimum esse: sed interim mirari satis non possum temeritatem recentiorum, quorum unus Calvinus est, qui sequuti Rabbinos legendum esse contendunt. *Si dormiatis inter medias ollas, eritis sicut pennae columbae, quae tecta est argento, et cujus alae tectae sunt auro.* Ad refutandam horum temeritatem sufficere deberet auctoritas s. Hieronymi, et septuaginta interpretum, quibus istae ollae numquam in mentem venerunt. Sed accedit, quod eadem vox habetur in Genesi cap. 49. ubi dicitur, *Issachar, asinus fortis accubans inter terminos*: quo loco septuaginta verterunt *inter medios cleros*, ut hoc loco. Sanctus Hieronymus utrobique vertit, *inter terminos*. Et huic loco nullo modo ollae interseri possunt; cum sequatur: *Vidit requiem quod esset bona; et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens.* Ubi per, *cleros*, sive *terminos*, intelliguntur, *fortes*, sive possessiones duae, inter quarum terminos contigit Issacharo possessio, sive haereditas: et quoniam ea visa est illi satis foecunda et pinguis, maluit laborare in cultura terrae et tributa pendere, quam bello excutere jugum dominantium. Adde etiam quod vox hebraica שפתים *scephathaim*, habet numerum dualem, quo non utuntur hebraei nisi ad significandas res geminas, ut duo labia, duas manus, duos pedes, duos oculos, duas aures, duas malas et similia: ollae autem non sunt geminae ex natura sua, sed et una et plurimae esse possunt. Denique qui *inter ollas dormiunt*, non solent instar argenti dealbari, sed instar fuliginis denigrari. Igitur Calvino cum Rabbinis inter suas ollas dimisso, existimamus sensum hujus versiculi hunc esse: *si dormiatis inter medios cleros*, idest *si vos*, qui evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, idest quiescatis in medio duorum testamentorum, novi et veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratae Prophetis et Apostolis, tunc *pennae columbae*, idest ecclesiae fides et mores *erunt deargentatae* puritate sapientiae, et deauratae fervore charitatis. Nam per *duos cleros*, intelligenda esse duo testamenta, scribunt communi consensu latini, et graeci expositores, sanctus Augustinus, et sanctus Hieronymus, Theodoretus et Euthymius. Neque absurdum est per duos cleros, intelligi duo testamenta, quoniam clerus fortem, possessionem et haereditatem significat. Sunt autem Scripturae divinae possessio quaedam, et haereditas Ecclesiae. Quod si etiam per cleros intelligamus cum s. Hieronymo terminos: rectissime duo testamenta duo termini erunt, extra quos egredi non licet, nisi veritatis semitam perdere velimus. Possent etiam per duos cleros, intelligi possessio coelestis, et terrena. Debent enim praedicatores Evangelii non toti esse affixi contemplationi coelestium bonorum: neque toti addicti vitae activae, et operibus charitatis erga proximos, sed in medio utriusque fortis quiescere, et nunc per contemplationem erigi in Deum, nunc per charitatis obsequium descendere ad proximos. Potest denique cum s. Augustino sic exponi versiculus, *si dormiatis inter medios cleros*, si moriamini inter foelicitatem terrenam contemptam, et foelicitatem aeternam speratam, et nondum adeptam, tunc erunt *pennae columbae deargentatae*: quia quando sancti praedicatores perseverant usque ad mortem contemnentes terrenam foelicitatem, et sperantes aeternam, et sic dormientes dormitione mortis inter has duas haereditates constituti, tunc fama Ecclesiae quasi pennis deargentatis volat ubique, et exaltatur ac magnificatur.

15. *Dum discernit coelestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.*
16. *Mons coagulatus, mons pinguis; ut quid suspicamini montes coagulatos?*
17. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.*

Descripsit Propheta praedicatores, per similitudinem dormientium inter cleros, et Ecclesiam, per similitudinem columbae deargentatae, et deauratae: nunc describit eosdem praedicatores per similitudinem regum a summo rege constitutorum, et Ecclesiam, per similitudinem montis altissimi can-

http://www.obrascatolicas.com

didi propter nives, et uberrimi propter abundantiam lactis. Selmon enim mons est altissimus, et ideo nivibus in vertice coopertus; sed in imo fertilis, cujus fit mentio in libro Judicum cap. 9. Ait igitur: *dum discernit coelestis reges super eam*, idest, dum *coelestis*, vel ut est in graeco, ἐπουράνιος *super coelestis*, et ut est in hebraico, שדי *sciaddai, omnipotens*, Deus videlicet Christus rex coelestis, et omnipotens discernit, idest, dividit, ac segregat unicuique provinciae suum, *reges super eam*, idest, Apostolus super Ecclesiam per columbam antea designatam: *eos enim constituit principes super omnem terram*, psalm. 40. ut regnant ac dirigant populos. *Ninive dealbabuntur in Selmon*, idest, tunc populi multi justificabuntur, et nigrore peccatorum in candorem justitiae commutato, super nivem dealbabuntur in Selmon monte altissimo, qui Ecclesiam significat. *Qui mons Selmon* est *mons Dei, mons pinguis*, quoniam Ecclesia est mons propter excellentiam dignitatis, et est *mons Dei*, quia in ea Deus habitat: elegit enim eam in habitationem sibi, et est *mons pinguis* ob abundantiam gratiae et donorum Spiritus sancti. Et est etiam *mons coagulatus*, et per hoc pinguissimus quia lac divinae gratiae non defluit, sed quasi coagulatus in ea semper manet. *Ut quid suspicamini montes coagulatos?* idest quare igitur suspicamini, vel opinamini esse alios montes, aeque coagulatos et pingues? quasi dicat, non est, quod existimetis esse alios montes aeque pingues atque hic Selmon. Hic enim est unicus *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*: nec in eo habitabit ad tempus, ut fecit in monte Sinae *sed habitabit in finem*, idest semper. Haec videntur dici adversus haereticos, qui alias Ecclesias erigere conantur. Pro voce *suspicamini*, legunt aliqui *aemulamini*, vel *contenditis*, sed idem est sensus. Significant enim illae voces, frustra alios montes contendere cum isto monte, vel ei invidere. De hoc monte legimus apud Isaiam, cap. 2. *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus*: quae sine controversia intelliguntur de Ecclesia.

18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.*
19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.*
20. *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.*

Nunc comparat Propheta descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem populo judaico, cum ascensione Christi in coelum, ut inde mitteret donum Spiritus sancti, et legem novam populo Christiano: quam comparationem facere videtur Propheta, ut ostendat, unde tanta abundantia laetis, et tantus candor Ecclesiae data sint. *Currus Dei decem millibus multiplex*, idest, currus quo vehebatur Deus, cum descenderet in montem Sina, erant *mulla millia sanctorum angelorum*, quae omnia non erant gementia sub pondere, sed *laetantia* et plaudentia, prae voluptate vehendi Dominum. *Dominus enim in eis* sedens, fuit in *Sinai in monte sancto*. Quod autem sancti angeli sint, qui cum Deo descenderint in montem Sinai, dicitur apertius in Deuter. cap. 33. *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.* Quod autem currus Dei sint angeli, scriptura passim docet, cum ait psal. 79. *Qui sedes super Cherubim*. Porro illud, *decem millibus multiplex*, in hebraeo est unica vox, רבתים *ribbothaim*, quae proprie significat, *bis decem millia*, sed accipitur pro plurimis millibus. Itaque *decem millibus multiplex*, significat, plus decem millibus, idest, innumerabilis multitudo. Illud, *millia laetantium*, vertit s. Hieronymus, *millia abundantium*, et sic legit etiam ex graeco Euthymius, et interpretatur *millia abundantium virtute et gratia, et omnibus bonis*, quales sunt angeli beati, qui cum bonis omnibus abundent, laetissimi semper sunt. Sed vox hebraea, שנאן *scinan*, est vox quatuor literarum, et valde obscura, unde alii ex hebraeis putant significare *angelos*, alii *duplicata millia*, alii etiam vertunt nobiscum, *millia laetantium*. Quod sequitur, *ascendisti in altum*, sanctus Paulus de ascensione Christi interpretatur ad Ephes. 4. Itaque sensus est, Dominus olim descendit in montem Sina cum multis millibus angelorum; sed tu Messias *ascendisti in altum*, idest, in summum coelum, cepisti captivitatem, idest captivos diaboli fecisti captivos tuos; miseram captivitatem foelicissimam commutasti: et sic triumphator multis millibus sanctorum, quos ab inferis eduxisti, comitatus in regnum tuum intrasti. *Accepisti dona in hominibus*, idest accepisti a Patre dona Spiritus sancti *in hominibus*, idest pro hominibus a te redemptis, et ea dona a Patre accepta dedisti hominibus. Sic explicat s. Paulus, qui hunc locum his verbis refert, *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Et est expositio conformis Evangelio: nam Joan. 14. dicitur, *ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Et cap. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*. Porro inter dona a Christo in terras effusa, praecipuum est charitas, quae est lex nova, dicente Apostolo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Et ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax*, etc. Denique illud, *etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, significat etiam incredulos per dona Spiritus sancti conversos esse ad Christum, et ad bonam captivitatem pertinere coepisse. Ubi illud, *etenim*, ponitur, pro, *etiam*: nam in hebraeo non est, כי *chi*, sed, אף *aph*, quod significat *etiam, verumtamen, insuper*. Unde sanctus Hieronymus vertit, *insuper et non credentes inhabitare Dominum Deum*. Itaque sensus est, *cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*: etiam eos cepisti captivos, et pro iis accepisti dona, qui antea *non credebant Dominum Deum inhabitare in homine*, idest non credebant, Verbum carnem factum esse, et inhabitasse in nobis: vel non credebant Dominum Deum inhabitare in monte sancto, idest, in Ecclesia Christianorum.

21. *Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*
22. *Deus noster, Deus salvos faciendi, et nomen Domini exitus mortis.*

Graeci conjungunt duo verba praecedentia cum hoc versiculo, hoc modo, κύριος ὁ θεὸς εὐλογητός, εὐλογητός τοῦ καταστηνῶσαι, ἡμέραν καθ' ἡμέρας, *Dominus Deus benedictus Dominus*, et finiunt praecedentem versiculum in illis verbis, *etenim inhabitare*. Et sic legunt etiam s. Augustinus, et s. Hilarius. Sed noster interpres vertit conformiter ad hebraicum codicem. S. Hieronym. in Epist. ad Suniam, et Fretellam reprehendit lectionem graecorum, et confirmat nostram, ut veriorem. Igitur propheta posteaquam descripsit Ascensionem Christi, qui nobis dux fuit ad patriam coelestem agit gratias Deo, ac dicit, *benedictus sit Dominus per singulos dies*. Id enim significat, *die quotidie*; nam interpres latinus reddidit ad verbum, quod invenit in graeco, sed in hebraeo est, יום, יום, *jom, jom, die, die*, idest *omni die*; *sive de die in diem*. Benedicimus autem Deum omni die, quia omni die nobis benefacit; *prosperum iter faciet nobis*, idest, benefaciet nobis omni die, quia non deseret nos in hoc itinere, quod facimus omni die, donec ad aeternitatis diem pervenerimus. Vox hebraica, יעמס *jahamos*, significat, *portabit*, quam unam vocem expressit interpres tribus vocibus: *prosperum iter faciet*, vere enim prospere ambulat, qui portatur a Deo. In graeco est etiam unicum verbum, κατευοδῶσαι, quod significat *prosperare iter*, complanando videlicet viam et impedimenta removendo? Itaque promittitur hoc loco continua assistentia gratiae Dei, dum peregrinamur a Domino, *Deus salutarium nostrorum*, idest, prosperabit nobis iter Deus, qui est auctor totius nostrae salutis: non enim indigemus simplici salute, sed multiplici, qui multiplici periculo sumus obnoxii. *Deus noster. Deus salvos faciendi*, idest non sine causa dixi, Deum prosperaturum iter nobis, et salutes multas allaturum: nam hoc est illi proprium, haec est ejus natura; ipse enim Deus noster, est Deus salvans, Deus misericors et pius. *Et Domini, Domini exitus mortis*, idest, et ab ipso provenit evasio mortis, sive egressio a morte. Pro illud, *Domini, Domini*, in hebraeo sunt duo nomina: unum quatuor literarum, יהוה quod est proprium Dei, et in scripturis non pronunciatur, sed loco ejus legitur, Adonai; alterum nomen est, אדני Adonai quod Dominum significat. Itaque sensus est, *et Dei nostri*, qui est verus Dominus omnium rerum, *sunt exitus mortis*, idest liberatio a morte, sive evasio mortis. Ipse enim est vita aeterna, et eam nobis communicabit, cum finita peregrinatione transferet nos de morte ad vitam.

23. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

Docuit, quid faciet Dominus amicis suis: docet nunc, quid faciet inimicis, qui increduli permanserint, atque a regno ejus alieni esse voluerint. *Confringet*, inquit, *Deus capita inimicorum suorum*, idest, superbiam inimicorum suorum humiliabit, dum eos ad inferos aeternis cruciatibus puniendos damnabit. *Verticem capilli perambulantium in delictis suis*. Idem aliis verbis repetit, ac declarat more suo propheta: nam quod dixerat, *capita*, nunc dicit, *verticem capilli*: idest, verticem crinitum, superbum ac vanum confringeret. Quod dixerat, *inimicorum*, nunc dicit, *perambulantium in delictis suis*: illi enim soli sunt inimici Dei, qui non ambulant in lege Domini, sed in delictis suis, hoc est, qui tempus vitae suae peccando consumant. Paulo aliter exponit s. Hilarius: vult enim per capita inimicorum Dei intelligi principes tenebrarum, idest, principes Daemonum, quos Dominus dicit *perambulare verticem capilli* idest, insidere, et dominari capitibus hominum impiorum, ut eos ad varia delicta alliciant.

24. *Dixit Dominus. ex Basan convertam, convertam in profundum maris.*
25. *Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

Confirmat Deus sententiam Prophetae de perditione impiorum. *Dixit Dominus, ex Basan convertam convertam, in profundum maris*, idest, ego Dominus abstraham inimicos meos ex Basan regione uberrima et pinguissima, et *projiciam in profundum maris*, ut olim egi cum Pharaone. Convertam videlicet impios a deliciis, et voluptatibus in ultimam perditionem, tantaque erit hostium strages, *ut pes tuus*, o populi mens, *tingatur in sanguine occisorum*, et lingua canum tuorum tingatur ab ipso sanguine ex inimicis effuso. Haec mihi videtur sententia apte cohaerens cum superioribus. In hebraeo habetur, ממצלות ים *mimmetsuloth iam, ex profundis maris*, quae videtur lectio contraria lectioni nostrae editionis vulgatae, quam tamen habuerunt s. Hilarius, s. August. et s. Hieron. in commentario. Et quamvis in hebraeo sit praepositio, מן *min*, quae significat *ex*, vel *ab*: tamen ponitur aliquando pro, ב *beth*, quae significat, in, et contra, *in* ponitur pro, *ab*: nam Ecclesiastae 2. ubi legimus, *cogitavi abstrahere a vino carnem meam*, in hebraeo est, *in vinum*. Sed s. Hieron. recte judicavit, in, positum esse pro, a, vel, ab, et contra Deut. 33. ubi legimus, *Dominus de Sina venit*, Rabbi David existimavit positum esse, *de*, pro, *in*, quia *Dominus in Sina montem venit*, non de Sina, quando legem dedit. Scio hos versiculos varie explicari; et tot esse expositiones, quot sunt auctores. Ideo in tanta obscuritate licitum mihi esse duxi, novam

http://www.obrascatolicas.com

expositionem excogitare, quam lectorum judicio permitto.

26. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.*

Explicata victoria, et triumpho Christi de hostibus ejus, docet propheta, eos, qui testes fuerunt tantarum rerum coepisse illa toti mundo cum cantu, et laetitia publicare. *Viderunt*, inquit, *ingressus tuos Deus*, idest, non desunt qui viderint itinera tua, Christe Deus, actiones tuas, praelia tua, victorias tuas, *ingressus*, inquam, *tuos, qui es Deus meus, et rex meus, qui nunc es in sanctuario tuo*, sive summum coelum, sive Ecclesiae sanctum habitaculum ejus dicatur: nam utrumque est verum; est enim Christus in coelo per praesentiam visibilem, in Ecclesia per fidem, et providentiam.

27. *Praevenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.*

Alludit propheta ad id quod fecerunt filii Israel, quando Deus liberavit populum suum de manu Pharaonis: tunc enim Moses principes populi cum aliis filiis Israel cantavit canticum illud, Exod. 15. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Et Maria soror Moysis, cum sequentibus se mulieribus sumpsit tympanum, et ludebat laudans Deum.* Exod. 15. Sic igitur quando viderunt principes Ecclesiarum Christi victoriam et triumphum, quo de potestate Satanae liberati sumus, *praevenerunt ipsi alias gentes et populos*, ut Christi laudes praedicarent, et resonarent. *Conjuncti psallentibus, idest, conjuncti sanctis angelis in coelo* psallentibus ob eamdem victoriam, *in medio juvencularum tympanistriarum*, idest, psallentibus angelis in medio animarum sanctarum, quae cum Christo in coelum ascenderunt, quae dicuntur juvenculae, quoniam recens vitam beatam ducere, et cum Angelis Deo assistere, eique psallere et cantare coeperunt.

28. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.*

Hic versiculus est quasi parenthesis, qua Propheta praevidens futuram laetitiam principum ecclesiae, hortatur eos, *ut in Ecclesiis*, quas fundaturi erant, pergant *benedicere Domino Deo, de fontibus Israel* materiam laudis haurientes; vocat autem *fontes Israel* promissiones Dei ad Patriarchas, et vaticinia Prophetarum praedicentium ea, quae nunc impleta esse videmus, et gaudemus. Illud, *Deo Domino*, legi debet cum distinctione hoc modo: *In Ecclesiis benedicite Domino Deo, de fontibus Israel*, idest, *benedicite Deo in Ecclesiis*, benedicite inquam, *Domino de fontibus Israel*. Sic enim distinguitur hic versiculus in codicibus hebraicis et hoc modo distinctus majorem habet venustatem.

29. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.*

30. *Principes Juda, duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtali.*

Redit ad superiorem narrationem et explicat qui sint illi principes, de quibus dixit, *praevenerunt principes*. Isti, inquit, sunt *Beniamin adolescentulus principes Juda et principes Zabulon et Nephtali*, per quae nomina intelligunt communiter latini patres, Hilarius, Hieronymus et Augustinus, et graeci expositores, Theodoretus et Euthymius, sanctos Apostolos qui constituti sunt a Deo Principes super omnem terram psal. 44. ac primo loco nominatur *Beniamin adolescentulus*, per quem intelligitur Apostolus Paulus, qui erat de tribu Beniamin et qui novissimus fuit vocatione, *sed plus omnibus laboravit* praedicando et laudando victoriam Christi: et *is in mentis excessu* ita conjunctus fuit psallentibus in tertio coelo, et in paradiso ut nesciret *an tunc in corpore esset, vel extra corpus*, ut ipse testatur 2. Corinth. 12. Per *principes Juda*, intelliguntur Apostoli, qui erant de tribu Juda, et Christi fratres dicuntur in Evangelio, quod essent filii Cleophae fratris Joseph, sponsi b. Virginis ut ex Egesippo refert Eusebius, lib. 3. hist. cap. 11. juxta versionem Ruffini videlicet Jacobus, Simon, Judas et principes Zabulon et Nephtali dicuntur Apostoli caeteri, Petrus et Andreas Jacobus, Joannes, Philippus, Matthaeus, et caeteri, qui erant a Bethsaida, vel Capharnaum et vicinis civitatibus, ad sortem Zabulon, et Nephtali pertinentibus, quod colligitur ex Evangelio sancti Matthaei, qui scribit cap. 4. *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam, et relicta civitate Nazareth habitavit Capharnaum maritima in finibus Zabulon et Nephtali, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam et Terra Zabulon, et terra Nephtali via maris trans Jordanem Galilaeae gentium; populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis:* sed quoniam ea captivitate non redierunt decem tribus, sed sola tribus Juda et Beniamin cum Levitis, ut colligitur ex lib. 1. Esdrae: Apostoli dicuntur principes Zabulon, et Nephtali, vel quia in sortibus horum duorum Patriarcharum habitabant; vel quia forte pauci aliqui ex iis tribubus redierint admixti Judaeis: quod cogimur dicere de Anna Prophetissa, quae dicitur fuisse de Tribu Aser, Luc. 2. Miratur Calvinus haeresiarca in antidoto Concilii Trident. quid cogitaverit Interpres noster Latinus, quando vertit, *Beniamin adolescentulus in mentis excessu*, cum in hebraeo non habeatur, *in mentis excessu*, sed *dominator eorum*. At nos miramur, Calvinum non cogitasse, a Latino Interprete redditum fidelissime fuisse, quod est in graeco: vulgata enim latina editio psalterii ex graeco expressa est, non ex hebraeo. Sed neque dissentit lectio graeca, vel latina ab hebraica bene intellecta, ut eam intellexerunt septuaginta Interpretes. Vox enim hebraica, רדם *rodem*, si deducatur a verbo, רדה *radah*, significat *dominator eorum*, ut Calvinus dicit secutus Rabbinos; si deducatur a verbo, רדם *radam*, ut eam deduxerunt septuaginta Interpretes, significat *altissime dormiens*, sive *mentis excessum patiens*. Ero illo autem, *duces eorum*, vertunt alii, *in purpura sua*: sed vox hebraica, רגמתם *rigmatham* utroque modo reddi potest, et sensus est idem.

31. *Manda Deus virtuti tuae; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

Descripta victoria Christi et laetitia Apostolorum, petit a Deo Propheta, ut potentiam suam, quam exercuit in superandis hostibus, et constituenda Ecclesia, iterum exerceat in confirmando, et conservando opere suo. *Manda*, inquit, *virtuti tuae*, idest, impera potentiae tuae, ut operi inchoato assistat, illudque conservet, et augeat. Explicat deinde hoc ipsum clarioribus verbis, dicens, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, idest, liberasti nos de potestate Satanae, translisti in regnum filii tui, plantasti Ecclesiam sanguine ejusdem filii tui, effudisti in nos Spiritum adoptionis filiorum; *confirma haec omnia*, quae opera sunt misericordiae tuae. In hebraeo habetur, *Mandavit Deus tuus virtuti tuae*: sed vox hebraica, צוה אלהיך *tsivva elohecha*, potest esse praeteritum, *mandavit* et imperativum, *manda*. Sed illud pronomen additum nomini Deus, cum dicitur, Deus tuus, totam sententiam obscurat. Itaque suspicor esse addititium et non fuisse in codicibus, quos habuerunt septuaginta Interpretes: nam omnes veteres, graeci et latini legunt, *munda Deus virtuti tuae*, dum exponunt hunc versiculum ex interpretatione Septuaginta. Sanctus enim Hieronymus vertit quidem ex hebraeo, *praecepit Deus tuus de fortitudine tua*: tamen in commentario legit et exponit cum aliis patribus, *Manda Deus virtuti tuae*.

32. *A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.*

Potest hic versiculus intelligi de regibus, qui in coelo cum Christo regnant et tunc sensus est, *A templo quod est in coelesti Jerusalem tibi Deo sancti qui regnant cum Christo offerent munera*, idest, sacrificia laudis perpetuae. Potest etiam intelligi de regibus spiritualibus, idest, de sacerdotibus Ecclesiae, de quibus paulo ante dictum est, *Dum discernit coelesti reges super eam*; et tunc sensus est, *a templo*, quod est in Ecclesia Catholica, *tibi Deo* sacerdotes, qui sunt ministri regni tui, et populum vice tua regunt, *offerent munera*, id est, sacrificia Eucharistica, sacrificia item laudum, et precum, sacrificia denique conversionis animarum. Postremo potest intelligi de regibus temporalibus; et tunc illud a *templo*, exponendum est, propter templum, idest, propter sanctitatem templi tui, quod est in Ecclesia offerent tibi reges terrae munera pretiosa ad ipsius templi ornatum, et ad alendos templi ministros, de qua oblatione regum multa praedicit Isaias cap. 60. et 66.

33. *Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.*

Convertit nunc orationem ad hostes Ecclesiae, qui pacem ejus perturbare satagunt; ne munera laudum, et sacrificia bonorum operum offerantur Deo: ac primum loquitur de hostibus invisibilibus, ut exponunt s. Hilarius ex latinis, et Euthymius ex graecis. Ait igitur, *increpa*, id est, exterre, coerce, reprime *feras arundinis*: per feras arundinis intelliguntur bestiae sylvestres, quae latent inter arundineta: et per has bestias describuntur doemones, qui libenter versantur inter homines vanos, et leves, et in locis humentibus, ubi regnat luxuria. Sic enim de diabolo sub figura Behemoth loquitur Dominus in libro Job cap. 40. *Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus*. Deinde addit de hominibus *congregatio taurorum in vaccis populorum*, idest, congregatio principum impiorum saevientium instar taurorum. *In vaccis populorum*, idest, in medio populorum insipientium, et insantientium instar vitulorum, sive juvencarum: (nam in hebraeo, בעגלי עמים *beheglè hammim*, exprimitur non solum genus foemininum, sed etiam juventus.) *Congregatio*, inquam, *facta est, ut excludant eos, qui probati sunt argento*, idest, convenerunt principes et populi impii Satana instigante et impellente, ut excludant, rejiciant, ad nihil redigant praedicatores Fidei, qui probati sunt instar argenti in fornace ignis, et inventi purissimi et fidelissimi. Itaque significantur his verbis persecutiones gravissimae, tum judaeorum, tum paganorum, quae exortae sunt post Christi ascensionem in coelum. S. Augustinus per feras arundinis, sive calami, ut ipse legit, intelligit haereticos, qui calamo, idest, scriptura vexant ecclesiam. Et illud, *ut excludant eos, qui probati sunt argento*, exponit in hunc sensum, ut faciant eminere eos, qui probati sunt, ut argentum excluditur ab artificibus, quando ex massa impolita excludunt vas argenteum, idest, apparere, et eminere faciunt. Haeretici enim exercent Ecclesiam et occasionem praebent, ut multi viri docti et probi emineant in intelligentia Scripturarum.

34. *Dissipa gentes, quae bella volunt: venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeveniet manus ejus Deo.*

Praedicit nunc victoriam adversus persecutores. *Dissipa*, inquit, *gentes*, idest, tu dissipabis omnes, qui bella movent adversus populum tuum: et tunc *venient legati ex Aegypto* pacem petentes et subjectionem profitentes: et *Aethiopia*, quae longius distat, *praeveniet manum ejus Deo*, idest, praeveniet apud Deum manum Aegypti offerentis munera. Nominat Propheta Aegyptum et Aethiopiam, illam ut valde inimicam veraе religionis, istam ut valde longinquam. Volunt autem Patres, per Aethiopiam praevenientem, significari Eunuchum Candacis reginae Aethiopum, qui ad fidem Christianam adjunctus est multo antea, quam ea-

http://www.obrascatolicas.com

dem fides ad Aegyptum, aliasque gentilium regiones pervenisset: de qua re lege cap.8.Actor.Apost.

35. *Regna terrae cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli ad Orientem.*

Pergit praedicare per modum exhortationis,conversionem Gentilium ad fidem Christianam.*Regna terrae*, idest, totius terrae, non solum regnum Israel, aut Juda, *cantate Deo*, ex fide agnoscentes verum Deum, cantate laudes ejus. *Psallite Domino*, non solum verbis cantate, sed etiam bonis operibus, *psallite Domino qui ascendit super coelum coeli ad orientem*, idest, qui posteaquam ascendit in altum sedet in summo coelo ad fontem lucis,unde oritur omne lumen.In hebraeo et graeco codice non sunt illa duo verba *psallite Deo*, et s. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam, dicit esse supervacanea: tamen nihil obest,quod in nostra editione legantur, cum nihil sint, nisi repetitio praecedentium verborum.Illud autem,*ascendit super coelum coeli*: non significat ascendit in coelum,sed sedet super coelum: vox enim hebraica est, רכב *rocheb*, quae non significat *sursum ascendere*, sed *equitare*, vel curru vehi, ut supra diximus ad illa verba, *qui ascendit super occasum*. Itaque significat Propheta Christum Dominum post ascensionem in coelum de qua locutus est, cum ait, *ascendisti in altum*, esse coepisse ipso coelo altiorem et superiorem, quippe qui sedet super coelum, ut eques super equum, vel auriga super currum,vel rex super solium. Illud autem *ad orientem* optime cohaeret cum eo, quod supra dictum est, *qui ascendit super occasum*, idest, quia sub se habet tenebras omnes; ipse est in luce, vel ad lucem inaccessibilem, unde oritur lumen omne, quod communicatur angelis, et hominibus. S. Hieronymus vertit. *qui ascendit super coelum coeli a principio*: et vere vox hebraica, קדם *kedem*, utrumque significat et orientem et principium et utrumque est verum. Christus enim,ut Deus a principio sedit super coelum coeli; et ut homo, post resurrectionem ascendit in coelum et nunc est super coelum coeli ad orientem,assistens aeterno et supremo Orienti,id est,fonti lucis.

36. *Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel: magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.*
37. *Mirabilis Deus in sanctis suis Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.*

Hos duos versiculos referunt graeci, Theodoretus et Euthymius ad missionem Spiritus sancti, quomodo post ascensionem Domini, induti sunt Apostoli virtute ex alto. Sed latini, Hilarius, Augustinus et Hieronymus referunt ad secundum adventum Christi: et hoc magis probo.Hic enim psalmus (ut initio diximus) omnia mysteria utriusque testamenti complectitur. *Ecce*, inquit, *dabit voci suae vocem virtutis*, idest, ille, qui humilis apparuit, *et sicut agnus coram tondente obmutuit*, ut dicit Isaias c.53. nunc *sedet super coelum coeli*, et paulo post *dabit voci suae*, ut sit *vox virtutis*, idest, vox potentissima et efficacissima: quod fiet quando *omnes mortui audient vocem fili Dei et resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem Judicii*, ut habetur Joan.5. nulla enim vox potentior cogitari potest. Dux quidem virtutis fuit, quae dixit, *adolescens tibi dico surge*, Luc.7. et *Lazare veni foras*. Joan. 11. Sed vox, quae cineres omnium hominum ab initio mundi defunctorum subito formabit, animabit, excitabit,quantae tandem virtutis erit? Vox item maximae virtutis erit quae dicet, *Ite maledicti in ignem aeternum*. Matthaei 25. et, *Venite benedicti,possidete paratum vobis regnum*; cui voci absque ulla resistentia, vel retractatione respondebit effectus. Certe comparatione ad hanc vocem, omnia omnium principum edicta,et imperia nullius virtutis existimanda sunt. Recte igitur subjungit, *Date gloriam Deo super Israel*, idest, glorificate Deum super beneficia in electos ejus collocata.*Omnia enim propter electos*, inquit Apostolus. 2. Tim. 2. *Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus*, id est, *date gloriam Deo super Israel*, quoniam magnificentia Dei, et potentia Dei manifestabitur maxima *super Israel in nubibus coeli*, quando videlicet *rapientur electi in nubibus obviam Christo*, ut ait b. Paul. 1. Thessal. 4. et in ipsis nubibus erunt sedentes, quasi in soliis coelestibus et sublimissimis omnes electi Dei a dextris et a sinistris Judicis omnipotentis.Quare exclamare licet, *Mirabilis Deus in sanctis suis*:tunc enim vere totus mundus intelliget,Deum in sanctis suis provehendis ab imo ad summum, a summa humilitate ad summam, et celsissimam gloriam, plane admirabilem fuisse: nam *Deus Israel*. Deus electi populi sui, tunc *dabit virtutem et fortitudinem plebi suae*, cum electos suos vera immortalitate et impassibilitate donabit. Neque obstat, quod in hebraeo legatur, *mirabilis Deus in sanctuariis*: ipsi enim sancti viri sunt verissima sanctuaria Dei,neque etiam quod in hebraeo sit in secunda persona, ממקדשיך *mimmikdascecha*, *in sanctuariis tuis*. Videtur enim errore scriptorum id accidisse.Nam non solum septuaginta verterunt in tertia persona, sed etiam s. Hieronymus vertit, *sanctuario suo*.Denique parum refert, quod in hebraeo sit, נורא אלהים *norà Elohim*,*Terribilis Deus*, pro quo nos habemus, *Mirabilis Deus*: nam utrumque est verum, et una lectio explicat aliam: discimus enim ex lectione hebraica, Christum in die novissimo fore mirabilem in sanctis suis, cum magno terrore impiorum: quamquam omnis admiratio terrorem quemdam incutere soleat. Concludit Propheta illis verbis,*Benedictus Deus*:id enim sequitur ex praedictis in toto psalmo, ut omnes Deum benedicere debeant, cum ejus misericordia et justitia, potentia, et sapientia,ex tot mysteriis mirifice declarata sint.

PSALMUS LXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro iis, qui commutabuntur David.

De hoc titulo dictum est in explicatione psalmi 44. quae non sunt repetenda. Consentiunt fere omnes Expositores veteres, ut Hilarius, Augustinus Hieronymus, et recentiores, ut Genebrardus, Jansenius, Agellius, et alii, in hoc psalmo praedici passionem Christi plane ad litteram,nec non eversionem Judaeorum, et aedificationem Ecclesiae, quae constat ex iis, qui foeliciter commutabuntur de iniquitate ad justitiam, et de miseria temporali ad gloriam sempiternam. Unus est Theodoretus, quem sequitur Euthymius,qui psalmum exponendum censuit de captivitate Babylonica Judaeorum; sed Beatus Augustinus constanter reprehendit eos qui audent aliter exponere, quam Apostoli exposuerint. Apostoli enim de Christo praedicta esse affirmant illa, *Qui oderunt me gratis*, Joan. 15. et illa, *Zelus domus tuae comedit me*, Joan. 2. item illa, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*, Roman. 15. et illa, *In siti mea potaverunt me aceto*, Joan. 19. et illa, *Fiat habitatio eorum deserta et non sit qui habitet in ea*. Actor. 1.

EXPLICATIO PSALMI LXVIII.

1. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.*
2. *Infixus sum in limo profundi et non est substantia.*
3. *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.*

Passio Domini nostri Jesu Christi in evangeliis ita describitur,ut non multa dicantur de vehementia doloris ejus. Voluerunt enim Evangelistae declarare passionem illam fuisse voluntariam et summa constantia toleratam a Christo. Sed quoniam oportebat etiam, ut mundus intelligeret, acerbitatem doloris in Christo fuisse maximam, atque inde colligeret, quantum debeat Redemptori, ideo Spiritus sanctus hanc doloris vehementiam multo antea Prophetis revelavit, ac per eos ut testes fide dignissimos et ab omni adulatione alienos, scribi voluit.Itaque multa de hac re scripsit Isaias,multa Hieremias, sed nullus plura quam David. Igitur in primis tribus hujus psalmi versiculis, describitur passio Christi per similitudinem mersionis in aquas lutulentas et profundissimas.*Salvum me fac* Deus, salutem petit Salvator a Deo Patre, non salutem animae quam habebat, et perdere non poterat,cum beatus esset: sed salutem corporis,eamque non absolute petit, sed ut ostendat magnitudinem doloris, et contrarietatem naturalis appetitus ad mortem, eo prorsus modo, quo in horto dixit, *Pater, si vis transfer calicem hunc a me*,Luc. 22. *Quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam*. Hic incipit similitudo demersionis in aquas. Quoniam, inquit, similis factus sum ei, qui projectus in aquas,incipit sentire aquas penetrantes ad vitalia, ut jam respirare, et vivere non possit, *Infixus sum in limo profundi et non est substantia*,idest, similis factus sum non solum homini praecipitato in aquas, sed in aquas limosas, et sine fundo, ut non liceat emergere, neque subsistere. Illud, *Et non est substantia*, significat,et non est fundamentum, sive fundus, ubi subsisti possit: nam graece est ὑποστάσις, et hebraice, מעמד *mahomad*. quae *stationem*, sive *consistentiam*, vel *subsistentiam* significant. *Veni in altitudinem maris*, idest,non in parvum gurgitem demersus sum,sed in mare magnum et profundissimum, ut aquarum immensa multitudo super me sit. *Et tempestas demersit me*, idest, quia tempestas vehementissima ventorum,et fluctuum demersit me. In hac similitudine per *multitudinem aquarum usque ad animam penetrantium*, intelliguntur poenae multae, quas Christus pertulit, quae usque ad mortem saevierunt: non enim simplici morte defunctus est, sed innumeras poenas, doloresque sustinuit. *Per limum profundum*, cui infixus inhaesit,significantur peccata totius humani generis, quae illum in poenis detinuerunt: per *tempestatem*, qua demersus fuit in aquas, intelligitur justitia, decretumque divinum, quod expiari peccata voluit;intelligitur quoque rabies et crudelitas Judaeorum: intelligi denique potest, et maxime proprie vehementia amoris ipsius erga genus humanum. Nam per eam tempestatem, intelligitur causa efficiens passionis, quae multiplex fuit, ut Theologi docent ex divinis Scripturis. Nam Apostolus ad Rom. 8. dicit, *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Et Actor. 3. dicit s. Petrus ad Judaeos, *Auctorem vitae interfecistis*. Et rursus b. Paulus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea*. Itaque tempestas valida,quae Christum demersit in profundum passionis, et mortis,

http://www.obrascatolicas.com

fuit partim bona, et laudabilis, partim mala et reprehensione dignissima.

4. *Laboravi clamans,raucae factae sunt fauces meae:defecerunt oculi mei,dum spero in Deum meum.*

Ex hoc versiculo intelligimus, quae dicta sunt in tribus versiculis superioribus, accipienda esse per similitudinem:nam si proprie Christus demersus fuisset in aquas, non potuisset clamare. Sed hic etiam versiculus quartus per similitudinem accipiendus est: Christus enim clamavit quidem in Passione, cum ait, *Deus meus,Deus meus ut quid dereliquisti me?* Matt. 27. et rursum clamavit cum ait, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. 23. Sed hi clamores tam breves fuerunt, ut non potuerint raucedinem facere. Quod autem Christus in passione defecerit aspiciendo,et expectando auxilium a Deo nusquam legimus.Itaque sensus est, Tanta fuit acerbitas et prolixitas doloris mei, quantam intelligimus esse in illis,qui usque ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur, et clamant: et quanta in illis esse solet quorum oculi deficiunt aspiciendo in coelum et expectando auxilium a Deo. Quod igitur Christus in passione semper fere tacuerit, *ut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, ut dicit Hier. cap. 11. et adjuvantem non requisierit, quasi nihil acerbi pateretur, non fecit levitas passionis, sed magnitudo constantiae et flamma charitatis. Si enim juxta magnitudinem dolorum,lamentatio esse debuisset,sine dubio raucae factae fuissent fauces ejus ob continuam vociferationem, et oculi eius caligassent, dum aspiceret in auxiliatorem. Quare (ut supra indicavimus) Propheta expressit magnitudinem passionis: Evangelista vero constantiae magnitudinem demonstravit.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*
6. *Confortati sunt.qui persecuti sunt me inimici mei injuste; quae non rapui, tunc exolvebam.*

Explicat nunc Propheta in persona Christi, propriis verbis, quae hactenus dixit per similitudines. Comparavit enim persecutores Christi multitudini aquarum, et violentiae tempestatis: nunc aperte dicit inimicos suos fuisse prope innumerabiles, et violentissimos, et absque ulla justa causa imo sine ulla causa ita saeviisse.*Multiplicati sunt super capillos capitis mei*. idest, plures fuerunt quam sit numerus capillorum capitis, qui numerari vix possunt. *Qui oderunt me gratis*, id est, plurimi fuerunt,qui oderunt me absque ulla causa. Quod plurimi fuerint,perspicuum est ex evangelio: nam praeter concilium seniorum, pontificum,scribarum, et pharisaeorum,accessit turba populi maxima, *quae clamavit, crucifige eum*. Matth. 27. Joan. 19. Accesserunt integrae cohortes militum paganorum; *sprevit enim eum Herodes cum exercitu suo*. Luc. 23. Et in domo Pilati convenit universa cohors militaris ad Christum illudendum.Accessit etiam Judas super numerum odientium Christum. Quod autem gratis eum oderint, dubitari non potest, *cum pertransierit benefaciendo*, et *sanando omnes oppressos a diabolo*, Actor. 10. et neminem unquam laeserit. Causa vero quam allegabant in Concilio, Joan. 11. *Si dimittimus eum sic, venient Romani,et tollent locum nostrum,et gentem*, eventus docuit, quam fuerit vana et ex falsa prudentia prodierit:nam non dimiserunt eum imo impediverunt, quantum potuerunt Evangelii progressum,et tamen venerunt Romani,et tulerunt locum eorum, et gentem: quod non accidisset, si Christum, qui pacis, et mansuetudinis, et charitatis doctor, et auctor erat, fideliter recepissent.Addit Propheta de violentia inimicorum Christi: *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste*, idest, injusti persecutores mei roborati sunt, fecerunt sibi animum, praevaluerunt,et ideo injusti fuerunt, quia coegerunt ut solverem *quae non rapui*, idest, poenam darem sine merito culpae. Omnis iniquus, raptor dici potest, quia rapit gloriam Dei, et ideo cum punitur, soluit quod rapuit,sed Christus nihil rapuit,quia numquam peccavit, et tamen poenas gravissimas dedit. Agnovit id latro pendens in cruce, cum ait, *nos quidem juste*, (crucis videlicet supplicium patimur) *nam digna factis recipimus,hic autem nihil mali gessit*. Luc. 23.

7. *Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.*

Quia dixerat injuste se pati,et solvere quae non rapuit: reddit nunc rationem, cur voluerit pati, cum facile posset ab injusta persecutione se liberare; causam autem esse dicit insipientiam suam, et delicta sua, quae Deo notissima,sed mundo occultissima erant. *Insipientiam suam*, vocat insipientiam Adami, quam in se suscepit, et *delicta sua*, vocat delicta ejusdem Adami et caeterorum hominum, quae portavit, non commisit. *Deus*, inquit, *tu bene nosti, quae sit insipientia mea*, et quae *delicta mea*, idest, tu scis me pati propter insipientiam primi hominis, qui seductori credidit similem Deo se futurum, si ligno vetito vesceretur et propter inobedientiam ejusdem, quae insipientiam illam consecuta est. Addit s.Augustinus insipientiam Christi dici posse eam, quae apud homines insipientia visa est,cum tamen sapientia esset maxima, videlicet quod cum posset unico verbo a morte se liberare, voluit tamen pati acerbissima tormenta et mortem ipsam crucis, ut servulos et ipsos inimicos a tormentis et morte redimeret. Haec stultitia visa est hominibus; sed Deus novit hoc genus stultitiae sapientius esse omni humana sapientia. Quomodo stultitia videri potest ignorantibus artem agriculturae cum grana optima projiciuntur in campos, et amitti irreparabiliter videntur; sed cum eadem grana multiplicata colliguntur in messe, tunc apparet,non stultitiam,sed sapientiam fuisse projicere eo modo grana in sulcos terrae.

8. *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.*
9. *Non confundantur super me, qui quaerunt te Deus Israel.*
10. *Quoniam propter te sustinui opprobrium,operuit confusio faciem meam.*

Sollicitus pro membris suis orat, ut haec ipsius passio non sit scandalum fidelibus suis, aut certe non desperent:nam ipse dixit,*beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, Matth. 11. et ad discipulos passione jam imminente, *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, Matth. 26. Ideo nunc ait, *non erubescant in me, qui expectant te Domine*, idest, non erubescant propter me, qui sperant in te, quasi ego derelictus a te sim, et spes mea vana fuerit: ne dicant, Quis audebit spectare Dominum, idest, sperare in Domino, si filium suum Dominus ita negligit, ita deserit? Ac deinde repetit et declarat, addens, *Non confundantur super me, qui quaerunt te Deus Israel*: nam qui confunduntur, erubescunt; et qui sperant, quaerunt: quod ergo dixerat, *non erubescant in me*, declarat per illa verba, *non confundantur super me*, idest, mei causa. Et quod dixerat, *qui expectant te*, explicat per illa, *qui quaerunt te*, idest, qui sperantes in te quaerunt auxilium tuum: et ad id quod dixerat, *Domine virtutum*, addit, *Deus Israel*: ut ostendat,merito homines confidere in Deo, quia Dominus est virtutum, idest, exercituum,ac per hoc potentissimus: et simul est Deus Israel, idest,amator et protector populi sui, ac per hoc benignus, et qui non solum potest, sed etiam vult, et solet defendere suos. Reddit postremo causam, cur id juste petat. *Quoniam*, inquit, *propter te sustinui opprobrium*, idest, haec juste peto,quia ignominiam,quam passus sum, non propter culpas meas, sed propter honorem tuum passus sum. Propter te, inquam, *operuit confusio faciem meam*, idest, propter gloriam tuam, ego sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem, et alia id genus, quae verecundia ac rubore vultum meum impleverunt.

11. *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae.*
12. *Quoniam zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.*

Explicat Propheta in persona Christi occasionem persecutionis Judaeorum. Occasio enim fuit, quia Dominus reprehendebat mala opera eorum: sic enim ipse ait Joan. 7. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt*. Et in libro Sapientiae, capite secundo, dictum est, *circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae*, etc. Dicit igitur, *extraneus factus sum fratribus meis*, idest, tamquam extraneum me reputaverunt fratres mei, Judaei: *et peregrinus filiis matris meae*, idest, et tamquam hospes, vel alienigena existimatus sum a filiis matris meae synagogae. Et hoc est quod initio evangelii scripsit s. Joan. *In propria venit, et sui eum non receperunt*: Nam etiamsi dixerant Joan. 7. *hunc scimus unde sit*; et Dominus eis, *et me scitis, et unde sim scitis*: tamen Jo. 9. dicunt,*scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit*, idest, non novimus eum, extraneus est nobis. Reddit,autem rationem cur tamquam extraneum illum habuerint,cum addit, *quoniam zelus domus tuae comedit me*. Zelus enim domus Dei tum corporalis, idest,templi,quod prophanabant Judaei negotiationibus: tum spiritualis, idest, congregationis fidelium, quam vitiis variis inquinabant. *comedebat*, idest, consumebat, urebat,dolore afficiebat ipsum: ac propterea ipse zelo illo permotus gravissime Judaeos arguebat,ut perspicuum est ex cap. 23. Matth. et cap. 11. Luc. et cap. 8. Joan. et sicut ipse juste eos arguebat, ut emendaret; sic vicissim illi eum blasphemabant, eique conviciabantur,dicentes,*daemonium habes, Samaritanus es;* et *in Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia*; et, *scimus quia hic homo peccator est*. Joan. 8. et ideo subjungit in psalmo, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Dicit autem opprobria exprobrantium tibi, quia injuriae Filii pertinent ad Patrem, praesertim cum in divinis Pater et Filius unum sint in essentia: et quamvis communes essent omnes injuriae Patri et Filio, tamen eae praecipue pertinebant ad Patrem, quae ad miracula pertinebant, quae sunt opera divina, de quibus ipse dicebat, *Opera, quae dedit mihi Pater ut faciam illa*, testimonium perhibent de me, Joan. 5. et, *Pater in me manens ipse facit opera*, Joan. 14. illa ergo calumnia, *in Beelzebub Principe daemoniorum ejicit daemonia*, propriissime ad Patrem pertinebat, cum opera Dei quae Filius faciebat in nomine Patris sui, et quae Pater per Filium operabatur, ipsi tribuerent diabolo. Ista ergo opprobria exprobrantium Patri cadebant super Filium, tum quia intentio Judaeorum erat Filium calumniari, non Patrem,tum quia ipse Filius libenter super se accipiebat injurias, quae ad Patrem pertinebant, et in hoc sensu allegatur hic versiculus ab Apostolo ad Rom. 15.

13. *Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.*
14. *Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.*

Prior versiculus obscurissimus est, tam quo ad verba, quam quo ad sententiam. Et obscurior etiam videtur esse juxta verba hebraica,ubi legimus *Et flevi in jejunio animam meam*: neque satisfaciunt, qui contendunt lectionem puram esse in quodam codice Vaticano, ubi legitur,*Et incurvavi in jejunio animam meam*:et verba hebraica esse immutata, et pro אבכה *ebche*, legendum esse אכפה *echpe*. Isti, inquam, non satisfaciunt, tum quia vulgata editio habet,*et operui*.Neque vox hebraica *echpe* significat incurvari, ut ipsi, volunt:

http://www.obrascatolicas.com

non enim, כפה *chaphah*, sed, כפף *chaphaph*, significat incurvare. Igitur his omissis, primo anima ponitur pro toto homine, et *operui animam meam*, significat operui me, idest, operui caput meum jejunando. Operire autem caput jejunando, est cum luctu et moerore in signum humilitatis et poenitentiae jejunare, unde dicitur in alio psal. 34. *humiliabam in jejunio animam meam*. Quod autem lugentes et moerentes solerent operire caput, perspicuum est ex multis locis Scripturae sacrae lib. 2. reg. cap. 15. *Porro David ascendebat clivum olivarum, scadens et flens, nudis pedibus, et operto capite*. Et eodem lib. cap. 19. *Porro Rex operuit caput suum, et clamabat voce magna, Fili mi Absalon, Absalon fili mi*. Esther. 6. *Aman festinavit in domum suam lugens, et operto capite*. Et de ritu jejunandi, Isaiae 58: *Numquid hoc est jejunium, quod elegi: per diem affligere hominem animam suam: numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere*, ubi contorquere caput quasi circulum, est caput cooperire undique, et tegmen arcte constringere. Atque hinc conciliari potest lectio Hebraica cum graeca, et latina. Quod enim habetur in hebraico, *Et flevi in jejunio animam meam*, existimaverunt septuaginta Interpretes, intelligendum esse non proprie de fletu, sed de signo et ritu fletus et doloris et ideo verterunt *operui in jejunio animam meam*. Neque est novum, quod fletus accipiatur pro signo fletus, nam in scriptura passim legimus, defletos fuisse mortuos multis diebus quod significat signa moeroris multis diebus portata. Et quod legimus in Genesi cap. ultimo, quod Aegyptus fleverit Jacobi Patriarchae mortem septuaginta diebus, sine dubio de signis luctus intelligitur, ut notat s. Hieronymus. Jam quod attinet ad sententiam, non legimus Christum jejunasse operto capite, neque saccum induisse multo minus ea causa fuisse derisum: sed contra legimus, dictum de eo Matth. 11. *Ecce homo vorax, et potator vini:* et discipulos ejus reprehensos, quod non jejunarent, ut discipuli sancti Joannis et Pharisaeorum jejunabant, Matth. 9. jejunavit quidem Dominus quadraginta diebus in deserto sed hoc fuit occultum jejunium, ut non potuerit inde opprobrium pati. Jejunavit quoque saepissime totos dies occupatus in praedicatione, quemadmodum vigilabat saepe totas noctes orationi vacans, sed non inde opprobrium illi accessit. Denique jejunavit in Passione sua, a vespera feriae quintae usque ad horam nonam feriae sextae et ob defatigationem et flagella sine dubio esurivit, et sitivit: nec defuit ritus operiendi caput: nam spineo galero coopertus jejunavit nec sine opprobrio cum in fame sua felle cibatus et in siti aceto potatus fuerit tamen de cilicio, sive sacco nihil in evangelio legimus. Quare cum sancto Augustino duo isti versiculi exponendi esse videntur spiritualiter ut per jejunium cum fletu, et moerore intelligamus esuriem et sitim ardentissimam salutis animarum, pro quibus angebatur et gemebat; per cilicium vero intelligatur caro mortalis et passibilis, qua Verbum indutum mundo apparuit ut humilitate sua mortales adduceret ad contemptum rerum transeuntium et desiderium aeternarum: et ob ista opprobrium factus est, et fuit Judaeis *in parabolam*, idest, in irrisionem, inquit s. August.. Parabola enim est similitudo quae potest esse in bono, et in malo, sed hoc loco intelligitur in malo, quomodo Sapient. 5. dicuntur sancti fuisse *in similitudinem improperii*. Fuisse autem Christum irrisum in terris, manifestum est: nam Marci 5. cum diceret, *non est mortua puella, sed dormit, irridebant eum*. Et Luc. 16. cum loqueretur de eleemosynis large faciendis, audiebant Pharisaei avari, *et deridebant eum*. In Passione autem irrisus fuit a militibus, ab Herode, a principibus sacerdotum, ab aliis.

15. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et me psallebant, qui bibebant vinum.*

Haec est quasi appendix ad ea, quae dicta sunt, quasi dicat, accedit praeterea quod *adversum me loquebantur qui sedebant in porta*, idest, principes ac judices in conciliis suis de interitu meo consultabant, et falsa testimonia quaerebant, ac me denique ad mortem condemnabant. Judicia enim in portis civitatum apud hebraeos exercebantur, unde est illud proverb. 31. *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terrae. Et in me psallebant qui bibebant vinum*, idest, non solum pubblice in conciliis, sed etiam privatim in domibus tempore conviviorum inter pocula de me garriebant, et cantabant ludentes et irredentes.

16. *Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.*

Exposuit hactenus Propheta magnitudinem passionis dominicae, nunc exponit orationem Christi ad Patrem pro liberatione a tantis malis, de qua scribit Apostolus ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Ex quo intelligimus orationem Christi absolutam non fuisse ut non pateretur, aut non moreretur, sed ut in passione vel morte non detineretur, *in quo exauditus fuit*: oratio illa fusa est, in cruce, et mox emisso spiritu liberatus est omnino a morte, et omni tribulatione. *Ego vero*, inquit, *orationem ad te Domine*, idest, illi mihi insultabant, et opprobria in me jaciebant, *ego vero orationem* pro illis, et pro me tibi Deo Patri cum lachrymis offerebam dicens, *tempus beneplaciti Deus*, idest, jam advenit tempus beneplaciti; tempus a te definitum ut complaceat tibi me ab his cruciatibus liberare, et mundum hoc tanto oblato sacrificio reconciliare. Hoc idem legimus Joan. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, et Joan. 19. *Consummatum est*.

17. *In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in veritate salutis tuae.*

Pergit in oratione, ac petit, ut quando quidem jam venit tempus beneplaciti, exaudiat orationem

ejus, *in multitudine misericordiae, et in veritate salutis tuae*, idest, propter multitudinem misericordiae, ex qua motus est ad promittendam reconciliationem per passionem filii sui, et propter veritatem, idest, veracitatem, et fidelitatem salutis, quia Deus non minus pius, et misericors est in promittenda salute, quam fidelis et justus in praestanda salute, quam promisit.

18. *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.*
19. *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.*

Petiit liberationem sub eadem metaphora aquarum, et luti, et tempestatis, de qua dixerat in primis tribus versiculis. *Eripe me de luto, non infigar*, idest, ut non tam alte infigar, ut non emergam: dixerat enim, *infixus sum in limo profundi*, nunc petit non detineri in eo luto. *Libera me ab iis, qui oderunt me*, idest, ab iniquis persecutoribus, *et de profundis aquarum*, idest, de magnis tribulationibus, in quas illi me conjecerunt, *non me demergat tempestas aquae*: antea dixerat, *tempestas demersit me*, ideo nunc petit non demergi, idest, non detineri in illa immersione: quod declarat, dicens, *non ita me absorbeat profundum*, ut numquam emergam. *Et non urgeat super me puteus os suum*, idest, non claudat puteus in quem cecidi os suum: nam dum patet os putei, spes est evadendi, sed clauso atque obturato ore putei; nihil nisi desperatio superest. Verbum hebraicum, אטר *atar*, proprie significat *claudere*, et sic legit sanctus Augustinus, *non coronet*. Quare nostra lectio, quae habet, *non urgeat*, exponenda est, non comprimat os suum, idest, non claudat. Quomodo etiam exponunt graecam vocem, συχέτω, Theodoretus et Euthymius, idest, *non concludat*. In summa petit celerem resurrectionem a mortuis, et liberationem ab omni malo, primum sibi, deinde membris suis.

20. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.*
21. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.*
22. *Intende animae meae, et libera eam, propter inimicos meos eripe me.*

Multiplicat propheta verba orationis in persona Christi patientis, ut ostendat magnitudinem passionis. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua*, proponit tres rationes, ob quas debet exaudiri: unam ex parte misericordiae Dei; alteram ex parte magnitudinis doloris sui: tertiam ex parte inimicorum persequentium. Prima ratio est in hoc versiculo, ubi dicitur misericordia Dei benigna et multa esse. S. Augustinus legit, *quoniam suavis est misericordia tua*, et dicit, misericordiam miseris suavissimam esse, quemadmodum cibus suavis est esurientibus, non autem saturis, a quibus contemnitur. Itaque vult sensum esse, *Exaudi me Domine, quoniam* mihi in tribulatione costituto *suavis est misericordia tua*: jam enim incipio experimento discere, quam dulciter sapiat misericordia tua. In hebraeo est vox generalis, nimirum, טוב חסדך *tob chasdeca*, *bona est misericordia tua*: quae vox potest et benignam et suavem significare. Altera ratio est in sequenti versiculo: *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me*. Numquam Deus faciem suam avertit a filio suo, sed visus est avertisse, quando eum in cruce pendentem in summis doloribus dereliquit, dicente ipso Domino, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Hue igitur respicit, cum dicit, *ne avertas faciem tuam a puero tuo*, idest, ne diutius me in his doloribus derelinquas. Per vocem *puerum* s. Augustinus intelligit parvulum, quia Christus *humiliavit se usque ad mortem*, et sic parvulum, abjectum et humilem se fecit. Vox hebraica עבדך *habdecha*, *servum tuum* significat, et est hoc loco valde ad rem, ut ostendat Christum in forma servi orasse et dixisse, *quoniam tribulor* vehementissima videlicet et intolerabili passione, *velociter exaudi me*. Tertia ratio est in sequenti versiculo, *intende animae meae, et libera eam, propter inimicos meos eripe me*. Quid petierit, cum ait, *velociter exaudi me*, explicat per sequentia verba, *intende animae meae*, idest, vitae meae ad extremum perductae et libera eam per celerem resurrectionem. Et subjungit rationem, quae tertia est, ut diximus, cum ait, *propter inimicos meos eripe me*, idest eripe me a doloribus et a morte, resuscitans me in vitam immortalem, ut inimici mei videntes se praevalere non potuisse, vel confundantur, vel convertantur: quod factum esse legimus, Act. 2. ubi audientes populi Christum resurrexisse et videntes id manifestissimis signis et prodigiis confirmari, multi compuncti dicere coeperunt, *quid faciemus viri fratres?* et conversi sunt ad tria millia. Alii obstinati in malo ita confusi sunt, ut dicerent, Act. 4. *quid faciemus hominibus istis? quoniam notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, et non possumus negare*.

23. *Tu scis improperium meum et confusionem meam et reverentiam meam.*
24. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. improperium expectavit cor meum et miseriam.*

Vocat ipsum Deum in testem passionis suae, ac praecipue ejus passionis quae in ignominia consistit: nobiles enim animi pluris faciunt ignominiam, quam dolorem corporis. *Tu*, inquit, *scis improperium meum*, idest quae improperia in me jaciant adversarii: *et confusionem meam*, idest confusionem, quae nascitur ex opprobriis: confunditur enim apud alios non solum qui culpam veram agnoscit, sed etiam qui sine culpa est, sed videt credi ab aliis crimina, quae sibi falso objiciuntur. *Et reverentiam meam*, idest verecun-

http://www.obrascatolicas.com

diam, quae ex confusione oriri solet: erubescunt enim, qui apud alios confunduntur, etiamsi injuste confundantur. In hebraeo est vox, כלמה *chelimma*, quae *verecundiam* significat, et verecundiam hoc loco legunt s. Hilarius, s. Augustinus, Euthymius et alii: quare vox, reverentia, quae habetur in nostra editione, non significat reverentiam, quae debebatur Christo; sed reverentiam, quam ipse in se habebat, idest erubescentiam et verecundiam. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me*, idest sicut non te latet afflictio mea, ita non te latent, qui me affligunt; a quibus nihil expectare possum, nisi improperium et miseriam; sicut semper expectavit cor meum, multo antea quam advenirent. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum*. Sed facile est videre, quid septuaginta legerint, ut verterent, *improperium expectavit cor meum et miseriam*; nam, שבר *sciabar*, si legatur cum puncto in dextro cornu, significat *contritum est*, ut vertit s. Hieron. sed si legatur, שבר *sabar*, cum puncto in sinistro, significat *expectavit*, et sic legerunt septuaginta. Sic etiam vox hebraica, אנושה *anuscia*, et nomen esse potest, et verbum; si nomen sit, ut septuaginta crediderunt, significat, *gravem afflictionem*, quam ipsi *miseriam* dixerunt; si verbum sit, ut credidit s. Hieron. significat *valde dolui*; vel etiam ut ipse vertit; *desperatus sum*. Itaque lectio graeca ταλαιπωρίαν, et latina non discordat ab hebraica, si legatur, ut eam septuaginta interpretes legerunt.

25. *Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur et non inveni.*
26. *Et dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto.*

Addit ad extremum in tantis passionibus suis, non solum se nullum habuisse consolatorem, et compatientiam, sed in fame fel sibi datum in escam, et in siti acetum in potum. Non defuerunt, qui contristarentur in morte Christi, sed defuerunt, qui simul cum illo contristarentur, idest ob eam causam tristarentur, unde ipse tristabatur. Nam Apostoli et piae mulieres tristabantur ob mortem Christi temporalem; ipse vero tristabatur ob mortem spiritualem, et spiritualem caecitatem Judaeorum, qui insaniebant in medicum, qui venerat curare eos. *Sic etiam quaesivit consolantem, et non invenit*, quia consolatio, quam quaerebat, erat conversio impiorum. In passione autem ejus multi perversi sunt: pauci, aut nulli conversi. Nam latro conversus quidem est; sed sub finem passionis; at in ipsa passione turbae clamaverunt, Joan. 10. *Tolle, tolle crucifige eum*; Apostoli scandalum passi fugerunt; Petrus negavit, Judas desperavit. Quod autem dicitur de felle dato in escam, ad litteram non legitur in scriptura, quia Matth. 27. sit quidem mentio fellis, sed dati in potum, non in escam. *Dederunt*, inquit, *ei bibere vinum cum felle mixtum*: et fortasse non fuit proprie fel, sed dictum est fel, quia erat potio amara. Marcus enim cap. 15. hoc idem referens dicit, *Dabant ei bibere myrrhatum vinum*, et haec est causa fortasse cur Matthaeus non allegaverit scripturam istam psalmi ut semper solet diligenter notare, quando scriptura aliqua impletur in actionibus et passionibus Christi. Probabile igitur est, escam istam fellis intelligendam esse spiritualiter, ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quae Christo in passione jejunanti loco cibi ingesta est. Quod denique dicitur de potu aceti, non solum spiritualiter, sed etiam ad litteram adimpletum est, ut perspicuum est ex cap. 19. Joan. ubi notat Evangelista, Christum dixisse *sitio*, et accepisse acetum sibi in spongia porrectum, ut impleretur scriptura. Scriptura autem implenda haec erat: *in siti mea potaverunt me aceto*.

27. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.*
28. *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.*
29. *Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos.*
30. *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.*

Incipit nunc propheta per modum imprecationis praedicere mala, quae eventura erant Judaeis ob ingratitudinem, et crudelitatem in Christum, qui ad eos missus fuerat Salvator et Redemptor. Describit autem poenas spirituales et corporales, quas in Judaeis, manifestissime cernimus. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*: per mensam intelligunt Patres lectionem scripturarum, unde pascuntur animae fidelium veritate divina. Vocat autem mensam, ut opponat escae fellis, quasi dicat, illi mihi dederunt fel in escam; tu facies ut eorum mensa, et esca vertatur eis in laqueum; haec mensa coram Judaeis est, quia assidue legunt Moysem, et prophetas, sed facta est illis in laqueum, quia perperam intelligentes capiuntur laqueo infidelitatis, et illa ipsa scriptura, quae fideliter considerata poterat eis salutem adferre, adfert eis perditionem, quia detinet illos in incredulitate. Eadem facta est illis *in retributiones*, quia quod mensa scripturarum versa sit illis in laqueum permisit Deus, ut retribueret illis quod merebantur. Nam justum est, ut qui lucem aspicere noluerunt, in tenebris maneant. Facta quoque est illis *in scandalum*, quia lapidem angularem a Deo missum non cognoverunt, sed in eum potius impegerunt, et offenderunt, unde sanctus est illis *lapis offensionis, et petra scandali*, Isaiae 8. et Rom. 9. *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva*. Haec est radix malorum supradictorum, quia permittente Deo depravatus est intellectus, et affectus eorum. *Obscurati sunt oculi eorum* interiores, imo *velamen est super cor eorum*, teste Paulo 2. Corinth. 3. *imo excaecati sunt*, ut dicitur Isaiae 6. Matt. 13. Joan. 12. et Rom. 11. Depravatus quoque est eorum affectus, ut nihil appetant, nisi terrena, quod significat illud, *dorsum eorum semper incurva*, id est, te permittente, ac per hoc puniente eorum ingratitudinem, semper curvi incedent, ut nihil nisi terram aspiciant. Ut autem intelligamus hanc eorum

caecitatem, et pravitatem de ira Dei descendere, subjungit propheta, *Effunde iram tuam super eos*, idest, effundes super eos iram tuam: quod Apostolus confirmat, 1. Thessal. 2. *Qui Dominum occiderunt Jesum, et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent*, etc. et paulo post, *pervenit enim ira Dei super illos usque in finem*. Ex hac ira Dei processit spiritualis plaga primum, deinde etiam temporalis, qua expulsi de terra promissionis toto orbe exules, et profugi vagantur, quod subjungit propheta, dicens, *fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui in tabernaculis eorum inhabitet*: id impletum est ad litteram, cum Tito imperatore jubente eversa est Jerusalem, et inhabitabilis reddita: postea vero reaedificata quidem est, et habitari coepta, sed a gentilibus, vel christianis, vel saracenis, non autem a Judaeis. Unde quod ad Judaeos attinet, adhuc deserta est, quia ibi non permittuntur habitare, nisi pauci admodum. Praedixit hoc etiam Dominus, Matth. 23. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*.

31. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*
32. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam.*
33. *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.*

Quemadmodum paulo ante propter escam fellis Christo exhibitam Judaei puniti sunt, ut mensa eorum fieret illis in laqueum: ita nunc dicit Propheta, Judaeos sic puniendos, ut apponantur peccata ad peccata eorum, quemadmodum ipsi addiderunt Christo poenas ad poenas, et dolores ad dolores. Sed explicandum est quomodo sit intelligendum, Judaeos *persecutos esse, quem Deus percussit*, et *addidisse dolores super dolores vulnerum Deo percutiente acceptorum*. Deus enim non videtur percussisse Christum, nisi permittendo, ut a Judaeis percuteretur, proinde videntur eadem omnino vulnera fuisse, quae Christus a Deo, et a Judaeis accepit. Sciendum igitur est, quamdam percussionem, et quaedam vulnera a solo Deo inflicta fuisse Christo sine ulla coeperatione Judaeorum: aliam fuisse percussionem, et alia vulnera a Judaeis proprie Christo inflicta, Deo permittente, et ut illa Christus pateretur, decernente et volente: percussio et vulnera a Deo inflicta, sine cooperatione Judaeorum, fuit assumptio carnis passibilis et mortalis, unde secuta est fames, sitis, fatigatio, frigoris et aestus perpessio, et alia permulta incommoda. Porro incarnatio, unde ista secuta sunt, facta est opera Spiritus sancti, ac per hoc Deus solus Christum percussit, dum sine culpa ejus propria, tam multas peccati originalis poenas illum subire voluit. Ad has poenas, sive percussiones addiderunt Judaei persecutiones et vulnera. Nam etiamsi Deus definito consilio voluerit Christum illa pati, et bene usus sit mala voluntate Judaeorum: tamen vere et proprie Judaei, ex propria malignitate et invidia Christum persecuti sunt, et vulneribus, ac morte affecerunt. Ait igitur prophe-ta, *quoniam quem tu percussisti*, mittens in Mundum in similitudinem carnis peccati, fami et siti, frigori et aestui, aliisque innumerabilibus incommodis obnoxium; *persecuti sunt* calumniis, conviciis, falsis testimoniis. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, idest super doloremquem capiebam ex consideratione innumerabilium peccatorum, quae, quasi vulnera mea essent, curanda et purganda susceperam, *addiderunt* dolorem flagellorum, spinarum, clavorum: et cum jam mortuus essem, *addiderunt*, vulnus lateris mei: et cum e sepulchro surrexissem, et in me quid amplius facerent non haberent, addiderunt persequi et vulnerare me in membris meis, discipulos meos lapidando et occidendo. In hebraeo habetur, חלליך יספרו *chalalecha jesapperu*. Et super dolorem vulnerum tuorum *narraverunt*, vel *numeraverunt*. Sed idem est sensus, nam *vulnera illa* dici possunt a Christo vulnera mea et vulnera tua; mea, quia mihi inflicta; tua, quia a te inflicta. Illud autem *narraverunt*, vel *numeraverunt*, a septuaginta acceptum est in significationem numerationis, non narrationis: et ideo verterunt, *addiderunt*: quia idem est addere ad numerum percussionum seu vulnerum, et numerare super vulnera et percussiones: non enim quis potest numerare super vulnera inflicta, nisi addendo nova vulnera. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*. Quoniam, inquit, illi addiderunt vulnera super vulnera, ideo tu juste judex, *appone iniquitatem super iniquitatem*, idest justo judicio tuo non eos liberes a prima iniquitate, sed sine ut addant iniquitatem ad iniquitatem, sine ut impleant mensuram patrum suorum. Matth. 23. *Ut veniat super illos omnis sanguis justus*: dicitur enim Deus facere, quando permittit fieri id quod sine ejus permissione non fieret, et hoc non casu, sed ex certo decreto ad punienda peccata eorum qui merentur sic deseri et excaecari. Nulla enim est poena gravior, quam cum peccatum est poena peccati. De qua re vide s. August. lib. 4. in Julianum. *Et non intrent in justitiam tuam*. Haec est explicatio superiorum verborum: illi enim qui non intrant in justitiam Dei, idest qui non admittuntur ad justificationem, quam Dei gratia gratis operatur in vasis misericordiae, illi de peccato in peccatum ruunt, et peccata peccatis apponunt. *Deleantur de libro viventium*. Aliqui haec exponunt de libro vitae temporalis, ut deleri de libro viventium, nihil sit aliud, nisi interfici. Sed huic expositioni repugnant verba sequentia, *et cum justis non scribantur*: nam explicat: proinde idem esse videtur, *deleri de libro viventium*, et non *scribi in libro justorum*, ut per deleri, vel non scribi, intelligatur non computari, et per viventes intelligantur justi, qui soli vere vivunt cum injusti mortui sint in peccatis et delictis suis. S. Augustinus intelligit haec omnia de libro aeternae praedestinationis, de quo deleri dicuntur, qui tandem intelliguntur se in eo scriptos non fuisse. Sed quoniam liber ille vitae ante merita praevisa scriptus fuit, ut ipse in primis s. August. affirmat; non video, quomodo in poenam istorum nunc dicatur, *deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur*. Probabilior

http://www.obrascatolicas.com

videtur eorum sententia, qui per librum viventium, et justorum, intelligunt librum populi Dei, in quo scripti sunt veri cultores Dei, quibus solis vera justificatio contingit, et qui sunt filii, et haeredes. Vere enim Judaei, qui olim erant populus Dei, nunc deleti de libro viventium et justorum, non sunt amplius populus Dei, neque partem habent in haereditate filiorum Dei: et contra gentiles, qui non erant populus Dei, per fidem in Christum coeperunt esse populus Dei, et partem habere in regno Dei. Hoc praedixit Ezechiel cap. 13. *in concilio populi mei non erunt, et in Scriptura domus Israel non scribentur.* Et Daniel cap. 9. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et Oseae 1. *Non populus meus, et ego non ero vester Deus.* Et Dominus in Evangelio saepissime hoc praedixit judaeis fore, *ut auferretur ab eis Regnum Dei, et filii regni ejicerentur foras; et in locum eorum venirent gentes ab oriente, et occidente, et recumberent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno coelorum.* Hanc expositionem attingit breviter sanctus Hilarius, sed fusius Sanctus Hieronymus, qui dicit Judaeos persecutores Christi deletos esse de libro, in quo scribebantur Patriarchae, et Profetae, et non esse scriptos in libro eorum, qui justificantur per fidem Christi, quorum nomina scripta sunt in coelis.

34. *Ego sum pauper, et dolens: salus tua Deus suscepit me.*

Nunc tandem in fine psalmi praedicit Propheta Christi gloriam, et Ecclesiae aedificationem. Loquitur autem in persona ipsius Christi; ut etiam in superioribus fecit. *Ego*, inquit Dominus, *sum pauper et dolens*, idest in cruce fui pauper et dolens, nudus vestibus, coopertus plagis. Ita nihil habuit ex hoc nostro mundo exiens, nisi mala nostra, exemplum nobis praebens, ut sequamur vestigia ejus, contemnentes cum gaudio bona mundi, et tolerantes cum patientia mala mundi. *Salus tua Deus suscepit me*, cum talis essem, egens bonis, dives malis, salus tua me resuscitans a mortuis abstersit omnia mala, replevit omnibus bonis. Quid enim mali haerere possit in eo, quem ipsa salus suscipit et undique complectitur. In hebraeo non est verbum, *sum*, sed *ego pauper et dolens*, debet autem illud verbum explicari accommodate ad sententiam, ut sensus sit. Ego pauper et dolens eram, vel cum essem pauper et dolens, vel, ego sum ille pauper et dolens, quam salus tua suscepit.

35. *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.*

Christus in forma hominis resuscitatus, et glorificatus a Deo Patre, gratias illi agit, et aget in aeternum; ideo dicit, *laudabo nomen Dei cum cantico*, defunctus videlicet laboribus et doloribus, non cessabo laudare nomen Dei, idest potentiam Dei *cum cantico*, idest cum laetitia et gaudio. *Et magnificabo eum in laude*: quod est idem aliis verbis repetitum ad affectum indicandum.

36. *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.*

Sacrificium laudis in coelo exhibitum Deo multo est excellentius sacrificiis, quae in lege praestantissima habebantur: sacrificium enim omnium praestantissimum erat immolatio vituli juvenis, incipientis cornua et ungulas emittere. Ideo dicit, *et placebit Deo* canticum meum *super vitulum novellum*, idest magis quam placeat immolatio vituli juvenis atque ad significandum non debilem ac tenerum, sed perfectum et validum, adjungit, *cornua producentem et ungulas*. In hebraeo est elegans allusio nominum; nam canticum vocavit, שיר *scir*, vitulum vocavit, שור *scior*, quasi dicat, magis placebit, *scir*, quam *scior*, idest *canticum*, quam *vitulus*; sive sacrificium laudis, quam sacrificium pecoris.

37. *Videant pauperes et laetentur: quaerite Deum et vivet anima vestra.*

Laudationi admiscet exhortationem. *Videant*, inquit, idest intelligant et considerent haec *pauperes et laetentur* in paupertate sua. Alloquitur autem pauperes sibi similes, qui magis voluntate, quam necessitate sunt pauperes; qui si divitias forte possident, habent eas ad dispensandas secundum voluntatem Dei, et oeconomi, non ut Domini; ad promerendum, non ad superbiendum, ad opera charitatis, non ad passiones desiderii: denique, qui non minori laetitia dicant, *sit nomen Domini benedictum*, cum egent quam cum abundant. *Quaerite Deum, et vivet anima vestra.* O vos pauperes spiritu, qui terrena despicitis omnia, tanto onere levati, erigite animum, quaerite Deum, *et anima vestra*, quae ex rebus caducis vivere non potest, vere *vivet*. *Cavete* (inquit Dominus Luc. 12.) *ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quae possidet.* Contra autem de Deo dicitur, *in ipso vita erat*, Joan. 1. et in psal. 35. *Apud te est fons vitae.* Et Ecclesiastici primo, *fons sapientiae verbum Dei in excelsis*; et Proverb. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Nam animae rationali vivere, sapere est: tunc autem sapientissima erit anima, ac per hoc perfectissime vivet, cum primam atque altissimam causam in se ipsa sine ullo medio cernet. Ergo quaerite Deum per viam mandatorum ejus incedendo, et non declinando ad dextram, vel sinistram, et cum perveneritis, vivet anima vestra.

38. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.*

Reddit rationem, cur bonum sit quaerere Deum, ut vivamus: et ratio sumpta est ab experimento sanctorum Patrum, quos Christus descensu suo ad inferos vivificavit. Illi enim diu quaesierunt Deum, et primi fuerunt, qui eum per Christum vitae aeternae aditu patefacto, invenerunt, et ex ejus visione vitam aeternam acceperunt. *Quoniam*, inquit, *exaudivit pauperes Dominus*: Patriarchae enim et Prophetae omnes pauperes spiritu fuerunt, et in hoc mundo tamquam hospites et peregrini habitaverunt, patriam coelestem inquirentes, ut dicit Apostolus ad hebraeos 11. Hos ergo pauperes exaudivit Dominus, et quia exaudivit, *vinctos suos non despexit.* Iidem enim ipsi vincti erant et quasi compediti, quoniam ex inferno ad coelestem patriam transire non poterant, nisi Christus inferni claustra perrumperet, vectesque ferreos sua morte confringeret.

39. *Laudent illum coeli et terra et mare, et omnia reptilia in eis.*

Ob communia beneficia ipsa rerum universitas ad agendas gratias invitatur. *Laudent illum* (Deum videlicet) *coeli, terra, mare, et omnes qui habitant in eis.* Meminit autem proprie, *reptilium*, quae degunt in aquis; non autem Angelorum, qui degunt in coelis et hominum qui vivunt in terris; quoniam dubium esse non poterat, an Angeli et homines ad laudem Dei excitarentur.

40. *Quoniam Deus salvum faciet Sion, et aedificabuntur civitates Juda.*

Hic jam praedicitur aedificatio Ecclesiae quae passionem, et resurrectionem Christi consecuta est: vel ut alii volunt, aedificatio coelestis Jerusalem, vel utrumque simul. *Quoniam Deus salvam faciet Sion*, idest, Ecclesiam suam primitivam ex Judaeis collectam, idest, coetum illum Apostolorum, ac discipulorum primorum, salvabit ab omni periculo, et persecutione in terris, et postea salvabit illam perfecta salute in coelis. *Et aedificabuntur civitates Juda*, idest, propagabitur prima illa ecclesiae, dum multi lapides vivi accedent, et multa ecclesiae, toto orbe aedificabuntur, quae dicuntur civitates Juda, idest, confessionis; quia confessio verae fidei ecclesiam aedificat, et propagat. Juda enim confessionem significat.

41. *Et inhabitabunt ibi, et haereditate acquirent eam.*
42. *Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.*

Hic vero praedicitur firmitas, et beatitudo Ecclesiae. Nam civitates Juda, idest, cives civitatum Juda, *habitabunt ibi*, idest, in Sion. *Et haereditate acquirent eam*: omnes enim veri fideles ecclesiarum particularium adhaerent ecclesiae apostolicae, quae est Sion, *et haereditate acquirent eam.* Ad quam haereditatem non pertinent sectae haereticorum, et schismaticorum. Et isti iidem veri fideles, si permanserint in fide, *quae per dilectionem operatur*, Galat. 5. inhabitabunt quoque Sion coelestem, *et haereditate acquirent eam*, quia, *si filii, et haeredes*, ut ait Paul. ad Rom. 8. *Et semen servorum ejus possidebit eam*, idest, istam Sion, sive in terris, sive in coelis, non soli primi fideles possidebunt, sed etiam posteri eorum. Non enim perit ecclesia Christi, quae fundata est supra firmam petram. *Et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea*, idest illi ex posteritate fidelium permanenter habitabunt in Ecclesia, et pervenient ad coelestem Sion, *qui diligunt nomen ejus.* Qui enim sine charitate inveniuntur in fine; tamquam paleae segregabuntur a frumento, et igni tradentur, ut comburantur. Salus enim aeterna charitatis est praemium dicente Apostolo Jacob, c. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Poterunt igitur ad tempus cum sola fide, absque charitate, peccatores cum justis esse in Ecclesia, ut paleae cum tritico in area, et pisces boni cum malis in rete; sed non permanebunt usque in finem, neque haereditate acquirent coelestem Sion, ut in aeternum habitent in ea.

PSALMUS LXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David, in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

In hoc titulo apud hebraeos habetur tantum, *in finem David in rememorationem*: sed septuaginta interpretes addiderunt, explicandi gratia illa verba, *quod salvum fecerit eum Dominus.* Quod enim quidam bonus auctor, sed modernus, scripsit, a Septuaginta Interpretibus posita fuisse in titulo aliqua verba primi versiculi, non est probabile, tum quia in hebraeo non ponitur in titulo pars ulla primi versiculi: tum quia in primo versiculo mentio fit auxilii, non salutis; quae tamen expresse nominatur in titulo; tum denique quia si ulla pars primi versiculi pertineret ad titulum; certe prima esset: at prima pars, videlicet, *Deus in adjutorium meum intende*, in omnibus codicibus, hebraicis, graecis, et latinis invenitur in principio psalmi, non in titulo. Argumentum psalmi idem est cum argumento psalmi trigesiminoni, cujus sex ultimi versiculi sunt iidem cum sex ultimis

http://www.obrascatolicas.com

versiculis hujus psalmi. Igitur continet hic psalmus orationem Christi in cruce pendentis pro salute sua, idest, pro celeri resurrectione corporis sui, et pro salute populi sui, quod est etiam corpus ipsius, sed mysticum. Dicitur autem psalmus compositus in rememorationem salutis acceptae; quoniam David spiritu prophetico, ut praevidit orationem Christi pro salute fundendam; sic etiam praevidit salutem sine dubio secuturam, et in ejus memoriam psalmum Deo cecinit.

EXPLICATIO PSALMI LXIX.

1. *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.*

Hic versiculus in Ecclesiae Catholica celeberrimus est: inde enim incipiunt officia divina omnium horarum. Quamvis enim praecipue conveniat Christo in cruce pendenti, potest tamen usurpari ab omnibus fidelibus in periculo versantibus: et quoniam semper in multis, magnisque periculis versamur dum peregrinamur a Domino, et dum *adversarius noster diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*, ut scribit b. Petr. 1. cap. 5. ideo non solum licet, sed etiam expedit assidue hunc versiculum frequentare: ad quod faciendum hortatur monachos Joan. Cassianus collatione 10. cap. 9. ubi fusissime persequitur utilitatem, et virtutem hujus versiculi. Petitur igitur in hoc versiculo auxilium Dei magnum, et velox ad avertendum malum grave, et imminens: de priore dicit, *Deus in adjutorium meum intende*, idest, incumbe diligenter in me juvando, ut gravitas mali requirit: de posteriore dicit, *Domine ad adjuvandum me festina*, idest, non solum diligenter incumbas in me juvando, sed etiam velociter, et nulla interposita mora, quoniam periculum imminet. S. Hilarius, et s. Augustinus exponunt solum prima illa verba, *Deus in adjutorium meum intende*. Reliqua ejusdem versiculi omittunt: quae fuit causa, cur auctor ille, de quo supra locuuti sumus, existimaverit, posteriora verba hujus versiculi non fuisse apud Hilarium, et Augustinum in ipso psalmo, sed in titulo. Sed apud Hilarium invenitur integer titulus, et integer psalmus descriptus, et in primo versiculo non desunt illa verba, *Domine ad adjuvandum me festina*. Cur autem non exposuerint haec verba sancti Hilarius, et Augustinus, ratio est, quia sunt eadem vel fere eadem cum superioribus, praesertim si quis consulat hebraeum textum, ubi unicum est verbum, hoc modo, *Deus ad me liberandum, Domine ad adjuvandum me festina.*

2. *Confundantur, et revereantur, qui quaerunt animam meam.*

Hic versiculus idem est cum versiculo decimonono psalmi trigesiminoni; et sensus est, ut per Christi resurrectionem, et fidelium liberationem de potestate inimicorum, inimici videntes se frustra laborasse, confundantur, et erubescant: quod partim jam est factum, partim complebitur in novissimo die.

3. *Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.*

Idem est hic versiculus cum vicesimo versiculo psalmi trigesiminoni, nisi quod hic dicitur, *avertantur*, ibi, *convertantur*. Sed idem est sensus, repetitio videlicet ejusdem precationis ad rem magis explicandam, et confirmandam.

4. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.*

Et hic versiculus idem est, quo ad sensum, cum versiculo vicesimo primo psalmi trigesiminoni: ubi res eadem tertio repetitur, ut videlicet hostes Christi, et Ecclesiae cito confundantur, qui nunc exultant dicentes inter se, *euge, euge.*

5. *Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te: et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

Idem est hic versiculus cum versiculo vicesimo secundo psalmi trigesiminoni, in quo per modum precationis praedicitur victoria et exultatio Christi et Ecclesiae.

6. *Ego vero egenus et pauper sum, Deus adjuva me.*

Hic quoque idem est cum versiculo vicesimotertio psalmi trigesiminoni, in quo revertitur Christus ad statum illum describendum, quem habuit in cruce, cum vere pauper et nudus Patri dicebat, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?

7. *Adjutor meus et liberator meus es tu, Domine ne moreris.*

Hic denique versiculus idem est cum ultimo versiculo psalmi trigesiminoni, in quo repetitur prima petitio celeris auxilii, Vide plura in explicatione psalmi trigesiminoni.

PSALMUS LXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum.

Hic psalmus titulo caret apud hebraeos: sed interpres aliquis titulum supra scriptum addidit; ad quem intelligendum sciendum est, filios Jonadab fuisse homines ab obedientia celebres. Scribit enim Hieremias cap. 35. eos habuisse praeceptum parentis sui, *ut vinum non biberent, et in domibus non habitarent*, idque diligentissime observasse. Sciendum praeterea filios Israel bis fuisse captivos factos a rege Nabuchodonosor; semel tempore Joachim regis Jerusalem, et iterum tempore Sedechiae; sed priores captivos ad verbum Domini per Hieremiam praedicatum, sponte se tradidisse in captivitatem: posteriores vi coactos fuisse, ut perspicuum est ex quarto libro regum, et ex ipso Hieremia. Credibile autem est filios Jonadab fuisse ex primis, qui obedierunt Deo ad verbum Hieremiae, ut se traderent regi Babyloniae, caeteros autem eorum exemplum esse secutos. Et congruit ethymologia nominis: *Jonadab* enim *spontaneum* significat. Hic igitur psalmus canitur in persona filiorum Jonadab, et caeterorum, qui sponte in priorem captivitatem cum rege Joachim profecti sunt. Utrum autem David ad hanc captivitatem respexerit, an interpres, aut ipsa Ecclesia testamenti veteris accommodaverit psalmum ad hanc captivitatem, quo modo ecclesia christiana accommodat psalmos varios ad varias celebritates, incertum est. Tractatores ut plurimum volunt hunc psalmum a Davide compositum ob persecutionem, quam ab Absalone filio in senectute sua perpessus est. Quod etiam confirmari potest ex eo, quod hic psalmus idem habet principium, quod psalmus trigesimus, et in caeteris partibus cum eodem satis convenit. Psalmum autem trigesimum nos etiam cum aliis exposuimus de persecutione Absalonis. Neque titulus repugnat: David enim sponte in exilium profectus est, agnoscens illam esse Dei voluntatem, ut ejectionem illam e regno et fugam atque exilium patienter ferret; et gratiam liberatoris, cum paulo post in regnum reduceretur, agnosceret. Quod exemplum Davidis secuti postea sunt filii Jonadab, et priores captivi, de quibus titulus loquitur. S. Augustin. monet, in hoc psalmo mirifice commendari gratiam Dei, et sub exemplo Davidis, omnes pios debere in hoc psalmo cantare laudes gratiae Dei, per quam liberamur a captivitate Diaboli, et gratiam iterum, atque iterum implorare, ut proficiamus, et perseveremus in bono non praesumentes de propriis viribus, sed de adjutorio Dei in omni tentatione confidentes. Sic enim tutissime ad perfectam libertatem, quae est libertas gloriae filiorum Dei, perveniemus.

EXPLICATIO PSALMI LXX.

1. *In te Domine speravi, non confundar in aeternum: in justitia tua libera me, et eripe me.*

Memor sanctus Propheta promissionum Domini erga sperantes in eum, et de suis propriis viribus non praesumens, ait, *in te Domine*, non in me, vel in alia creatura, *speravi*, ideo securus, quod *non confundar in aeternum*, ad te in praesenti tribulatione confugio, ac peto, *ut in justitia tua*, idest secundum justitiam tuam, qua impios punire et innocentes liberare soles, *liberes me, et eripias* de manibus persequentium *me*.

2. *Inclina ad me aurem tuam, et salva em.*

Conjungitur hic versiculus cum secunda parte versiculi superioris. Idipsum enim repetit ad affectum ostendendum. *Inclina aurem tuam*, idest audi vocem humilem, sive de imo sonantem, *et salva me* a praesenti periculo.

3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.*

Explicat clarius, quod a Deo desideret, nimirum ut Deus cum protegat instar arcis munitissimae, ad quam hostes sui penetrare non possint. Nam in hebraeo pro, *in Deum protectorem*, habetur, לצור מעון *letsur mahon*, *in petram fortissimam*, sed interpretes explicaverunt metaphoram, et dixerunt, *in Deum protectorem*, in Deum protegentem instar arcis in petra sublimi locatae; quod exponitur per verba sequentia *et in locum munitum*. Vere autem nulla est facilior via evadendi omnes tribulationes, quam si quis sciat mente conscendare in Deum, et bona aeterna contemplari: inde enim omnia humana facile despiciet. Sic b. Paulus, 2. Corinth. 4. vocat *momentaneas et leves*

http://www.obrascatolicas.com

tribulationes suas, quae alioqui gravissimae videri poterant, quia subjungit, *non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur: quae enim videntur, temporalia sunt, quae non videntur aeterna sunt.* 2. Corinth. 4. In hebraeo pro, *in locum munitum*, habetur, *qd ingrediendum jugiter jussisti*, sed apparet corruptio ex loco simili in psalmo trigesimo: nam pro, לבוא *labo, ad ingrediendum*, est in psalmo trigesimo, לבית *lebeth, in domum*, sive *in locum*, ut septuaginta hic, et ibi verterunt: pro, תמיד צויתה *tamid tsivvitha, jugiter praecepisti*, est in psalmo trigesimo, מצודות *metsudoth*, quae sunt eaedem literae, sed aliter dispositae, et significant *munitionem*. Itaque ex psalmo trigesimo, et ex interpretatione Septuaginta videtur manifeste colligi, lectionem hebraicam hoc loco esse mutatam.

4. *Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.*

Esto mihi, inquit, *tu Domine in Deum protectorem et in locum munitum, quoniam tu solus es firmamentum meum*, idest domus firma et stabilis, utpote lapidea (ut clarius habetur in hebraeo) ad quam confugere possim. Caetera enim omnia, sive respiciam ad favores hominum, sive ad industriam meam, domus sunt luteae, et super arenam aedificatae, sive baculus arundineus. Quid enim sunt mortalia omnia nisi res caducae, et fragiles, in quibus non nisi stulti confidunt. Beati qui haec intelligunt, beatiores qui experiuntur.

5. *Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis, et iniqui.*

Descendit magis ad particularia, ac petit liberari *de manu*, idest, de potestate *peccatoris contra legem agentis, et iniqui;* quibus nominibus intelligit ad litteram Absalonem, Achitophelem, et ministros eorum: nam hic psalmus convenit omnino cum psalmo 30. in quo omnium consensu agitur de persecutione Absalonis. S. Augustinus, per *peccatorem*, intelligit peccatorem in genere, quem dicit dividi in praevaricatorem legis; quales sunt Judaei, et Christiani, qui legem a Deo sibi datam non servant; et iniquum non praevaricatorem, quales sunt Pagani, qui legem scriptam a Deo non acceperunt, et ideo iniqui sunt, quia male agunt, et peccant contra rationem naturale, sed praevaricatores legis scriptae non sunt, quia, ut ait b. Paulus, Rom. 4. *ubi non est lex, nec praevaricatio.* Sed verba ebraica non recipiunt istam explicationem: nam vox hebraica, וחומץ *vechomets*, pro qua habemus, *iniquum*, significat proprie *violentum raptorem;* et pro qua habemus, *contra legem agentis*, significat *iniquum* simpliciter. Videtur igitur Propheta per *peccatorem*, intelligere hominem pravum, sive improbum; qualis erat Absalon; per *iniquum*, eum qui occulte, et ex insidiis nocet, quales sunt fraudulenti, Achitophel, et alii: per *raptorem*, eum qui palam, et aperte opprimit, qualis erat tunc populus armatus contra regem suum. Spiritualiter per peccatorem intelligere possumus Diabolum; per iniquos, haereticos; per raptores, tyrannos et persecutores. Cupit autem vir justus liberari non solum a vexatione corporali, sed multo magis a periculo spirituali ne forte consentiens peccato ob persecutionum immanitatem incidat in periculum mortis aeternae.

6. *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea a juventute mea.*
7. *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus.*

Sanctus Augustinus per *patientiam* intelligit tolerantiam dolorum et persecutionum, ut sensus sit, *eripe me de manu peccatorum*, dando mihi *patientiam*, ne per impatientiam consentiam peccato. Et quidem verbum graecum ὑπομενὴν, et latinum hanc expositionem patiuntur; sed vox hebraica, תקותי *thikvathi*, significat *expectationem et spem*, ac per hoc patientia hoc loco significat patientiam in expectando potius quam in tolerando dolores, juxta illud, *per patientiam expectamus*, Rom. 8. et Jacobi 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter feres, donec accipiat temporaneum et serotinum: patientes estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.* Ait igitur, *eripe me de manu peccatoris, quoniam tu es patientia mea*, idest quoniam a te patienter expecto auxilium. *Tu es spes mea a juventute mea*, idest quia semper in te speravi ab eo tempore, quo te noscere coepi, sed tamen multo ante quam ego in te sperare inciperem, tu pro tua misericordia protector meus fuisti: nam *ex utero matris meae in te confirmatus sum*, idest in te stabilitus robur accepi, cum ex me infirmus essem; *ex utero matris meae protector meus es*, idest vix natus protectione tua frui coepi, cum adhuc te invocare non possem. Haec beneficia Deus omnibus hominibus conferre solet, praesertim in ea aetate, qua sibi ipse homo nullam opem afferre potest; sed pauci admodum sunt, qui haec beneficia agnoscant, et pro iis debitas Deo gratias agant. Ideo Propheta, qui Spiritus illustratione haec agnoscebat, magno cum animi sensu dicit, *in te confirmatus sum ex utero, et ab utero matris meae protector meus es:* quasi dicat, scio Domine et confiteor me tibi curae fuisse ab ipso primo ortu, ideo fiduciam habeo, multo magis te mihi protectorem fore, cum te invocavero.

8. *In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.*

His de causis, et ob tanta beneficia, *in te erit cantatio mea semper*, idest te semper laudibus celebrabo in prosperis et in adversis, in hoc saeculo et in futuro. Et nunc quidem *tamquam prodigium factus sum multis*, idest expulsus a regno a proprio filio; et dum misere fugio, qui antea gloriose hostes fugabam, factus sum admirationi omnibus hominibus, praesertim cum a te desertus videar, quem semper colui et in quo speravi, sed tamen *tu ad utor fortis* et constans es; et quamvis ad tempus secundum consilium sapientiae tua e hostes in me praevalere permiseris, tamen tempore suo *mihi adjutor eris*. Sanctus Augustinus spiritualiter exponens dicit, illum fieri prodigium, sive portentum multis, qui contemnit temporalia, et patienter fert injurias, et per hoc ambulat contraria via, atque ambulent caeteri homines. Talis fuit Joannes Baptista, talis Christus ipse: talis sanctus Petrus, sanctus Paulus Apostoli caeteri: tales martyres omnes, et plerique sancti confessores, sanctus Antonius, sanctus Hilarion, sanctus Franciscus et alii, qui a sapientibus mundi stulti habiti sunt: sed vere dicere poterant, etiamsi prodigium factus sim multis, tamen tu adjutor meus fortissimus es, quo duce viam angustam perambulabo et regno coelorum vim inferam, et tunc apparebit, stultus, an sapiens fuerim.

9. *Repleatur os meum laude, ut cantet gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Ergo inquit, quicquid homines de me sentiant, et dicant, ego opto, ut *os meum repleatur laude tua*, ut nihil mihi aliud placeat, nihil me delectet, nisi te diligere et laudare gloriam tuam, et *tota die*, idest, omni tempore *decantare magnitudinem tuam*. Porro illi soli et omnes similes sunt huic sancto regi, et prophetae, qui vere cogitant et sentiunt, ac intima consideratione penetrant et persuadentur nihil esse magnum, nihil admirandum, praeter Deum.

10. *Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Cum David persecutionem Absalonis pateretur, senex erat: ideo memor victoriarum quas in juventute et in ipsa pueritia obtinuerat, dicit: *ne projicias me in tempore senectutis*, idest ne deseras in hoc ultimo tempore, quem adhuc semper juvisti. *Cum defecerit* jam *virtus mea*, robur, ac vires meae debilitatae sint, *ne derelinquas me*, qui auxilio tuo magis egeo, quam alias unquam eguerim. Possunt haec omnia spiritualiter accommodari homini, qui a fervore charitatis, quo aliquando flagravit, tepescere incipit et tamen cupit in eodem studio perfectionis perseverare.

11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum.*
12. *Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.*

Haec ad litteram Davidi conveniunt, adversus quem populus, Absalone duce, et Achitophel consiliario, rebellavit, quoniam vidit jam senuisse et debilem effectum, atque a Deo destitutum esse credit. *Quia dixerunt inimici mei mihi*, idest de me. *Et qui custodiebant animam meam*, idest qui antea custodes mei erant, vel consilio, vel armis, illi *consilium fecerunt in unum*, idest simul uniti inter se consultaverunt de perditione mea, *dicentes, Deus dereliquit eum.* Ad hoc refertur illud, *inimici mei dixerunt mihi*, idest dixerunt de me, *Deus dereliquit eum:* et hoc dixerunt consultantes simul, *persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Hoc fuit consilium Achitophelis, quod non habuit effectum, quia Deus non permisit. Vide lib. 2. reg. cap. 17. Illud, *qui custodiebant animam meam*, potest etiam significare, qui observabant animam meam, ut illam perderent; et hic sensus convenit homini justo in tentationibus posito. Doemones enim, inimici nostri, qui perpetuo vigilant, et observant occasiones nos perdendi, consilium faciunt inter se, tunc maxime eum nos a Deo gratia destitutos existimant.

13. *Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum respice.*
14. *Confundantur, et deficiant detrahentes animae meae; operiantur confusione, et pudore, qui quaerunt mala mihi.*

Illi consultant adversus Davidem, et ille recurrit ad Deum, qui nullo negotio potest dissipare consilium eorum, ut re ipsa fecit. *Deus*, inquit, *ne elongeris a me*, ut illi jactant, te jam fecisse, imo potius *in auxilium meum respice*, idest per auxilium tuum mihi propinqua. Illud. *respice*, in hebraeo est, *festina*; in graeco πρόχες *intende*. Fieri potest, ut septuaginta non legerint, חושה *chuscia*, idest *festina*, sed, חשוב *chasciob*, idest considera sive attende: sed tamen sensus est idem et una lectio explicat aliam; quod enim hebraica lectio habet *festina*, intelligitur per providentiam: Deus enim ubique est, neque proprie festinare debet, ut alicubi esse incipiat. Festinare per providentiam, idem est, quod attendere et respicere. *Confundantur, et deficiant detrahentes animae meae*, idest, te in auxilium meum festinante, confundentur consiliarii Absalonis, et deficiant in consiliis suis, evanescant, infatuentur, *detrahentes animae meae*, idest calumniantes me. *Operiantur confusione et pudore, qui quaerunt mala mihi.* Idem aliis verbis repetit: pro verbo, *detrahentes mihi*, in hebraeo est *adversantes mihi*; sed idem est sensus: nam qui calumniantur, sine dubio calumniando adversantur. S. Augustinus legit, *confundantur et deficiant, qui committunt animam meam*: et sensum esse vult, confundantur, qui committunt cum Deo animam meam, idest qui faciunt, ut cum Deo contendam, quasi ille injuste mecum agat, dum tribulationibus me affligit: sed non video, unde eam lectionem acceperit.

15. *Ego autem semper sperabo et adjiciam super omnem laudem tuam.*
16. *Os meum annunciabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.*

Illi confundantur, et deficiant: *ego autem semper sperabo*, magis, ac magis in te confidam, experimento edoctus, quanta sit virtus auxilii tui: et semper *adjiciam laudes* ad laudes tuas, pro novis beneficiis novos hymnos tibi decantans. *Os meum non cessabit annunciare justitiam tuam*, qua pu-

http://www.obrascatolicas.com

nis impios, *et tota die*, idest assidue praedicabo *salutare tuum*, quo innocentes liberas et salvas. S. August. quaerit hoc loco, quomodo possit fieri, ut adjiciatur aliquid super omnes laudes Dei. Et respondet omnes laudes, dici perfectam laudem cui nihil desit: qualis fuisset, si Deus totum genus humanum, post lapsum Adami damnare voluisset: fuisset enim ea perfecta laus justitiae, cui perfectae laudi nihil adjici potest, quod ad justitiam attinet; sed tamen adjici potest nova laus misericordiae, quia placuit Deo gratis justificare impios. Caeterum facilius dici potest, prophetam adjicere velle laudem ad omnes laudes Dei, non ad omnes simpliciter, sed ad omnes, quas ad illud usque tempus cecinerat.

17. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiae tuae solius.*

Hic sunt duae difficultates: prior, an illa verba, *quoniam non cognovi litteraturam*, debeant conjungi cum superiore versiculo, ut conjunguntur in textu hebraico; an potius cum sequentibus verbis, ut conjunguntur in graeco, et latino. Sed nos existimamus distinctionem hebraicam non esse attendendam, quando discrepat a graeca, quoniam distinctionem addiderunt in textu hebraico Rabbini posteriores, qui non sunt ullo modo comparandi cum septuaginta senioribus, qui aliter legerunt, et distinxerunt. Accedit, quod hoc loco sunt quaedam similiter cadentia ita posita in textu hebraico, ut videatur omnino propheta voluisse legi hunc versiculum ut nos cum graecis legimus, non ut alii cum Rabbinis legunt. Sic enim ait, *quoniam non cognovi*, ספרות *sephoroth*, *introibo in* גבורות *gheburoth:* ac si nos diceremus, *quoniam non cognovi literas, adibo potentias*. Posterior quaestio est, de nomine litteraturae: nam vox hebraica, ספר *saphar*, unde est nomen ספרות *sephoroth*, significat, *scribere, narrare, numerare*, et alia, ac per hoc nomen, *sephoroth* potest significare *scripturas, numerationes, libros, literas*, sive *litteraturas*, et similia. Aliqui igitur volunt, ut litteratura accipiatur pro numeratione, et hic sit sensus. *quoniam non cognovi numerationem mirabilium tuorum*, idest, quoniam non possum assequi numerum, cum sint innumerabilia, *introibo*, idest, ingrediar *ad narrandas potentias*, sive fortitudinem, et vires Domini potentissimas, et robustissimas. Sed hanc expositionem probare non possum: nam et septuaginta Interpretes, et s. Hieronymus bene noverant vim hebraicae vocis, et tamen non verterunt numerationem, sed *litteraturam*: neque deerant illis voces graecas, vel latinae, quibus numerationem exprimerent, si voluissent. Alii simpliciter dicunt, Davidem non novisse *litteraturam*, idest doctrinam, quae literis continetur, quoniam Pastor ovium erat, et ex pastoritio illo munere assumptus fuit ad militiam, et ad regnum, ut dicitur in psalm. 77. *de post faetantes accepit eum pascere Jacob populum suum*. Sed huic expositioni repugnat, quod ipse de se dicit in psal. 118. *Super omnes docentes me intellexi*, et liber psalmorum indicat, cum excultum fuisse omni doctrina divina, et humana: quamvis enim Pastor ovium, et postea miles esset, non tamen ita totus intentus erat pascendis ovibus, aut bellis gerendis, quin etiam studiis, et contemplationi vacaret. Existimo igitur, Davidem hoc loco per *litteraturam*, intelligere humanam sapientiam, et astutiam, quali abundabat Achitophel, qui contra ipsum consilium dederat; et verbum, *cognovi*, non accepisse scientiam simpliciter, sed approbationem, et usum. Quomodo dicimus, non novi te, et quomodo Apostolus 1. Cor. 2. dicit, *se nihil scire, nisi Christum, et hunc crucifixum*. Itaque sensus est, *non cognovi litteraturam*, idest, non novi sapientiam hujus mundi non confido in humanis consiliis, non approbo astutiam, et prudentiam saeculi; sed *introibo in potentias Domini*, idest adhaerebo penitus omnipotentiae Dei, in illa confidam, in illa quasi in arce munitissima abscondar: *et sic memorabor justitiae tuae solius*, idest, non recordabor humanorum consiliorum, aut virium mearum, vel amicorum meorum, sed recordabor, et mente retinebo justitiam tuam, qua servas promissa, qua punis impios, qua pios coronas. S. Augustinus legit, *non cognovi negotiationes*: verisimile enim est in aliquo graeco codice pro γραμματείας fuisse πραγματείας, et inde fluxisse in latinum aliquem codicem, *negotiationes*. Fatetur tamen idem sanctus Augustinus in aliis codicibus legi, *litteraturam*; et exponit tam per negotiationem, quam per litteraturam, confidentiam in operibus factis ex propriis viribus, quasi ad justitiam faciendam sufficiat littera legis sine gratia aut negotiatio liberi arbitrii sine adjutorio Dei et ideo ponderat illud, *memorabor justitiae tuae solius*, idest, non meae justitiae sed tuae solius, quam dare soles per gratiam tuam, cum justificas impium. Quae sententia ut est optima ad aedificationem, ita parum videtur facere ad sensum litteralem.

18. *Deus docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronunciabo mirabilia tua.*

Tu, inquit, docuisti me, ut contempta litteratura humana confiderem in potentia tua: *docuisti autem a juventute mea*; et secundum hanc doctrinam eruditus pugnavi cum urso, et leone, et cum gigante Goliath, inermis adolescens, et victoriam reportavi. *Et usque nunc pronunciabo mirabilia tua*, idest, et dum vivam usque ad ultimum finem vitae meae pronunciabo haec mirabilia tua, quae per me fecisti a juventute mea.

19. *Et usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me.*
20. *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quae ventura est.*

Et simul rogo, ut usque *ad senectam non derelinquas me*, sed mihi semper adsis auxilio tuo, *donec annunciem*, idest, donec perficiam librum psalmorum, per quem *annunciem brachium tuum* id est, fortitudinem tuam, omni posteritati: per *senectam et senium* idem significari videtur: nam in hebraeo est, עד זקנה ו שיבה *had zikna, vescebah, usque ad senectutem et canos*: cani enim indicant senectutem. Quomodo autem David dicat se annunciaturum potentiam Domini omni posteritati, saepe diximus, quia videlicet praevidebat, psalmos a se compositos in toto orbe usque ad consummationem saeculi decantandos.

21. *Potentiam tuam, et justitiam tuam Deus usque in altissima, quae fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?*

Explicat quid sit brachium, quod se annunciaturum dixit generationi venturae, et ait, *Potentiam tuam et justitiam tuam*, idest, annunciabo brachium tuum, quod est potentia tua conjuncta cum justitia tua. *Omnipotens Deus est*, sed simul justissimus est, potest quicquid vult, sed nihil injuste vult. Haec autem potentia cum justitia extenditur *usque in altissima magnalia*, quae Deus fecit: non enim Deus potentia sua creavit solum terram et maria et habitantes in eis, sed etiam creavit coelum et coelos coelorum et habitantes in eis millia millium angelorum. Itaque usque ad haec altissima magnalia extenditur brachium potentiae Dei. Neque solum justitia Dei punit homines peccatores, qui sunt pulvis et cinis. Sed punivit etiam altissimos angelos, quos de coelo ob superbiam praecipitavit in abyssum: proinde brachium divinae justitiae usque ad altissima magnalia pervenit, ut exclamare liceat, *Domine quis similis tibi?* Neque hoc repugnat scripturae, quae dicit, *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam*. Gen. 1. Et, *scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. 1. Jo: 3. Nam cum dicitur, *quis similis tibi?* accipitur similitudo pro aequalitate ac si dictum esset, Quis est similis tibi in potentia, idest, aeque potens, ac tu? Quis est similis tibi in essentia, idest, qui a nullo pendeat et a quo omnia pendeant, qualis es tu?

22. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas: et conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me.*
23. *Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.*

Consolatur David praesentem calamitatem suam ex eo quod alias calamitates, Deo juvante foeliciter evaserit. *Quantas*, inquit, *ostendisti mihi tribulationes multas, et malas*, idest, magnas varietate, et amaritudine, quas perfuli in persecutione Saulis. *Et conversus vivificasti me*, cum pene ad portas mortis pervenissem. *Et de abyssis terrae iterum reduxisti me*, idest, et de extremis malis cum pene ad inferos descendissem, liberasti me. *Multiplicasti* enim *magnificentiam* tuam secundum multitudinem dolorum meorum, *et conversus ad misericordiam*, cum me paterne castigasses, mirifice *consolatus es me*, cum ex misero exule regem beatissimum feceris. Spiritualiter significat hic locus hominem peccatorem cum Christo resurrexisse a morte peccati et mirifice consolatum spe vitae aeternae.

24. *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israel.*
25. *Exultabunt labia mea; cum cantavero tibi et anima mea, quam redemisti.*
26. *Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint, qui quaerunt mala mihi.*

In fine psalmi praedicit ipse sibi Propheta David liberationem de manu Absalonis, et pollicetur gratiarum actionem corde et ore et instrumentis musicis psalterio et cithara. *Nam et ego*, adepta scilicet victoria, *confitebor tibi veritatem tuam*, idest, laudabo justitiam tuam, sive fidelitatem tuam *in vasis psalmi*, idest, in instrumento psalmi concinendi, quod psalterium vocatur. Addam etiam psallere tibi, *o sanctus Israel*, in instrumento citharae. Illud, *sanctus Israel*, est cognomen Dei, qui vocatur sanctus Israelis, quoniam sanctificari debebat a populo Israel sanctificatione cultus ethonoris, et ipse sanctificabat populum Israel sanctificatione gratiae. Neque solum per psalterium et citharam tibi gratias agam, teque laudabo; sed etiam *exultabunt labia mea*, idest, os meum jubilabit, *cum cantabo tibi*; et *ipsa anima mea*, et vita mea, *quam redemisti ab interitu, exultabit tibi*, idest, exultans laudabit te. Denique non semel, aut iterum *lingua mea exultabit justitiam tuam*, sed *tota die*, omni tempore *meditabitur*, idest, exercebit se in decantanda justitia tua, quando confusi erubuerint omnes inimici mei, qui quaerunt nocere mihi. Haec omnia multo verius conveniunt homini justo, qui toto corde, et pleno ore et per totam aeternitatem laudabit Deum, cum in die judicii confusi fuerint omnes persecutores ejus, et ipse redemptus fuerit et liberatus ab omni malo corporis et animae.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In Salomonem.

Hic psalmus videtur esse omnium postremus, quamvis non sit collocatus in postremo loco. Scriptus est enim eo tempore quo David vicinus morti tradidit regnum Salomoni filio suo. Unde etiam ad finem hujus psalmi leguntur haec verba, *Defecerunt laudes David filii Jesse*. Cur autem non sit positus hic psalmus in fine libri, fortasse causa fuit, quia visum est ei, qui psalmorum ordinem disposuit, ut librum concluderent psalmi, qui solas Dei laudes continent et incipiunt et desinunt in vocem *Alleluja*, quales hymni continuabuntur post hanc vitam in saeculum saeculi. Titulus est, *in Salomonem*, quia occasio scribendi, vel canendi hunc psalmum fuit, ut bene precaretur Salomoni filio suo, quem in regni solium extulerat. Et vere primi versiculi satis apposite Salomoni conveniunt. Sed mox a Spiritu sancto elevata mens et lingua Prophetae transtulit sermonem ad Christum, qui per Salomonem significabatur. Fuit enim Salomon apertissima Christi figura: et tria nomina Salomonis *Salomon*, idest, *pacificus Ecclesiastes*, idest, *concionator* et *Idida*, idest, *dilectus Domino*, magis proprie Christo conveniunt, quam Salomoni. Ipse enim est pax nostra, qui reconciliavit mundum Deo, ipse est Verbum incarnatum ad evangelizandum pauperibus missum: denique ipse est, de quo pater non semel dixit, *hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*. Matth. 3. et 17. Vide s. Augustinum in lib. 17. de civitate Dei cap. 8. Describit autem David in hoc psalmo elegantissimis similitudinibus adventum Christi et propagationem regni ejus, necnon rectitudinem gubernationis ejus.

EXPLICATIO PSALMI LXXI.

1. *Deus judicium tuum regi da et justitiam tuam filio regis.*
2. *Judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio.*

Haec est bona precatio, qua precatur David Salomoni filio suo gratiam Dei ad juste judicandum. Vir enim sanctus, non precatur filio suo abundantiam auri et argenti, neque propagationem imperii, ut filii hujus saeculi facere solent: sed precatur ei gratiam bene fungendi officio suo. Sciebat enim regem esse propter populum, non populum propter regem: et ideo illum esse bonum regem, qui bene regit populum juste judicando. Quod ipsum et Salomon filius a Davide Patre edoctus postulavit a Deo, 3. reg. c. 3. Ait igitur, *Deus judicium tuum regi da*, idest, da Salomoni regi recens instituto, *judicium tuum*, idest, judicium tale, quale est tuum, rectum, sapiens, justum; sive gratiam judicandi, ut tibi placet vel secundum leges tuas. Et idem repetens addit *et justitiam tuam filio regis*, idest, da Salomoni, qui est rex, et filius regis, justitiam tuam, idest, justitiam talem qualis est tua, ut juste judicet ad imitationem tuam, qui semper justissime judicas. *Da*, inquam, *Salomoni judicium tuum et justitiam tuam. Judicare populum tuum in justitia*, idest justo judicio, *et pauperes tuos*, idest, populum tuum, *in judicio*. Est enim hic etiam repetitio ejusdem sententiae. Vocat autem populum Dei, pauperes Dei, quia omnes homines quantumvis divites esse videantur, tamen pauperes Dei sunt. Egent enim auxilio ejus in omnibus rebus, et quicquid habent, a Deo habent, non tam donatum quam commodatum, unde et repetere et auferre sine ulla injuria Deus potest: et quamvis populi gentium haec non intelligant, tamen populus Dei intelligere et profiteri debet. Hic mihi videtur sensus litteralis: tamen non repugnaquin possit etiam hic locus intelligi de auctoritate regia et judiciaria, ut sensus sit: da Deus regi a me electo et filio meo judiciariam potestatem, ut juste judicet populum tuum. Vel si de Christo hos etiam primos versiculos exponere placeat, sensus sit, Da Deus Pater regi Christo filio tuo potestatem judicandi: juxta illud Joan. 5. *Pater non judicat quemquam sed omne judicium dedit Filio*. Porro inter judicium et justitiam est quidem differentia, quod justitia est virtus, judicium autem actus est justitiae, tamen hoc loco accipiuntur pro eodem, videlicet pro judicandi potestate, vel pro gratia bene judicandi, vel pro ipso actuali judicio. Siquidem ut observat hoc loco s. Augustin. et confirmat ex aliis locis, in singulis fere versiculis repetitur bis eadem sententia: neque solum hoc loco sed etiam

alibi passim accipiuntur pro eodem judicium et justitia, ut 2. reg. 8. *Faciebat David judicium et justitiam omni populo suo*, et psal. 118. *Feci judicium et justitiam, non calumnientur mihi superbi.*

3. *Suscipiant montes pacem populo et colles justitiam.*
4. *Judicabit pauperes populi et salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem.*

Hi quoque versiculi pertinent ad bonam imprecationem Regi Salomoni: quasi dicat David, Precor Deum, ut regnante filio meo Salomone descendant pax et justitia in omnem terram hujus regni, et ad omnes populos, qui habitant in ea: et quia terra illa maxima ex parte in montibus et collibus sita erat, ideo dicit, *suscipiant montes pacem populo*, idest, descendat pax ad omnes montes hujus terrae promissionis et suscipiatur ab eis pro populo in eis habitante; *et colles* hujus terrae suscipiant *justitiam*, quae est causa pacis: nam ex injustitia oriuntur bella, et seditiones; ex justitia oritur pax. Isaiae 32. *Erit opus justitiae pax*. Vel per montes intelligi possunt homines regni majores et nobiliores, per colles vero viliores et humiliores: nam cum majores inter se pacem habent et communi consilio rempublicam gerunt, facile continent humiliores intra cancellos justitiae. Itaque si montes suscipiant pacem, colles quoque suscipient justitiam. *Judicabit pauperes populi*, idest, si pax et justitia vigeant in regno, ita ut pauci admodum inveniantur oppressores aliorum, facile rex ipse judicabit pauperes populi a calumniis et oppressionibus paucorum potentiorum, qui in tanta multitudine deesse non possunt. *Judicabit*, rex videlicet, *pauperes populi* et judicio suo *salvabit filios pauperum* de manu calumniatorum, *et ipsos* calumniatores *humiliabit*, deprimet et confundet.

5. *Et permanebit cum sole et ante lunam in generatione et generationem.*

Jam incipit Propheta transitum facere a Solomone ad Christum: dicit enim Salomonem regem permansurum in regno, quamdiu sol et luna permanebunt in coelo, idest, quamdiu tempus durabit. Et quoniam de persona Salomonis haec dici non possunt, cogit nos Spiritus sanctus, ut haec intelligamus de Salomone, non per se, sed per Christum, ut sensus sit, continuabitur regnum Salomonis per Christum, qui ex progenie ejus nascetur usque ad mundi consummationem. *Et permanebit* rex Salomon in filio suo, qui verissimus erit pacificus, et amabilis Domino, *cum Sole*, idest, quamdiu sol erit, et *ante lunam*, idest, et coram luna, *in generatione, et generationem*, idest, usque ad finem saeculi. Hic multa notanda sunt: primo illud, *Et permanebit*, in hebraeo habetur, *timebunt te*, sed Septuaginta videntur legisse, ויאריך *vaieeroch et prolongavit*, vitam videlicet, quod est idem quod permanebit, pro, ויראוך *viraucha*, et timebunt te. Solum enim una litera mutat locum et sit lectio quam habemus; sensus tamen est idem: nam *timebunt te*, significat timendum Salomonem ut regem a populis, ac per hoc permansurum in regno. Secundo illud *cum sole*, non solum significat permansurum regem, quamdiu sol erit, sed permansurum in terris regnum ejus, dum sol peragit dies, idest, usque ad mundi consummationem: nam post mundi consummationem non erit regnum Christi cum sole, sed supra solem neque sole ullo modo indigebit. Tertio illud, *ante lunam*, in hebraeo est, לפני *liphne*, coram luna, sive ante faciem lunae quod recte cohaeret cum illo, *cum sole*: quasi dicat permanebit in conspectu solis, et lunae quamdiu sol et luna dies noctesque distinguent: tamen in graeco est, πρὸ σελήνης, idest, antequam esset luna et hinc colligunt s. Augustinus, Euthymius et alii, hic significari aeternitatem Christi, qui fuit ante lunam. Caeterum non desunt, qui illud πρὸ velint significare ante, idest, *coram*, ut concordet graeca lectio cum hebraica, praesertim cum non cohaereat verbum *permanebit*, cum illo, *antequam luna esset*, sed bene cohaereat cum illo, *coram luna*. Rectissime enim dicimus, permanebit coram luna, sed non nisi absurde diceremus, permanebit antequam esset luna. S. Hieronymus vertit, *ultra lunam*, sed fateor me ignorare quid sequutus sit: nam neque vox hebraica, neque graeca hoc significat. Quarto illud *in generatione, et generationem*, potest accipi pro aeternitate, ut alias notavimus, sed hoc loco accipiendum est proprie pro spatio temporis quo durat sub sole vicissitudo generationum. Neque hinc sequitur Christum, aut ejus regnum non permansurum, nisi usque ad finem generationum et mundi consummationem. Solum enim hic significatur Christum, et ejus Regnum duraturum usque ad finem saeculi sed non significatur, ibi finem esse habiturum: quomodo intelligimus illud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem*. Hic enim significatur, Christum futurum nobiscum usque ad mundi consummationem per gratiam, et auxilium: sed in aeternum futurum per gloriam, et foelicitatem. Sic etiam Christus et ejus regnum permanebit in terris *coram sole et luna* per temporum vicissitudines, donec sol, et luna movebuntur super terram et generationes praeteribunt et generationes advenient: sed his finitis Christus et regnum ejus permanebit supra solem et supra lunam sine ulla varietate in aeternum: *nam regni ejus nullus erit finis*. Daniel 2. Luc. 1.

6. *Descendet sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram.*

Quia dixerat, regem Salomonem permansurum usque ad finem mundi et hoc intelligendum erat non in persona propria, sed in illo suo Christo; ideo nunc Propheta describit adventum Christi et propagationem, ac proprietates regni ejus. Adventum Christi ad Judaeos primum, deinde ad gentes describit similitudine pluviae, velleris et terrae, juxta signum liberationis populi datum olim Gedeoni, Jud. 6. nam petente Gedeone signum a Deo, factum est ut vellus in arca positum impleretur rore coeli, area tota sicca permanente; deinde sequenti

http://www.obrascatolicas.com

nocte area tota compluta est,solo vellere in medio areae remanente arido: sic igitur descendit primo Christus ad judaeos, per vellus significatos,tota reliqua terra permanente arida, dicente ipso, *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.* Matth. 15.Deinde venit ad gentes per Apostolorum praedicationem et sic compluta est terra pluvia doctrinae salutaris et gratia Baptismi, dicente eodem Domino, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* Matth. 28. et solum vellus remansit aridum ariditate incredulitatis ut etiam hodie cernimus. Ita s. Augustinus. Addit s. Bernardus serm. 2. super, Missus est, Christum descendisse *sicut pluviam in vellus*, per incarnationem *et sicut stillicidia super terram*, per praedicationem, quia sicut ros cadit de coelo in vellus cum maximo silentio, ita Christus descendit in virginem ut lanam purissimam, maximo cum silentio et coelesti solum virtute et sicut stillicidia stillantia super terram magno sonitu guttas demittunt in terram; sic idem Christus venit per praedicationem suam et Apostolorum cum magno strepitu verborum et miraculorum.

7. *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis donec auferatur luna.*

Hic erit primus fructus adventus Christi, vera justificatio et verissima pax cum Deo, et cum omnibus hominibus.*Orietur in diebus ejus justitia* id est, cum venerit Salvator, abolebitur peccatum, et in locum ejus *adducetur justitia sempiterna*, ut praedixit Daniel cap. 9. Quamvis enim non defuerint ab initio mundi multi vere justi ut Abel, Henoch, Noe, Abraham et alii; tamen omnes justificati sunt ex meritis Christi praevisis. Vere enim dicit Angelus Josepho, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*: et hoc est gaudium,quod Angelus evangelizavit Pastoribus. Luc. 2. *Quia natus est vobis hodie Salvator. Orietur* ergo *justitia* in cordibus hominum per fidem Jesu Christi et inde sequetur *abundantia pacis*: quia vera justitia in charitate consistit, charitatis autem proles est pax, et pax quam mundus dare non potest,sed vera, stabilis et in tanta copia ut coelum et terram repleat. In cujus rei signum nascente Christo quieverunt bella in toto orbe terrarum sub Augusto Caesare. Durabit autem haec justitia, et pax in terris *donec auferatur luna*, idest, durabit justitia fidei, et pax conscientiae, non sine externis persecutionibus donec tollatur e medio omnis corruptio et mortalitas, quae per lunam significatur: sive donec tollatur lunae varietas et transmutatio: nam post mundi consummationem luna semper erit plena et justitia fidei mutabitur in justitiam gloriae et pax non solum erit in corde, sed et in corpore interior et exterior, sine ullo hoste.In hebraeo, pro *orietur justitia* habetur *orietur justus*, sed facile est Septuaginta legisse, צדק *tsedek*, *justitia*,non ut nunc legitur, צדיק *tsadik*, justus sensus tamen est idem: nam cum oritur justitia,oritur justus: neque justus oriri potest, nisi in eo oriatur justitia: pro, *Donec auferatur luna*, in hebraeo est, עד כלי ידח *had beli iareach, donec non sit luna*,ex quo tollitur ambiguitas vocis graecae:nam ut s.August.notavit vox graeca significare potest lunam tollendam, ut non sit: et lunam extollendam, ut altior sit. Sed vera sententia est, tollendam, ut non sit.Id enim cohaeret cum lectione hebraica et latina. Intelligimus autem, lunam tollendam, ut non sit, qualis nunc est, modo clara, modo obscura, modo magna, modo parva: sed et illa lectio, *Donec extollatur luna*, optimum sensum habet, videlicet donec ecclesia per lunam significata extollatur per resurrectionem et glorificationem.

8. *Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Describitur nunc propagatio regni Christi, quod est ipsa Ecclesia toto orbe diffusa. Videtur autem hic describi terra habitabilis secundum longitudinem a mari Indico, sive Orientali, usque ad mare Gaditanum, sive Occidentale: et per latitudinem a flumine Tanai Septentrionali,usque ad fines Aethiopiae, quae est ultima provincia ad Meridiem. Alii existimant per flumen intelligi Euphratem qui erat ultimus terminus regni Salomonis.Sed hoc non est probabile, quoniam regnum Christi non incipit ab Euphrate, neque terminatur ad Euphratem;sed ultra et citra Euphratem extenditur. Melius s. August. et Theodoretus per flumen intelligunt Jordanem,in quo dictum est Christo,*Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3. Luc. 3. et in quo Baptisma dedicatum est, et circa quem praedicatio Domini, ac per hoc propagatio regni initium habuit.Itaque secundum Augustinum illa verba, *a flumine usque ad terminos orbis terrarum*, explicant quod antea dictum erat,*a mari usque ad mare*: quasi dicat, *Dominabitur per totam terram a mari usque ad mare*, quia terra undique cingitur mari Oceano. Id autem fiet quia a Jordane flumine incipiet praedicatio,et dinundetur per omnes terras usque ad mare Oceanum, quod undique terminat orbem terrae.

9. *Coram illo procident Aethiopes,et inimici ejus terram lingent.*

Nominantur Athiopes in particulari, vel quia paulo ante dictum erat, a flumine usque ad terminos orbis terrarum,et secundum latitudinem et ipsi Aethiopes sunt in finibus orbis terrae,ut supra diximus, vel quia primus fuit Eunuchus Candacis reginae Ethiopum, ut legimus Act. cap. 8. qui ad fidem Christi conversus est ex iis,qui extra terram promissionis habitabant. Vel quia Aethiopes ut nigerrimi corpore, ita feri moribus,longissime videbantur abesse a cultu veri Dei.Quod autem subditur, *et inimici ejus terram lingent*, explicatio est verborum superiorum; nam procidere est prosterni usque ad terram, quod faciunt qui terram lambere volunt. Itaque significatur humillima subjectio et adoratio, quae proprie debetur Deo;et quam deferent Christo inimici ejus, idest, infideles, et peccatores conversi ad fidem, et poenitentiam. Et qui noluerint sponte procidere Christo, eumque pie et fideliter adorare, cogentur in novissimo die inviti procidere et subjici sub scabellum pedum ejus.

10. *Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.*

Quia dixerat Christum dominaturum a mari usque ad mare, idest, per universam terram, quae mari cingitur; ne putaremus ab ejus dominio excludendas insulas, quae sunt in medio mari, adjungit, *reges Tharsis et insulae munera offerent.* Quid significet Tharsis, diximus in explicatione psal. 47. Probabilissima sententia est, ea voce significari insulas maris orientalis quae plurimae et maximae sunt, et unde tertio quoque anno adferebatur Salomoni maxima copia auri, et aromatum, ut legimus 3. Reg. 10. sensus igitur est, *reges Tharsis*, idest, Insularum orientalium,et ipsae etiam insulae, idest, populi earum, munera pretiosa regi Christo offerent. Adjungit deinde his regibus et insulis, *reges Arabum et Saba*, quia haec sunt loca, unde eruitur copia rerum pretiosarum, auri, argenti, lapidum pretiosorum et omnis generis aromatum. Nam ut legimus loco citato 3. reg. 10. *Regina Saba attulit Salomoni infinitam copiam auri, argenti, lapidum pretiosorum et aromatum.* In hebraeo est *reges*, שבא *Sceba*, *et* סבא *Seba*, quae solum differunt, quod prior habeat, s, durius nimirum *Shim*,posterior mollius, s.*samech*. Quamvis autem aliqui velint priorem Sabam hoc loco nominatam significare Aethiopiam, posteriorem Arabiam, tamen septuaginta Interpretes, et s. Hieron. per priorem intellexerunt Arabiam, per posteriorem ipsam Sabam, quo nomine utuntur etiam graeci et latini, et nisi ego valde decipior, Saba, per schim, est Arabia foelix. Nam etiam paulo post, cum dicitur, *Dabitur ei de auro Arabiae*, in hebraeo est, שבא *scheba*; et Isaiae 60. cum dicitur, *Omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes*,in hebraeo est,שבא *scheba*: *Saba* autem per samech, סבא latius patet et significat Arabiam, Madian, et Epha, ut s. Hier. indicat in commentario ad c. 60. Isaiae. Itaque *reges Arabum et Saba*, significat reges Arabiae et totius regionis quae dicitur Saba, Atque hujus totius regionis reginam fuisse existimamus reginam Saba, quae venit ad Salomonem lib. 3. reg. cap. 10.Nam dicitur regina Saba per schim, idest, שבא *scheba*,et hoc nomine septuaginta Interpretes et s. Hieron. in versione hujus psalmi intelligunt Arabiam, et rursus idem Hieronymus in commentario Isaiae capit. 43. et capit.60. dicit reginam Saba fuisse reginam Saba, quae scribitur per samech, Isaiae 60.proinde fuit regina Arabiae foelicis et praeterea Madian et Epha, et totius regionis Sabaeorum. Neque his repugnat, quod regina Saba dicitur, Matth.cap.12. *regina Austri venisse a finibus terrae:* nam Arabia foelix ad Austrum porrigitur,et pertinet ad mare Aethiopicum et ad Zonam torridam: proinde rectissime dicitur, *regina Austri venisse a finibus terrae.*Quod autem quidam dicit reginam Saba imperasse Aegypto et Aethiopiae, cujus regia est Meroes; nescio unde probari possit: nam tempore Salomonis regnabat Pharao in Aegypto, cujus filiam Salomon duxit uxorem; non igitur regina Saba, quae venit ad Salomonem regnabat in Aegypto.Sed his omissis, illud utilius considerandum est, munera, quae Christo regi offerenda sunt, quaeque illi maxime placent, esse aurum charitatis, thus orationis et myrrham patientiae, sive, esse fidem cum invocatione, spem cum desiderio rerum supernarum, charitatem cum fructibus bonorum operum: ex qua charitate fit, ut qui ea flagrant,non difficulter omnes terrenas opes,necnon duros corporis labores et ipsam vitam Christo offerant.

11. *Et adorabunt eum omnes reges terrae,omnes gentes servient ei.*

Haec omnia in Christo impleta sunt in aliquo sensu et in alio sine dubio implebuntur. Nam si intelligantur de adoratione et servitute fidelium, impleta sunt per figuram intellectionis: Scriptura enim tribuit omnibus ea, quae conveniunt multis, Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*: et tamen ibidem dicitur, *Noe vir justus, atque perfectus.* Matth. 2. *Turbatus est Herodes et omnis Jerosolyma cum illo*: et tamen non deerat Simeon justus et Anna Prophetissa et caeteri justi,qui non turbati cum Herode, sed gaudio magno cum Magis affecti sunt.Igitur dicuntur omnes reges adoraturi Christum, et omnes gentes ei serviturae, quia plurimi principes cum populis suis ad Christi cultum et obsequium convertendi erant. Sed si intelligatur hic locus de adoratione sive spontanea, sive coacta; in die judicii adimplebitur perfectissime: tunc enim Christo curvabitur omne genu, denique si intelligatur de potestate Christi, quam habet in omnes reges et populos, ut sive ipsi sciant, sive nesciant et sive velint, sive nolint, ipse de ipsis aget quidquid sibi placet,ac per hoc servient omnes ejus voluntati; adimpletur semper haec Prophetia: *Data enim illi est omnis potestas in coelo, et in terra.* Matth. 28. *Et ipse est princeps regum terrae.* Apocal. 1. *Et habet in femore suo scriptum, rex regum,et Dominus Dominantium*,Apocal.19.

12. *Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem, cui non erat adjutor.*

Haec est ratio, cur reges, et populi servient Christo, quia per ipsum liberabuntur a potestate diaboli,a crudelissima tyrannide principis tenebrarum et transferentur in pacatissimum regnum ejus. Per pauperem intelligitur genus humanum spoliatum a diabolo omnibus bonis suis, quibus in statu innocentiae abundabat: per potentem, intelligitur diabolus,quem ex astuto potentem fecit iniquitas nostra: si enim homo persuasioni ejus consentire noluisse, numquam eum diabolus debellare potuisset. Sed post peccatum captivus diaboli factus est homo et diabolus potentiam in eum acquisivit. Incipit autem homo liberari, cum incipit cognoscere paupertatem suam, ac per hoc humiliari et non in se, sed in Domino confidere. *Li-*

http://www.obrascatolicas.com

berabit ergo pauperem hominem a potente diabolo, et pauperem, cui non erat adjutor, idest, quem neque alius homo, neque Angelus, neque ulla creatura poterat adjuvare. In hebraeo pro, *a potente*, est, *clamantem*, ut sit adjectivum pauperis. Sed Septuaginta non legerunt, משוע *mesciaveah*, sed cum aliis punctis, משוע *misuah*, a potente sive divite clamoso et hoc eodem modo legit s. Hieron. qui vertit a potente.

13. *Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet.*

Explicat modum, quo Christus liberabit homines a diabolo: modus enim erit condonando eis peccata et restituendo gratiam; cum enim remittuntur peccata, rumpitur catena, quae captivos tenebat sub diaboli potestate. *Parcet*, ergo rex noster, *pauperi et inopi*, idest, condonabit delicta agnoscentibus debita sua et confitentibus paupertatem suam ob quam solvendo non erant, nec solum ignoscet peccatis, sed etiam donabit gratiam, sive justitiam et per hoc animas pauperum salvas faciet.

14. *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum et honorabile nomen eorum coram illo.*

Homo per originale peccatum debitor factus est mortis aeternae. Atque hoc est debitum capitale; sed dum hujus debiti solutio differtur, iniquus exactor diabolus exigit usuras, impellens quotidie ad nova peccata, quae sunt poenae primi peccati; et dum horum peccatorum poena differtur, usurae transeunt in sortem principalem. Ita quo diutius peccator vivit, eo magis debitum crescit. Christus ergo benignissimus Dominus, non solum peccatum originis, quod fuit primum capitale debitum, per gratiam suam remittet; sed etiam ab usuris, idest, ab actualibus peccatis, et ab iniquitate tam duri exactoris redimet. Hoc praedixit etiam Isaias cap. 9. cum ait, *Jugum enim oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti.* Sanctus Augustinus dicit peccati poenam reddi cum usura, quia plus peccator reddit, quam accepit. Homicida occidit carnem proximi; ipse peribit in corpore et in anima: fur accipit pecuniam et perdet vitam aeternam: fornicator sumit modicam et brevem voluptatem; reddet supplicia gravissima et sempiterna. *Et honorabile nomen eorum coram ipso*: haec est causa tantae pietatis Domini, qua nomen istorum pauperum fuit honorabile coram Deo. Ubi, *et* accipitur pro, *quia*, et nomen significat naturam humanam creatam ad imaginem Dei: quamvis enim homo per peccatum vilis, et despectus valde factus sit, tamen natura humana et nomen hominis non est vile apud Deum neque despicit Deus imaginem suam. Et vere incarnatio filii Dei manifeste ostendit, quam pretiosa sit natura humana apud Deum: quod certe deberet omnes homines rapere in amorem Dei, a quo tanti se fieri praeter omne meritum suum intelligunt. In hebraeo habetur, *sanguis eorum*, pro eo quod nos habemus, *nomen eorum*. Sed idem est sensus: nam Deus magni fecit sanguinem nostrum idest, vitam nostram, quam ideo de interitu redemit, quia pretiosum fuit coram eo nomen nostrum natura nostra, genus nostrum.

15. *Et vivat, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.*

Quoniam dicens, *redimet animas eorum*, insinuaverat mortem Christi, quae fuit redemptio, et propitiatio pro animabus nostris, addere voluit etiam resurrectionem et vitam ejus aeternam, ideo subjungit, *Et vivet*, idest, et postea quam per mortem redemerit, *iterum vivet*. *Et dabitur ei de auro Arabiae*, idest, pretiosis muneribus coletur, quod autem s. Augustinus legit, *Dabitur ei de auro Abrahae*, videtur manifesta corruptio. *Et adorabunt de ipso semper*, idest, et redempti ab ipso adorabunt Deum verum ex ipsius ritu, doctrina et institutione usque ad mundi consummationem. *Et tota die*, idest, jugiter, et assidue benedicent ei, hoc est, *laudabunt, et glorificabunt eum*. In hebraeo habetur in numero singulari, יתפלל *ithpallel*, orabit. Sed Septuaginta et s. Hieronymus verterunt in numero multitudinis, *orabunt*, et omnes tractatores exponunt verbum in numero multitudinis. Quare videndum est, an fortasse in verbo Hebraico una litera in fine, videlicet vau, desideretur. Quod autem in hebraico, יתפלל *ithpallel*, et graeco sit verbum προσευξονται, *orabunt*, in latino, *adorabunt*, non variat sensum: nam qui orat adorat et qui adorant ut plurimum id faciunt, ut orent: ergo, *adorabunt*, exponendum est, adorantes orabunt, vel, orantes adorabunt. Illud *de ipso* varie exponitur, aliqui enim volunt, *de ipso*, significare, pro ipso, idest, pro foelici progressu ipsius vel regni ejus. Alii, *de ipso*, hoc est pro salute, quae est ab ipso, Alii, *de ipso*, idest, per ipsum orabunt Patrem: sed si praepositio *de*, proprie accipienda sit, ut eam accipiendam esse arbitramur, jam diximus, quis nobis sensus esse videatur.

16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super libanum fructus ejus: et florebunt de civitate sicut foenum terrae.*

Hic jam describitur fructus Apostolicae praedicationis post Christi resurrectionem, et ascensionem in coelum. Sed primum declaranda est vox firmamentum, pro qua in hebraeo est, פסת בר *pissath bar*. Rabbini, et qui eos sequuntur volunt, *pissath bar*, significare *pugillum frumenti*, sive quantum sola manus potest capere frumenti, vel etiam *placentulam panis*: sed non possunt ex scripturis hanc suam expositionem probare. Sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo contrariam sententiam videlicet, *memorabile triticum*, idest, abundantiam optimi frumenti; et potest confirmari haec expositio ex cap. 37. Genesis, ubi dicitur, Jacob fecisse Josepho filio suo unice dilecto vestem egregiam variorum colorum: et habetur vox hebraea פס פסת *pas pissath*, ex hac eadem radice, unde

hic habemus *pissath*: quomodo ergo in eo loco non significatur vestis angusta, aut brevis, sed talaris, et pulcherrima; ita hoc loco non significatur frumentum modicum, quod pugillo, aut vola continetur, sed *abundans et memorabile*, ut s. Hieronymus recte vertit. Atque huc respexerunt Septuaginta, qui transtulerunt, *firmamentum*, idest, *firmamentum panis*, ut dicitur in psalmo 104. *omne firmamentum panis contrivit*. Est enim abundantia frumenti firmamentum familiae, ut non cogatur mendicare, juxta illud Gen. 27. *Frumento vino et oleo stabilivi eum*. Per abundantiam autem frumenti, hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, sed abundantia Verbi Dei, ut colligitur ex illis verbis, *Et florebunt de civitate sicut foenum terrae*, ubi explicatur metaphora superiorum verborum. Hic igitur est sensus hujus loci alioqui valde obscuri: *Erit in terra firmamentum*, idest, abundantia frumenti spiritualis, quod est Verbum Dei. *In summis montium*, idest, etiam in locis ex se sterilibus: valles enim, non montes, abundare solent frumento. *superextolletur fructus ejus*, idest, crescet, et multiplicabitur fructus hujus frumenti in terra sati, *super Libanum*, idest, fructus hujus frumenti excrescet supra altitudinem cedrorum Libani, vel supra fructum Libani, qui producit arbores plurimas et altissimas. *Et florebunt de civitate sicut foenum terrae*, idest et hic fructus frumenti non consistet in spicis corporalibus, sed in multiplicatione credentium: nam ex civitate Dei, quae est Jerusalem, de qua dictum est ab Isaia cap. 2. *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem*. florebunt et germinabunt credentes in tanta copia, ut foenum in terra germinare solet. Et quod ita factum sit docet s. Lucas Actor. 6. ubi dicit *Et verbum Dei crescebat, et multiplicabatur numerus credentium valde*. Scio quid Paulus Burgensis ex paraphrasi Chaldaica adferat ad probandum ex hoc loco sacrificium Missae sed scio etiam quam multis fabulis Judaicis paraphrasis illa scateat. Ideo piget ex lacunis expositionum Judaicarum haurire, quae nobis ex purissimis fontibus sacrarum scripturarum abundant.

17. *Sit nomen ejus benedictum in saecula, ante solem permanet nomen ejus.*

Concludit psalmum Propheta orando et laudando futurum Messiam. *Sit*, inquit, *nomen ejus benedictum in saecula*, idest, ab omnibus, ubique, et semper benedicatur nomen Christi: quod nomen *ante solem permanet*, idest, coram Sole, sive quamdiu sol erit, permanebit. Conabuntur quidem persecutores illud extinguere, sed non praevalebunt. In hebraeo non habetur illud, *benedictum*, sed simpliciter legitur, *Erit nomen ejus in saecula*, et idem aliis verbis repetitur, *quamdiu sol erit, nomen ejus permanebit*. Testatur quoque Theodoretus a nullo interprete, idest, neque ab Aquila, neque a Symmacho, neque a Theodotione illud, *Benedictum*, in textu esse positum, neque haberi in Exaplis apud septuaginta Interpretes: tamen habetur in graecis, et latinis antiquis libris et legitur in commentariis Hieronymi, Augustini, et Euthymii. Illud, *permanet*, seu *permanebit*, in hebraeo est, ינן *innon*, quo verbum *filiabitur* dici posset, idest, propagabitur: quod satis proprie convenit nomini Christi, quod per praedicatores propagatur et propagabitur usque ad mundi consummationem.

18 *Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum.*

Hoc desumptum est ex Genesi, cap. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae*. Et explicatur ab Apostolo ad Galat. 3. *Non dictum est*, inquit, *in seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, et semini tuo, quod est Christus*. Omnes ergo gentes benedicentur a Deo in Christo, idest, nemo benedicetur, nisi in Christo et in ipso benedicentur quotquot ex ipso renati fuerint, et in ipso perseveraverint. Ipsis enim dicetur in judicio, *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Matth. 25. Proinde benedictio ista, est justificatio et adoptio filiorum per Christum. Sicut autem in ipso benedicentur omnes tribus terrae: sic etiam vicissim *omnes gentes magnificabunt*, idest, laudabunt, et glorificabunt eum.

19. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.*

Haec est laus, qua magnificabunt eum omnes gentes: agnoscent enim et praedicabunt haec mirabilia, quae fecit Deus Christus justificando impios, et eruendo eos de potestate tenebrarum, et transferendo in Regnum suum, ab ipso solo fieri potuisse.

20. *Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.*

Optat in fine Propheta, ut nomen divinae Majestatis in aeternum ab omnibus benedicatur, non in coelo tantum, ubi semper ab Angelis benedicitur; sed etiam in terra, ita ut repleatur omnis terra gloria Domini; et omnes homines agnoscant et laudent Dominum. Addit ex magno affectu, fiat, fiat, sive hebraice, *Amen, Amen, vere ita sit, vere ita sit*. Atque hic est finis libri secundi secundum hebraeos.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

De hoc titulo diximus aliquid in explicatione psalmi quadragesiminoni et in praefatione. Argumentum est exhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbos in hoc mundo florere: quae adhortatio semper utilis saepe etiam necessaria est; tum videlicet, cum populus Dei, vel justus quicumque persecuticnem patitur, et injusti maxima pace et tranquillitate fruuntur.

EXPLICATIO PSALMI LXXII.

1. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde?*

Explicaturus David tentationem et scandalum pusillorum, quorum personam in hoc psalmo induerat; primo jacit fundamentum sectae Fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem divinae providentiae naufragasse. Quod idem fecit Propheta Hieremias c. 12. primum, cum ait, *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum*; deinde hoc fundamento posito, subjungit: *verumtamen justa loquar ad te: quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui praevaricantur etc.* Sic igilur hoc loco David primum affirmat Deum bonum esse, ac per hoc justum; sed bonum ut est, videri bonis, qui sano judicio praediti sunt; quamvis perversis perversus videatur. Ait igitur, non interrogando, sed affirmando, *quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde*, idest, Perquam bonus est Deus Israeli, Israelitis, inquam, qui recto sunt corde. In Hebraeo sic legitur ad verbum, *Certe bonus est Deus Israeli his, qui puro sunt corde.* Itaque Deus qui in se semper est bonus, rectus, et justus, est etiam talis Israelis judicio, non tamen omnis Israelis, sed iis ex Israele, qui purum cor habent, idest, liberum a fumo passionum, ut recte possint judicare; sive, *iis, qui recto sunt corde*, ut conforme sit rectitudini Dei: distortis enim, quod rectum est, distortum esse videtur.

2. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.*

Incipit nunc exponere tentationem infirmorum, quorum personam, ut diximus, in hoc psalmo gerit. Boni, inquit, fideles, qui puro et recto sunt corde, bonum et justum Deum esse non dubitant, quicquid illis accidat: sed ego infirmus, et qui cor habeo non usquequaque purum et rectum, pene cecidi in dubitationem de justitia Dei. Hanc enim dubitationem metaphorice significat motio pedum, et effusio gressuum. Sicut enim qui nutare incipit pedibus et qui labitur dum ambulat, deficit a firmitate et stabilitate sua; sic ille, qui agitatur dubitationum tentationibus contrariis veritati, deficere incipit et quasi nutat a constantia Fidei. Mei *autem*, inquit, *pene moti sunt pedes*, idest, nutare coepi, non tamen omnino cecedi. *Pene effusi sunt gressus mei.* idest, labi coepi, dum ambularem, non tamen rui usque ad terram: denique significat, se parum abfuisse a lapsu in dubitationem circa justitiam et providentiam Dei.

3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Aperit causam suae tentationis, ac dicit esse, quia viderit iniquos, quos puniri a Deo oporteret, frui altissima pace, aliisque bonis permultis. Illud *zelavi super iniquos*, significat, zelo indignationis exarsi *super iniquos*, idest, adversus iniquos, quos vidi prosperitate et pace gaudere, quam non merentur.

4. *Quia non est respectus morii eorum, et firmamentum in plaga eorum.*

Pergit in explicanda foelicitate iniquorum; ac dicit, eos frui pace et prosperitate, quoniam tanta sanitate utuntur, ut de morte non cogitent, quasi semper essent victuri et si forte plaga aliqua, sive morbus illis contingat, ea plaga non habet firmamentum, sed continuo evanescit. Illud, *non est respectus morti eorum*, hunc sensum habere videtur. Non respiciunt iniqui in mortem suam, neque alii, qui eos vident, in mortem ipsorum, idest, non videntur unquam morituri propter diuturnam, et stabilem sanitatem, qua fruuntur. In textu graeco legitur, ȣκ εςὶν ἀνάνευσις ἐν τῶ θανάτῶ ἀυτῶν, *non est abnutio mortis eorum*, vel ut legit s. Augustinus, *non est declinatio mortis eorum*: quae verba eumdem sensum facere possunt, videlicet, Iniqui non declinant, neque abnuunt mortem quia de ea non cogitant, confidentes in optima constitutione corporis sui. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *Non cogitant mortem suam*: quae lectio nihil fere differt a nostra. Alii ex hebraeo vertunt, *non sunt vincula in morte ipsorum;* et potest sensus esse. Non trahuntur iniqui ad mortem vinculis variorum morborum, ut saepe accidit justis. Haec nobis videtur explicatio loci obscurissimi, quia cohaeret cum verbis sequentibus: quod enim sequitur, *et firmamentum in plaga eorum*, sine dubio requirit repetitionem negantis particulae initio positae, ut sit sensus et non est firmamentum, idest, firmitas et stabilitas in plaga eorum, quia si qua plaga illis accidit, facillime curatur.

5. *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur.*

Ad sanitatem iniquorum, quae est pax cum morbis et plagis corporalibus; accedit etiam abundantia omnium rerum, ut non necesse habeant conflictari cum inopia, fatigatione litibus angoribus aliisque tribulationibus, quibus flagellantur plerique hominum, qui *in sudore vultus sui vescuntur pane suo*, Genes. 3. et calumnis potentiorum opprimuntur. Sed recte admonet s. Bernardus in declamatione sua, qui cum hominibus in hac vita non flagellantur, cum doemonibus flagellabuntur in gehenna: nam generale est, quod dicit Apostolus 2. Tim. 3. *Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur*, et ad heb. 12. *Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.*

6. *Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua.*

Declarat Propheta, quem fructum producat prosperitas in impiis; superbiam videlicet, et cumulum iniquitatum. Utuntur enim copia rerum temporalium ad explendas libidines suas, et ad opprimendos debiliores: cum e contrario viri pii valde timeant, et humilientur, cum arridet prosperitas: suspectam enim habent prosperitatem, ne forte sit merces eorum, et excidant a mercede sempiterna, quam toto corde sitiunt: sed notanda sunt verba. *Tenuit*, inquit, *eos superbia*: non enim superbi superbiam tenent, sed tenentur a superbia, quasi vinculo quodam. Nam *qui facit peccatum servus est peccati*. Joann. 8. et vox hebraea, ענקתמו *hhanakathmo* hoc sonat, *circumdedit eos superbia, velut torques collo alligatus. Et operti sunt iniquitate, et impietate.* Hoc significat iniquos in prosperitate non habere peccatum solum intus in corde, ut saepe habent pauperes et miseri, qui corde concupiscunt furta, adulteria, pompas saeculi, sed opere non implent, quod libenter implerent, si possent, itaque latet intus peccatum eorum. Iniqui autem rebus omnibus abundantes toti cooperti sunt iniquitate, quia non solum cogitatione et desiderio, sed oculis, manibus, pedibus, lingua, visu, verbo et opere peccant.

7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.*

Ostendit originem iniquitatis natam esse ex malo usu rerum temporalium abundanter illis a Deo concessarum: quoniam enim non dispensarunt divitias magis egentibus, ut par erat, sed ipsi sibi omnia retinuerunt, inde pingues effecti, velut tauri, aut equi indomiti pauperes oppresserunt. Pulchre notat s. August. in pauperibus ex macie prodire iniquitatem, in divitibus ex adipe, pauperes enim interrogati cur furentur, respondent, ob inopiam rerum necessarium: divites interrogati, cur alienum agrum invadant, respondent, si tamen respondere dignantur, quia multos habent agros vicinos, quibus hunc etiam adjungi congruum est. Sic Achab rex, 3. regum 21. abstulit vineam Naboth, non quod ipse vineis indigeret, sed quia vicina erat palatio suo. Porro abundantiam esse causam iniquitatum, quando non fiunt inde eleemosynae pauperibus, docet Ezechiel, cap. 16. *Haec fuit*, inquit, *iniquitas Sodomae*, idest occasio, sive causa iniquitatis gravissimae, ob quam igne de coelo consumpta fuit *superbia, saturitas panis et abundantia et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno, et pauperi non porrigebant: et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me, et abstuli eas.* In hebraeo non legitur, *iniquitas*, sed *oculus*: et hunc sensum esse volunt hebraei. *Prodiit quasi ex adipe oculus eorum*, idest ex nimia pinguedine, oculus eorum prominebat, quasi exire vellet. Sed septuaginta interpretes viri doctissimi non legerunt, עין *hain*, quod significat *oculum*, sed, עון *havon*, quod significat, *iniquitatem*. Facile autem fuit vitio librariorum mutari vau in jod, cum non differant, nisi quod una litera est paulo longior, quam altera. Quod sequitur, *transierunt in affectum cordis*, difficile admodum est: nam in hebraeo secundum versionem s. Hieron. pro, *affectu*, ponitur *cogitatio*, secundum alios *pictura*, in graeco est, διαθεσις, *dispositio*, et sic legit s. August. Aliqui tollunt praepositionem, *in*, et legunt, *transierunt affectum, sive cogitationem cordis*: et sensum esse volunt, iniquos transgressos esse, quoad abundantiam bonorum temporalium ipsum desiderium, et cogitationem suam, idest, plus accepisse, quam desiderarent, vel cogitarent, quae expositio non placet, experientia enim docet, iniquos amatores mundi, non satiari temporalibus rebus, nec fieri posse, ut habeant plus, quam desiderent, cum res temporales sint modicae et cito finiantur; et desiderium humanum vastissimum sit, nec satiari possit, nisi summo et infinito bono, ut dicit s. Augustinus lib. 1. confess. cap. 1. Adde quod praepositio, *in*, non debet tolli cum habeatur in textibus omnibus graecis et latinis, existimo igitur, *transire in affectum cordis*,

http://www.obrascatolicas.com

esse transmutari et converti in carnales passiones et effici hominem totum carnalem et animalem: quod aliis verbis dicitur ad Rom. 1. *Tradidit eos Deus in desideria cordis sui*, et infra, *tradidit eos in passiones ignominiae*, et ad hanc expositionem accommodari possunt omnes lectiones: nam affectus et cogitatio conjunctissimae sunt, et pro eodem accipiuntur. Nihil enim homo desiderat, nisi quod cogitat et cognoscit. Sed significantius est nomen picturae, quam dicunt periti linguae hebraicae proprie significare vocem, משכיות *mascioth*, quam nomen cogitationis; quia mundi amatores non desiderant quod verum bonum et pulchrum est, sed quod ipsi sibi pingunt, et fingunt in corde suo perverso bonum et pulchrum esse. Adulter enim, qui summo affectu diligit adulteram et eam rebus omnibus anteponit, etiam aeternae foelicitati, non id facit, quia revera illa sit res pulcherrima et pretiosissima; sed quia ita ipse judicat, et talem sibi ipse eam in corde pingit et fingit. Itaque *transierunt iniqui* abundantes rerum temporalium *in affectum et cogitationem et picturas cordis sui*; quia conversi sunt, et transformati in concupiscentias et figmenta cordis sui: quo etiam referri potest vox graeca διάθεσις, idest dispositio, nam tales effecti sunt, qualis est dispositio cordis ipsorum, idest toti carnales.

8. *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.*

Pergit in explicanda perversitate iniquorum abundantium rebus temporalibus, ac dicit, eos cogitasse apud se iniquitatem adversus Deum et homines, et non timuisse eam palam etiam praedicare, irridendo Dei majestatem, et qui illum colunt. Illud, *cogitaverunt*, s. Hieronymus vertit, *irriserunt*, et potest fieri ut vox hebraica, מיק *mik*, utrumque significat: nam raro hoc verbum occurrit in sacris libris. Fortasse etiam significat, irridendo in corde suo cogitasse nequitiam, quam postea loquendo propalaverunt. Quam autem audacter loculi sint nequitiam, explicat propheta dicens, iniquitatem in excelso locuti sunt, idest, iniquitatem, sive blasphemiam iniquissimam in excelso loco positi palam et aperte locuti sunt. Illud enim *in excelso*, hebraice est, ממרום *mimmarom*, *de excelso*, sive ex excelso: proinde sensus est, istos iniquos divites in sublimi locatos, ut superbiam eorum decebat, de excelso illo loco blasphemiam protulisse: sed haec clariora erunt in versu sequenti.

9. *Posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum transivit in terra.*

Haec est nequitia impiorum. *Posuerunt in coelum*, idest supra coelum, os suum, non timentes Deum, et angelos blasphemare. *Et lingua eorum transivit in terra*, idest, *et lingua eorum perambulavit*, (ut sonat vox hebraica) תהלך *thiallech*, *in terra*, detrahens cultoribus Dei, eosque irridens, quasi vana sit spes eorum.

10. *Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.*
11. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?*

Revertitur Propheta in persona infirmorum in fide, ad explicandam tentationem et scandalum ipsorum ex foelicitate, qua fruuntur peccatores. *Ideo*, inquit, *convertetur populus meus hic*, idest propter tanta scelera et tantam foelicitatem iniquorum populus meus, qui est populus fidelis, et timens Deum, *convertetur hic*, idest convertet se ad consideranda haec. *Et dies pleni invenientur in eis*, idest considerando inveniet, vere foelices esse impios, ita ut etiam diutissime vivant et impleant dies suos pervenientes ad ultimam senectutem. *Et dixerunt, quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* idest et titubantes in fide dixerunt, quomodo potest fieri, ut Deus haec sciat, et permittat? Estne scientia in Deo excelso; an potius haec ignorat, vel non considerat? Hanc existimo veriorem esse hujus loci explicationem. Theodoretus enim docet verba versiculi decimi dicta esse per parenthesim in consolationem populi justi et verba versiculi undecimi, esse verba iniquorum, qui posuerunt os suum in coelum. Quam expositionem non reprobo, sed priorem ut faciliorem et magis connexam cum sequentibus et praecedentibus praefero. In hebraeo non habetur, *populus meus*, sed, *populus ejus*, videlicet Dei. Sensus est idem, sed lectio nostra est clarior, et credibile est septuaginta interpretes non legisse, עמי *hammo*, *populus ejus*, sed, עמר *populus meus*. Facile enim fuit librariis errorem committere in scribendo vau, pro jod, quae sunt literae similes: sic etiam in hebraeo non habetur nunc, *dies pleni*, sed vel, ut s. Hieron. vertit, *quis plenus*, vel ut alii legunt, *aquae pleni*, supple calicis. Sed septuaginta interpretes non erant tam imperiti, ut per aquas intelligerent et verterent, dies; ergo necesse est dicere, eos, non habuisse in suis codicibus, מי *mi*, idest, *quis*; neque מי *me*, idest, *aquae*, sed ימי *jeme*, idest, *dies*. Neque mirum est, si tam longo tractu temporis exciderit una litera, quae minima est omnium literarum. Illud est verum, legendum esse ex hebraeo, ימי מלא *jame mele*, *dies plenitudinis* potius, quam, dies pleni: sed dies plenitudinis, significat dies plenissimos, vel plenos, ut verterunt Septuaginta.

12. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo, obtinuerunt divitias.*
13. *Et dixi ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.*
14. *Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.*

Aperit causam dubitationis, an Deus sciat quae aguntur in terris: et loquitur in persona infirmorum, quasi unus esset ex illis, ut facilius eorum infirmitati medeatur. *Ecce*, inquit, *ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias*, idest, haec ratio est, cur incipiam dubitare de providentia Dei, quia peccatores, qui flagellari

peberent, abundantes sunt in saeculo, et obtinent divitias magnas. *Et dixi* apud me ista considerans, *ergo sine causa justificavi cor meum*, idest, frustra cor meum purum a peccatis servare studui, et frustra *lavi manus meas cum innocentibus*, innocenter operans et vivens: frustra, inquam, quoniam Deus non benefacit justis, sed peccatoribus: imo non solum Deus non benefacit justis, sed eos affligi patitur. Ego enim, qui justitiae studeo, *fui flagellatus tota die*, idest, semper in tribulationibus versor. *Et castigatio mea in matutinis*, idest, summo mane incipit vexatio, et tribulatio mea, non differtur saltem ad tempus, ut vel modicum requiescam. Haec est sententia horum versiculorum; sed verba consideremus. Illud, *abundantes in saeculo*, in hebraeo, ושלוי עולם *veschalve holam*, significat proprie *pacem et quietem habentes*, ac per hoc abundantes sanitate, robore, amicis, et similibus rebus. Illud, *obtinuerunt divitias*, poterat etiam verti, *multiplicaverunt, et coarcevaverunt substantiam*: quo declaratur id, quod nos legimus, *obtinuerunt divitias*: nam qui multiplicant divitias, illi vere eas obtinent, idest tenent ne dilabantur; tenuis enim substantia facile evanescit. Illud, *justificavi cor meum* in hebraeo est, וכיתי לבבי *zichithi lebabi*, *purificavi cor meum*, idest maculas peccatorum tersi per poenitentiam, vel mundum et justum conservavi. Illud, *lavi inter innocentes manus meas*, significat unum ex innocentibus me probavi, ut vere innocens eram opere et purus corde. Nam lotio manuum signum erat innocentiae, cum quaerebatur reus homicidii, ut legimus Deuteron. 21. ex quo etiam *Pilatus lavit manus coram populo*, Matth. 27. ut se innocentem demonstraret in passione Christi.

15. *Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.*

Incipit adhibere medicinam infirmis. Exposuit hactenus eorum quaerelas et causam scandali, quod patiebantur ex prosperitate impiorum et adversitatibus piorum, nunc quasi compunctus et poenitens ait, *si dicebam, narrabo sic*, idest, *si dicebam* apud me, *narrabo*, idest pergam narrare prosperitates impiorum, quasi injustas, et hanc injustitiam in Deum referre. *Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*, idest hoc ipso reprobavi et damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac, Jacob, Mosem et caeteros. Omnes enim confitebantur, habere Deum providentiam rerum humanarum et justo judicio peccatoribus interdum dare prosperitates et justis afflictiones. Vel *reprobavi* et damnavi *omnes filios Dei*, quasi insipientes, qui frustra justitiae studeant. Vel denique, *reprobavi omnes filios Dei*, quia judicavi eos omnes a Deo derelictos esse: quae omnia falsa sunt et reprehensione dignissima. Atque haec est prima ratio, qua persuadet Propheta infirmis, ut non dubitent de providentia Dei, ne videlicet contrarii sint omnibus filiis Dei, sanctis videlicet patriarchis et prophetis, neve illos insipientes fuisse credant, aut a Deo derelictos. Vox hebraea, בתגרי *bagadti*. Pro qua habemus, *reprobavi*, significat *spernere, relinquere, deficere, praevaricari, fidem fallere*. Itaque s. Hieronymus vertit *generationem filiorum tuorum reliqui*, idest ab eis defeci. S. Augustinus legit, *non concinni, dissonui*, idest non conveni in sententia cum filiis Dei. In eumdem sensum exponendum est, *reprobavi*, idest sprevi eos, neque fidem eis servavi, quam debebam.

16. *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me.*
17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.*

Ad primam illam rationem, addit secundam petitam a difficultate hujus quaestionis, quae deterrere deberet homines, ne prompti essent ad reprehendenda, quae non intelligunt. *Existimabam*, inquit, *ut cognoscerem hoc*, idest, reputabam mecum et cogitando investigabam, ut ad hujus rei cognitionem pervenirem: sed *labor magnus*, et difficultas mihi objiciebatur, *donec intrarem in sanctuarium Dei* et per orationem a Deo lumen obtinerem: et eo lumine ad novissima iniquorum abundantium adspicerem: nam ex novissimis, idest ex divino judicio, quod post mortem impios manet, manifeste declarabitur, illos non fuisse vere foelices. Illud, *existimabam*; obscurum est ex ambiguitate verbi, *exstimabam*: nam hoc loco non significat opinabar, vel arbitrabar, sed *reputabam*, sive discutiendo judicabam, quomodo dicimus, ex praeteritis futura existimare possumus. Verbum hebraeum, חשב *chasciab*, quod hoc loco habetur significat cogitare, existimare, reputare, et sanctus Hieronymus vertit, *cogitavi, ut intelligerem hoc* idest cogitavi apud me discutiens quaestionem istam, ut ejus solutionem invenirem. Illud, *labor est ante me*, in hebraeo habetur, עמל היא *hamal hi*, vel, הוא בעיני *hu behenai*, *labor in oculis meis*, *hoc*, idest dum inquiro notitiam hujus rei, opponitur oculis mentis meae labor penetrandi, quasi murus quidam impenetrabilis. Illud, *intelligam in novissimis eorum*, vel significat, intelligam solutionem quaestionis in novissimis eorum, idest considerando novissima eorum cognoscam, Deum habere providentiam rerum humanarum: vel significat, intelligam novissima eorum, idest, considerando vitam eorum perveniam ad intelligendum exitum, et ultimum finem ipsorum; et inde colligam quaestionis solutionem.

18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis; dejecisti eos, dum allevarentur.*

Hic jam propheta ostendit, ex novissimis intelligi posse iniquos abundantes in saeculo non esse foelices, et Deum justum esse judicem. Sed quia lectio nostra quae fideliter ex graeco translata est, multum dissentire videtur ab hebraica, quo ad verba, licet in sensu conveniant, utramque explicemus. *Verumtamen*, inquit, *propter dolos posuisti eis*, subintellige *dolos*, aut *mala*, ut addunt aliqui textus graeci, idest ἕνεκα ἀυτοις κακά, propter dolos,

http://www.obrascatolicas.com

quibus usi sunt erga proximos suos illi injusti, ut multiplicarent divitias: tu Domine secundum providentiam tuam fecisti, ut ipsi doli ipsorum verterentur ipsis in dolos longe majores, nam dum per dolos lucrati sunt pecunias, aut agros, aut vestes: per eosdem dolos imprudentes ipsi jacturam fecerunt aeternae vitae. *Et dejecisti eos, dum allevarentur*, idest et dum extollerentur ad honores et dignitates, per eas dejecti sunt in praecipitium mortis aeternae, justo judicio tuo. Hebraica lectio, quae est apud s. Hieronymum, sic habet, *verumtamen in lubrico posuisti eos, dejecisti eos in interitum*, idest dum injustis dedisti magnas divitias, posuisti eos in loco, unde facile labi possent in interitum; et quia non sciverunt in lubrico caute ambulare, lapsi sunt justo judicio tuo in interitum. Utraque lectio congruit cum Apostoli sententia in epist. 1. ad Timoth. cap. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum Diaboli, in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem.* Quod si velimus concordare lectionem latinam cum hebraica sciendum est, propter dolos in hebraico esse, בחלקות *bachalacoth*, quae vox non significat proprie, *propter dolos*, neque *in lubrico*, sed significat in rebus lenibus, politis, blandis, quales sunt lapides valde politi, specula et similia: nam חלק *calak*, est dividere, lenire etc. Itaque potuisset verti hic locus, in blanditiis, vel propter blanditias, quales sunt doli et insidiae decipientium, et huc respexerunt septuaginta interpretes: potuit etiam verti, *in lubrico loco*, siquidem locus lubricus, blandus et lenis est, et hanc significationem secutus est b. Hieronymus. Illud autem, *dum allevarentur*, non difficulter invenitur in textu hebraico. Nam vox illa, משואת *massuoth*, si scribatur cum *shin* habente punctum in sinistro cornu, derivabitur a verbo, נשא *nasa*, quod elevare significat, et huc respexerunt septuaginta interpretes: si vero scribatur cum *scin*, habente punctum in dextro cornu, derivabitur a verbo נשא *nascia*, quod significat desolare, et hanc lectionem secutus est s. Hieronymus.

19. *Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

Declarat quod obscure dixerat et admirans celerem ruinam iniquorum, quorum foelicitas vix exorta arescit, vix apparuit et evanescit. *Quomodo*, inquit, *facti sunt in desolationem subito?* idest quomodo, qui videbantur rebus omnibus abundare repente facti sunt instar civitatis desolatae, ubi praeter ruinas nihil cernitur? *defecerunt*, qui videbantur in aeternum super terram victuri, *perierunt propter iniquitatem suam*. Illud, subito in hebraeo, graecoque textu conjungitur cum verbis, *facti sunt in desolationem*; et sic etiam legunt s. Augustinus et Euthymius. Dicuntur autem iniqui subito periisse, quia prosperitas eorum brevissima est, si cum futura aeternitate poenarum comparetur: videtur quidem prosperitas eorum diuturna esse, dum permanet: sed cum finem acceperit, tunc sentietur, quam brevis et momentanea fuerit. Illud, *propter iniquitatem suam*, s. Hieronymus vertit ex hebraeo, *quasi non sint*, idest, *ad nihilum redacti sunt*. Alii vertunt ab *horroribus* vel *terroribus*: sed vox illa, בלהות *ballaholh*, obscurae significationis est et in tanta varietate versionum, sua remanere debet septuaginta interpretibus auctoritas.

20. *Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Comparat Propheta eleganti similitudine prosperitatem iniquorum somnio. Somnium non est res vera, sed apparens: qui somniat se divitem esse, cum evigilat, intelligit, se delusum inani spectro fuisse: Sic omnes iniqui abundantes in saeculo, foelices sibi esse videntur, sed cum transierit nox hujus saeculi, intelligent, vere se foelices non fuisse, et *tunc imago ipsorum*, idest, imaginaria eorum foelicitas *ad nihilum redigetur*; quia in civitate Dei, ubi vera et sempiterna foelicitas est, nullum locum habebit foelicitas ista imaginaria et momentanea, quae in auro et argento, in famulis et equis; in palatiis et hortis: in honoribus, et dignitatibus: in conviviis et luxuria posita est: haec enim omnia peribunt, et amatores suos infoelicissimos reddent. Ideo rectissime admonet Apostolus Paulus, *ut qui habent bona hujus mundi, tamquam non habentes sint, non de iis glorientur, non illis confidant, quia praeterit figura hujus mundi.* 7. Corinth. 7. *Velut somnium*, inquit, *surgentium*, quod evigilando evanescit; *sic tu Domine in civitate tua*, quae in novissimo demonstrabitur et aperietur, *imaginem impiorum*, idest imaginariam eorum foelicitatem *ad nihilum rediges*; umbratilis enim foelicitas evanescet, cum vera foelicitas apparebit. Juste, inquit sanctus Augustinus, Deus in civitate sua coelesti imaginem iniquorum ad nihilum rediget, qui in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redigere satagerunt.

21. *Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum et nescivi.*
22. *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.*
23. *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

Exponit nunc Propheta, unde noverit solutionem quaestionis et apud Deum multum profecerit. *Quia inflammatum est cor meum.* Causalis ista vox *quia*, non reddit rationem superiorum, sed inferiorum, quae habentur vers. 23. Tenuisti manum dexteram meam. *Quia*, inquit, *inflammatum est cor meum*, in Deum videlicet, et *renes mei commutati sunt*, idest affectio mea carnalis mutata est in spiritualem. *Et ego ad nihilum redactus sum et nescivi*, idest humiliatus sum, et ignorantiam meam confessus sum. Imo ut insipiens *jumentum factus sum apud te*, idest obedire tibi sine contradictione constitui, et onus quodcumque portare decrevi, more jumenti. *Et ego semper tecum*, idest a fide et charitate tua non recedam: propter has omnes virtutes meas, quae dona tua sunt, *tenuisti manum dexteram meam*, ne forte tentatio illa gravissima me aberrare faceret a te. *Et in voluntate tua*, idest secundum beneplacitum tuum, *deduxisti me* per viam rectam, *et cum gloria suscepisti me*, in civitatem tuam, nunc quidem in spe, suscepturus postea in re. Illud, *inflammatum est cor meum*, aliqui exponunt in deteriorem partem, idest exarsit indignatione cor meum: et sic etiam illud, *ad nihilum redactus sum, et nescivi*, exponunt de peccato et ignorantia Davidis; ut etiam illud, *ut jumentum factus sum*, exponunt de stultitia ejusdem, quod more brutorum non intellexerit mysteria divina: sed nos in bonam partem cum s. Hieronymo, qui haec omnia tribuit Christo et ex parte cum s. Augustino, interpretati sumus, non praejudicantes aliorum commentariis, si forte lectoribus magis arrideant. Quod attinet ad verba, s. Hieronym. ex hebraeo vertit, *quia contractum est cor meum*, nos cum graecis ἐξεκάυθη legimus, inflammatum est: et verisimile est, septuaginta interpretes non habuisse in suis codicibus hebraicis יתחמץ *itchamez*, sed, יתחמם *itchamem*, ultima litera immutata, hoc enim significat *calefactum est*. Illud, *renes mei commutati sunt*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *lumbi mei velut ignis fumigans*, quia fortasse derivavit vocem, אשתונך *estonan*, ab, אש *es*, quod significat *ignem*. Sed eadem vox, *estonan*, rectius derivatur a verbo בער *scianah*, quod est *mutare*, et significat *commutati sunt*, ut septuaginta interpretes reddiderunt. Illud, *et ego ad nihilum redactus sum*, ex hebraeo vertit s. Hieronymus, et ego insipiens, et vere in hebraeo non est nisi una vox trium literarum, *banhar*, pro tribus illis vocibus, *ad nihilum redactus sum*. Significat autem שנה *bahar*, insipientem, quasi jumentum; proinde illud, *ad nihilum redactus sum*, videtur exponendum, ad nihilum sapientiae redactus sum, quasi jumentum factus sum ex homine, ac per hoc nihil hominis in me remansit; et videtur explicatio haec confirmari per sequentia, *et nescivi*, et, *ut jumentum factus sum*: quae omnia dicuntur a Davide ex profunda humilitate, qua se coram Deo insipientissimum esse judicabat: quare non repugnat haec expositio accommodata ad verba hebraica, cum ea, quam supra tradidimus ex simplici lectione latina et graeca.

24. *Quid enim mihi est in coelo: et a te quid volui super terram?*

Quia dixerat, *cum gloria suscepisti me*, oculo cordis in gloriam illam defixo, ita raptus a spiritu est, ut jam omnia creata despiciat. *Quid mihi*, inquit, *est in coelo?* quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam in coelo? *aut a te quid volui super terram?* quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam, et a te expetam super terram? quasi dicat, nihil creatum invenio, quod mihi satisfaciat, nihil in quo cor meum penitus acquiescat, neque in coelo, neque in terra. In hebraeo legitur, מה *mi*, non, מי *ma*, idest *quis mihi est in coelo*, non *quid mihi est in coelo*. Sed cum septuaginta interpretes et ipse etiam s. Hieronymus verterint *quid*, omnino retinenda est nostra lectio, ac dicendum in antiquis codicibus fuisse, מי *ma*, non, מה *mi*. Quod autem in hebraeo sequitur, *et tecum non volui super terram*, hunc sensum facit, nihil mihi est in coelo quod cupiam, super terram autem non volui quicquam etiam tecum, quia te solum habere desidero. Sensus igitur idem est, etiamsi verba diversa sint.

25. *Defecit caro mea, et cor meum Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.*

Reddit rationem, cur nihil cupiat praeter Deum, quia ubicumque posuerit cor suum, aut carnem suam, putrescent, et deficient, nisi quieverint in Deo. *Defecit*, inquit, *caro mea, et cor meum*, si quando per amorem ea collocavi in creatis rebus, putruerunt, et corrupta sunt. *Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*. In hebraeo est, צור לבבי *tsur lebabi, petra cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*, idest, Deus solus est petra, in qua quiescit secure cor meum, ut neque cadere, neque deficere possit: ipse est centrum omnium desideriorum meorum: ipse est pars mea, portio mea, haereditas mea, id totum quod praetendere possum in aeternum: habeant alii partes alias, sive aurum, et argentum; sive delicias carnis; sive superba palatia; sive regna, et imperia; mihi Deus sufficit in hac vita, et in futura.

26. *Quia ecce qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.*

Recte elegit consistere in Deo, petra sua, quoniam omnes, qui per iniquitatem separantur a Deo, peribunt omnino, quomodo perit corpus, cum separatur a spiritu; et ruit aedificium, cum subducitur fundamentum. *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*: non solum pereunt, qui avertuntur a Deo, quia carent hoc ipso gratia Dei, quae dat vitam animae; sed etiam quia Deus zelotes est, et animas sibi primus desponsavit; et ideo gravissime punit morte sempiterna eos, qui fornicantur a Sponso tam bono, et tam potente.

27. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*
28. *Ut annunciem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion.*

Concludit psalmum dicens, *mihi adhaerere Deo bonum est*, idest, viderint alii quid eis bonum sit, mihi certe bonum est, utile, jucundum, honorificum adhaerere Deo: et quoniam adhaerere per amplexum in hac vita non datur: bonum mihi nunc est *ponere in Domino Deo spem meam*, idest, adhaerere per spem, et in spe perfectae adhaesionis interim gaudere. *Ut annunciem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion*, idest, ut per hanc adhaesionem ad Deum, liberatus ab omni cupiditate terrena, totus occuper in laudi-

http://www.obrascatolicas.com

bus ejus, idque *in portis filiae Sion*, coram multitudine fidelium, ut multos erudiam, quam sit inane, et noxium adhaerere temporalibus bonis, et quam bonum adhaerere Deo, et ponere in Domino Deo spem suam. Illud, *omnes praedicationes*, in hebraeo est, omnia opera tua: ex quo intelligimus, sensum esse, ut annunciem praedicationem operum tuorum, sive, ut praedicem omnia opera justitiae, et misericordiae tuae, unde et tu laudaris, et populus erudiatur. Illud, *in portis filiae Sion*, non est in hebraeo, proinde vel excidit, ut quaedam alia, vel huc translatum est ex psal. 9. vers. 14. ubi habetur, *Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.*

PSALMUS LXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus Asaph.

In hoc psalmo praedicitur, et deploratur desolatio Jerosolymae: et ideo dicitur in titulo, intellectus, sive, ut alii vertunt, eruditio Asaph: ut admoneantur Judaei diligenter cogitare et intelligere, quae in hoc psalmo de ipsis dicuntur. Quaestio est inter expositores, an psalmus intelligi debeat de persecutione Nabuchodonosor, an Antiochi, an Titi, et Vespasiani, an Diocletiani, et Maximiani, an antichristi: nam his omnibus persecutionibus aliquo modo verba psalmi applicari posse videntur. Sed verior sententia omnibus consideratis videtur eorum, qui hunc psalmum exponunt de persecutione Antiochi illustris, de quo agitur in libris Machabaeorum: aliae enim aliorum sententiae non videntur commode sustineri posse. Nam tempore captivitatis Babylonicae non deerant Prophetae; et tamen hic dicitur, *jam non est Propheta.* Tempore Diocletiani non fuit populus Christianus repulsus a Deo, et derelictus in finem; sed contra multis miraculis illustratus, et propagatus; quod idem dici potest de tempore antichristi: eminebit enim tunc ecclesia in fortissimis Martyribus suis: hic autem dicitur, *ut quid Deus repulisti in finem?* In tempus Titi, et Vespasiani omnia convenire videntur; nam tunc nulli amplius erant prophetae in Israel, et templum incensum fuit, et facta est desolatio, quae durabit usque in finem, et ideo hanc expositionem amplexi sunt s. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius. Sed verba hujus psalmi non conveniunt Judaeis perfidis, qui non erant oves pascuae Dei, neque vere confitebantur Domino; sed erant inimici et rebelles et tamen in hoc psalmo dicitur, *iratus est furor tuus super oves pascuae tuae*: et infra, *ne tradas bestiis animas confitentium tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*: neque ecclesia frequentaret hunc psalmum, si contineret voces infidelium Judaeorum: quare improbabilis est expositio Theodoreti, et Euthymii, qui verba psalmi tribuunt populo Judaico. Sanctus autem Augustinus aliqua tribuit Apostolis, aliqua Judaeis, alia aliis. Itaque si quis uniformem explicationem velit, et liberam ab omni scrupulo, eligat sententiam, quae totum psalmum ad litteram exponit de persecutione Antiochi.

EXPLICATIO PSALMI LXXIII.

1. *Ut quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.*

Deplorat sanctus Propheta in persona populi Judaici universalem illam calamitatem, qua totus populus Judaicus miserrime oppressus fuit a gentilibus sub Antiocho rege, qui dictus est epiphanes. *Ut quid*, inquit, *tu Deus repulisti*, supple, *populum in finem*, idest, *in aeternum*, et generaliter, quasi non amplius curaturus eum, aut pro populo tuo habiturus. *Iratus est furor tuus*, idest accensus est furor tuus *super oves pascuae tuae*, idest, contra populum tuum, quem singulari providentia regere solebas, ut Pastor proprias oves pascit, et regit. Illud, *repulisti in finem*, non significat re vera Deum, fixo decreto, repulisse in aeternum populum suum, sed popolum dubitasse, ne forte rejectus esset in finem; et ideo lamentando dixisse, *ut quid repulisti in finem?* idest, quare ita te geris, ut videaris repulisse in finem. Nam versu 20. cum dicitur in eodem psal. *Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*: satis apparet, non fuisse certum, an essent repellendi in finem. Illud autem, *iratus est furor tuus*. in hebraeo eleganti metaphora dicitur, יעשן אפך *jehesan appecha. Fumavit nasus tuus*, quem metaphoram recte explicaverunt Septuaginta interpretes.

2. *Memor esto congregationis tuae, quam possedisti ab initio.*

Orat idem populus Deum, ut non repellat in finem, adducens pro argumento, quod olim, idest, in egressu de Aegypto, ipse idem Deus populum Judaicum congregaverit in formam populi, dans eis magistratus et leges, et judicia: quasi dicat, non videri bonum, ut Deus dispergat, et abjiciat eum populum, quem ipse congregavit, et cui formam reipublicae tribuit. *Memor*, inquit, *esto congregationis tuae*, idest, populi a te congregati, *quem possedisti ab initio*, idest, qui nullum habuit regem, et Dominum ante te, sed tu primus ab initio congregationis tuae in unam quasi rempublicam eum possedisti, ut rex et Dominus ejus. Posset etiam illud, *ab initio*, referri ad Abraham, qui fuit pater hebraeorum: vel ad Seth, qui coepit invocare nomen Domini, et cujus filii dicebantur *filii Dei, ad distinctionem filiorum Cham, qui erant filii hujus saeculi.* Sed congregatio sive Synagoga proprie initium habuit sub Moyse, ut dictum est.

3. *Redemisti virgam haereditatis tuae, mons Sion, in quo habitasti in eo.*

Hoc est alterum argumentum, quo probatur aequum esse, ut Deus non repellat populum suum: quia non solum primus congregavit, et possedit eum; sed etiam in regnum exaltavit, ejiciens Chananaeos ex terra promissionis, et dans eam populo suo. *Redemisti virgam haereditatis tuae*, idest, acquisivisti bellando sceptrum regni terrae promissionis, et proprie redemisti ejiciendo injustos possessores ab ea terra, quam promiseras Abrahae, et nepotibus ejus, filiis Israel. Dicitur autem, *virga haereditatis Domini*, quia sceptrum illud, et regnum terrae promissionis acquisivit Deus pro haereditate sua, id est, pro populo suo peculiari quem ut propriam haereditatem, possesionem, et partem sibi vindicabat. Alii tamen volunt hac parte versiculi significari redemptum fuisse populum a servitute Aegyptiaca. et per virgam haereditatis suae intelligi sceptrum regni in populum Judaicum, quem Deus in haereditatem sibi elegerat. Non desunt qui per *virgam haereditatis* accipiant virgam dimensoriam, qua distinguebantur possessiones. Sed veteres Augustinus, Teodoretus, et Euthymius per *virgam*, nihil aliud nisi sceptrum regium intelligi voluerunt. Illud, *Mons, Sion, in quo habitasti in eo*, potest referri tum ad virgam, tum ad haereditatem. Itaque sensus erit, Mons Sion est virga, *quam redemisti*, idest, Mons Sion est regnum, sive caput Regni tui, in quo habitasti, ut rex in regia civitate sua. Vel Mons Sion est regnum, sive caput regni tui: in quo habitasti, ut rex in regno. Prior sensus confirmatur ex psal. 109. *virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion:* Posterior ex psalm. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

4. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!*

Propter causas jam dictas orat populus Dei, ut Deus convertat manum suam in hostes populi sui, et confundat superbiam eorum in perpetuum, ut non audeant ultra erigere se contra servos Dei. Fuisse autem regem Antiochum superbissimum, testatur liber primus Machabeorum cap. 1. *Et intravit*, inquit, *in sanctificationem cum superbia*; et paulo post, *et locutus est*, inquit, *cum superbia magna.* Quod attinet ad verba s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *sublimitas pedum tuorum dissipata est usque in finem.* Et sensus esse videtur, quod arca Dei vel sanctuarium, in quo tamquam in scabello excelsi solii stabant pedes Dei, dissipatum fuerit ab inimicis; et verba hebraica eum sensum ferre possunt. Sed recte etiam verterunt septuaginta, unde nostra lectio translata est. Nam vox, הרימה *harima* significat *eleva*, et etiam *sublimitas*, vox, פעמיך *pehamecha*, significat *pedes*, vel *pedum tuorum.* Septuaginta vero transtulerunt, *manus tuas*, magis ad sensum quam ad verba respicientes. Et semper idem sensus est, sive dicamus *eleva pedes tuos* et *contere superbiam eorum*, sive eleva manum tuam et deprime superbiam eorum. Vox, למשואות *lemassuot*, si scribatur per scin ש, significat ad dissipationes et sic legit s. Hieronymus, si scribatur per sin ש, significat superbias et elevationes: et sic legunt septuaginta interpretes. Sequitur, *quanta malignatus est inimicus in sancto.* Ubi redditur ratio, cur justum sit, ut Deus comprimat superbiam inimici, quoniam multa mala fecit in sanctuario Dei: quae conveniunt aptissime regi Antiocho, qui ut legimus 1. Machab. 1. *spoliavit et prophanavit sanctuarium Dei*, quod hoc loco sanctum appellatur. In hebraeo est, omne malum fecit inimicus in sanctuario. Sed septuaginta expresserunt hunc sensum per admirationem, *quanta malignatus est*, idest quanta mala fecit inimicus in sancto, idest in sanctuario.

5. *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuae.*

Ex hoc loco praecipue deducunt aliqui psalmum hunc esse intelligendum de Tito et Vespasiano, quoniam obsidere coeperunt Jerusalem in solemnitate Paschali: sicut enim Judaei Christum occiderunt in Paschate, sic et ipsi occisi sunt in Paschate. Sed haec ratio non convincit, tum quia non constat de qua solemnitate loquatur hoc loco David, nam multae erant Judaeorum solemnitates; tum quia vox hebraica, יודע *mohed*, non solum significat tempus solemne, sed etiam locum sacrum, imo etiam pactum, ut s. Hieronymus vertit. Denique Titus et Vespasianus non oderant Deum Judaeorum, quem non noverant sed oderant Judaeos factiosos et rebelles et sine dubio non everterunt Jerusalem propter odium Dei sed propter odium Judaeorum, quod idem dici potest de rege Babylonis. Antiochus autem Deum Judaeorum oderat, et caeremonias legis, et conabatur omnes Ju-

http://www.obrascatolicas.com

dacos pervertere et inducere ad cultum idolorum ut legimus 1. Machab. 1. Itaque de Antiocho et militibus ejus proprie dicitur, *et gloriati sunt, rugitu et fremitu plane barbaro*, ut sonat vox hebraica. *Qui oderunt te*, idest qui oderunt sacra tua, et caeremonias legis tuae, idque in medio solemnitatis tuae, idest ingressi templum, et sanctuarium tuum, dum sacra solemnia peragerentur, ibi gloriati sunt et fremuerunt (ut vertit s. Hieronymus) quasi victores capta praeda.

6. *Posuerunt signa sua signa, et (non cognoverunt) sicut in exitu super summum.*

Clarius haec omnia vertit sanctus Hieronymus. *Posuerunt*, inquit, *signa sua in trophaeum, manifesta in introitu desuper*, idest posuerunt vexilla sua quasi trophaea manifesta, in suprema parte portarum, vel turrium civitatis, unde intratur in urbem. Illud, *non cognoverunt*, legendum est per parenthesim et in hebraeo caret particula negante, et positum est secundum formam participii, ut sanctus Hieronymus vertit. Sed septuaginta interpretes in libris suis hebraicis invenerunt negationem, et mutatis punctis, ac una litera transposita, pro, ידע *ivvadah*, legerunt, ידעו *jadehu, cognoverunt*, et addita negatione *non cognoverunt*. Significat autem *non cognoverunt*, hostes Dei non cognovisse quid facerent cum civitatem et templum Dei omnipotentis ita profanarent. Illud autem, *quasi in exitu*, in hebraeo est, כמבוא *chemebi, in introitu*, sed exitus et introitus idem sunt; nam unde intratur, inde etiam exitur. Adverbium *sicut*, non est in hebraeo, sed additum est ab interpretibus declarandi causa: vere enim signa non sunt posita *in exitu*, sive in introitu, sed quasi in exitu idest quasi in portis ipsis, idest in locis publicis et notissimis.

7. *Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi et ascia dejecerunt eam.*

Pergit explicare mala, quae fecerunt hostes in Jerusalem, ac dicit eos evertisse portas ejus *quasi in sylva lignorum* versarentur, *securibus exciderunt januas ejus*, videlicet civitatis Jerusalem *in idipsum*, idest omnes simul, uno animo, uno conatu, *in securi et ascia dejecerunt eam*, videlicet ipsam Jerusalem. Id autem fecit Antiochus, qui dejecit portas et muros Jerusalem. Illud *exciderunt* in hebraeo est ועתה *vehatta*, quod s. Hieronymus vertit, *et nunc*. Septuaginta interpretes verterut, *exciderunt*, sed nisi aliquid addatur, vel mutetur, vox illa non significat, *exciderunt*, neque, *et nunc*. Itaque confitendum est aliquid erroris esse in textu hebraico, qui vitio librariorum irrepserit. Et quidem qui vertunt, *et nunc*, addant unam literam, et faciant ועתה *vehatta et nunc*. Qui vertendum existimant, *exciderunt*, cum septuaginta interpretibus non conveniunt inter se; sed alii legunt, ההתו *hathethu*, alii פתו *patthu*, alii aliter, quae sunt valde diversa ab illa voce, quae est in textu hebraico: proinde existimarem posse legi, עוה *havath*, transponendo solum primam literam in secundum locum. Significat enim *havath, invertere*, sive *evertere*, et *pervertere*, et sensus erit, *quasi in silva lignorum evertit*, hostis videlicet, *januas ejus in idipsum*, idest simul et conjunctim.

8. *Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.*

Hic unicus locus videtur impedire, quo minus psalmus intelligatur de persecutione Antiochi, cui alioqui reliqua omnia aptissime conveniunt. Sed meo judicio hic locus non impedit: quamvis enim tempore Nabuchodonosor, et tempore Titi totum templum crematum, et eversum fuerit, quod factum non est sub Antiocho, tamen tempore Antiochi portae templi exustae fuerunt: sic enim legimus 1. Machab. 4. *Et viderunt Machabaei sanctificationem desertam et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, et pastophoria diruta*; et paulo post loquens Scriptura, de renovatione templi. *dedicaverunt*, inquit, *portas, et imposuerunt januas*. Illud igitur, *incenderunt igni sanctuarium*, potest intelligi de parte, non de toto: et videtur id satis aperte colligi ex sequentibus: nam si totum sanctuarium concremassent, non diceret David in altera parte versiculi, *in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*: quod enim crematum fuisset pollui non potuisset. Incenderunt ergo portas et ipsum templum, seu tabernaculum polluerunt, ponentes in eo idolum abominationis et sacrificantes idolis, ut dicitur 1. Machab. 1. Adde etiam quod in hebraeo ad verbum dicitur, שלחו באש מקדשך *scilescù baesc mikdasceca, posuerunt ignem in sanctuarium*: quae verba non significant totum sanctuarium fuisse exustum, sed aliquid ejus: quid autem sanctuarii ex igne applicato consumptum fuerit, declaratur, (ut diximus 1. Machab. 4.) ubi dicuntur portae fuisse exustae, et a Machabaeis reparatae. Ait igitur, *incenderunt igni sanctuarium tuum*, idest hostes nostri tempore Antiochi injecerunt ignem in sanctuarium et portis ejus exustis polluerunt idem sanctuarium, quod est habitaculum nomini tuo dicatum: *polluerunt autem in terra*, idest polluerunt sanctuarium, quod habes in terra; quia coeleste tabernaculum polluere non potuerunt. Aliqui existimant: *polluere tabernaculum in terra*, esse dejicere tabernaculum in terram, idest funditus destruere: sed neque s. Hieronymus ex hebraeo vertit, in terram, sed in terra: et vox hebraea, חלל *chalal*, non significat *dejicere*, sive *evertere*, sed *polluere* et *contaminare*, ut graeci ἐβεβήλωσαν, latinique verterunt.

9. *Dixerunt in corde suo, cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.*

Haec proprie convenire videntur paganis, qui tempore Antiochi conati sunt totis viribus delere

religionem veri Dei, ut patet ex lib. 1. Machab. 1. *Dixerunt*, inquit, *in corde suo*, idest decreverunt apud se tota natio Gentilium, qui Antiocho serviebant, dicentes, *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, idest contaminemus sanctuarium, repleamus omnia idolis, tollamus omnia signa religionis et hoc modo quiescent, idest deficient et cessabant omnes solemnitates Dei in terra Israel. Quod attinet ad verba, s. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, testatur, se vertisse ex graeco, ut habet nostra editio, *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*; quamvis non ignoraret in hebraeo esse, *incenderunt omnes dies festos Dei a terra*: et in exaplis Origenis, versionem septuaginta habere, *incendamus omnes dies festos Dei a terra*; et monet has varias lectiones notandas fuisse ad marginem; sed antiquam lectionem non debuisse mutari. Itaque constat ex verbis s. Hieronymi, unam lectionem graecam fuisse καταπαύσωμεν, *quiescere faciamus*: aliam autem καταχαύσωμεν *incendamus*: sed quoniam septuaginta interpretes per vocem hebraicam מועד, *mohed*, non intellexerunt synagogas, ut nunc recentiores intelligunt, sed *dies festos*, ἑορτὰς; probabilissimum est, eos non vertisse *incendamus* (ut sonat vox hebraica, שרפו *scharephu*) sed, *quiescere faciamus*, ut verbum conveniret cum nomine: non enim dies festi proprie incendi possunt, sed cessare et tolli possunt: ac per hoc septuaginta interpretes non reddiderunt verbum, sed sensum explicantes metaphoram verbi hebraici; neque improbabile est, lectionem graecam postea fuisse mutatam, ut cum voce hebraica consentiret. At in exaplis erat, *incendamus*, et illa erat purissima lectio septuaginta interpretum. Respondeo, in exaplis ut plurimum fuisse lectionem purissimam; sed non est necesse, ut ubique esset purissima: certe ecclesia antiqua, et moderna magis probavit aliam lectionem; et s. Hieronymus aperte dicit, se vertisse ex editione septuaginta, *quiescere faciamus*, et sic monet esse, psallendum ut septuaginta transtulerunt.

10. *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.*

Ponit nunc verba populi fidelis in tanta afflictione pene desperantis de auxilio Dei. Et proprie conveniut haec in tempora Antiochi, quando et miracula antiqua, et Prophetarum oracula defecerant, ut videretur Deus non amplius cognoscere populum suum; quod de Babylonica captivitate dici non potest, cum eo tempore esset Hieremias in Jerusalem, et Daniel, et Ezechiel in Babylone. Neque possum probare quod aliqui dicunt, verba hujus psalmi non dici a populo Judaico, sed a Gentilibus: haec enim est nimis dura expositio. At inquies, Dan. 3. dicunt tres pueri, *et non est in tempore hoc Princeps, et Dux, et Propheta*; igitur in captivitate etiam Babylonica non erat Propheta, ac per hoc de illa captivitate possunt intelligi haec verba, *jam non est Propheta*. Respondeo, antequam Jerusalem everteretur a Nabuchodonosor, tempore Regis Joachim, non fuisse in Babylone ullum Prophetam, et de illo tempore, et loco posse intelligi verba trium puerorum: sed eodem tempore erat in Jerusalem Hieremias Propheta; et post captam, et eversam Jerusalem, toto tempore captivitatis fuerunt in captivitate Babylonica Daniel et Ezechiel Prophetae: Ezechiel enim coepit prophetare anno quinto captivitatis Joachim Regis, qui fuit annus sextus ante eversionem Jerosolymae, et perseveravit prophetare usque ad annum vigesimum quintum captivitatis, ut dicitur Ezech. 40. Daniel autem Propheta fuit in Babylone ab anno primo Nabuchodonosor usque ad annum primum Cyri, idest, toto tempore captivitatis, ut dicitur Dan. 1. et prophetare coepit adhuc adolescens: successerunt autem Danieli Aggaeus et Zacharias Prophetae. Porro psalmus praesens cum dicit, *Jam non est Propheta*, loquitur de tempore post Jerusalem vastatam, et templum profanatum, ac per hoc non loquitur de captivitate Babylonica, in qua numquam defuerunt Prophetae post civitatem vastatam, et templum incensum: sed de persecutione Antiochi, quo tempore defecerunt omnino Prophetae.

11. *Usquequo Deus improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem.*

Pergit populus Dei exorare Dei clementiam, ut memor populi sui convertat iram in adversarios, qui improperabant Deo infirmitatem, quasi non valeret salvare populum suum. Haec videntur dici de Nicanore, qui superbe *irridebat populum Dei, et irritabat nomen Domini*, ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 7. Et de ipso rege Antiocho, et Rege Demetrio, et Ducibus eorum inimicis Dei, et populi sui, ut cognosci potest ex 1. et 2. lib. Machabaeorum.

12. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?*

Oraverat populus Deum, ut irasceretur in hostes suos: nunc orat, ut complectatur populum suum, ut antea faciebat, et non excludat a sinu suo paterno filios suos. *Ut quid*, inquit, *avertis manum tuam*, sinistram videlicet, *et dexteram tuam de medio sinu tuo*, ut videlicet sinas nos cadere a sinu tuo, vel non complectaris in sinu tuo *in finem*, idest, in perpetuum: qui enim complectitur aliquem, admovet utramque manum ad sinum; qui rejicit, vel non vult complecti, manus a sinu removet; haec mihi videtur litteralis expositio. Alii existimant, *avertere manum a sinu*, significare non velle bona, quae sunt in sinu, communicare cum aliis, intelligentes per sinum Dei, thesaurum bonorum omnium, qui est apud Deum. Omitto aliam expositionem, quod *avertere manum a sinu*, sit manus post tergum convertere, in signum negantis auxilium. Pro. *in finem*, in hebraeo est, כלה *calleh*, quam vocem s. Hieronymus vertit consumens: sed potest optime verti, *perfecte*, et *absolute*, quod est idem cum, *in finem*, praesertim si deducatur a verbo, כלל *callal*, quod est *perficere*, unde כלה *calla, sponsa*, quia perfecta omni decore, et ornatu esse solet.

http://www.obrascatolicas.com

13. *Deus autem rex noster ante saecula, operatus est salutem in medio terrae.*

Communis expositio litteralis est, in hoc versu, et quinque sequentibus explicari potentiam, quam olim Deus ostendit tum in liberatione filiorum Israel de Aegypto, tum in creatione mundi: ut ostendat, posse Deum, si velit, liberare eosdem filios Israel a praesenti calamitate. *Deus*, inquit, *rex noster a saeculo*, idest, *Deus rex noster*, qui est *ante saecula Deus, operatus est salutem*, Judaeorum videlicet, *in medio terrae*, idest, in terra promissionis, in quam eos introduxit, ex captivitate Pharaonica. Illud, *ante saecula*, conjungit quidam auctor cum verbo, *operatus est salutem*: sed repugnant omnes codices hebraici, graeci, et latini. Omnes enim distinctionem ponunt post vocem, saecula: neque intelligi potest quomodo Deus ante saecula operatus sit salutem in medio terrae, cum terra non fuerit ante saecula: neque testimonium, quod ille adducit ex Isaia pro ipso facit: aliud enim est a saeculo, quod habetur in Isaia; aliud, ante saecula, quod hic habetur. Multo aptius sanctus Augustinus conjungit cum voce, *Deus*, ut sensus sit, *rex noster*, qui est ante saecula Deus. Illud, *in medio terrae*, exponunt nonnulli publice et palam, quod non improbo. Sed etiam verum est Palaestinam esse in medio terrae olim notae et habitabilis: nam est in finibus Asiae, Africae, et Europae, ut vere dici possit esse in medio Asiae, Africae et Europae. Unde etiam opus redemptionis operatus est Salvator noster in medio terrae, ut commodissime deferretur ejus praedicatio ad omnes tres partes orbis terrarum.

14. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis.*

Explicat quomodo Deus operatus sit salutem Judaeorum, et ait, *tu* Deus *confirmasti mare in virtute tua*, idest, potentia tua fecisti, ut mare rubrum firmissime quasi murus consisteret; dum transirent per medium ejus divina virtute siccatum filii Israel. Et eadem potentia obruisti in aquis ejusdem maris, ad locum suum revocatis, *capita Aegyptiorum*, qui instar *draconum* filios Israel insequebantur. In hebraeo habentur, פזרת *porartha, dissipasti*, sive *rupisti*, et *divisisti in virtute tua mare*: sed septuaginta Interpretes docere voluerunt, mare rubrum ita divisum et disruptum fuisse, ut firmissime divisum maneret, dum transiret populus Dei, quasi dicerent, Tu divisum mare confirmasti. Illud, *contribulasti*, est in hebraeo שברת *scibbartha, contrivisti*, sive *confregisti*, sed septuaginta interpretes explicaverunt metaphoram: qui enim suffocantur in aquis non proprie pereunt ex contritione capitis: quod ergo hebraice dictum est, *contrivisti capita draconum*, idest, interemisti draconem, septuaginta dixerunt, *contribulasti capita draconum*, idest, mortifera tribulatione affecisti capita draconum.

15. *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Aethiopum.*

Hunc versum proprie ad Pharaonem referunt fere omnes expositores: nam in hebraeo non est idem nomen draconis in hoc versu et in superiore. In hoc enim versiculo est, לויתן *liviathan*, qui draco maximus, et princeps draconum marinorum est. Illud autem, *dedisti eum escam populis Aethiopum*, significat secundum aliquos, regnum Aegypti post submersionem Pharaonis datum fuisse in praedam Aethiopibus: secundum alios, ipsum Pharaonem et capita ejus, idest, Principes ejus mortuos et ad littus ejectos fuisse spoliatos ab Arabibus, qui in scriptura Aethiopes dicuntur. Denique secundum alios ipsum Pharaonem mortuum et in littore expositum, factum esse escam corvis, qui a nigrore dicuntur populi Aethiopum. Non multum refert quid proprie his verbis significetur, dum constet explicari poenam de Pharaone sumptam.

16. *Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan.*

Hic jam describitur potentia Dei, qua paulo post in deserto ex petra excitavit fontem, et rivum aquae instar fluminis, et deinde siccavit Jordanem, ut populus transiret in terram sibi promissam. *Tu dirupisti fontes*, idest, dirupta petra fecisti scaturire fontes et torrentes. *Tu siccasti fluvios Ethan*, idest, siccasti flumen Jordanis, quod flumen maximum est, איתן *Hethan* enim, *fortem* significat, unde s. Hieronymus vertit *flumina fortia*. Sed interpretes caeteri relinquere maluerunt ipsam vocem hebraicam non interpretatam.

17. *Tuus est dies et tua est nox, tu fabricatus es auroram et solem.*

Transit ad potentiam, quam Deus in creatione monstravit: et quoniam creatio in summa complectitur duas partes principales, coelum et terram, juxta illud Genes. 1. *In principio creavit Deus coelum et terram*, de his duabus partibus tantum loquitur. *Tuus*, inquit, *est dies, et tua est nox*; et reddens rationem addit, *tu fabricatus es auroram et solem*, idest, tu fecisti initio lucem similem aurorae, deinde quarto die fecisti Solem, ut distingueret dies et noctes. In hebraeo non est nomen aurorae, מאור *mahor*, sed nomen luminis, sive lucis, ut etiam in graeco textu τὸ φῶς. Et quidem multi per lumen hoc intelligunt lunam, ut sensus sit: *Tu fecisti lunam et solem*: et quoniam hic videbatur inversus ordo, correxerunt aliqui, et fecerunt, solem et lunam et sic legit s. Augustinus: sed interpres noster recte vertit auroram et solem: quoniam explicare voluit lucem, quam Deus initio creavit, non fuisse solis, neque lunae, sed simplicem lucem, quae praecedebat solis creationem, quasi quaedam aurora mundi.

18. *Tu fecisti omnes terminos terrae, aestatem, et ver, tu plasmasti ea.*

Attigit creationem coeli mentione facta lucis, et solis: nunc attingit creationem terrae, dicens, *Tu fecisti omnes terminos terrae*, idest, tu fecisti totam terram usque ad omnes ejus ultimos fines, idest, ab ortu ad occasum, ab Aquilone ad Austrum. *Aestatem et ver tu plasmasti*, idest, tu fecisti vicissitudines temporum, in quibus terra nunc fructus concipit, nunc parit: nam in fine aestatis, idest in Septembri, in terra promissionis reconduntur omnes fructus; et nunc incipit terra iterum concipere, et preparare se ad novum partum: et initio veris iterum incipit parere flores, ac deinde fructus. S. Hieron. vertit, *Aestatem et hyemem tu plasmasti*: et vere vox hebraica, חרף *choreph*, hyemem significat, ut perspicuum est ex cap. 8. vers. 22. Geneseos. Et ideo existimamus hic accipiendam esse aestatem pro fine aestatis, quo terra deposito onere iterum concipere incipit: et ver pro fine hyemis, sive initio veris, quando flores apparere incipiunt.

19. *Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum.*

Explicata potentia Dei reddit ad orationem, ac precatur ut Deus dignetur recordari, quemadmodum inimicus blasphemaverit Deum, quasi impotentem et infirmum. Videntur autem verba hujus versiculi et caeterorum usque in finem alludere ad superbiam Antiochi, de qua dicitur lib. 1. Machab. cap. 1. *Et locutus est cum superbia magna*; et lib. 2. cap. 5. cum dixisset scriptura, Antiochum indigne contrectasse sacra vasa et templum diripuisse, addit, *igitur Antiochus mille et octingentis ablatis a templo talentis, velociter Antiochiam reversus est, existimans se prae superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem*. Ait igitur psalmista, *memor esto hujus*, idest, recordare Domine hujus rei, quam dicturus sum, *inimicus improperavit Domino*: idest, hostis noster improperavit tibi Domino impotentiam: *et populus ejus insipiens incitavit* blasphemando *nomen tuum*.

20. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*

Hinc etiam cognosci potest hunc psalmum scriptum esse magis contra Antiochum, quam contra Nabuchodonosor, vel Titum, aut Vespasianum: si quidem tempore Antiochi saepe fuerunt in maximo periculo Judaei, ne omnino in manus ejus devenirent, et vel occiderentur omnes, vel captivi abducerentur: et ideo orabant, *ut non traderentur bestiis devorandi*, idest, Antiocho et militibus ejus penitus destruendi; sicut re vera numquam fuerunt universaliter ab Antiocho subjugati. At Nabuchodonosor, et Titus, et Vespasianus universaliter Judaeos oppresserunt partim occidendo, partim captivos abducendo. *Ne tradas*, inquit, *bestiis* idest, hominibus insipientibus, et crudelibus more ferarum, *animas confitentes tibi*, idest, homines qui te colunt et confitentur laudes tuas: et easdem *animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*, idest, ne obliviscaris defendere et liberare animas pauperum tuorum, qui ad januam misericordiae tuae panem mendicant. In hebraeo, pro confitentes tibi, nunc est, תורך *thoreca*, quod s. Hieronymus vertit, *eruditos in lege tua*; alii *turturis tuae*, sed septuaginta interpretes non legerunt, תורך *thoreca*, sed, תודך *thodeca*, fuit autem facillimum librariis ob similitudinem literarum, res et dalet, scribere, *thoreca*, pro *thodeca*; neque est causa, cur anteponamus textum, quem nunc habemus, textui, quem habuerunt septuaginta interpretes; neque est in sensu diversitas: nam per turturem posset intelligi populus Dei gemens, et confitens Deo tribulationem suam.

21. *Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.*

Adducit duo alia argumenta ad placandum Deum, unum ex parte foederis initi cum patribus, alterum ex iniquitate adversariorum, qui cum essent homines vilissimi, obtinebant injuste palatia ipsorum. *Respice*, inquit, *in testamentum tuum*; si non vis nos respicere, saltem respice pactum, sive testamentum, quod fecisti cum patribus nostris, ut esses nobis in Deum, nosque protegeres atque defenderes in terra, quam nobis dedisti. Quoniam, *qui obscurati sunt terrae*, idest, qui obscuri sunt in terra, viles, et barbari homines, *repleti sunt domibus iniquitatum*, idest, abundant jam domibus, sive palatiis inique nobis ereptis. Illud, *obscurati terrae*, obscurum est, et ideo variis modis exponitur; sed res non est magni momenti, et facile est, ut latinus interpres dixerit, *obscurati*, pro obscuri. *Obscuri autem terrae*, ii dicuntur, qui non sunt ullius nominis in terra. Illud autem, *domibus* in hebraeo, non est, domibus, sed, כאות חמס *neoth chamas*, idest, *habitationibus desiderabilibus* et pulchris, qualia sunt egregia palatia.

22. *Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.*

Pergit in oratione, ac petit ne humilis populus cogatur reverti ab orando Deo confusus, si non impetraverit, quod postulat: et rationem reddit cur non debeat dimitti confusus, quoniam ipse est, qui laudare solet nomen Domini. *Ne avertatur*, quasi a te repulsus, et rejectus, *humilis factus confusus*, idest, ne avertatur confusus is qui se humiliat coram te. Illud enim, *factus*, conjungitur cum voce humilis: unica enim vox est tum in hebraeo, tum in graeco pro eo quod nos habemus, humilis factus. *Pauper et inops laudabunt nomen tuum*, idest, ne dimittas humilem confusum, quoniam

http://www.obrascatolicas.com

humilis qualis est *pauper et inops laudabunt nomen tuum*, quod a divitibus et superbis despicitur.

23. *Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die.*

Addit aliam rationem quoniam causa populi est causa Dei; quoniam improperia, quae dicuntur ab inimicis, in ipsum Deum recidunt. *Exurge*, inquit, *Deus judica causam tuam*, idest, defende causam tuam: nam in hebraeo est ad verbum, *ribba, ribbecha, liliga litem tuam*, hoc est, sis tu patronus causae tuae. *Memor esto improperiorum tuorum, quae ab insipiente sunt tota die*, idest, quae jugiter in te jactantur ab insipientibus populis, inimicis tuis. Illud, *judica causam tuam*, quamvis ad litteram ex hebraeo significet, *liliga litem tuam*; tamen quia Deus non potest litigare nisi apud tribunal justitiae suae, cum non habeat superiorem, ideo ad ipsum pertinet judicare, idest, judicium ferre de lite, quam habet cum iniquis: proinde recte versio septuaginta, et vulgatae editionis habet, *Judica causam tuam*. S. August. legit, *Judica causam meam*, sed nescio quid secutus sit: nam hebraeus et graecus codex habet secundam personam, et sic invenitur in latinis libris.

24. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Concludit rogans Deum, ut non obliviscatur punire hostes suos, quia illi non obliviscuntur peccare. *Ne obliviscaris*, inquit, *voces inimicorum tuorum*, idest, ne impunitas dimittas blasphemias inimicorum tuorum: *quoniam superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; idest, superbae voces inimicorum tuorum, numquam cessant, sed jugiter ascendunt a linguis eorum, tamquam scintillae a fornace maligni cordis eorum. Illud, *inimicorum*, in graecis libris est, οἰκετῶν σου *servorum* sive *supplicum tuorum*; et sic etiam legit s. Augustinus. Sed in hebraeo est, צוריך *tzorerecha inimicorum*, et sic etiam vertisse septuaginta interpretes testatur s. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam: proinde necesse est in textibus graecis irrepsisse errorem, et positum esse οἰκετῶν pro ἐχθρῶν. Illud *superbia eorum*, in hebraeo est, קמיך שאון *sceon kamecha, sonitus, sive tumultus insurgentium in te*. Ex quo intelligimus, per superbiam, hoc loco accipiendam esse vocem superbiam et elatam, ut diximus.

PSALMUS LXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, ne corrumpas, Psalmus cantici Asaph.

Omnes partes hujus tituli sunt alibi explicatae; si tamen plane explicari possunt. Tanta est enim titulorum obscuritas, ut divinatore opus sit potius, quam explicatore. Argumentum est admonitio ad humanum genus, ut juste vivant omnes, et superbiae tumorem deponant, quoniam imminet judicium Dei severissimum, atque justissimum. Videtur autem psalmus compositus per modum dialogismi: quamvis non indicetur mutatio personarum, nisi per ipsa verba, quae nunc populi justorum, nunc Prophetae, nunc Dei esse ipsa se produnt.

EXPLICATIO PSALMI LXXIV.

1. *Confitebimur tibi Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.*
2. *Narrabimus mirabilia tua Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

Vox est populi electi, qui ex notitia Dei, quam habet prae caeteris hominibus, dicit, suum officium esse laudare, orare et praedicare Deum. *Confitebimur*, inquit, *tibi*, idest, laudabimus te; *confitebimur, et invocabimus nomen tuum*, idest, non solum laudabimus in hac vita; sed etiam invocabimus: pura enim laudatio non est vitae praesentis, sed futurae. *Narrabimus mirabilia tua*, idest, non solum laudabimus in corde nostro, et orabimus, sed etiam praedicabimus aliis omnibus *mirabilia opera tua*, ut etiam caeteri discant timere et amare te. Quod attinet ad verba non levis difficultas est. Nam in hebraeo pro, *invocabimus nomen tuum*, legitur ad verbum, וקדוב שמך *vekarob scemecha, et propinquum nomen tuum*. Verisimile est Septuaginta legisse, וקדו בשמך *vecaro bescmoa, et invocare in nomine tuo*: non

autem, ut nunc habetur, וקדיב שמך *vecarob scemecha, et propinquum nomen tuum*. Facile enim fuit librariis conjungere literam primam vocabuli sequentis cum ultima praecedentis. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Haec est pars versiculi secundi, et continet verba Dei summi Judicis, qui approbans verba justorum, promittit suo tempore, se redditurum illis praemium, ut etiam impiis non confitentibus, nec invocantibus, poenam. *Cum*, inquit *accepero tempus*, idest, cum venerit hora ab aeternitate determinata judicii mei, *tunc ego justitias judicabo*, idest, justissime sive rectissime judicabo. Diem judicii, ut etiam horam esse certo definita docet Apostolus, Act. 17. *Nunc* inquit, *annunciat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in aequitate in viro, quem statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a morte*: docet s. Joannes in Apocal. cap. 14. *Timete Deum, et date illi bonorem, quia venit hora judicii ejus*. Magnae gratiae, ut inquit s. Augustinus, agendae sunt Deo, quod non statim post peccatum judicat, sed expectat homines ad poenitentiam, interim exhortari et invitare non cessans multis et variis modis, donec statuta dies et hora adveniat. Illud, *justitias judicabo*, non significat Deum judicaturum opera justa, ut aliqui existimant, sed Deum recte judicaturum: nam eadem vox hebraea, מישרים *mesciarim*, habetur in psal. 57. *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum*. Quod hic dixit *justitias*, ibi dixit *recta*, et sicut ibi sensus est, Justam sententiam proferte; ita hic sensus est, justam sententiam proferam.

3. *Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.*

Iterum loquitur populus justorum dicens: si juste judicabis, Domine, quis sustinebit? *nam liquefacta est terra*, idest, defluxit, corrupta est, dissipata est propter iniquitates habitantium in ea; *et omnes habitantes in ea* defluxerunt et corrupti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet Dominus, *Ego confirmavi columnas ejus*. Quasi dicat, non omnis terra omnino corrupta est; nam ego confirmavi columnas ejus; viros perfectos, ob quos terra subsistit; semper enim habuit Deus servos suos electos et perfectos. Nam Gen. 6. ubi dicitur *terra corrupta ob iniquitates inhabitantium*, ibi dicitur, *Noe vir justus, atque perfectus*.

4. *Dixi iniquis nolite inique agere, et delinquentibus, nolite exaltare cornu.*
5. *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.*

Nunc jam loquitur Propheta ut unus de numero justorum, et admonet iniquos, ut desinant ab iniquitate, cum adhuc spes remaneat salutis, et propterea differatur judicium, ut locus sit poenitentiae. *Dixi*, inquit, *iniquis, nolite inique agere*, idest, nolite perseverare in iniquitate. Verba hebraica possent etiam verti, *Dixi stultis, nolite stultescere*, sed quamquam interpretatio septuaginta Seniorum optima est, quam etiam in sua versione secutus est s. Hieronymus, tamen utraque vera est. Omnes enim iniqui stulti sunt, cum errent a vero itinere, et ridentes, ac ludentes ruant in praecipitium. Addit Propheta, *Et delinquentibus nolite exaltare cornu*, idest, dixi delinquentibus, nolite gloriari in iniquitate, nolite superbe defendere peccata vestra. Cornu enim superbiam significat, et illi longius a salute recedunt, qui non solum peccant, sed etiam gloriantur cum malefecerint, et laudari volunt in sceleribus suis. *Nolite extollere in altum cornu vestrum*, idest, nolite in profundum malorum tam alte descendere, ut etiam Deum contemnatis, et in ipsum Deum verba blasphemiae evomatis. Vox hebraea בצואר עתק *betsavar hathak*, ut nunc legitur, non habet, *adversus Deum*, sed ut s. Hieronymus vertit, *in cervice veteri*, vel ut alii legunt, *collo duro*. Sed septuaginta non videntur legisse בצואר *betsavar*, sed, בצור *betsur*, quod est unum ex nominibus Dei, et proprie significat *petram*, quia Deus fortissimus est: et per vocem עתק *hathak*, quae significat *durum*, non intellexerunt septuaginta collum *durum*, sed verba dura, et iniqua, et ideo verterunt, *nolite loqui adversus petram verba dura et iniqua*, idest, adversus Deum fortissimum verba dura, idest, iniqua, quales sunt blasphemiae. Et sane eleganter alludit Propheta a verbis duris ad petram duram; quasi dicat, nolite contendere verbis duris cum Deo, qui est petra durissima, quia petra conteret vos et verba vestra inania esse monstrabit.

6. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: quoniam Deus judex est.*

Reddit rationem, cur non oporteat adversus Deum loqui iniquitatem; quia videlicet ab illius judicio nusquam erit effugium; non enim *ab oriente* judicabit, ut possis fugere in occidentem; *neque ab occidente*, ut possis latere in oriente, *neque a desertis montibus*, ut abscondas te in aliqua valle inter arborum ramos. Iste enim *judex Deus est*, qui ubique est, et nullo excluditur loco, cum nullum occupet locum. Ita s. Augustinus. Alii exponunt, quia neque ab oriente expectandum est auxilium, neque ab occidente, neque a desertis montium, *quia Deus judex est*, cui nemo resistere potest.

7. *Hunc humiliat et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.*
8. *Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen faex ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terrae.*

Dixerat non esse effugium a judicio Dei; nunc declarat dicens, *hunc humiliat*, superbum videlicet, *et hunc exaltat*, scilicet humilem. *Quia calix in manu Domini vini meri*, idest quia in potestate Dei est justitia vindicativa, quae dum peccatores superbos punit, simul exaltat et consolatur

http://www.obrascatolicas.com

justos humiles, quos ab oppressione impiorum liberat. Porro *calix vini meri*, dicitur justitia vindicativa in scripturis passim, ut Isaiae 51. Hieremiae 25. Threnorum 4. Ezechielis 23. Apocalypsis 14. et alibi. Ratio hujus metaphorae est, quoniam vinum merum epotum, debilitat adeo totum hominem, ut nec sciat, nec possit se juvare: ebrius enim amittit judicium, tremit, cadit, soporatur. Qui punitur ab homine, saepe remedium habet, vel favoris, vel fugae, vel violentiae: qui autem punitur a Deo, tamquam multo vino mero inebriatus, repente cadit et omni prorsus remedio caret. Addit Propheta, *plenus misto*, idest plenus est calix Domini non simplici vino unius generis, sed mistione variorum generum vini meri, qua mistione non temperatur vinum, sed fortius redditur. Id significat, justitiam Dei vindicativam abundare multitudine et varietate poenarum. *Ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*. Psal. 10. Aliqui dicunt, vinum calicis Dei dici mistum, quia turbidum, aut faeculentum. Alii mistum interpretantur, *infusum*, quia miscere vinum, aliquando significat infundere. Alii fingunt duos calices, unum plenum mero, alium plenum misto. Sed quod nos diximus probabilius videtur, et plures habet auctores. *Et inclinavit ex hoc in hoc*, idest jam Deus propinavit multis hunc calicem irae suae, inclinavit calicem ex hoc ore in hoc os, transtulit ad varias gentes, punivit sodomitas, chaldaeos, aegyptios et alios. *Verumtamen faex ejus non est exinanita*, idest, adhuc remanet gravissima pars justitiae vindicativae, quae servatur in diem ultimi judicii, et tunc ex ea *bibent omnes peccatores terrae*. Tunc enim non erit amplius locus misericordiae, sed omnes, qui peccatores in illa die invenientur, cogentur bibere faeces calicis irae Domini.

9. *Ego autem annunciabo in saeculum, cantabo Deo Jacob.*

Vox haec Prophetae est, qui descripto judicio Dei et supplicio impiorum, pollicetur se annunciaturum laudes Dei in aeternum. Illi inquit, bibent calicem irae Dei: *ego autem* liberatus per gratiam Dei *annunciabo in saeculum*: deinde declarans, quomodo annunciabit, *cantabo*, inquit, *Deo Jacob*: haec erit annunciatio mea hymnus laudis et gratiarum actionis *Deo Jacob*, quem in aeternum cantabo.

10. *Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.*

Haec vero Dei vox est, qui subjungit et concludit psalmum, dicens, *et* ego *confringam omnia cornua peccatorum*, omnem superbiam, omnem gloriam, omnem potentiam. *Et exaltabuntur cornua justi*; et faciam ut exaltetur gloria et potentia justi cujuscumque, sed praecipue Christi, qui sic fuit eminenter justus, ut multos justificaverit, ut dicitur Isaiae 53. *Justificabit ipse justus servus meus multos*. Posset hic versiculus conjungi cum superiore, ita ut propheta intelligatur utrumque dicere: *annunciabo in saeculum et omnia cornua peccatorum confringam*. Dicitur enim confringere cornua peccatorum non solum, qui re ipsa peccatores humiliat, sed etiam qui denunciat peccatores humiliandos esse, ad quem modum dicitur Hieremias constitutus, *super gentes et regna*, ut destruat et evellat et aedificet et plantet. Hierem. 1. Videtur tamen prior expositio magis accommodata huic psalmo, qui secundum formam dialogismi compositus est, ut s. Hieronymus in Commentario docet.

PSALMUS LXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, in laudibus Psalmus Asaph, canticum ad Assyrios.

Propter ultima verba tituli, *canticum ad Assyrios*, quae non sunt in codice hebraico, existimant Theodoretus, Euthymius et multi recentiores, in hoc psalmo praedici victoriam, quam obtinuit Ezechias de Sennacherib rege Assyriorum. Sed non dubium est, altiore sensu praedici victoriam electorum Dei adversus omnes hostes tum visibiles, tum invisibiles.

EXPLICATIO PSALMI LXXV.

1. *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus.*

Propter haec verba valde superbiunt carnales Judaei, sed frustra. *Notus* enim erat *Deus in Judaea* terrena, quando in ea degebant Prophetae et populus Prophetis acquiescens et pari ratione, *in Israel* secundum carnem *magnum erat nomen Dei*, quando populus Israel non solum carne, sed etiam corde circumcidebatur: sed posteaquam Dei filium, quem omnes Prophetae annunciaverunt, negaverunt et ejus populus esse desierunt; non est amplius in Judaea terrena notus Deus; neque in Israel secundum carnem, magnum est nomen ejus. Quia tamen hic psalmus in titulo habet, *in finem*, et ideo respicit Christum qui est finis legis, et usque in finem mundi canendus est: nunc etiam verum est et semper erit verum, quod hic dicitur, *notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus*. Sed per Judaeam ecclesia accipienda est, in qua sunt veri Judaei, circumcisi corde, non carne, de quibus Apostolus ad Rom. 2: *Non qui in manifesto Judaeus est, neque quae in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Judaeus est, et circumcisio; cordis in spiritu, non littera*. Et cap. 9: *Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitae*; etc. In ecclesia igitur christiana notus Deus est, et in populo christiano magnum est nomen ejus; major enim sapientia est in parvulis christianis callentibus brevissimum catechismum, quam olim fuerit in philosophis gentium, vel in magistris in Israel. Sed praecipue notus Deus est viris perfectis in Ecclesia Dei, qui totus se contemplationi rerum divinarum dediderunt, et ex contemplatione in confessionem divinae magnitudinis toto corde erumpunt. Judaea enim confessionem significat.

2. *Et factus est in locus ejus, et habitatio ejus in Sion.*

Ad litteram redditur ratio cur in Judaea potius, quam in aliis locis olim Deus notus esset: quia videlicet Jerusalem, quasi regiam suam; et Sion quasi arcem sibi Deus elegerat. *Et factus est*, inquit, *in pace locus ejus*, idest, Deus elegit sibi locum peculiarem, in quo tabernaculum suum collocaret, in civitate Salem, quae pacem significat. *Et habitatio ejus in Sion*, idest, elegit sibi habitationem in Sion, quae est pars altissima, et nobilissima civitatis Jerusalem. In hebraeo pro, *in pace*, habetur, בשלם *bescalem* in Salem, quod est nomen civitatis Jerosolymae, sed septuaginta interpretati sunt nomen, et ideo verterunt *in pace*: nam, ut dicitur ad hebr. 7. *rex Salem*, est *rex pacis*. Itaque hoc loco ad litteram, *in pace*, non significat virtutem, sed civitatem: quod satis facile intelligitur ex verbis sequentibus, *et habitatio ejus in Sion*. Sed altiore sensu significatur, ideo Deum notum esse viris perfectis, quia Deus praecipue habitat in mentibus pacem habentium, et contemplantium: nam ut Salem significat pacem; ita Sion speculam. Et nisi quis per mortificationem carnis pacem habeat ad Deum, ad proximum, et ad se ipsum, non facile per contemplationem transcendit res omnes creatas, et uni Deo conjungitur.

3. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.*

Hic jam describit victoriam adversus Assyrios, de quibus in titulo psalmi. Historia hujus victoriae habetur lib. 4. reg. 19. Ubi Deus liberavit Jerusalem ab obsidione regis Sennacherib sine ulla pugna Judeorum. Angelus enim Domini una nocte occidit centum octogintaquinque millia Assyriorum, et eo modo *confregit Deus potentias arcuum*, idest, sagittas, quas Assyrii paraverant, ut jacerent in hebraeos, et *scutum*, quod paraverant, ut se defenderent ab hebraeis, et *gladium*, quem exacuerant ut cominus pugnarent adversus eos, adversus quos saggittis eminus pugnassent; denique *bellum* totum confregit, idest, avertit ab urbe Jerusalem. In hebraeo pro vocibus, *potentias arcuum*, habetur, רשפי קשת *rise kasceth*, quae voces proprie significant *carbones arcuum*, idest, jacula ignita arcuum; sed Septuaginta verterunt, *potentias arcuum*, quia potentia arcus in sagittis ejaculandis consistit. Altiore sensu per jacula ignita, et gladios, significantur tentationes doemonum, et persecutiones hominum. Per scuta intelliguntur praetextus varii, quibus se tegunt hostes nostri spirituales, cum nos oppugnant: sed in animis perfectorum servorum suorum Deus victorias maximas obtinet, ut perspicuum est ex historiis sanctorum martyrum, et perfectorum monachorum.

4. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: turbati sunt omnes insipientes corde.*

Ostendit propheta unde potissimum orta sit victoria Hebraeorum adversus Assyrios; id autem facit per apostrophen ad Deum. *Illuminans*, inquit, *tu mirabiliter a montibus aeternis*, idest, confregit Dominus in Jerusalem arma offensiva, et defensiva Assyriorum: ille autem Dominus tu es, qui haec fecisti, dum ex coelis, tamquam *aeternis quibusdam montibus* tuis, ac veluti altissima specula et arce tua, *mirabiliter* fulgurasti, et Angelum tuum tamquam coeleste fulmen misisti in exercitum Assyriorum. Unde *turbati sunt omnes* illi milites Sennacherib, tamquam amisso judicio obtenebrati, et prae stupore mentis *insipientes corde* effecti. Quod ad verba attinet, in hebraeo pro voce, *aeternis*, est, טרף *thareph*, quae praedam significat, vel captivitatem, non aeternitatem. Sed omnino necessarium est, ut septuaginta Interpretes aliquid aliud legerint: neque enim fieri potest, ut viri doctissimi, et utriusque linguae peritissimi verterent, a montibus aeternis, vel graece ἀπ' ἐρέων αἰωνίων, si legissent, מהרי טדף *meharere tareph*. Itaque, suspicor eos legisse, טרם *terem*, non, טרף *tareph*, significat autem, *terem ante*, vel, *antequam*, sive *priusquam*: et fieri potest; ut non solum sit adverbium, sed etiam nomen, et si-

http://www.obrascatolicas.com

gnificet, antiquitatem, vel antiquum: quomodo, קדם *kedem*, significat, ante, et significat etiam antiqua; ut patet ex ps. 76. vers. 6. *Cogitavi dies antiquos*. Et psal. 43. vers. 2. *Quod operatus es in diebus antiquis*. Idem autem est, *a montibus aeternis*, et *a montibus antiquis*; quemadmodum Daniel. 7. *Antiquus dierum* dicitur Deus, quia aeternus est. Illud autem, *turbati sunt omnes insipientes corde*, sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo, *spoliati sunt superbi corde*. Sed septuaginta Interpretes sensum verterunt. Illud enim, *spoliati sunt*, non significat, spoliati sunt vestibus, sed spoliati sunt judicio, erraverunt, stupefacti sunt: quod est idem cum illo, *turbati sunt*. Pro, *insipientes corde*, s. Hieron. vertit, *superbi corde*, quia legit, אבידי לב *abbire leb*: septuaginta legerunt, אבידי לב *abbide leb*: facile autem fuit mutari unam literam in aliam similem, idest, *daleth* ד, in *res* ר. Jam vero in sensu spirituali significat hic versiculus principium victoriae adversus hostes invisibiles esse illuminationem internam Dei, per quam videre nos facit Deus tum ipsos hostes, tum ipsorum fraudes; necnon bona invisibilia, *quae praeparavit Deus diligentibus se*; et mala invisibilia, quae praeparavit odio habentibus se. Et quemadmodum Deus illuminans mirabiliter a montibus aeternis coelestis habitaculi sui, fortissimos reddit servos suos, sic e contrario conturbat hostes suos, insipientes corde qui videntes viros sanctos, et perfectos contemnere visibilia, condonare injurias bonum pro malo reddere, durissima quaeque propter Deum libenter pati, obstupescunt, et irascuntur; sed in fine dicturi sunt, *nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore*. Sap. 5.

5. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Communis expositio est, quod Propheta describat mortem Assyriorum, qui ab angelo interfecti sunt, ut hic sit sensus: *Dormierunt somnum suum;* idest, somno mortis soporati sunt, qui Jerusalem desiderabant invadere, et se brevi eam capturos, et spoliaturos esse sperabant: *et omnes viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis*, idest, et isti Assyrii, qui ditissimi erant, et majores divitias appetebant, post mortem illam repentinam in infernum detrusi, nihil invenerunt in manibus suis, neque ex iis, quae habebant, neque ex iis, quae sperabant. Sed altiore sensu doctrina generalis traditur adversus insipientes corde, qui magnifaciunt bona temporalia, et despiciunt viros sanctos, et perfectos, qui ista contemnunt. *Dormierunt*, inquit, *insipientes corde somnum suum*, idest, toto tempore vitae hujus quasi sopore gravi concupiscentiae, et ignorantiae oppressi quiete dormierunt, somniantes se divites, et beatos esse: sed ubi per mortem evigilaverunt (poena enim aperit oculos quos culpa clauserat), nihil invenerunt in manibus suis: et nunc intellexerunt bona hujus vitae non vera bona, sed ludibria somniantium fuisse, et ex iis nihil sibi remansisse, nisi vermem conscientiae, et poenae sempiternae reatum.

6. *Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos.*

Declarat mortem Assyriorum, non fuisse naturalem, sed ab ipso Deo irato immissam. *Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt*, illi videlicet, de quibus dictum est versu superiore, *dormierunt somnum suum*, illi, inquam, dormierunt somnum suum *ab increpatione tua* prostrati, et interfecti soporem mortis acceperunt: nam increpatio Dei efficacissima est, et eam continuo effectus sequitur. Si enim b. Petri increpatio Ananiam, et Saphiram occidit, Act. 5. quanto magis increpatio Dei omnipotentis? Illud, *qui ascenderunt equos*, est descriptio superbiae, et arrogantiae Assyriorum, qui in equitatu suo confidebant. In hebraeo ad verbum habetur, *currus et equus*: sed Septuaginta non legerunt. רכב *recheb*, idest, *currus*, sed, רכב *rocheb*, idest, *eques*, ut sensus sit, *consopiti* sunt eques, et equus. In sensu autem spirituali significatur, morte sempiterna plectendos ab irato Deo, et doemonem tamquam equitem, et hominem peccatorem tamquam equum, qui doemonem sibi insidere, et ab eo regi se turpiter passus est.

7. *Tu terribilis es, et quis resistet tibi, ex tunc ira tua.*

Alloquitur nunc Propheta Deum, et ex ultione et supplicio Assyriorum admiratur potentiam Dei erudiens nos, ut similiter admiremur, et timeamus. *Tu* inquit, *terribilis es, et quis resistet tibi*, quando iratus fueris? Illud enim, *ex tunc ira tua*, significat, ex quo tempore incipit ira tua, et conjungendum est cum praecedentibus, ut conjungit etiam s. Augustin. Sed in textu latino ponitur distinctio, et interpunctio saepe ob commoditatem canentium. Illud, *Quis resistet tibi*, in hebraeo est ad verbum, לפניך יעמיד מי *mijahamod lephanecha, quis stabit ante faciem tuam?* quod aliquid amplius significat, quam resistentiam, quasi dicat, quis audebit faciem tuam iratam intueri? Sed septuaginta sensum verum transtulerunt.

8. *De coelo auditum fecisti judicium, terra tremuit, et quievit.*
9. *Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.*

Occasione accepta ex ira Dei in Assyrios, transitum facit ad iram, quam ostendet idem Deus in die Judicii generalis: tunc enim vere, et proprie nemo impiorum sustinere poterit vultum irati Judicis: loquitur autem de rebus futuris per verba temporis praeteriti more prophetico. *De coelo auditum fecisti judicium*, idest, de coelo annuntiabis per varia signa, quae erunt in sole, et luna, et stellis, et tandem per horribilem tubam angelicam, ad judicium novissimum te esse venturum: et tunc terra contremiscet; et prae timore silebit, idest, omnes habitantes in terra silebunt, *arescentes prae timore et expectatione eorum, quae supervenient universo orbi*. Luc. 21. Illud, *quievit*, non significat requiem a labore, sed taciturnitatem, et silentium ob timorem. S. Hieron. optime sensum vertit, *terra timens tacebit*, sed septuaginta verterunt ad verbum, *terra tremuit, et quievit*, sic etiam est in hebraeo; *Cum exurgeret in Judicium Deus*, idest, de coelo auditum facies judicium, cum tu Deus exurges in judicium, surges de solio tuo coelesti, et venies ad judicandum orbem terrarum, ut *salvos facias omnes mansuetos terrae*: hic enim erit finis judicii ut omnes mansueti, qui sunt in terra, non amplius vexentur a crudelibus, et superbis persecutoribus, sed omnibus impiis, et peccatoribus justo judicio condemnatis, omnes pii et justi salutem aeternam, requiem videlicet, et foelicitatem sempiternam possideant. Illud, *omnes mansuetos terrae*, satis aperte significat, non posse referri ad liberationem hebraeorum de manu Sennacherib regis Assyriorum, sed referenda esse ad universalem liberationem omnium justorum. Vocat autem Scriptura *mansuetos*, eos qui liberabuntur; quoniam mansuetudo opponitur crudelitati persequutorum, et quoniam mansuetudo propria est discipulorum Christi, qui ut agnus mansuetus in hoc mundo versatus est, et coram tondente, et jugulante se obmutuit; denique quia mansueti non resistunt Deo revelanti quae credenda sunt, neque promittenti quae speranda sunt, neque jubenti quae facienda sunt, ac per hoc mansuetudo omnes virtutes includit.

10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.*

Hoc sequetur ex Judicio ultimo, ut mansueti liberati ab omni oppressione persecutorum, hoc tantum beneficium cogitantes perpetuo Deum laudent, et festos dies celebrent in coelo, memoria retinentes haec Dei magnalia. Illud, *quia*, non reddit rationem hoc loco, sed accipitur pro, *quare*, vel, *propter quod*, ut sensus sit, quare cogitatio hominis liberati confitebitur tibi laudes, imo ipsa jugis cogitatio tanti beneficii, erit jugis, et assidua laudatio: *et reliquiae cogitationum*, idest, perpetua memoria, quam in ipsis relinquet cogitatio tantae rei, *diem festum aget tibi*, in aeternum tibi cantabit, et jubilabit. Quod attinet ad verba s. Hieron. ex hebraeo vertit, *quia ira hominis confitebitur tibi, reliquiis irae accingeris*: quae verba nullum commodum sensum facere videntur, cum re vera satis apte respondeant verbis hebraicis, quae nunc in Bibliis excusis habentur. Sed sciendum est vocem, חמה *chema*, posse deduci a verbo, נחם *nacham*, quod *poenitere* et *consolari*, et secundum Septuaginta etiam *cogitare*, significat: nam Gen. 6. vers. 6. ubi nos habemus, *poenituit Deum, quod hominem fecisset in terra*, septuaginta Interpretes verterunt, *cogitavit Deus, quod hominem fecisset in terra*. Quare illud, חמה *chema*, non solum significat iram, sed etiam cogitationem ex sententia septuaginta Interpretum, quibus major fides habenda est, quam omnibus dictionariis. Illud autem, תחגור *thachgor*, quod significat, *accingeris*, a verbo, חגר *chagar*, septuaginta Interpretes legerunt sine ullo dubio. תחגג *thachgog*, a verbo, חגג *chagag*, quod *festum agere* significat. Imperitissimi enim fuissent si vertissent, *festum agere*, et dictionem, quam invenerunt non derivassent a radice *chagag*, sed a radice, *chagar*, quae similes sunt, et facile per errorem librariorum mutari potuerunt. Itaque retinenda est lectio, et interpretatio septuaginta seniorum, quam fideliter Interpres Latinus expressit.

11. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.*
12. *Terribili, et ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.*

Concludit Propheta psalmum exhortans fideles populus ad vovendum, et reddendum, ut eo modo placatum habere possint Deum, qui terribilis est, adeo ut ipsis etiam regibus vitam adimat, quando ei libitum fuerit. *Vovete*, inquit, *et reddite*, idest, promittite Deo sacrificia, et dona, quae illi grata sunt, sed simul fideliter reddite quae promisistis. Vovete, inquam, et reddite vos *omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*, idest, vos omnes, qui frequentatis aras dominicas, et in circuitu altaris consistentes offerre soliti estis munera: vovete autem, et reddite Deo vero, *qui terribilis est* in judiciis suis, et a nemine irrideri, aut falli potest: nec solum terribilis est erga privatos homines, sed etiam in reges, et principes, qui aliis hominibus terribiles esse solent. Ex illis verbis, *vovete, et reddite*, refellitur haeresis modernorum haereticorum, qui vota rerum non imperatarum a Deo omnino contemnunt. Sanctus enim Augustinus exponens hunc locum scribit, rectissime voveri Deo perpetuam virginitatem, spontaneam paupertatem, et alia id genus, quae a Deo non imperantur. Illud, *in circuitu ejus sunt*, exposuimus de circuitu altaris, juxta illud ps. 25. *Circumdabo altare tuum Domine*. S. Augustinus docet illos esse in circuitu Dei, qui communem habent Deum; quod enim commune, et pubblicum est, in medio ponitur, ut omnes ex eo participent. Illi autem non sunt in circuitu Dei, si quid sciunt de Deo, quasi proprium habere volunt. Illud, *affertis munera*, in hebraeo et graeco legitur in tertia persona, *qui in circuitu ejus sunt offerunt illi munera*, sed idem est sensus. Illud, *qui aufert spiritum Principum*, exponunt aliqui de spiritu superbiae, idest, qui humiliat principes. Sed nostra expositio confirmatur ex psalmo 103. *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur*, et in hoc vere ostenditur terribilis Deus, quod potentissimos reges ad nutum in momento interimere possit.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LXXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALM

In finem, pro Idithun psalmus Asaph.

Cur dicatur in titulo, pro Idithun psalmus Asaph, omnino difficile est divinare. Euthymius existimat, psalmum datum esse ad decantandum ipsi Asaph, pro Idithun, idest, vice Idithun, qui forte cantare impediebatur. Nimis humilis explicatio est, neque vox hebraica, ידותון על *hal Jeduthun*, patitur, ut, *pro*, significet, vice: cum ad literam sonet, *super Idithun psalmus Asaph*. Alii existimant, psalmum compositum ab Asaph, et datum ipsi Idithun ad canendum. Sed neque id probabile est, cum Idithun fuerit unus ex principibus cantorum, non minus, quam Asaph. Alii volunt psalmum cantatum esse alternatim ab Idithun, et Asaph. Alii denique nomen Idithun hoc loco volunt non esse nomen cantoris, sed instrumenti musici, vel certi generis modulationis, ad cujus formam psalmus canendus esset; atque huic expositioni satis convenit illa phrasis, *psalmus Asaph super Idithun*. Argumentum est oratio adversus tribulationes: quae sit autem tribulatio, de qua psalmus hic loquitur, non convenit inter auctores: aliis existimantibus hic agi de captivitate Babylonica: aliis de persecutione Antiochi: quae contigit tempore Machabaerum: aliis de incerta, et nobis incognita tribulatione: sed sanctus Augustinus utilissime exponit psalmum de miseria humana generatim, ac praesertim de ea, quam sentiunt viri perfecti, qui dum anhelant ad patriam coelestem, molestissime ferunt moram exilii, et peregrinationis.

EXPLICATIO PSALMI LXXVI.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi.*

Indicat hoc primo versiculo anima viri sancti, quam moleste ferat moram, et pericula hujus peregrinationis. Dicit enim, *voce mea*, idest non per nuncios, non per amicos, non etiam per linguam corporis mei, sed *voce mea* proprio animae desiderio pulsavi aures Dei. Dicit, *ad Dominum*, vel ut est in hebraeo, אלהים אל *el elochim, ad Deum*, et repetit secundo, ad Deum, quia videbat a nulla re creata posse obtineri quod cupiebat; ideo transiliens omnia ad ipsum Deum accessit. Dicit, *clamavi*, quia se videbat in regione dissimilitudinis longe separatam a Deo magna voce, magno affectu sibi opus esse, ut de tanto profundo, ad tantam sublimitatem vocem suam transmitteret. Addit, *et intendit mihi*, ostendens sibi profuisse ejusmodi clamorem. In hebraeo ad verbum est, והאזין אלי *vehaazin elai*, idest, *et aures mihi praebuit*.

2. *In die tribulationis meae Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.*

Declarat cur, et quomodo Deum quaesierit, et invenerit. *In die tribulationis meae Deum exquisivi*, idest, in tempore hujus vitae mortalis, *quae est, tota tentatio*, ut dicit Sanctus Job cap. 7. vel, ut in nostro textu habetur, *militia*, idest *perpetua colluctatio cum vitiis, et concupiscentiis, necnon cum principibus, et potestatibus aeris* ut dicitur ad Ephes. 6. unde exclamat Apostolus Roman. 7. *Quis me liberavit de corpore mortis hujus? manibus meis nocte contra eum*, idest, in nocte hujus vitae manibus contra Deum extensis illum quaesivi attingere, et apprehendere, *et non sum deceptus*: tempus hujus vitae non est dies, sed nox, quia *per fidem ambulamus, et non per speciem*. 2. Corinth. 5. et opus habemus attendere *ad lucernam scripturae lucentem in caliginoso loco*, ut dicitur 2. Petr. 2. Noctu autem melius quaerimus manibus tentando, quam oculis vestigando; unde dicit Apostolus Act. 17. *Quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant*. Porro manibus quaerere Deum in nocte, nihil est aliud, nisi per opera bona, per obedientiam mandatorum, per vitae puritatem in hoc exilio caliginoso Deum quaerere: et saepe contingit, ut qui ita quaerunt, Deum attingant, quem speculando, vel legendo invenire non potuerant: testimonium enim conscientiae bonae, et patientia in tribulationibus, et frequentes victoriae adversus tentationes efficiunt, ut anima experimento quodam dulcedinem Dei sentiat, et testimonium spiritus in se habeat, quod sit filius Dei. In hebraeo pro, *contra eum*, habetur, נגדה *nighera*, idest, *extenta*, ut sensus sit, nocte manus mea extenta est ad eum, et idem est sensus: sed septuaginta non videntur legisse, נגרה *nighera*, sed, נגדה *negda*, idest, contra, vel e regione; voces enim simillimae sunt, ut patet. Rursus ubi nos habemus, *et non sum deceptus*, ex hebraeo vertunt alii, *et non quiescit, vel non remittitur*, manus mea videlicet, idest, manus mea extenta, et non debilitata, aut fatigata quievit. Sed septuaginta verterunt sensum, non verba. Significarunt enim, manum viri justi ad Deum quaerendum extentam non quievisse prae lassitudine, quia invenit cito quod quaerebat, et ideo virum justum manibus quaerendo non fuisse deceptum, hoc est, spe sua frustratum. Multi hunc versiculum exponunt de extensione manus in oratione tempore nocturno, quorum expositionem non reprehendo, sed malui s. Augustinum sequi, qui etiam satis apte adducit hoc loco factum sancti Tomae Apostoli, qui manibus tangendo Christi cicatrices, Deum quaesivit in nocte dubitationis, et non est deceptus: nam invento Deo exclamavit, *Dominus meus, et Deus meus*, Joan. 20.

3. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum: et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.*

Quia quaerens Deum non fuit deceptus, renuit deinceps anima ejus consolationem accipere a rebus mundi hujus, quoniam videbat in omnibus esse deceptionem. *Renuit*, inquit, *consolari anima mea*, idest, quantumvis blandirentur carnales voluptates, noluit inde gaudere anima mea, sciens eas secum trahere graviores tristitias. *Memor fui Dei, et delectatus sum*, idest, ne tamen sine omni consolatione essem, *memor fui Dei*, qui nullum decipit, et in quo solo solidum gaudium reperitur, quod nemo potest tollere a nobis, et *delectatus sum*. Magnum est hoc arcanum sapientiae Dei, quod in hoc exilio plus delectet memoria Dei quam praesentia carnalium voluptatum: et si in medio illecebrarum carnalium tantum delectat memoria Dei, quantum delectabit ipsa praesentia Dei, quando nullae erunt carnales illecebrae? *et exercitatus sum, et defecit spiritus meus*, idest, post memoriam Dei, et voluptatem inde haustam, exercitatus sum meditando, et mecum ipse colloquendo de moeroribus exilii, et de jucunditate patriae, et prae desiderio defecit spiritus meus. In hebraeo, pro, *delectatus sum*, habetur, דאהמנ *vechemaiah*, quod proprie significat, *et sonui*, sive *clamavi*, quod potest intelligi de clamore laetitiae, ut septuaginta intellexerunt, et de clamore turbationis, ut intellexit s. Hieronym. qui vertit, *conturbabar*, Pro illo, *exercitatus sum*, s. August. legit, *garrivi*, quod vox graeca ἡδολέσ Λοῦν significare videtur: sed vox hebraica, אשיחה *asicha*, quae frequens est in psalmis, significat *summisse loqui*, sive *secum loqui*, quod est proprium meditantium et se in consideratione exercentium. Illud, *defecit spiritus meus*, exponunt nonnulli de defectu ob incruentes tribulationes, quasi eas diutius ferre non posset; sed non minus proprie dicitur spiritus deficere, quando magno desiderio alicujus rei tenetur; quo modo etiam languere, et liquefieri dicitur, juxta illud psal. 83. *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini*.

4. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, et non sum locutus.*

Declarat quod dixit, exercitatus sum, et ait, *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, idest, noctu surgebam ad meditandum, antequam excubiae militares vigilare inciperent: nam per vigilias intelliguntur *custodiae*, sive *excubiae*, ut perspicue habetur in codice hebraico, שמרות *scemuroth*, et graeco, φύλακας. Similis est locus in psal. 118. *Praevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*. Quod sequitur, *turbatus sum, et non sum locutus*, significat ex meditatione periculorum hujus vitae Prophetam turbatum fuisse, sed non fuisse ausum aliquid loqui, quod sciret, judicia Dei esse justissima, quamvis occulta. In hebraeo pro, *anticipaverunt vigilias oculi mei*, habetur, *tenuisti custodias oculorum meorum*. Sanctus autem Hieronymus vertit, *prohibebam suspectum oculorum meorum*. Sanctus denique Augustinus legit, *anticipaverunt vigilias inimici mei*, sed illud, *inimici mei*, non habetur in hebraeo, neque in graeco, neque in latina editione vulgata; proinde facile contemni potest. Vox hebraea, אחות *achata*, quae significat, *tenuisti*, non fuit in codice s. Hieronymi neque septuaginta interpretum. Manifeste enim est, verbum temporis praeteriti secundae personae a radice, אחז *achaz*, quae significat *tenere, apprehendere, possidere*, et similia: quare s. Hieronymus, qui vertit, *prohibebam*, et septuaginta qui verterunt, *anticipaverunt*, sine dubio aliquid aliud legerunt. In re autem tam obscura nihil est tutius, quam antiquissimae versioni septuaginta interpretum adhaerere, quam nobis fideliter Interpres latinus expressit. Verum est tamen, hebraicam lectionem, qualis nunc est, in sententia non discrepare a lectione editionis vulgatae. Illud enim, *tenuisti custodias oculorum meorum*, ita exponi potest, tu Deus tenuisti palpebras oculorum meorum, ne clauderentur in somnum, ac per hoc fecisti, ut tota nocte vigilarem, et sic vigilias omnium excubiarum anticiparem.

5. *Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente habui.*

Ecce quid meditaretur quando praeveniebat vigilias. *Cogitabat dies antiquos*, idest, dies hujus vitae temporalis a principio usque ad finem: et simul cogitabat *annos aeternos vitae futurae*, qui non praetereunt, sed stabiles permanent: neque sola spatia cogitabat, sed quae habemus, et quae agimus in his diebus qui mox antiquantur, et pereunt; et quae habebimus, et agemus in annis aeternis, qui semper in eodem statu permanent. Digna plane cogitatio, quae totas noctes occupet meditantem.

http://www.obrascatolicas.com

6. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.*

Idipsum aliis verbis repetit, et inculcat, dicens, *et meditatus sum nocte cum corde meo*, idest, et consumpsi integras noctes mecum ipse colloquendo, non ore, sed corde: *et exercitabar* cogitando videlicet ac mecum ipse discurrendo. *Et scopebam spiritum meum*, idest, et hoc modo quasi scopis cogitationum versabam huc atque illuc spiritum meum. In hebraeo pro, *et meditatus sum*, habetur, נגינתי *neghinathi*, quod significat *canticum meum*, vel *psalmum meum*, ut vertit sanctus Hieronymus. Sed septuaginta sine dubio legerunt, ut infra versiculo duodecimo, וחגיתי *vehaghithi*. quod significat, *et meditatus sum*: et facile fuit librariis in hac re errare, cum similes voces sint; nec sit ullo modo credibile septuaginta viros, aut ullum alium interpretem redditurum, *et meditatus sum*, si legisset *neghinathi*. Illud autem, *et scopebam*, sanctus Augustinus legit, *et scrutabar spiritum meum*; et hoc proprie significat vox hebraica, ויחפש *vaichappes*, quae hoc loco habetur: tamen s. Hieronymus novo, et inusitato vocabulo vertere maluit, *scopebam spiritum meum*. Intelligimus autem ex utraque lectione illud, *scopebam*. non significare, *scopis mundabam*, aut *purgabam*, sed *scopis verrebam*, *et agitabam*: ut enim mulier illa de Evangelio, Luc. 15. domum verrebat, ut drachmam perditam inveniret: sic iste spiritum suum scrutabatur, et quasi scopis verrebat. ut veritatem absconditam inveniret. Idem s. Hieron. in commentario dicit, *scopebam*, idest, fodiebam: et in epist.ad Suniam et Fretellam dicit,*scopebam*, idem esse, *quod sarculo sarriebam*:quare perspicuum est, *scopebam*, non esse mundabam, sed versabam. In hebraeo habetur, ויחפש רוחי *vaichapes ruchi*, *scopebat*, vel, *scrutabatur spiritus meus*: tamen sanctus Hieronymus vertit in prima persona, *scopebam*, et in epist. ad Suniam et Fretellam dicit, septuaginta vertisse in prima persona non in tertia, ἔσκαλλεν non ἔσκαλλε, sic etiam legit s. Augustin. Proinde videtur error librariorum esse tum in hebraico tum in graeco codice, quoad mutationem personae.

7. *Numquid in aeternum projicet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?*
8. *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?*
9. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?*

Haec est meditatio et agitatio mentis,in qua noctu exercebatur. Videns enim multitudinem hominum peccatorum prope infinitam, et quod vix inveniretur, qui faceret bonum,dicebat intra se,num Deus projiciet omnes homines in interitum sempiternum. Ubi est igitur infinita misericordia ejus? Sed his interrogationibus contrariam sententiam concludere intendit, videlicet futurum aliquando tempus redemptionis generis humani, quo per misericordiam Dei non solum reliquiae Judaeorum, sed etiam multitudo gentium salvaretur. Ait igitur, *Numquid in aeternum projiciet Deus*? idest,numquid Deus tantam multitudinem generis humani in aeternum projiciet a misericordia sua et in infidelitate, et caecitate dimittet? quasi dicat, non projiciet, sed tempore suo visitabit. *Aut non apponet, ut complacitior sit adhuc*, idest, numquid Deus non addet aliquando ad iram suam misericordiam suam, ut incipiat sibi complacere in gentibus,quas nunc odio prosequi videtur? addet omnino propitiationem. *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?* idest, numquid removebit misericordiam suam ab hominibus in aeternum? non removebit. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordiam suam*? idest, non obliviscetur et non continebit. Facilius est enim Deo continere iram suam, quam misericordiam suam; et ideo quamvis juste irascatur in peccatores, tamen in ipsa ira non continebit misericordiam suam, sed effundet misericordiam, quae iram mitiget. Quod attinet ad verba, illud, *non apponet ut complacitior sit adhuc*? S. Hieronymus ex hebraeo clarius reddit,non propitiabitur ultra?ad verbum enim in hebraeo habetur, ילא יסיף לרצות עוד *velo josiph lirtsoth hod*, idest, *non addet ad complacendum adhuc*? idest, non addet complacentiam,sive propitiationem aliquando? Illud, *non abscindet misericordiam suam*, s. Hieronym. ex hebraeo vertit, *ergo non complebit misericordiam suam*? quae sententia omnino contraria videtur, sed non est: nam vox hebraica, אפס *aphes*, significat, *consumere*, vel *consumi*,delicere, perire, et similia:quare sanctus Hieronymus verbum, *complebit*, non accepit in bonam partem, pro eo quod est, *perficere*; sed in malam, pro eo quod est, *finire ut non ultra pergat*: quomodo dicitur Danielis 5. *numeravit Deus regnum tuum,et complevit illud*, idest, finivit regnum tuum, jam non ultra regnabis. Additur in hebraeo, גמר אמר *gamar omer* idest, *consummabitur verbum*, sic enim habetur ad litteram in hebraeo, *Numquid peribit in finem misericordia ejus, consummabitur verbum a generatione in generationem*; ubi illud, *consummabitur verbum*, omissum est a septuaginta Interpretibus, et ab omnibus antiquis interpretibus, et ut testatur s. Hieronym. in Epist. ad Suniam et Fretellam, qui etiam addit, recte non haberi in latino. Ex quo intelligimus duo illa verba addititia esse non solum in graeco, sed etiam in hebraeo. Theodoretus quidem scribit haberi haec duo verba apud Symmachum; sed nos majorem fidem habemus s. Hieronymo, quam Theodoreto. Denique illud, *Continebit in ira sua misericordias suas*, s. Hieron, ex hebraeo vertit, *complebit in furore suo misericordiam suam*. Sed non sunt contraria, quia s. Hieron. per, *complere*, intelligit, *finire*, et verbum קפץ *caphaz*, quod habetur hoc loco, significat, *claudere*, ac per hoc continere, ne exeat, ne fluat. Idem autem est complere misericordiam, idest, finire, ut jam non sit; et continere, ut non fluat, et claudere, ut non exeat.

10. *Et dixi, nunc coepi; haec mutatio dexterae excelsi.*

Praevisa,et praedicta redemptione,dicit Propheta se respirare coepisse a taedio, et moerore, quo ante tenebatur. *Et dixi*, inquit, *nunc coepi*, idest, nunc incepi respirare posteaquam meditando, et vigilando, Deo revelante, cognovi misericordiam Domini effundendam super genus humanum. *Haec est mutatio dexterae excelsi*, idest, mutatio,quam praevideo et praedico, irae divinae in misericordiam; iniquitatis hominum in justitiam; captivitatis in redemptionem; poenae sempiternae in gloriam aeternam; mutatio est admirabilis, quam nemo poterat efficere, nisi dextera excelsi, quae Christus est: ipse enim placavit iram patris, et in benevolentiam commutavit,ipse justificavit impios, ipse redemit captivos, ipse glorificavit miseros, et quod mirabilius est, hanc mutationem fecit dextera excelsi quodam modo per suam mutationem,ut notat s. Hieron. in commentario: ipsa enim dextera excelsi infirmata est, ut nos roboraret, et *cum esset in forma Dei formam servi accepit*, ut nos a servitute redimeret. *Pro nunc coepi*, s. Hieron. vertit ex hebraeo, *imbecillitas mea*: alii *dolor meus*; alii aliter. Sed vox hebraica, חלותי *tallothi*, ambigua est, et omnes interpretationes admittit, in re autem ambigua, mirum est, cur non anteponatur omnibus interpretibus auctoritas septuaginta Seniorum, qui sapientia, antiquitate et admirabili inter se concordia omnibus praestant.

11. *Memor fui operum Domini; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*
12. *Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.*

Respirans jam Propheta in spem futurae redemptionis, dicit, se memorem futurum operum Domini mirabilium;et incipit enarrare mirabilia quaedam opera. *Memor fui*, inquit, *operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum*, idest, antea quidem memor fui aliquorum operum Domini, quae fecit in Aegypto coram patribus nostris; sed nunc, o Domine, memor ero ab initio mundi omnium mirabilium tuorum. *Et meditabor in omnibus operibus tuis*, considerans videlicet opera justitiae, et misericordiae, opera potentiae et sapientiae; opera naturae et gratiae: *et in adinventionibus tuis exercebor*, mente revolvens, et admirans arcana consilia, et admirabiles rationes curandi genus humanum, quas sapientia tua adinvenit. Illud, *quia*,non est semper particula causalis, sed ex hebraica phrasi interdum redundat, interdum exponenda est juxta exigentiam loci,hoc loco videtur exponenda per, *sed*, vel, *etiam*, vel, *quin etiam*. Illud *adinventionibus*, hebraice, עלילות *halloth*, significat *opera*, et *cogitationes*; sed opera egregia et cogitationes prudentes, hoc loco, ut etiam Isaiae 12. et 2. Paralip. 16. accipitur pro adinventionibus sapienter, et subtiliter excogitatis ab ipso Deo, quae numquam venissent hominibus in mentem, nisi eas opere completas vidissent: talis adinventio fuit incarnatio verbi, passio Christi, mysterium Eucharistiae et similia.

13. *Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.*

Incipit laudare opera Domini mirabilia, in quibus cogitandis exerceri solebat: ac primum generatim dicit opera Domini esse sancta,magna et mirabilia, idest, facta sancte, potenter et sapienter, sicut ipse sanctus, omnipotens et sapientissimus est. *Deus*, inquit, *in sancto via tua*, idest, actio tua, sive operatio tua, per quam ad nos quodammodo exis, in sanctitate efficitur; nihil enim agis, quod non rectum, et justum sit. In hebraeo est, קדש *ckodes*, quod proprie sanctitatem significat: proinde exponendum est, *in sanctitate*, quod nos legimus, *in sancto*. *Quis Deus magnus sicut Deus noster*? idest, non solum Deus noster sanctus est, et sancta via ejus: sed etiam magnus, et magna opera ejus. *Tu es Deus, qui facis mirabilia*, idest, non modo sancta et magna; sed etiam mirabilia sunt opera tua ob sapientiae profunditatem, quae in ipsis cernitur. S. Augustinus legit,qui facis mirabilia solus. Sed nostri codices hebraici, graeci et latini non habent hanc vocem, *solus*. Verissimum tamen est,Deum solum mirabilia facere,quia ipse solus non eget auxilio aliorum,et omnes alii, qui mirabilia faciunt, ut Apostoli, et Prophetae et alii sancti viri dono miraculorum praediti numquam faciunt mirabilia soli, quia sine Deo nihil facere possunt. Illud, *in sancto via tua*, potest etiam congruere cum textu hebraico ad litteram, si mutentur puncta,et legamus קדוש *ckados*,non קדש *ckodes*. Et hac lectione posita secundum Augustinum, sanctus est Christus, et via Dei dicitur esse in sancto, quia per Christum imus ad Deum, et Deus per Christum venit ad nos: secundum Hieronymum via est Christus, et Christus in sancto habitat, quia *in malevolam animam non introibit sapientia*, ut dicitur Sapientiae 1. Proinde sanctus sit, qui Christum in se habitantem habere desiderat.

14. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, et Joseph.*

Descendit ad particulare opus Dei magnum, et mirabile, videlicet ad liberationem populi sui de Aegypto. *Notam*,inquit, *fecisti in populis virtutem tuam*, idest, potentiam tuam manifestasti populis Aegyptiorum, atque aliarum gentium, quae audierunt plagas Aegypti. *Redemisti in brachio tuo populum tuum*, quando per multa signa, et prodigia liberasti populum tuum, qui miseram servitutem serviebat in Aegypto. *Liberasti autem in brachio tuo*, idest, propria tua potentia, et fortitudine quia non eges aliorum auxilio. *Filios Jacob, et Joseph*, idest, liberasti populum tuum, qui constat ex filiis Jacob,et Joseph.Nominatur autem Joseph cum ipso Jacob patre suo: quia populus Israel constabat ex tredecim tribubus, quarum undecim de-

http://www.obrascatolicas.com

scendebant ab undecim filiis Jacob, duae autem a filiis Joseph, Ephraim videlicet, et Manasse. Spiritualiter *notam fecit Deus virtutem*, idest, potentiam suam in populis omnium gentium, quia redemit ex omnibus gentibus populum suum a tyrannide Diaboli, *in brachio suo*, quod est Christus. De quo dicitur Isai. 53. *Brachium Domini cui revelatum est?* Sunt autem in populo Dei filii Jacob, et filii Joseph, idest, ut sanctus Augustinus exponit, Judaei, et gentiles ad fidem conversi. Per filios enim Jacob intelliguntur carnales Israelitae; per filios Joseph, ii qui in Christo renati sunt. Joseph enim invidia fratrum in Aegypto venditus, ibique primum humiliatus, deinde exaltatus Christum significat, qui invidia Judaeorum extra Synagogam ejectus, venditus et humiliatus, deinde per resurrectionem, et Ascensionem ita exaltatus est, ut impletum sit, quod in psal. 71. dicitur, *adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

15. *Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.*

Describit scissionem maris rubri, quae facta est quando Deus liberavit populum suum a servitute Pharaonis. Describit autem more poetico, tribuens aquis et sensum et tremorem, quasi ob timorem praesentiae Dei aquae recesserint: quo modo etiam dicitur in psal. 113. *Mare vidit, et fugit. Viderunt* inquit, *te aquae Deus, viderunt te aquae, et timuerunt*, idest, aquae maris rubri ita siccatae sunt jubente te, ac si majestatem tuam vidissent, et ob timorem et reverentiam fugissent. *Et turbatae sunt abyssi*, idest non solum in superficie, sed etiam in imo profundo existentes aquae, quasi a praesentia tua conturbatae recesserunt. Abyssus enim nihil est aliud nisi altitudo, sive profunditas aquarum. Spiritualiter aquae populos significant, juxta illud Apocal. 17. *Aquae multae sunt populi multi.* Aquae igitur, idest, populi gentium viderunt Deum quando liberavit Dominus populum suum, *quia vidit omnis caro salutare Dei*, Isa. 40. Viderunt autem per fidem, non per speciem, *et timuerunt*, agnoscentes peccata sua et judicia Dei; nam per Evangelium (ut dicit Apostolus ad Rom. 1.) sicut revelatur gratia Dei super poenitentes, et credentes, *ita revelatur ira Dei super omnem impietatem, et iniquitatem.* Et praecipue turbatae sunt abyssi, idest, majores et altiores in gentibus, quia per fidem agnoverunt judicia Dei esse abyssum multam, ut est in psalmo 33. et potentes potenter tormenta passuros, ut legitur Sap. 6. Unde in Actis Apostolorum cap. 24. Praedicante Paulo de justitia, et castitate et judicio futuro, *Praeses Romanorum Felix tremefactus est.*

16. *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.*
17. *Etenim sagittae tuae transeunt, vox tonitrui tui in rota.*

Descripserat mirabile opus Dei in scissione maris rubri; nunc describit reversionem maris, et tempestatem ad obruendos Aegyptios: quod fuit etiam opus mirabile ejusdem Dei. *Multitudo*, inquit, *sonitus aquarum*, idest, maximus sonitus et fremitus aquarum postea successit, cum jubente te Deo, aquae maris quae steterant instar murorum dum transiret populus Dei, magno impetu cadentes submerserunt, et suffocaverunt Aegyptios, quando etiam *sagittae tuae* coelestes id est, fulmina discurrentia *transibant super eos, et vox tonitrui tui super rotas curruum Pharaonis*, eas subvertebat et in profundum dejiciebat. Habetur haec historia in Exod. cap. 14. Quod attinet ad verba, illud, *multitudo sonitus aquarum*, ex hebraeo vertit sanctus Hieronymus, *Excusserunt aquas nubila:* et hunc sensum manifeste recipiunt hebraica verba. Possunt tamen tres illae voces hebraicae, זרמו מים עבות *zoremu maim havoth*, esse nomina distincta et in casu recto, si solum mutetur unum punctum primae vocis et pro, זרמו *zoremu*, legatur, זרמו *zoremo*, quae sic commode reddentur, *Inundatio ejus aquae, nubila*, et sic videntur legisse septuaginta Interpretes, et accepisse, per inundationem Dei, multitudinem aquarum obruentium Aegyptios, per aquas et nubila accepisse causas illius inundationis, quae fuerunt aquae maris revertentes in locum suum, et nubila desuper fundentia aliam aquam, ut facilius involverentur in aquis Aegypti. Haec autem omnia significarunt breviter per illa verba, *multitudo sonitus aquarum*, nam et aquae maris redeuntes et aquae descendentes e nubibus magnum sine dubio sonitum edebant. Illud, *vox tonitrui tui in rota*, varie admodum exponitur. Sanctus Hieronymus ad litteram dicit, vocem tonitrui in rota, esse sonitum tonitruorum in orbe terrarum, et hoc dicit confirmari ex verbis sequentibus, *Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae.* Alii volunt dici, *vocem tonitrui in rota*, idest, in aethere, sive in coelo, quod rotundum est. Posset etiam dici, *vox tonitrui in rota*, idest, in nube, quae est quasi rota, sive currus Dei, ut ostendimus in explicatione psalmi 17. Sed communior expositio est, quam supra posuimus, ut per, *rota*, intelligantur rotae curruum Pharaonis; quam expositionem tradit Theodoretus et eam plurimi alii sequuntur. Spiritualiter sonitus aquarum, est confessio populorum, vox nubium est vox praedicatorum Evangelii, fulmina, et tonitrua, sunt probitas vitae et miracula, quibus veritas fidei confirmatur. Sed illud, *vox tonitrui in rota*, pulchre admodum exponitur a sancto Hieronymo, qui notat vocem tonitrui Evangelici tunc valde commovere populos, quando est in rota, idest, in homine plane spirituali, et contemptore rerum terrenarum, qui terram vix tangat, et transeat, quomodo currens rota in puncto terram contingit, et mox deserit, et ad altiora defertur.

18. *Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae, commota est, et contremuit terra.*

Addit Propheta animadversionem Dei in Pharaonem, non solum innotuisse Judaeis praesentibus, sed etiam instar coruscationis coelestis notam factam esse orbi terrarum, et inde commotionem, et tremorem gentibus longe positis attulisse quod verum esse testatur liber Josue cap. 2. ubi Raab dicit, *audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum, et pertimuimus*, etc. *Illuxerunt*, inquit, *coruscationes tuae orbi terrae*, idest haec mirabilia magna, hae coruscationes, haec signa, haec miracula *illuxerunt*, non solis Aegyptiis, et Judaeis, sed *orbi terrarum*, longe lateque nota facta sunt, et ideo *commota est, et contremuit terra*, idest, habitantes in terra perturbati sunt et populum Israeliticum formidare coeperunt. Spiritualiter significatur his verbis, quod in psalmo 18. clarius habetur de praedicationibus Evangelicis, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.*

19. *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.*

Hic aperte describitur transitus filiorum Israel duce Deo per novam, et inusitatam viam, id est, per medium mare sicco vestigio. *In mari via tua*, idest, in mari novo et insolito modo invenisti populo tuo viam, *et semitae tuae in aquis multis*, idest, et semitam fecisti eidem populo inter aquas multas. *Et vestigia tua non cognoscentur*' idest, sic admirabili ratione duxisti populum tuum per medium maris, ut nullus deinceps vestigia tua et eamdem viam invenire potuerit. Spiritualiter significatur his verbis, opera Domini non solum esse admirabilia, sed etiam investigabilia, quomodo via in mari investigabilis est, quia nulla in ea vestigia relinquuntur.

20. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, et Aaron.*

Hic fuit finis omnium operum mirabilium Dei in Aegypto, et in mari rubro, ut populum suum inde liberaret, et in terram promissionis introduceret: quod fecit per Mosem et Aaron primos pastores Synagogae. *Deduxisti*, inquit, *sicut oves populum tuum*, idest, magna facilitate, magna charitate, indefessa providentia deduxisti per desertum; et usque ad promissionis terram, quasi ad pascua uberrima populum tuum; *in manu Moysi et Aaron* idest, sub potestate et regimine duorum optimorum principum. Spiritualiter admonemur eos, qui ad terram promissionis, idest, coelestem patriam perventuri sunt, deducendos esse sicut oves in manu Moysi, et Aaron: ita ut sint miles, et patientes sicut oves in medio luporum: nam ut dicitur Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et Luc. 25. *et in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Item, ut sinant se regi a magistratu Ecclesiastico, et civili: Deus enim etiamsi paucos quosdam per se doceat, et regat; tamen ordinarie per Vicarios suos regit, et docet et filios obedientiae vult esse electos suos. Nominatur autem hoc loco Moses ante Aaronem, non quod princeps politicus tantum esset Moses, et princeps Ecclesiasticus Aaron: sed quia Moses primarius erat princeps Ecclesiasticus et politicus, Aaron autem solum erat princeps Ecclesiasticus, et a Mose, ut majore consecratus et ordinatus. Quod enim Moses Sacerdos esset, perspicuum est ex psalm. 98. *Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus*, et ex plurimis actionibus Sacerdotalibus, quas exercuit consecrans Sacerdotes, et tabernaculum offerens sacrificia, imo instituens ritus sacrificandi, et omnes caeremonias divini cultus.

PSALMUS LXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus Asaph.

Hic titulus admonet psalmum non esse ita facilem et apertum, ut in superficie apparet. Videtur enim psalmus totus historicus esse, atque ad hoc solum compositus, ut populus agnoscens beneficia Dei, et ingratitudinem veterum Israelitarum, qui propterea graviter puniti sunt, discat sequi potius legem Dei, quam exempla majorum. Caeterum non hoc solum Davidi propositum est in hoc psalmo; sed etiam adumbrare regnum Christi, qui ex tribu Juda, et familia David existens, finem dedit veteri testamento, et novum longe excellentius et oelicius inchoavit. Id enim significat David in extremo psalmo, ubi posteaquam varia peccata, et varia flagella populi enarravit, tandem concludit, Deum elegisse Judam, non Ephraim; et ex Juda ipsum Davidem, qui deinceps magna tranquillitate populum Dei regeret, et gubernaret. Hoc igitur admonet titulus, Intellectus Asaph, ut nimirum Asaph, cui psalmus cantandus dabatur, intelligeret, et alios intelligere faceret mysterium futuri Messiae; et hoc indicant nomina parabolarum et propositionum, quae habentur in secundo versiculo psalmi.

http://www.obrascatolicas.com

EXPLICATIO PSALMI LXXVII.

1. *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

David hortatorus populum longissimo sermone, captat initio attentionem, ostendens, se utilia et magna loquuturum. *Attendite*, inquit, *legem meam*, idest, praeceptiones meas, quae vos dirigere poterunt ad veram foelicitatem instar legum optimarum, et sapientissimarum. Atque idipsum repetens et declarans addit, *inclinate aurem vestram in verba oris mei*: quod dixerat, *Attendite*, nunc dicit, *inclinate aurem vestram*; et quod dixerat, *legem meam*, nunc dicit, *verba oris mei*: proinde per legem non intelligit legem Mosis, quae proprie dicitur lex; sed verba sua, quibus populum instruere et exhortari volebat, quomodo accepit nomen legis Dominus cum ait Joan. 15. *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Porro inclinare aurem, significat obedienter et humiliter audire, quando dicitur populo, *inclina aurem tuam*; sed cum dicitur Deo, *inclina aurem tuam*, significat clementer, et misericorditer audire. Sanctus Augustinus hunc primum versiculum tribuit Deo, non Davidi, quia Deus legem suam dedit populo non David. Sed ut diximus, hic non agitur de lege proprie dicta, sed de sermone hortatorio. Sanctus Hieronymus, hunc eumdem versiculum vult esse verba Christi, non Davidis: quia sanctus Matthaeus cap. 13. scribit. Christum loqui solitum in parabolis, *ut adimpleretur quod scriptum est, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi*: quae verba habentur in secundo versiculo hujus psalmi: sed Sanctus Matthaeus allegavit hunc locum, non ut ostenderet, verba hujus psalmi esse verba Christi, non Davidis, sed ut significaret, Davidem loquentem in parabolis figuram fuisse Christi, qui in parabolis loquuturus erat: quemadmodum cum Joannes dicit cap. 19. *facta sunt haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo*, non vult negare de agno paschali dicta esse verba illa Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*; sed indicare vult agnum paschalem figuram Christi fuisse, et ideo Deo providente factum esse, ut non frangerentur crura Christi crucifixi, quando confracta sunt crura duorum latronum, qui cum ipso crucifixi fuerant. Quod autem nos diximus, secuti Theodoretum ex veteribus, et multos recentiores, verba cujus versiculi, ut etiam sequentium, esse Davidis colligitur ex tertio versiculo: ubi Propheta continuans sermonem suum addit, *Quanta audivimus, et cognovimus ea, et Patres nostri narraverunt nobis*, quae certe neque Deo, neque Christo conveniunt.

2. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.*

Haec est ratio, cur David petat attente, et humiliter audiri verba sua, quia videlicet verba hujus psalmi continent res obscuras et secretas, quae non possunt intelligi, nisi attente, et humiliter audiantur. Per parabolas, intelliguntur hoc loco similitudines, sive proverbia, quae brevia, et metaphorica esse solent. Per propositiones, intelliguntur aenigmata, quae obscurissima sunt: id enim significat vox hebraica, חידות *chidoth*, et graeca προβλήματα. ut perspicuum est ex cap. 14. Judicum, ubi aenigma illud Sampsonis. *de comedente exivit cibus. et de forti egressa est dulcedo*: vocatur hebraice חידה *chidah*, et graece problema. Multa sunt autem in hoc psalmo proverbia et aenigmata, ut suis locis videbimus: sed illud potissimum aenigma hic significari videtur, quo per regnum Davidis figuratur regnum Christi, et per montem Sion adumbratur Ecclesia. Per illud, *ab initio*, si corticem psalmi respiciamus, videtur intelligi tempus liberationis populi a captivitate Aegyptiaca, quo tempore coepit populus Israel sub Mose formam habere reipublicae, et regi legibus et judiciis. Sic enim habetur versu sexto, *et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel*: sed sanctus Matthaeus cap. 13. citans hunc locum, declarat hoc initium intelligendum esse de initio mundi, dicens, *ut adimpleretur quod scriptum est: Aperiam os meum in parabolis, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Itaque sensus est, proferam sententias, quae fuerunt absconditae et quasi aenigmata a principio mundi: quamvis enim mysteria Christi omni tempore praedicta, et adumbrata fuerint, tamen velata erant, et paucissimis aperte revelata. De qua re sic loquitur Apost. ad Ephes. 3. *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Proprie autem s. Matthaeus dixit, *eructabo*, nam vox hebraica hoc loco posita, אביעה *abihah*. non significat loqui quocumque modo, sed ebullire, profundere, ex imo corde proferre: quod per vocem eructare satis aperte explicatur, ructus enim ex plenitudine oritur.

3. *Quanta audivimus. et cognovimus ea: et Patres nostri narraverunt nobis.*
4. *Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.*
5. *Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quae fecit.*

Narraturus historiam rerum gestarum, sub quibus tegebantur mysteria abscondita a costitutione mundi; docet eam historiam accepisse se a patribus, qui et ipsi a majoribus suis acceperunt. *Loquar*, inquit, *propositiones ab initio quanta* videlicet *audivimus, et cognovimus*, quoniam *Patres nostri narraverunt nobis*, tum scriptis literis tum ore proprio: non enim *occulta* esse voluerunt *ea filiis suis*, quos post se *in generatione altera relinquebant*: qui quidem patres narrantes erant laudes Domini, et virtutes ejus, idest, potentiam ejus admirabilem, et mirabilia opera, quae fecit: ob quae dignissimus est omni laude. Illud, *quanta*, in hebraeo est, אשר *ascher*, *quae*, quare in graeco, et latino codice ponitur. *quanta*. pro, *quantacumque*, vel *quotcumque*. Illud, *ea*, redundat apud latinos, sed usitate ponitur apud hebraeos. Illud, *et Patres nostri*, videtur positum, pro, Nam patres nostri. Siquidem. *et*, saepissime usurpatur apud hebraeos, pro, *enim*, ut alias admonuimus. Illud, *non sunt occultata*, non repugnat verbis s. Matthaei, *Eructabo abscondita*: nam res gestae non sunt occultatae a filiis narrantium eas: sed mystica significatio abscondita erat ab eis. Denique illud, *narrantes*, conjungitur cum nomine, *Patres* ut sanctus Augustinus notavit: ac per hoc verba interposita deberent claudi per parenthesim hoc modo: *Patres nostri narraverunt nobis (non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera) narrantes laudes Domini*, etc. Posset etiam illud participium, *narrantes*, conjungi cum pronomine subintellecto, hoc modo. Nos igitur narrantes erimus laudes Domini et virtutes ejus, etc.

6. *Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel.*
7. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.*
8. *Filii qui nascentur et exurgent, et narrabunt filiis suis.*

Hic incipit narrare res gestas a Deo, quas a patribus accepit: ac primo loco ponit, quod Deus dederit populo Israelitico legem, et mandata per Mosem: et jusserit eam legem, et mandata tradi filiis a parentibus et sic propagari ad posteritatem. Illud et, potuisset omitti, ut sanctus Hieronymus omisit: nam habetur quidem in hebraeo, sed nihil conjungit. Additur enim ornatus gratia non solum in principio periodorum; sed etiam in principio librorum ut initio Levitici, Numeri, Josue, Ruth, Ezechielis, et aliorum. Illud, *suscitavit*, sumptum est ad verbum ex hebraeo, ויקם *vaiekem*, sed potuisset etiam verti, *stare fecit*, sive, *constituit*, sive *posuit*. Vox, *testimonium*, nihil aliud hoc loco nisi legem significat. Vocatur autem lex Dei testimonium, quia testificatur hominibus quae sit voluntas Dei, ut fusius diximus in explicatione psalmi decimi octavi, versiculo octavo. Itaque idem omnino est, *suscitavit testimonium in Jacob*, cum eo quod sequitur, *Legem posuit in Israel*; idest, dedit Deus legem suam filiis Jacob, qui et Israel dictus est. Illud, *quanta mandavit*, in hebraeo est, אשר צוה *ascher tsivva*, idest, *quae mandavit*: proinde vox, *quanta*, accipienda est pro quantacumque; sive quotcumque: ex quo intelligimus nomine legis significari hoc loco non solum legem Decalogi, sed omnia mandata moralia, caeremonialia et judicialia, quae habentur in quinque libris Mosis.

9. *Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant.*
10. *Ne fiant sicut Patres eorum, generatio prava et exasperans.*
11. *Generatio, quae, non dixerit cor suum: et non est creditus cum Deo spiritus ejus.*

Explicat Propheta, cur Deus legem dederit populo suo, et mandaverit, ut parentes docerent filios suos, et illi nepotes patrum suorum. Ratio enim fuit, ut filii Israel non sperarent in Diis falsis, et idolis gentium; *sed in Deo vero*, qui legem sanctam de coelo illis dederat non sine ingentibus prodigiis: nec ut numquam obliviscerentur mirabilium operum Dei, quae fecit in liberatione eorum de servitute Pharaonis. Praeterea, ut sollicite quaererent, quid vellet ab eis Deus, atque id opere implerent. Denique ut non imitarentur ingratitudinem, et infidelitatem majorum suorum, qui affecti maximis beneficiis a Deo per Mosem, ingratissimi fuerunt. Nam et in Aegypto cum essent, aegre adduci potuerunt, ut crederent Mosi: et egressi de Aegypto. saepissime defecerunt ab obedientia Mosis, et Dei, assidue murmurantes, et (quod gravius est) vitulos aureos adorantes. Illud, *generatio, quae non dixerit cor suum*, significat populum hebraeorum non habuisse cor directum firmiter ad Deum, sed ad varia auxilia respexisse. Illud autem, *et non est creditus cum Deo spiritus ejus*, clarius est in hebraeo codice: אתאל רוחו ולא נאמנה *velo neemna eth el rucho*: sic enim verti potest ad verbum, *et non fuit fidelis ad Deum spiritus ejus*. Vox autem latina accipienda est in significatione non passiva, sed activa, ac si esset deponentis conjugationis, *non est creditus cum Deo*. idest, non credidit Deo spiritus ejus; sic enim exponit s. August. vel accipiendum est verbum, *creditus*, pro, *fidelis*, ut accipiunt verbum graecum ἐπιστώθη Theodoretus, et Euthymius. Itaque sensus erit, non fuit fidelis spiritus populi cum Deo, quia saepe defecit a fide, et obedientia.

12. *Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum conversi sunt in die belli.*

Plerique notari putant in hoc versiculo pugnam aliquam infoelicem hebraeorum de tribu Ephraim: sed neque facile est invenire in divinis litteris, quae illa pugna fuerit: neque credibile est, Prophetam quasi ex abrupto inserere voluisse hoc loco particulare aliquod factum, cum generatim describit vitia totius populi de Aegypto mirabiliter educti, ac de servitute liberati. Igitur probabilius est, per quamdam similitudinem explicari, quod dictum est, populum hebraeum non fuisse constantem in fide, et obedientia Dei; ut sensus sit, *Filii Ephrem*, idest, Israelitae similes fuerunt militibus incipientibus praeliari cum hostibus, et mox dimisso praelio terga vertentibus: sic enim Israelitae in deserto non semel promiserunt, se Deo parituros, et facturos quaecumque ille mandasset: et statim mutata voluntate cogitabant de reditu in Aegyptum, et contra Deum, et Mosem murmurabant. Nominat autem David filios Ephraim, idest tribum Ephraim et per illam intelligit totum coetum Israelitarum, quia tribus Ephraim erat numerosissima, et potentissima post tribum Juda: et per hoc aemula tribui Juda; et in Scripturis ut plurimum reprehenditur tribus Ephraim, et laudatur tribus Juda; et ideo mala universi populi describuntur potius sub nomine Ephraim, quam sub nomine aliarum tribuum, et in

http://www.obrascatolicas.com

fine hujus psalmi dicit, *tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Juda.* Vide Oseam Prophetam.

13. *Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.*
14. *Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quae ostendit eis.*
15. *Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.*

Explicat, quod metaphorice dixerat, filios Ephraim, idest, Israelitas, conversos fuisse retrorsum; nam cum professi essent se obedituros Deo, non servaverunt pactum, nec legem Dei impleverunt, et cito obliti sunt beneficiorum Dei, et mirabilium operum, quae Deus fecerat in Aegypto pro ipsis, quaeque a patribus suis narrari audierant. Illud, *non custodierunt testamentum Dei*, significat, non steterunt promissis, sive non servaverunt pactum: nam in haebraeo est vox, ברית *berith*, quae significat *pactum*: sed septuaginta interpretes verterunt, *testamentum*, ut alias saepe diximus. Illud, *in campo Taneos*, significat in planitie Aegypti, cujus regia dicitur Tanais. Mirabilia enim, quae fecit Moses, coram Pharaone, non facta sunt in loco obscuro, sed in loco celeberrimo et apertissimo, in agro videlicet urbis regiae.

16. *Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre.*
17. *Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.*
18. *Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa.*
19. *Et eduxit aquam de petra et deduxit tamquam flumina aquas.*
20. *Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.*

Posteaquam attigerat David mirabilia facta in Aegypto coram Pharaone: describit alia facta in egressu, idest, divisionem maris rubri, ut transiret populus sicco vestigio per medium maris: et alia patrata post egressum de Aegypto in solitudine, videlicet columnam nubis, quae praeeundo ostendebat iter per diem, et columnam ignis, quae ostendebat iter per noctem: ac postea sitienti populo eductas aquas de petra in maxima copia. Addit vero David, post haec omnia mirabilia, populum incredulum iterum provocasse Deum ad iracundiam, in deserto inaquoso ob aquae penuriam. Quae iterum educta est de petra, ut habetur Num. 20. Nam illa prior eductio contigerat anno superiore, ut habetur Exodi 17. Illud, *statuit aquas quasi in utre*, significat Deum ea facilitate fecisse ut mare consisteret, et non operiret hebraeos, qui per fundum maris iter faciebant, qua facilitate potest homo continere modicam aquam inclusam in utre, ut non defluat in terram. Illud *in nube diei*, potuisset clarius verti, *in nube per diem*: nam in hebraeo non habet formam genitivi. In graeco est quidem ἡμέρας, in genitivo, sed accipitur pro ablativo, quo graeci carent, Illud, *veluti in abysso multa*, significat ex petra fluxisse tantam copiam aquarum, ac si petra conversa fuisset in lacum profundissimum, vel in magnum, et profundum flumen, ut dicitur in sequenti versiculo: abyssus enim est profunditas magna. Denique illud, *et apposuerunt adhuc peccare*, potest referri ad secundam eductionem aquae ex petra; ut sensus sit, olim peccaverunt murmurantes ob inopiam aquae, et Deus dedit illis aquam de petra, Exod. 17. et obliti illius miraculi apposuerunt secundo murmurare, et de potentia Dei dubitare, ob similem aquae penuriam, ut habetur Num. 20. ubi rursum dedit eis Deus aquam de petra. Potest etiam, ut alii volunt, conjungi cum sequenti versiculo, ut commemoretur peccatum murmurationis de inopia panis, non de penuria aquae. Sed prior expositio mihi magis placet, tum propter vocabulum, *inaquoso*, quod denotat carentiam aquae; tum ne desit in hoc psalmo memoria peccati illius celeberrimi, quo populus bis murmuravit contra Deum, et Mosem ob aquae penuriam. Et secundum hanc expositionem, illa verba, *et eduxit aquam de petra*, continent repetitionem sententiae versiculi superioris non autem narrationem secundae eductionis aquae ex petra.

21. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.*
22. *Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?*
23. *Quoniam percussit petram et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt.*
24. *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?*
25. *Ideo audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel.*
26. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.*
27. *Et mandavit nubibus desuper, et januas coeli aperuit.*
28. *Et pluit illis manna ad manducandum, et panem coeli dedit eis.*
29. *Panem angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.*
30. *Transtulit austrum de coelo, et induxit in virtute sua africum.*
31. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.*
32. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.*
33. *Et manducaverunt, et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo.*

Conjungit Propheta beneficium panis coelestis cum beneficio aquae productae ex petra: quoniam haec erat figura insignis passionis Christi, et sacrosanctae Eucharistiae; ut explicat Dominus ipse Joan. 6. et Apostolus 1. Corinth. 10. Aqua enim ex petra, est sapientia ex stultitia. Non enim minus contraria est sapientia stultitiae, quam aqua res mollis et fluida, petrae arenti, et durae. Sapientia ex stultitia est mysterium crucifixi. Christus enim crucifixus, idest, petra percussa, gentibus stultitia erat et Judaeis scandalum: et tamen hominibus fide illustratis producit altissimam sapientiam. *Et quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*, ut scribit Paulus 1. Cor. 1. panis autem de coelo verus, non erat manna pluens ex coelo aereo; sed caro Christi, qui de coelo coelorum descendit et dat vitam mundo. Manna tamen hunc panem verum adumbrabat; et hoc significavit Propheta, cum initio psalmi se parabolas, et aenigmata cantaturum pollicebatur: sed veniamus ad expositionem verborum. Prophetа posteaquam commemoraverat beneficium aquae de petra eductae, et infidelitatem populi, transit ad beneficia panis et carnis et ad novam populi incredulitatem explicandam. Sciendum autem est, bis a Deo datum fuisse hebraeis cibum carnium; semel una cum manna, Exodi 16. et rursum carnis solius, Num. 11. et manna cum carnibus datum est, antequam aquae producerentur ex petra: sed cibus carnis solius datus est post eductionem aquae ex petra. Sed David conjungit utrumque beneficium et utramque murmurationem simul: et ideo nascitur in verbis aliqua obscuritas, quae facile tolli potest. Ait igitur, *et tentaverunt Deum in cordibus suis*, idest experiri voluerunt, an Deus vere esset omnipotens, et curam gereret populi sui et ideo *petierunt escas animabus suis*, quas videlicet anima ipsorum desiderabat, ut panes, et carnes: sic enim narrat Moses Exodi 16. et Num. 11. *Et male loquuti sunt de Deo*, dubitantes videlicet an posset in deserto pascere populum suum, sicut potare potuerat. Haec pertinent ad secundam murmurationem. Nam prior praecessit priorem eductionem aquae ex petra, ut patet ex libro Exodi cap. 16. et 17. *Ideo audivit Dominus, et distulit*, idest, audivit murmurationem ex incredulitate procedentem: et distulit, hoc est, longe fecit a se populum suum, amovit a benevolentia sua, quin potius convertit benevolentiam in iram, et indignationem et immisit ignem in castra, et multos occidit, ut dicitur Num 11. Et tamen voluit convincere populum infidelem, et demonstrare potentiam suam; et ideo *mandavit nubibus desuper et januas coeli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem coeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Haec pertinent ad priorem murmurationem: manna enim datum est ante productionem aquae ex petra. Porro manna dicitur panis de coelo, quia ex coelo aereo pluebat; et panis angelorum, quia opera et ministerio angelorum fiebat: vocabulum autem, manna, dictum est ab admiratione populi, qui videns terram cooperiam novo illo cibo dixit, מן הוא *Man hu*, quod significat, *quid hoc?* Inde positum est illi cibo nomen, מן *man*, et graece Μάννα; erat autem manna simile pruinae, Exodi 16. et sicut semen coriandri, quod in mortario contusum, et coctum igni, saporem habebat panis oleati, Num. 11. Deinde *Transtulit Deus austrum de coelo, et induxit in virtute sua africum, et pluit super eos sicut pulverem carnes*, idest, effecit, ut ventus vehementissimus deferret coturnices in desertum, ubi Judaei morabantur in tanta copia, quanta est copia pulveris in littore maris. In hebraeo habetur, *Transtulit ventum orientalem*: ex quo intelligimus per austrum, intelligendum esse austrum orientalem, qui dicitur eurus: sed quia auster orientalis non est contrarius africo, sive lybico, ut vocatur in textu graeco, sed potius ei vicinus, et conjunctus; ideo Theodoretus et Euthymius et alii per vocem, *transtulit*, non intelligunt, *amovit*, sive *cessare fecit*; sed *excitavit*, et *stare jussit*, ac si dictum esset, transtulit de coelesti thesauro, et emisit in terram, ut etiam exponit sanctus Augustinus, ut simul cum Africo adduceret coturnices in desertum. Itaque non unus, sed duo venti ex duabus vicinis regionibus adduxerunt copiam maximam coturnicum. Non tamen est improbabilis aliorum sententia, quod ventus australis orientalis, idest, eurus remotus sit, et prohibitus stare; et solus africus, sive Lybicus impulerit coturnices in castra hebraeorum: nam Num. 11. dicitur ventus a Domino adduxisse coturnices trans mare ad castra hebraeorum. Ubi unius venti solum mentio fit, et venti, qui per mare lybicum transiret, ut adduceret coturnices ad desertum. Ejusmodi autem ventus, non est eurus, sed lybicus. Adde quod sanctus Hieronymus vertit, *abstulit Eurum de coelo et induxit in fortitudine sua Africum.* Denique verba graecae et latinae editionis facile explicantur in hanc sententiam et duriuscule in priorem.

34. *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum: et ira Dei ascendit super eos.*
35. *Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit.*
36. *In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus.*
37. *Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.*
38. *Cum occideret eos quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.*
39. *Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est.*
40. *Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei.*
41. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.*

Demonstrat in his versiculis Propheta, Deum magno miraculo satisfecisse desiderio hebraeorum, ut ostenderet potentiam suam: sed non dimisisse impunitam infidelitatem, et contumaciam eorum: hebraeos autem tam ob miraculum, tum ob flagellum conversos fuisse ad obedientiam, et fidem, sed non stabili corde, neque perseveranter, ut par erat. *Adhuc*, inquit, *escae erant in ore eorum*, idest, nondum consumpserant coturnices, *et ira Dei excitata est adversus eos*, et occidit ex eis partem maximam, ita ut appellaretur locus ille sepulchra concupiscentiae, ut dicitur Num. 11. Quomodo eos Deus occiderit, Scriptura non docet; sed credibile est morbo aliquo ex nimia aviditate, et saturitate comedentium exorto. Occidit autem Deus praecipue pingues, et electos, id est,

http://www.obrascatolicas.com

magis deditos voluptatibus, et juventute, ac viribus robustiores: quos electos dicit impeditos:quia morbus dejecit eos, et impedivit, ne a morte fugere possent,quamvis alioqui robustissimi essent. Hoc autem illis accidit, quia peccaverunt in Deum infidelitate sua, non credentes mirabilia illa a Dei omnipotentia fieri, sed casu accidisse ut coturnices ad eos deferrentur. Ideo morte puniti sunt tanta velocitate, ut defecerint dies eorum in vanitate, idest, velut fumus, aut umbra, quae celerrime transit, et vestigium nullum relinquit. Ipsi autem cum flagellarentur a Deo, et morte afficerentur redibant ad cor et quaerebant adjutorium Dei, et diluculo, idest, continuo, statim, cum primum flagellum sentire inciperent, veniebant supplices ad misericordiam Domini implorandam: et tunc ad memoriam revocabant beneficia Dei priora:sed non erat stabilis,et vera conversio eorum,sed metu extorta et ficta: nam ore quidem amorem,et devotionem erga Deum profitebantur, sed mentiebantur, quia *cor eorum non erat vere directum ad Deum, neque fideles permanebant in servando promissione, et pacto cum Deo inito.* Utinam non imitaremur et nos Christiani hanc hebraeorum inconstantiam: quam multi enim sunt ex nobis, qui in periculo vitae constituti promittunt et vovent Deo, et sanctis ejus morum emendationem; et periculo evitato redeunt ad pristinam vitiorum consuetudinem! sed Deus non irridetur et qui tales sunt, non effugient judicium Dei.

42. *Ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum et non disperdet eos.*
43. *Et abundavit ut averteret iram suam et non accendit omnem iram suam.*
44. *Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens.*
45. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt eum in inaquoso?*
46. *Et conversi sunt,et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.*
47. *Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis.*

Confert nunc propheta bonitatem Dei cum nequitia hominum, ac dicit Deum quidem flagellasse populum suum, sed non esse oblitum misericordiae naturae suae: et ideo non tam severe in illos animadvertisse, ut eorum peccata merebantur. Nam propitius erit peccatis eorum, et non disperdet omnino populum suum.Ipsi quidem digni erant ultimo exterminio, sed misericordia Dei fecit, ut aliqui remanerent: ut re vera ex numero eorum, qui exierant ex Aegypto duo remanserunt Josue,et Caleb,qui figuram gerebant electorum,qui salvi fient: nam ut Apostolus loquitur ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quae praescivit: sed reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.* Itaque non repugnat hic versiculus dispersioni hebraeorum, quam videmus: nam impleta est haec promissio in Apostolis,qui ex hebraeis erant, et non solum dispersi non sunt, sed collegerunt multitudinem magnam Deo in populum electum: de quo prophetavit Oseas cap. 1. et 2. et explicat Apostolus Petr. 1. Epist. cap. 2. *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Pergit propheta, ac dicit, *et abundavit, ut averteret iram suam*; idest abundanter et copiose avertit iram suam, quia multum remisit de poena, quam populi peccata merebantur, et hoc modo temperavit,sive avertit iram,quia *non accendit omnem iram suam*, ut juste facere potuisset. *Et recordatus est, quia caro sunt,spiritus vadens et non rediens;* accessit ad rationem misserendi natura hominis post peccatum primi hominis infirma et mortalis, obnoxia carnalibus concupiscentiis. Ipse enim novit figmentum nostrum, *quod caro sumus*, idest carnales, infirmi, ac debiles; *et quod spiritus sumus vadens et non rediens*, idest vitam habemus mortalem, quae continuo progreditur a pueritia ad juventutem, et non revertitur ad pueritiam: progreditur a juventute ad senectutem, et non revertitur ad juventutem,sed brevi compendio tendit ad mortem. Itaque similis est floribus, aliisque rebus caducis: non autem soli et lunae et stellis, quae in circulos suos revertuntur, et semper sunt eaedem, quia solidae sunt et aeternae. Non desunt qui velint, hoc loco per spiritum, intelligi animum, qui exit de corpore per mortem, et non revertitur vi sua ad corpus. Sed non videtur ad rem praesentem facere tractatio de resurrectione,ubi solum describitur infirmitas et brevitas humanae vitae. Proinde hoc loco per spiritum intelligendus est spiritus vitalis corporis nostri,sive corporalis vita, quae progrediendo consumitur et mutabilis, atque instabilis est. Quod autem sit talis vita hominis, probat propheta sequentibus versiculis. *Quoties*, inquit, *exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt eum in inaquoso?* instabilitate sua videlicet nunc promittendo fidem et obedientiam; nunc contra obloquendo et recalcitrando: nam conversi sunt a bono proposito et promissis, et tentaverunt Deum experiri volentes, an vere Deus omnipotens esset: et hoc modo *sanctum Israel*, idest, Deum exacerbaverunt. Vocatur autem Deus Israelis, *sanctus*, non solum a Davide, sed etiam ab Isaia in plurimis locis, quoniam solus Deus verus est proprie sanctus, idest, purus et inviolabilis: dii enim gentium immundi daemones sunt. Denique tanta fuit mutabilitas, et stultitia hebraeorum, quos Deus eduxit ex Aegypto, ut statim obliti sint signorum et prodigiorum maximorum, et plurimorum, quae manus Dei fecit, cum eos de servitute Aegyptiaca liberaret.

48. *Sicut posuit in Aegypto signa sua et prodigia sua in campo Taneos.*
49. *Et convertit in sanguine flumina eorum, et imbres eorum ne biberent.*
50. *Misit in eos coenomyiam, et comedit eos: et ranam, et disperdidit eos.*
51. *Et dedit aerugini fructus eorum, et labores eorum locustae.*
52. *Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina.*
53. *Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessiones eorum igni.*

54. *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per Angelos malos.*
55. *Viam fecit semitae irae suae: non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte concludit.*
56. *Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*
57. *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto.*
58. *Et eduxit eos in spe, et non timuerunt,et inimicos eorum operuit mare.*

Occasione versiculi quadragesimi septimi, ubi dixerat Propheta, non fuisse recordatos hebraeos mirabilium quae fecit Deus, cum educeret eos de Aegypto, describit his undecim versiculis signa et prodigia, quae fecit Deus adversus Pharaonem, donec tandem eum cum exercitu suo demersit in mare. Quae omnia narrantur in Exodo a capit. 7. ad 14.Porro David non meminit omnium signorum, sed praecipuorum; neque ordine illa enumerat,sed ut sibi visum est: sic igitur loquitur. *non sunt recordati* hebraei in deserto, *manus Domini*, idest, potentiae vel operis Domini, quo liberavit eos de manu Pharaonis tribulantis. *Sicut posuit in Aegypto signa*, idest non sunt recordati,quemadmodum statuerit Deus ingentia miracula, signa potentiae suae in Aegypto, ac potissimum in parte nobiliore Aegypti, ubi est Tanis regia Pharaonis. *Et convertit*, idest, quia convertit, *in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent.* De hoc signo scribit Moses Exod. cap. 7. Vocat propheta flumina Aegypti varios ramos Nili fluminis, qui per Aegyptum fluunt, per imbrem, non intelligitur pluvia, quae in Aegypto videri non solet, sed ponitur imber pro aqua, species videlicet pro genere. Quomodo Virgil. lib. 1. Aeneid. dixit:

Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Ubi per imbrem intelligit aquam marinam, quae in navim per rimas ingrediebatur. Itaque David more suo idipsum bis repetit, et quod in priore parte versiculi vocavit *flumina*, in posteriore vocat *imbrem. Misit in eos coenomyiam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos*: de hoc agitur Exodi cap. 8. Vulgaris quaestio hic est an sit legendum coenomyia, idest, musca communis, sive omne genus muscarum an cynomyia, idest musca canina. Vulgata editio correcta habet, coenomyam, cui favet sanctus Hieronymus tum in versione sua ex hebraeo, tum in epist. ad Suniam et Fretellam: graeci tamen libri communius habent coenomyam et sic legit, et exponit idem sanctus Hieronymus in commentario.Vox hebraea, ערב *harob*, mistionem significat, et satis convenit lectioni vulgatae correctae: sed res non est magni momenti. *Et dedit aerugini fructus eorum, et labores eorum locustae*, hoc signum habetur Exod. 10. ubi fit tantum mentio locustarum: proinde per aeruginem intelligendae sunt locustae, vel bruchi (ut vertit s. Hieronymus) quae animantia devorant herbas ad modum aeruginis. Itaque nomen aeruginis, quod proprie significat vitium aeris, hoc loco accipitur metaphorice. *Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina*: de hac re agitur Exod. 9. ubi non fit mentio pruinae.sed solius grandinis. Sanctus Hieronymus vertit, *et sycomoros eorum in frigore*: ubi per frigus posset intelligi frigus grandinis, ut sit repetitio ejusdem rei: vel certe grandine et pruina afflixit Deus vineas et arbores Aegypti: sed David addidit, quod Moses omiserat. *Et tradidit grandini jumenta eorum,et possessiones eorum igni.* Grando enim cum igne fulgurum et fulminum descendebat, nec solum herbas, sed etiam jumenta perdebat, ut ibidem legimus. *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per Angelos malos.* In hoc versiculo generatim complectitur Propheta omnes alias plagas, quas omiserat, ut ulcera, vesicas et alia id genus, et simul attingit postremam et gravissimam plagam, occisionem videlicet primogenitorum omnium, quae facta est per angelum percutientem, ut dicitur Exod. 12. *Non sinam*, inquit, *percussorem ingredi domos vestras* etc. *Misit iram indignationis suae*, idest effectum irae et furoris sui, tribulationem videlicet magnam et hoc idem repetens, ait, *iram et indignationem*, idest effectum irae, et furoris, qui effectus est tribulatio.*Immissiones per angelos malos*, idest quae tribulatio fuit per immissionem angelorum malorum.Ex quo intelligimus, plagas Aegypti, ac praecipue occisionem primogenitorum facta esse opera Angelorum, qui non nocent, nisi quantum Deus permiserit; cum Dei summi Judicis administri sint. Possunt autem angeli mali dici angeli sancti, qui dicuntur mali ab effectu, quia puniunt quos Deus vult puniri. Possunt etiam dici angeli mali, doemones impuri, qui sunt vere mali, malam voluntatem gerentes. Deus enim utrisque utitur: nam per Angelos sanctos punivit Sodomitas igne coelesti,et per angelos impuros flagellavit Jobum igne pariter coelesti. Vide s. August. in hunc locum. *Viam fecit semitae irae suae, non pepercit a more animabus eorum.* Insignis metaphora est, quasi dicat, ira divina ultionem parans detinebatur a divina misericordia, ne usque ad mortem desaeviret: sed tandem remoto obice misericordiae, *viam aperuit irae suae*, et non pepercit vitae ipsorum a morte: sed occidit omnia primogenita hominum, et jumentorum, quae erant primitiae laborum eorum,idest Aegyptiorum: laborant enim plurimum homines in educandis filiis suis, et jumentorum suorum, sed primitiae laboris erga primogenita exercentur: ac per hoc dicuntur primogenita primitiae laborum. Illud, *in tabernaculis Cham*, significat in Aegypto. Cham enim fuit filius Noe, et Mizraim fuit filius Cham: et ab hoc filio, חם *Cham* dicta est Aegyptus, מצרים *Mizraim*. Itaque dicitur Aegyptus tabernaculum Cham a parente primi habitatoris et possessoris Aegypti. *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos sicut gregem in deserto.* Occisis primogenitis Aegyptiorum dedit Pharao facultatem hebraeis abeundi ex Aegypto, ut habetur Exodi 12. Et tunc Deus eduxit populum suum ex Aegypto, et duxit in

http://www.obrascatolicas.com

desertum Arabiae. *Et eduxit eos in spe, et non timuerunt*; idest cum fiducia magna; *et inimicos eorum operuit mare*: quae fuit ultima plaga Aegyptiorum, et in qua finem accepit captivitas filiorum Israel, ut habetur Exod. 14.

59. *Et induxit eos in montem sanctificationis suae, montem quem acquisivit dextera ejus.*
60. *Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.*
61. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.*
62. *Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.*
63. *Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.*
64. *In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt.*

Transit nunc Propheta ad historiam libri Josue, et Judicum, atque ostendit, fuisse hebraeos introductos a Deo in terram promissionis, quam vocat *montem sanctificationis suae*, quia erat terra montuosa, et quam Deus sibi ipse sanctificaverat et dedicaverat, ut in ea coleretur a populo suo. Dicit quoque eam terram acquisitam a Deo, quia Deus fecit evidentibus miraculis, duce Josue, ut Israelitae vincerent bello, et expellerent pristinos habitatores cultui idolorum addictos. Addit vero propheta hebraeos in terram promissionis introductos, non fuisse meliores patribus suis, qui in deserto petierant: nam ipsi quoque *tentaverunt et exacerbaverunt Deum servientes idolis*, et verum Dei cultum deserentes. Illud *conversi sunt in arcum pravum*, significat eos imitatos esse arcum distortum, qui non jacit sagittas, quo jacendae sunt, sed in aliam partem, ubi non oportebat. Sic enim hebraei promittebant observantiam legis Dei, ac videbantur sagittas operum suorum dirigere ad cultum veri Dei, sed interim sacrificabant Diis alienis, id quod propriis verbis explicat propheta in sequenti versiculo, cum ait, *in iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt*, siquidem in excelsis collibus, praesertim frondosis collocabant altaria idolorum, ibique eis sacrificabant.

65. *Audivit Deus, et sprevit, et ad nihilum redegit valde Israel.*
66. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.*
67. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.*
68. *Et conclusit in gladio populum suum et haereditatem suam sprevit.*
69. *Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatae.*
70. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduae eorum non plorabantur.*

Hic jam explicat Propheta ultionem Divinam in peccata populi sui: ac praecipue commemorat tempus illud, quo Philisthaei fuderunt exercitum populi Dei, et arcam Domini captivam duxerunt, sacerdotibus occisis, qui eam custodiebant; quae historia narratur in 1. reg. capit. 4. Ait igitur, *audivit Deus*, idest cognovit peccata populi sui clamantia in coelum; *et sprevit* populum suum tamquam inutilem, et tamquam morte dignissimum *redegit valde ad nihilum*, idest, valde humiliavit, concessa victoria maxima hostibus eorum. *Et repulit tabernaculum Silo*, idest abjecit tabernaculum, in quo erat arca, quod tabernaculum tunc erat in Silo: et in quo tabernaculo Deus quodammodo habitabat inter homines, quia inde dabat responsa hominibus. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici*, idest permisit circumveniri, et undique circumdari gladiis hostium populum suum, quem elegerat sibi in haereditatem, idest in populum peculiarem, et proprium. *Juvenes eorum comedit ignis*, idest ardor belli, sive ignis irae Dei consumpsit praestantissimos quosque, quales solent esse homines in flore juventutis; *et virgines eorum non sunt lamentatae*, idest occisis juvenibus in bello, virgines eis desponsatae non habuerunt, qui earum sortem lugerent, quoniam in communi strage quisque habuit, quod domi suae lugeret. Itaque illud, *lamentatae*, passive accipiendum est, ut indicat sanctus Hieronymus, qui vertit, *et virgines ejus nemo luxit*. Rabbini legunt, *et virgines eorum non sunt laudatae*, carmine videlicet nuptiali. Sed vox hebraea *hullalu*, utrumque significare potest, *defletae*, et *laudatae*, nos autem anteponimus septuaginta seniores, et sanctum Hieronymum omnibus Rabbinis. *Sacerdotes eorum in gladium ceciderunt*, videlicet Ophni, et Phinees filii Hefi, qui nominatim referuntur inter mortuos. 1. reg. 4. *Et viduae eorum non plorabantur*, idest relictae uxores eorum nemo fuit, qui deflendo consolaretur, quoniam, ut dictum est, omnes occupati erant in propriis consanguineis deplorandis, quos ruina communis oppresserat. In hebraeo, תבכינה *tibchenah*, et graeco κλαυθήσονται habetur in futuro, *non plorabuntur*: sed sanctus Hieronymus intelligens futurum poni pro praeterito, vertit, *non sunt defletae*, et eum secutus noster interpres, vertit, *non plorabantur*.

71. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.*
72. *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.*
73. *Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.*
74. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.*
75. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in saecula.*
76. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum.*
77. *Pascere Jacob servum suum, et Israel haereditatem suam.*

78. *Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

In hac postrema parte psalmi, David ostendit, Deo placuisse afflictionem populi sui, quatenus poena erat peccatorum: sed non placuisse superbiam, et iniquitatem Philistinorum, qui eos afflixerunt: et ideo vindictam ab ipso Deo sumptam de Philisthaeis, ut narratur in eodem 1. lib. reg. c. 5. Deus enim saepe utitur mala voluntate impiorum ad aliquos puniendos; et deinde punit eosdem impios, non tam attendens, quod per illos ipse fecit bonum, quam malam nocendi cupiditatem, quam in eis ipse non fecit. Addit deinde, noluisse Deum ut tabernaculum esset amplius in Silo, civitate de tribu Ephraim, neque ut summa Imperii esset in tribu Joseph; sed voluisse, ut tabernaculum statueretur in monte Sion et imperium pertineret ad tribum Juda, et ex tribu Juda Davidem elegisse regem populo suo: quod est vaticinium de Christo et ecclesia, ut initio psalmi diximus. Nam ut hoc loco diligenter observavit sanctus Augustinus, non repulit Deus Joseph, et elegit Judam ob meritum personarum. Nam Joseph melior fuit multo, quam Judas, sive castitatem sive patientiam, sive sapientiam, sive prudentiam, sive dilectionem inimicorum consideres: sed elegit Judam propter Davidem, et Davidem propter Christum, et Synagogam destruxit, ut ecclesiam aedificaret. Sed ipsa verba explicemus. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus*, idest praevaluerunt Philisthaei in hebraeos, non ob Philisthaeorum potentiam vel domini impotentiam; sed quia Dominus dormiebat, et dormiebat sopore gravi tamquam crapulatus a vino. Ebrietas enim alte dormire facit. Sed a sopore illo excitatur potentiam suam in Philisthaeos mirifice demonstravit. Dicitur autem Deus dormire metaphorice, quando ita se gerit, ac si non adverteret injurias, quas illi faciunt iniqui; et dicitur dormire ut crapulatus a vino, quando patienter agit erga gravissimos peccatores, ac si ita alte dormiat, ut non advertat injurias maximas contra se fieri, qualis injuria fuit captivitas Arcae. Non desunt qui metaphoram ebrietatis ita explicent, ut sensus sit, Deum excitatum a somno potenter, et furiose egisse in adversarios, ut solent ebrii, qui valentissimi et audacissimi sunt, cum non advertant quid faciant. Sed non placet ista expositio; tum quia ebrietas facit quidem audaces homines, sed non potentes, imo debilitat potius; et qui a somno exurgunt, non surgunt ebrii, sed sobrii, maneat ergo prior expositio, quae s. Augustini est. *Et percussit inimicos suos in posteriora*: immisit enim morbum gravissimum et pudendum *in posteriora* corporis Philistinorum, ac ut Scriptura loquitur, *in secretiore parte natium*, ut simul cruciarentur dolore et rubore, ut legitur 1. reg. cap. 5. *Opprobrium sempiternum dedit illis*; quia providentia Dei fecit, ut ipsi Philisthaei anos aureos appenderent arcae ad memoriam sempiternam morbi pudendi, quo Deus illos affecerat, 1. reg. cap. 6. *et repulit tabernaculum Joseph*, idest noluit deinceps tabernaculum sacrum, in quo servabatur Arca, esse in Silo, quae est civitas in tribu Ephraim, qui filius erat Joseph. *Et tribum Ephraim non elegit*, idest constituturus regnum in populo suo, non elegit regem ex tribu Ephraim, quae erat una ex duabus tribubus Joseph, et quidem numerosissima et potentissima. *Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit*, idest elegit tribum Juda, ex qua daret populo suo principes: et elegit montem Sion, in locum tabernaculi, et postea templi, in quo servaretur arca et fierent sacrificia. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in saecula*, idest, aedificavit Deus in monte Sion, sive in Jerusalem, quae est terra duratura in aeternum, sanctuarium suum firmissimum, quasi cornu Monoceroti. Haec est parabola praecipua, et propositio sive aenigma potissimum, quod initio psalmi Propheta promisit; neque enim sanctuarium testamenti veteris fuit firmum, ut cornu Monocerotis, nisi in typo sanctuarii testamenti novi: neque mons Sion, aut Jerusalem fuit terra fundata in saecula, cum brevi eversa fuerit; nisi in figura ecclesiae christianae, *adversus quam portae inferi non praevalebunt*, Matth. 16. et cujus religio et sacramenta non mutabantur usque ad Mundi consummationem. Vox *unicornium*, graece, μονοκέρωτων, in hebr. legitur. רמים *ramim*, quod significat excelso, sed septuaginta, et s. Hieronymus non legerunt, רמים *ramim*, sed, רמים *remim*, quod *monocerotes*, idest bestias, quae solum unum cornu, sed firmissimum et robustissimum gerunt: et sine dubio haec est vera lectio. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, et Israel haereditatem suam.* Omisit Propheta Regnum Saulis, quia modicum duraturum erat, et quia quasi extortum fuit a Deo clamoribus populi; sed regnum Davidis posuit, qui Christi figuram gerebat, et ex propria Dei voluntate duraturum in aeternum erat. Elegit ergo David servum suum, et sustulit eum de humili loco, ne forte ejus virtuti tribueretur tanta exaltatio. *Sustulit*, inquam, *de gregibus ovium*; idest de officio et munere pastoritio, quod re ipsa exercebat cum oves foetas sequeretur. *Pascere Jacob servum suum, et Israel haereditatem suam*, idest transtulit de ministerio pascendi oves, ad ministerium pascendi homines: praeposuit enim illum regem populo suo et haereditati suae, quae Israel et Jacob appellatur. In hebraeo habetur *Jacob populum suum*, non ut nos habemus, *servum suum*. Aliqui suspicantur septuaginta interpretes vertisse, λαὸν non δοῦλον. At cur non verisimilius sit in hebraeo olim fuisse, עבדו *habdo*, *servum suum*, et postea successu temporis a sciolis, mutatum in, עמו *hammo*, populum suum? In sensu nulla est dissentio. Populus enim Israeliticus, est populus Dei et servus Dei dici potest. *Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, idest optimam fuisse divinam electionem eventus probavit. David enim pavit et rexit populum Dei innocentia cordis et sapientia operis: in innocentia cordis, quia cor purum et immaculatum gerens non affectabat gloriam suam, sed Dei; non utilitatem suam sed populi; cupiebat non tam praeesse, quam prodesse, pasce-

http://www.obrascatolicas.com

bat oves, non ut suas, sed ut Domini sui; ut minister, non ut herus: in sapientia operis, vel ut David loquitur, *in intellectibus manuum deduxit populum*, quia considerate agebat, quidquid agebat, non temere, non sine consilio, non absque maturitate. Quae omnia etiamsi utcumque Davidi conveniunt; absolute tamen et perfecte non nisi Christo conveniunt. Alioqui non reprehenderetur in Scriptura David, quod uxorem alienam concupierit, quod adulterium et homicidium perpetraverit; quod populum sine causa numerari voluerit; quod Miphiboseph inauditum damnaverit et bona ipsius imprudens calumniatori donaverit. Christus autem vere innocens corde, et sapiens in opere fuit; *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. 1. Petri 2. Quique audacter dicere poterat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. 8.

PSALMUS LXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

De hoc titulo nihil dicendum occurrit. Argumentum est deploratio calamitatis, quae accidit hebraeis sub Antiocho, et caeteris regibus tempore Machabaeorum, ut communiter docent s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et multi recentiorum, et ipse etiam auctor libri Machabaeorum primi cap. 7. allegat hunc psalmum, tamquam vaticinium earum calamitatum. Potest tamen accomodari idem psalmus ut eum accomodat s. Augustinus, ad persecutiones, quas passa est Ecclesia a regibus, et imperatoribus paganis. In hoc psalmo concordant textus hebraici, graeci, et latini, et totus psalmus facillimus est.

EXPLICATIO PSALMI LXXVIII.

1. *Deus venerunt gentes in haereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.*

Alloquitur propheta Deum, et in persona populi Dei, qui futurus erat tempore Machabaeorum conqueritur de vastatione templi, et civitatis. Narrat autem hic propheta Deo, non ut eum doceat quasi ignorantem, cum potius ab eo sibi revelata didicerit: sed ut hac commemoratione moveat ipse se ad orandum ardentius. *Deus*, inquit, *venerunt gentes*, pagani videlicet idololatrae, *in haereditatem tuam*, idest, in eam civitatem, et provinciam, quam elegisti de toto orbe terrarum in propriam possessionem. Haereditas enim et possessio in Scripturis pro eodem accipiuntur. Explicat deinde, ad quid venirent gentes in haereditatem Dei; *polluerunt*, inquit, *templum sanctum tuum*. Quod factum est sub Antiocho, ut dicitur libro. 1. Machab. cap. 1. tunc enim idolum in templo collocatum est, et altaria prophanata, atque idolis consecrata. *Posuerunt, Jerusalem in pomorum custodiam*, idest, ipsam regiam civitatem adeo desolaverunt, ut non videretur amplius civitas, sed tugurium desertum, qualia sunt quae eriguntur ad custodiam pomorum in hortis, aut vineis, et pomis collectis deseruntur. Id accidisse sub Antiocho testatur lib. 1. Machab. c. 3. ubi sic legimus, e- *Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum*. Vox hebraea. לעיים *tehiim*, pro qua habemus, *pomorum custodiam*, significat, *vastationem*, *desolationem*, *desertum*, et similia. Sed septuaginta interpretes, ut rem declararent per similitudinem, dixerunt, *in pomorum custodiam*; s. Hieronymus vertit, *in acervum lapidum*. Sed melior videtur interpretatio prior, quam latinus interpres secutus est. Civitas enim reducitur in acervum lapidum, quando omnino destruitur, et lapides domorum in locum unum colliguntur; at Jerusalem non ita funditus eversa fuit, ut habitari non posset: sed muri dejecti fuerunt, et civitas ex parte incensa, et habitatores sugati, ut habetur lib. 1. Machab. cap. 1. Sed tamen adhuc retinebat formam civitatis, et habitari potuisset, ut colligitur ex eodem lib. 1. cap. 3. et 4. proinde rectius comparatur pomorum custodiae, idest, tugurio semidiruto, et deserto, quam acervo lapidum.

2. *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatitibus coeli: carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.*
3. *Effunderunt sanguinem eorum, tamquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.*

Deploravit vastationem templi, et civitatis; nunc deplorat caedem hominum et barbariem, ac feritatem hostium, qui cadavera sepeliri non patiebantur, *posuerunt*, inquit, *morticina*, idest, cadavera occisorum Judaeorum non dederunt sepulturae, sed exposuerunt in escam corvis, et canibus. Morticina proprie dicuntur cadavera eorum, qui morbo interierunt: tamen hoc loco extentitur vocabulum ad cadavera occisorum. Nam in sequenti versiculo explicatur, quae sint illa morticina, cum additur, *effuderunt sanguinem eorum*, idest, *servorum tuorum* sive *sanctorum tuorum*, idest, hominum tibi sanctificatorum per fidei professionem. *In circuitu Jerusalem tamquam aquam*, idest, in magna copia, sine delectu personarum, sine timore aliquo; *et non erat qui sepeliret*, et ideo relinquebantur cadavera illa avibus coeli, et bestiis terrae. Hoc impletum est tum in aliis multis, tum potissimum in illis sexaginta viris primariis, quos una die curavit occidi Alcimus prope Jerusalem, ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 7. Ibi enim citatur hic versiculus, ubi caedes illorum describitur.

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

Deplorat nunc etiam infamiam, quae ex persecutione illa est sequuta. *Facti sumus*, inquit, *opprobrium vicinis nostris*, idest, vicinis Regnis Idumaeorum, Moabitarum, Ammonitarum, et aliarum gentium, quae despiciebant, et irridebant hebraeos, ut homines imbelles, et contemptibiles.

5. *Usquequo Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis furor tuus?*

Videbat propheta iram Dei in populum suum accensam adeo vehementer, ut videretur periculum imminere, ne populus funditus interiret; ideo in persona populi precatur finem tantae indignationis. *Usquequo*, inquit, *irasceris in finem?* idest, quousque crescet ira tua, et crescendo minabitur nobis ultimum exterminium? Idipsum repetens addit, *usquequo accendetur velut ignis zelus tuus?* ubi comparat indignationem Dei igni, qui nisi celeriter extinguatur, crescere solet in immensum, et in cinerem omnia redigere. Per iram non intelligitur perturbatio, sed voluntas exigendi spirituali castitatem, et puniendi eos, qui fornicantur ab ipso.

6. *Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt, et in regna quae nomen tuum non invocaverunt.*

Orat converti iram Dei in hostes populi sui, quasi dicat, nos etsi mali filii sumus, te novimus Deum verum, te colimus et invocamus. *Effunde* igitur potius *iram tuam in hostes tuos, qui te non noverunt*, idest, non habent pro Deo, et non invocant nomen tuum, quia omnipotentem te esse non credunt. Sed occurrit quaestio ex cap. 12. Lucae, ubi dicitur, *servus qui non novit voluntatem Domini sui, vapulabit paucis; qui autem novit, et non fecit, vapulabit multis*. Respondet s. Augustinus, Evangelium loqui de servis, qui sunt in eadem familia: inter eos enim gravius peccant et severius puniuntur, qui scientes peccant, quam qui peccant, nescientes: sed utriusque multo gravius peccant, e longe asperius puniendi sunt, qui de familia non sunt sed hostes jurati sunt, et serviunt creaturae potius quam Creatori, et familiam totam gravissime persecuntur, quales erant illi, de quibus in hoc psalmo agitur versiculo sequenti.

7. *Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.*

Non solum enim isti Deum invocaverunt, verum etiam populum ejus quasi panem consumpserunt, spoliantes, fugantes, interficientes, vel etiam minis et terroribus in corpus suum trajicientes per fidei abnegationem, quomodo e contrario dicitur sancto Petro Act. 10. *Macta, et manduca*: idest, in corpus Ecclesiae recipe per conversionem ad veram Fidem. *Et locum ejus desolaverunt*, idest, civitatem Jerusalem desolantes in solitudinem redegerent. In hebraeo habetur נוהו *navehu*, *ejus* sive *pulchram habitationem ejus desolaverunt*.

8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.*

Ne videretur populus Dei, dum hostes accusat, et dignos poena esse judicat, seipsum voluisse justificare, quasi non meritas poenas daret, et quasi potentia adversariorum, non justitia Dei attereretur; confitetur in hoc versiculo peccata sua, et parentum suorum, et misericordiam patris, non justitiam judicis appellat. *Ne memineris*, inquit, *iniquitatum nostrarum antiquarum*, idest, ne punias nos ob iniquitates antiquas, tum parentium. Solet enim Deus aliquando reddere iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem, ut dicitur Exod. 20. Imo et Dominus dicit Matth. 22. *Implete mensuram patrum vestrorum*; et paulo post, *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae*, etc. Neque contraria est haec sententia Ezechieli cap. 18. qui dicit, *filius non portabit iniquitatem patris*: filius enim proprie punitur ob peccata sua, sed dicitur aliquando puniri ob peccata parentum, quoniam Deus non punivisset illum, quamvis juste eum punire potuisset nisi iratus peccatis parentum. Quod autem filius non portet iniquitatem patris, nisi sequatur iniquitatem patris; docent ss. Patres, Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, Augustinus in psal. 118. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 22. et Chrysostomus homil. 29. in Genesim. *Cito anticipent nos misericordiae tuae*, idest, jam ruimus in interitum nisi velocissime misericordia tua praeveniat nos: anticipare enim hoc loco, est praeoccupare, sive praevenire ultimam ruinam, ad quam velocissime currimus. Addit, et declarat, cur tanta celeritate auxilii sit opus. *Quoniam*, inquit, *pauperes facti sumus*. Ubi per *pauperes*, intelliguntur afflicti, humiliati,

http://www.obrascatolicas.com

attenuati, egeni non solum divitiarum, sed etiam virium, et auxilii.

9. *Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris nomen tuum.*

Explicat quomodo misericordia Dei anticipet nos: explicat autem per modum orantis, non per modum docentis. *Adjuva*, inquit, *nos Deus salutaris noster*, idest, anticipent nos misericordiae tuae adjuvando nos in facienda justitia, ad evitanda peccata futura, et in agenda poenitentia, ad expianda peccata praeterita: dicit autem *adjuva*, ut ostendat, non tolli arbitrii libertatem per auxilium gratiae, sed stabiliri: non enim proprie adjuvatur, nisi qui aliquid agit cooperando gratiae. Declarat deinde utrumque. *Et propter gloriam nominis tui libera nos*, idest, non propter merita nostra; sed propter gloriam tuam libera nos a morte peccati futuri, quod facis dum adjuvas in facienda justitia. *Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, idest, et propter eamdem gloriam tuam, non propter merita nostra remitte peccata praeterita, quod facis dum adjuvas in agenda poenitentia. Potest etiam sic exponi, et fortasse magis ad litteram *adjuva nos Deus salutaris noster*, in hac praesenti calamitate, quod ut facias duo sunt necessaria, et ut liberes nos a persecutione, et ut ignoscas peccatis, propter quae in persecutionem incidimus. Utrumque autem petimus non propter justitiam et merita nostra; sed propter nomen et gloriam tuam.

10. *Ne forte dicant in gentibus. Ubi est Deus eorum et innotescat in nationibus coram oculis nostris.*

Ecce cur dixerit in praecedenti versiculo, propter gloriam nominis tui; nimirum, *ne forte dicant in gentibus. Ubi est Deus eorum*, idest, ne forte dicant gentes, sic enim habent hebraei, et graeci codices, vel (quod est idem) ne dicatur inter gentes, *ubi est Deus*, qui solebat adesse Judaeis, et blasphemetur potentia, vel sapientia Dei quasi fugerit, aut absconderit se tamquam imbecillus; aut ignoraverit quid acciderit populo suo. *Et innotescat in nationibus coram oculis nostris*, idest, et non solum aliqui ita blasphement, sed divulgetur haec blasphemia inter nationes, nobis ipsis videntibus, et audientibus, ac per hoc etiam graviter erubescentibus.

11. *Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.*

Ergo ne blasphemetur nomen tuum, *introeat in conspectu tuo ultio sanguinis servorum tuorum* tam immaniter *effusi*; introeat etiam gemitus servorum tuorum captivorum, et in compedibus constitutorum, idest, respice aliquando sanguinem effusum servorum tuorum occisorum, et ulciscere: respice, et ulciscere servos tuos, quj reliqui sunt, et in compedibus viventes gemunt ad te Domine. In codicibus graecis conjungitur illud, *ultio sanguinis*, cum verbo praecedente, *innotescat in nationibus*; ut sensus sit, *innotescat in nationibus ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, et introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*: sed quia in textu originali verbum, *innotescat*, est generis masculini, et verbum, *introeat*, est generis foeminini, et nomen, *ultio*, ut etiam *gemitus*, sunt generis foeminini apud hebraeos, oportet conjungere nomen *ultio* cum verbo *introeat* non cum verbo *innotescat*, ut recte conjunxit latinus Interpres; et credibile est, sic etiam conjunxisse septuaginta Interpretes, quamvis postea interpunctionem mutaverint, qui haec non advertunt: utraque tamen lectio verum sensum continet, et posset dici pro lectione graeca, non esse universale, ut nomen generis foeminini semper conjungatur cum verbo generis foeminini apud hebraeos. Nam ipse etiam sanctus Hieronymus conjunxit nomen *ultio*, cum verbo *innotescat*.

12. *Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.*
13. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.*

Duo supra petierat Propheta in persona populi Dei, ut ulciscereturr sanguinem occisorum, et ut liberaret captivos morti destinatos: nunc eadem duo petit, sed ordine converso: primum enim petit conservationem vivorum, deinde ultionem interemptorum. *Secundum magnitudinem*, inquit, *brachii tui posside filios mortificatorum*, idest, quemadmodum brachium tuum robustissimum est ita fortiter resiste persecutoribus nostris, et posside, ut propriam haereditatem, reliquias populi tui, filios videlicet eorum, qui ab hostibus occisi sunt. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, idest, retribue vicinis hostibus nostris poenam longe majorem, quam poenam reconde in sinu eorum ut non facile eam excutere possint. *Retribue*, inquam, *illi improperium, quod exprobraverunt tibi Domine*, idest, sicut exprobraverunt tibi imbecillitatem et insipientiam, quasi verus Deus non esses, sic ostende illos vere fuisse imbecilles et insipientes, et non tam homines, quam vermiculos terrae, aut pulverem et cinerem. Illud, *posside* in hebraeo est, הותר *hoter*, *reliquos fac*, sive, *fac ut supersint*, et *remaneant*: quare Septuaginta verterunt sensum non verbum. Illud, *filios mortificatorum* in hebraeo est, בני תמותה *bene themuthah*, *filios mortis*, quod potest significare homines morti destinatos, et sic multi exponunt, tamen septuaginta Interpretes per *filios mortis* intellexerunt filios occisorum, vel ut habet alia lectio filios morte punitorum, et hanc putamus veram hujus loci sententiam: nam non solum hoc loco, sed etiam in ps. 101. ubi legimus, *ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum*, habentur eadem verba hebraica, quae ad litteram significant *filios mortis*: et tamen

Septuaginta constanter verterunt, *filios interemptorum*; et sic exponunt Hieronymus, Augustinus, et alii veteres. Per illud, *vicinis nostris* aliqui intelligunt Idumaeos et Philisthaeos, et alios vicinos, qui videbant aerumnas Judaeorum et non miserebantur; sed verius exponunt alii, qui per vicinos intelligunt Antiochenos, qui cum Antiocho rege Syriae incenderunt Jerusalem, templum profanaverunt, et Judaeos a vera religione crudelissima persecutione abstrahere conati sunt: isti enim et vicini erant, et hostes jurati. Illud, *septuplum*, non proprie septuplum, sed generatim *majus*, et *multiplex* significat. Denique illud, *in sinu eorum*, significat punitionem inimicorum non futuram exteriorem et brevem; sed internam, et perpetuam, quam velint, nolint, intra se retinere debeant.

14. *Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae confitebimur tibi in saeculum.*
15. *In generationem, et generationem annunciabimus laudem tuam.*

Vere scribit s. Augustinus illa verba, *Redde vicinis nostris septuplum*, et similia, esse potius praedictionem, quam imprecationem: ex illa enim certissima praedictione concluditur psalmus, promittens Deo sempiternam laudem. Illi, inquit, ut meriti sunt, recipient in sinum suum gravissimam ultionem: *nos autem confitebimur tibi in aeternum*, idest, laudabimus te, et praedicabimus gloriam tuam in saecula. Quod quidem adumbratum est in hebraeis, apud quos Machabaei utcumque longo tempore post persecutionem Antiochi principatum foeliciter tenuerunt. Sed verius multo impletur in ecclesia christiana; quae post superatas multas et varias persecutiones, videbit in die Judicii omnes persecutores suos recipere in sinum suum mercedem iniquitatis et ipsa cum rege suo Christo in coelesti Jerusalem in saecula saeculorum laudabit Dominum.

PSALMUS LXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro his, qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.

De hoc titulo, quoad particulam, *in finem*, et *pro his, qui commutabuntur*, diximus in explicatione psalmi 44. et alibi. Illud, *testimonium Asaph*, significat, hunc psalmum esse testimonium per Asaph decantatum, quo Spiritus sanctus testificatur captivitatem Israel, et liberationem. In graeco additur, *pro Assyriis*, quoniam captivitas, de qua agitur in hoc psalmo, fuit primum sub rege Assyriorum Salmanasar, qui transtulit decem tribus in Assyriorum regionem captivas, ut scribitur lib. 4. reg. cap. 17. et deinde sub rege Nabuchodonosor, qui captivum duxit reliquum populum in Babylonem, ut dicitur eodem lib. 4. reg. cap. 24. et 25. Argumentum ex titulo cognoscitur: praedicitur enim captivitas et liberatio hebraeorum, quae figurae sunt captivitatis generis humani per Diabolum et liberationis per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

EXPLICATIO PSALMI LXXIX.

1. *Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph.*

Incipit Propheta ab invocatione Dei, atque orat ut exaudiat orationem, et respiciat populum suum. *Qui regis Israel, intende*, idest, tu Deus, qui es proprius rector, et pastor populi Israelitici, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo. Deinde repetit primam partem, et subintelligit secundam. *Qui deducis velut ovem Joseph*, idest tu Deus qui deducis ad pascua velut ovium gregem populum descendentem ex Joseph, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo, qui et Israel, et Joseph dicitur. Illud, *qui regis*, in hebraeo ad litteram est רעה *ronheh*, *qui pascis*: tamen hoc verbum non significat solum pascere corporali cibo, sed etiam *regere*, quod est officium principis nam in psal. 2. ubi legimus, *reges eos in virga ferrea*, habetur hoc idem vocabulum: illud *intende*, significat *intende auribus*, sive *ausculta*. Nam vox hebraica האזינה *hoazinah*, proprie sonat, *auribus percipe*. Cur autem meminerit Propheta Israel et Joseph, et non aliorum filiorum Israel, ratio est, quia per Israel intelligitur totus populus Dei. Per Joseph similiter intelligitur hoc loco totus populus Dei. Nam in secunda parte versiculi repetitur quod dictum est in prima parte, ut alias cum s. Augustino admonuimus. Et quidem cur I-

http://www.obrascatolicas.com

srael totum populum significet, notum est, quia omnes Israelitae Israelem ut patrem agnoscunt. Cur autem Joseph, qui unus erat ex duodecim filiis Israel, totum populum significet, ratio est, quia Joseph in Aegypto totum populum pavit, et toti populo praefuit: et postea duo ejus filii, Ephraim, et Manasse duas tribus constituerunt, quod nulli alii contigit. Singuli enim filii Israel singulas tribus fecerunt, excepto Joseph, qui singulari praerogativa duas fecit: denique diviso regno post mortem Salomonis, in regnum Israel, et regnum Juda, primus rex Israel, qui praefuit decem tribubus, Hieroboam fuit de tribu Ephraim filii Joseph.

2. *Qui sedes super cherubim manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.*

Rogavit Propheta Deum, ut intenderet aurem ad orationem populi sui: nunc addit ut regat, et intendat etiam oculo, et pie respiciat, atque ostendat serenam faciem populo suo. Dicitur autem Deus respicere aliquem, vel faciem illi ostendere, quando ei placatur: contra autem dicitur avertere oculos, vel tegere faciem suam nube, quando irascitur. *Qui sedes*, inquit, *super Cherubim*, idest, tu Deus, qui sedes in coelo super primarios angelos, qui Cherubim appellantur, et in typum hujus rei in santuario tuo super imagines Cherubim propitiatorium, quasi thronum tuum habes, ubi et arca est quasi scabellum pedum tuorum, *manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse*, idest, ostende faciem tuam, et respice, hoc est, placere populo tuo, filiis Israel. Cur autem populum Israel significet per Ephraim et Manasse, et Beniamin, ratio esse videtur, quia Ephraim et Manasse erant filii Joseph, per quem diximus paulo ante totum populum significari: Beniamin erat frater uterinus Joseph et ideo ab illo separandum non esse duxit, praesertim cum in castris, quando hebraei armati ordine procedebant, simul incederent tribus Ephraim, tribus Manasse, et tribus Beniamin. Vide lib. Num. cap. 2. et cap. 10. fortasse etiam nominavit Propheta hos tres potissimum ut comprehenderet praecipuas partes terrae promissionis. Nam in tribu Ephraim erat Samaria caput regni Israel, in tribu Beniamin erat Hierusalem, caput regni Juda; in tribu Manasse erat regio trans Jordanem. Cur autem inter Ephraim, et Manasse fratres, posuerit Propheta medium Beniamin, fortasse causa fuit, ut nepotes patrum honorare viderentur. Erant enim Ephraim, et Manasse filii Joseph fratris uterini Beniamin.

3. *Excita potentiam tuam et veni: ut salvos facias nos.*

Explicat clarius cur velit Deum intendere aurem et oculos ad populum suum, ut videlicet eum de tribulatione liberet. *Excita*, inquit, *potentiam tuam*, idest, potentia tua quasi sopita videtur, dum nos affligi sinis ab injustis persecutoribus nostris; ideo, *excita potentiam tuam, et veni* per auxilium tuum potentissimum, *ut salvos nos facias.*

4. *Deus converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Cur Deus saepe nos non respiciat, causa est, quia nos evertimus ab eo faciem, et convertimus ad res creatas: sed quia sine auxilio Dei non possumus ad eum converti, ideo Propheta utrumque petit in persona populi Dei. *Deus*, inquit, *converte nos*, idest, inspira nobis amorem tuum, ut aversi a rebus creatis ad te iterum convertamur. *Et ostende faciem tuam*, idest, et simul converte ad nos faciem tuam, ut hoc modo sanctae charitatis vinculo tecum uniti ab hostibus omnibus, qui nos impugnant, *salvi esse possimus*: te enim avertente faciem, aegrotamus, et perimus; te convertente faciem, resurgimus, et sanamur.

4. *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?*

Videbat Propheta magnam iram Dei exarsisse in populum peccantem, et ideo se non facile posse exaudiri: ideo vehementius orat, et precatur dicens, *Domine Deus virtutum*, idest, Domine Deus exercituum. id enim sonat vox Hebraica, צבאות *tzebaoth*, qui terribilis es, militia coelesti innumerabili circumdatus, *quousque irasceris* etiam mihi oranti, sic etiam legimus dixisse Hieremiam. Thren. 3. *Opposuisti nubem tibi, ut non transeat oratio.* In hebraeo non habetur. *servi tui*, sed *populi tui*, sed idem est sensus. Propheta enim servus Dei in persona populi orabat, ac per hoc Deus nolens exaudire irascebatur super orationem servi sui, qui eam fundebat, et super orationem populi sui, quae per Prophetam ipsius populi nomine fundebatur: potest etiam fieri ut Septuaginta non legerint, עמך *hammecha, populi tui*, sed עבדך *haudecha, servi tui*. in graecis quibusdam legitur, *servorum tuorum*, et sic legit Euthymius: tamen s. Augustinus, et Theodoretus legunt, *servi tui*. Illud, *irasceris*, in hebraeo est, עשנף *hasciantha*, fumabis: sed Septuaginta declarare voluerunt metaphoram: sumus enim narium indignationis est signum, et ideo per fumum ira significatur.

6. *Cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis in mensura.*

Conjungitur hic versiculus cum superiore, et subintelligitur illud, *quousque*, ut sensus sit, *quousque irasceris super orationem servi tui? quousque cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis*, idest, quousque, sines nos in tanta afflictione morari, ut nihil magis, quam lachrymari nobis libeat, et sic lachrymis quasi cibo, et potu sustentemur? Illud autem, *in mensura*, non significat, ut aliqui putant, cum moderatione, sed e contrario in mensura plenissima, et superefluente: nam vox Hebr. שליש *scialise*, significat aliquid magnum, et triplicatum, et cum ad mensuram refertur, significat, mensuram magnam, vel potius ter magnam, idest, maximam.

7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.*

Explicat populus Dei causam tanti moeroris, et lachrymarum, ac dicit esse, quia undique a vicinis gentibus oppugnatur, et superatur, et victus deridetur, et subsannatur. *Posuisti nos*, inquit, *in contradictionem vicinis nostris*, idest, cum nos auxilio tuo destituisti, fecisti ut omnes vicinae gentes auderent nobiscum contendere, et pugnare: nam illud, *in contradictionem*, in hebraeo est, מדון *madon, in contentionem*, ac per hoc significat contradictionem non verborum tantum, sed etiam factorum, idest, concertationes, et praelia. *Et inimici nostri subsannaverunt nos*, idest, inimici nostri nobiscum contendentes vincunt, et debellant debilitatem. In hebraeo est, ילעגו למו *ilnhagulamo, subsannaverunt eos*, sed omnino credibile est textum esse mutatum unius literae corruptione: nam et ipsi Septuaginta, et s. Hieronymus verterunt ex hebraeo, *subsannaverunt nos*. Itaque legerunt למו *lanu*, non ut nunc legitur, לנו *lamo*.

8. *Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Versiculus hic est idem cum quarto, qui repetitur etiam in fine psalmi, sed hic additur vox *virtutum*, idest, exercituum, et in fine additur, *Domine*. Haec repetitio significat hunc versiculum esse conclusionem praecipue intentam in toto psalmo. Et vere nihil melius peti potest a Deo, quam *ut convertat nos ad se, et ipse convertatur ad nos*. Haec enim gratia fons est omnium bonorum. Illa vero additio unius vocis in prima repetitione, et duarum in secunda, signum est crescentis affectus, et desiderii in oratione.

9. *Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam.*

Ut impetret quod petit, commemorat beneficia Dei erga populum Judaicum, quem de captivitate Aegyptiaca liberavit, et in regna Chananaeorum introduxit. Utitur autem metaphora vineae, qua usi sunt postea etiam Isaias cap. 5. et Ezechiel cap. 15. et 19. et postremo etiam Dominus in Evangelio Matth. 21. Est autem aptissima similitudo vineae ad populum Dei significandum propter multa: sed praecipue, quia sicut lignum vitis aut producit fructum optimum et dulcissimum; et ideo gratissimum est Domino suo, et diligentissime colitur; aut si sterile sit, ad nullum opus utile est, et ideo in ignem projicitur: sic unusquisque nostrum aut ad regnum aeternum perveniet, si fructum bonorum operum adferat, aut in ignem aeternum mittetur, si bonis operibus careat. *Vineam*, inquit *de Aegypto transtulisti*, idest, populum tuum, quasi vineam de terra sterili Aegypti in terram foecundam Palaestinae transtulisti. Et quoniam terra illa optima occupabatur ab inutilibus et sylvestribus vitibus, *ejecisti gentes* idololatras tamquam inutiles vites *et plantasti eam*, vineam tuam videlicet.

10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, et implevit terram.*

Ut intelligeremus de vinea rationali, idest, de hominibus, sermonem hoc loco haberi, admiscet Propheta aliqua verba propria multis metaphoricis. *Dux*, inquit, *itineris fuisti in conspectu ejus*, idest, cum transferres vineam de Aegypto in Palaestinam, et vinea ipsa, utpote nationalis progederetur, tu viam ostendebas quasi Dux itineris praecedens eam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut dicitur in Exodo capit. 13. et Num. 14. Moraliter etiam Dux itineris fuit Deus vineae suae, idest, populo suo ad terram promissionis pergenti, dum ei legem dedit. *Plantasti radices ejus, et implevit terram*, idest, confirmasti populum tuum in terra promissionis, et propagasti eum, ita ut totam illam terram habitatoribus repleret.

11. *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.*
12. *Et extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.*

Describit hoc loco incrementum, et propagationem populi Israelitici quoad altitudinem, et latitudinem, idest, quoad gloriam et multitudinem et admiscet metaphoris hyperboles. *Operuit*, inquit, *montes umbra ejus*, idest, crevit in altum haec vinea adeo sublimiter, ut esset altior montibus, eosque umbra sua tegeret, imo etiam in tantam altitudinem elevata est, ut ejus palmites essent altiores cedris Libani, quae sunt arbores celsissimae, in vertice montis altissimi, ita ut palmites hujus vineae, *cedros Dei*, idest, cedros altissimas obumbrarent. Significat autem haec altitudo potentiam, et gloriam Regni Israelitici, quae superavit potentiam, et gloriam multorum regnorum. Nam sub Mose populus Israel debellavit Amorrhaeos; sub Josue vicit triginta, et unum reges; sub Davide domuit Philisthaeos, Idumaeos, et Moabitas. Describit postea propagationem, dicens, *Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines ejus*, idest, propagata est gens Israelitica, et multiplicata valde, ut replerent terram promissionis ad Occidente usque ad mare Mediterraneum, et ad oriente usque ad flumen magnum Euphratem. Et sic impleta est promissio Dei, Deuter. 11. *A flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.*

13. *Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui pretergrediuntur viam.*

Explicata magnitudine, et excellentia populi Judaici, per similitudinem vineae, nunc persistens in eadem similitudine, deplorant miseriam ejusdem populi, in quam incidit ex indignatione Dei. *Ut*

http://www.obrascatolicas.com

quid, inquit, *destruxisti maceriam ejus;* idest, quare removisti ab hoc populo auxilium tuum, quod erat quasi maceria claudens undique vineam. *Et vindemiant eam omnes qui pretergrediuntur viam*;idest,quare sinis ut omnes inimici hujus populi in illum praevaleant, eumque diripiant, quo modo diripiuntur vineae ab omnibus iter facientibus quando destructa est maceria? Saepe enim regnum Israelitarum deserente eos Domino ob peccata populi provocato, datum est in praedam Philisthaeis, aut Madianitis, aut aliis vicinis gentibus.

14. *Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam.*

Deplorat nunc in particulari sub eadem vineae metaphora,gravissimam captivitatem quae contigit sub rege Assyriorum, sive Salmanasar, qui totas decem tribus, sive Nabuchodonosor, qui reliquas duas captivas transtulit in Assyrios, eversa penitus civitate regia, incenso templo, et regni solio deturbato: hunc enim regem vocat aprum sylvestrem, et singularem ferum, qui non vindemiavit,sed eradicavit penitus vineam. Aprum sylvestrem inimicum esse vitibus scribit hoc loco Theodoretus,et Nabuchodonosor regem ob carnalia vitia porco similem fuisse scribit Euthymius: utraque de causa rectissime persecutorem populi Dei apro comparatum dicere possumus. Illud autem,*singularis ferus*, in hebraeo est, זיז שדי *ziz sadai*; de qua voce diximus in explicatione Psal. 49. hoc loco verti potest *bestia agri*, quod idem est cum *apro de sylva:* nam idipsum esse repetivit Propheta, ut solet. In Graeco est, μονιος ἄγριος idest.porcus agrestis: proinde ubi nos habemus in Latino, *singularis ferus*, illud *singularis*. est potius etymologia nominis,quam significatio.Dicitur enim bestia illa μονιος quia solitaria esse solet. Itaque per vocem singularis, hoc loco, intelligendus est porcus sylvester, qui singularitate, et solitudine gaudet. Per vocem, *ferus*, intelligendum est, quod porcus ille ferus, et agrestis sit, et in campis sylvae,non in stabulis, et domibus habitet.

15. *Deus virtutum convertere, respice de coelo, et vide, et visita vineam istam.*

Hic jam praedicit per modum orantis Propheta adventum Christi qui vineam reformavit et aliis colonis custodiendam tradidit, sicut legitur Matth. 21. *Malos male perdet, et vineam suam aliis locabit agricolis*, et clarius explicante Domino parabolam, *auferetur a vobis regnum Dei,et dabitur genti facienti fructus ejus*. Non enim ecclesia veteris testamenti, quae erat vinea Dei funditus periit, sed mutata est in melius. Primitiae enim ecclesiae Apostoli fuerunt,qui utique ex Israel erant. Et multa illa millia, quae initio praedicante Petro conversa sunt ad Dominum, ex Israel etiam erant. Et Apostolus Paulus ad rom. 11. aperte demonstrat, *gentes esse veluti ramos insertos in bonam olivam*, idest adjunctos ad ecclesiam ex Judaeis initio congregatam. Ait igitur, *Deus virtutum convertere*, idest, Deus exercituum, cui multa millia angelorum, imo omnes res creatae militant, ac per hoc potissimus es, *convertere* per misericordiam ad vineam tuam, ad populum tuum, a quo per indignationem justam jamdudum aversus es. *Respice de coelo, et vide*, idest quando longe recessisti a vinea tua, saltem de coelesti habitaculo respicere dignare, et vide quam deformata sit vinea tua ab apro sylvestri. *Et visita vineam istam*, idest et veni, ac visita per teipsum, vineam istam. De hac visitatione dixit Zacharias, Luc. 1. *Visitavit, et fecit redemptionem plebis suae*. Et Christus ipse, Luc. 19. quando flevit Jerusalem illam terrenam, et praedixit ruinam illius, addidit rationem, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*.

16. *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Clarius praedicit adventum Messiae. *Et perfice* inquit, *eam, quam plantavit dextera tua* idest, inchoatum opus perfice; ecclesiam testamenti veteris pene destructam reforma, et meliorem redde; quoniam tu eam initio fundasti, et quasi vineam plantasti, non ut periret, sed ut fructum faceret. *Et super filium hominis, quem confirmasti tibi*, idest respice etiam super Messiam, qui filius hominis dicetur,cum sit etiam verus filius tuus,*quem confirmasti tibi*, in colonum praecipuum vineae tuae, idest in ducem, et principem ecclesiae tuae: hunc enim locum de Christo intelligunt ad litteram non solum s. Hieronymus et Augustinus, sed, et iam Theodoretus et Euthymius graeci,Arnobius et alii. et ipse quoque Paraphrastes Chaldaeus; et accedit manifesta ratio: nam post captivitatem Babylonicam non fuit melior Respub. Judaeorum,quam antea sed longe deterior, ut sanctus Augustinus demonstrat in lib. 18. de civitate Dei, c. 55. quare sit haec prophetia de perficienda vinea,implenda sit,oportet eam ad Christum necessario referre. Sicut etiam refertur illa Aggaei cap. 2. *Magna erit gloria domus hujus novissimae plusquam prima*. Quod autem ad verba attinet, illud, *et perfice*, ex hebraeo sanctus Hieronymus reddit, *et radicem*, sed vox hebraica, וכנה *vecannà*, quamvis possit esse nomen, et significare radicem, aut plantulam; tamen potest etiam esse verbum a radice כון *con*,quod stabilire et perficere significat, et sic intellexerunt hanc vocem septuaginta interpretes. Illud, *et super filium hominis*,in hebraeo est, ועל בן , *venhal ben*, *et super filium*, sed quoniam paulo infra habetur, *super filium hominis*; visum est septuaginta interpretibus, hic etiam addere, *hominis*, explicationis gratia. Incertum autem est, an sensus sit, *respice super filium hominis*, ut nos exposuimus,an *perfice super filium hominis*,sed utrumque recte dici potest.Orat enim Propheta ut Deus impleat promissionem suam de mittendo Messia : et quoniam si genus hebraeorum omnino periisset, Messias sine dubio non venisset, ideo rogat, ut non permittat vineam istam omnino destrui : sed respiciat super Messiam futurum de semine Abrahae, et ideo conservet gentem hebraicam, unde tantum bonum expectatur: vel perficiat super Messiam, idest adimpleat quod promisit circa Messiam, quem ipse sibi ab aeternitate stabilivit.

17. *Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.*

Declarat effectum , quem pariet adventus Messiae, futurum videlicet esse, ut vinea Domini incensa, et eradicata continuo iterum virescat, et floreat : nam increpante Deo vastatio illa vineae subito evanescet: quomodo quando Dominus increpabat tempestates, statim evanescente tempestate succedebat tranquillitas maris; et quando imperabat morbis, et morti, statim evanescente morbo succedebat sanitas, et evanescente morte succedebat vita. *Incensa*, inquit, *et suffossa*,idest, vinea incensa igni, et suffossa ab hostibus eradicantibus vites; *ab increpatione vultus tui peribunt*, idest imperante te ut cesset vastatio et quasi increpante ipsam vastationem, continuo peribunt incensio, et suffossio, et redibit viriditas, et integritas vineae. Sanctus Augustinus more suo exponit per incensionem, cupiditatem malam ; per suffossionem, timorem malum : nam amor inflammat, timor humiliat : sunt autem cupiditas, et timor radices omnium peccatorum. Quicumque enim peccat, aut id facit, ut lucretur hominum temporale, quod amat : vel ut evitet malum temporale, quod timet. Porro Christus adveniens increpando expulit cupiditatem, et timorem, et contra accendit amorem bonum, et introduxit timorem bonum, idest, amorem Dei, et bonorum aeternorum : dixit enim, *ignem veni mittere in terram*, Luc. 12. et, *nolite timere eos, qui occidunt corpus*, Matth.10. Neque est, aliud remedium potentius ad pellendum amorem mundi, vel timorem mundi, quam si quis serio cogitet,et firmissime credat,multo major bona daturum esse Deum amantibus se, et multo majora supplicia offendentibus se, quam ea sint, quae mundus polliceri, aut minari potest. Alii versiculum praesentem ita exponunt : *incensa igni, et suffossa* vinea tua est; sed hostes ejus ab increpatione vultus tui peribunt. Alii, *incensa igni, et suffossa* vinea tua est: et si ita pergas indignari vineae tuae, omnes filii Israel ab increpatione vultus tui peribunt: sed facilior et planior videtur expositio, quam attulimus. Illud certum est, incensa et suffossa, non esse generis neutri, et numeri multitudinis ; sed generis foeminini, et numeri singularis tam in hebraeo textu, quam in graeco, ut ad vineam omnino referri debeant.

18. *Fiat manus tua super virum dexterae tuae: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Securus de adventu Messiae, fausta illi precatur Propheta. *Fiat*, inquit, *manus tua super virum dexterae tuae*, idest, fiat manus tua ad protegendum semper et ubique virum dexterae tuae, idest, virum, quem dextera tua sola proprie formavit, et praefecit ecclesiae: Christum enim, ut hominem non cooperatio viri, sed sola divina virtus in utero Virginis formavit. Sic enim dicitur Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te,et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Et eumdem Christum non electio humana, sed sola voluntas divina regem ecclesiae fecit, ut ipse dicit in psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*.

19. *Et non discendimus a te, vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.*

Christo nos regente, *non amplius discedimus a te*, quia regnum Christi aeternum erit, et portae inferi non praevalebunt adversus ecclesiam. Matthaei 16. *Vivificabis nos* vita gratiae hic in terris, et vita gloriae postea in coelis; et nos tribuum reddemus invocationis, et laudis, et actionis gratiarum in aeternum.

20. *Domine Deus virtutum converte nos;et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Haec est ultima conclusio psalmi, de qua supra diximus in vers. 8.

PSALMUS LXXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, pro torcularibus psalmus ipsi Asaph.

Quid sit *pro torcularibus*, ut diximus in explicatione psalmi 8. hoc solum addendum videtur hoc loco, non esse probabile quod Theophylactus scribit ad cap. 7. s.Joannis.hunc psalmum inscribi *pro torcularibus*, quod in eo gratiae agantur Deo pro collectione uvarum , et aliorum fructuum, quae fit in mense Septembri. Hoc , inquam, non est probabile,quoniam in toto hoc psalmo,ut etiam annotavit s. Augustinus, nulla fit mentio collectionis uvarum,aut aliorum fructuum. Deinde non solum hujus psalmi, sed etiam psalmi octavi, et octogesimitertii titulus est, *pro torcularibus*, in quibus psalmis nulla mentio fit Septembris, aut collectionis uvarum. His ergo omissis, argumen-

http://www.obrascatolicas.com

tum est cohortatio ad festos dies rite celebrandos: et simul commemoratio beneficiorum Dei, ob quae dies festi celebrantur; et reprehensio negligentiae, et ingratitudinis hebraeorum. In quibusdam codicibus additur ad titulum, quinta sabbati, sed in hebraicis codicibus, et in correctioribus Graecis, et latinis non habetur.

EXPLICATIO PSALMI LXXX.

1. *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.*

Hortatur Propheta, ut cum Deum laudamus cum magna cordis laetitia id agamus: *hilarem enim datorem diligit Deus*, ut ait Apostolus in 2. Corint. 9. et si hilarem datorem, multo magis hilarem laudatorem. Hilaritas autem cordis ex desiderio, et amore nascitur: proinde qui cum acedia psallit, et qui divinum officium, non dulce canticum, sed grave onus judicat; indicat se parum amare, cui psallit. *Exultate*, inquit, *Deo adjutori nostro*, idest, cum exultatione laudate Deum, qui potens est, et fortis ad nos in omnibus rebus juvandos. *Jubilate Deo Jacob*, idest, magna, et laeta voce canite laudes Dei nostri. In hebraeo pro, *adjutorio nostro*, est, עזנו *huzenu, fortitudini nostrae*, sed idem est sensus: nam fortitudinem Dei celebramus, quam in nostro auxilio quotidie experimur.

2. *Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.*

Hortatur, ut non solum voce, sed etiam instrumentis musicis Deum celebremus, quod etiam si ad litteram de corporalibus istrumentis intelligatur, tamen in novo testamento praecipue intelligi debet de sonitu bonorum operum; quae verbis laudatoriis quasi ex altera parte respondere et consonare debent. S. Augustinus exponit prima verba, quasi sacerdotes dicant plebi, *sumite psalmum* a nobis, *et date nobis tympanum*, idest sumite a nobis spiritualia, et date nobis carnalia, sed quamquam id justissimum sit, et confirmatum ab Apostolo 1. ad Cor. 9. *Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* tamen hoc loco secundum litteram, *sumite psalmum, et date tympanum*, iisdem personis dicitur, Levitis videlicet, quorum officium erat canere psalmos, et pulsare tympana, psalteria et citharas. Itaque, *sumite psalmum*, significat assumite psalmum, et incipite canticum; *date tympanum*, significat proferte tympanum, et incipite pulsationem; nec solum tympanum, sed etiam psalterium et citharam proferte, et jucunde pulsate. In hebraeo legitur inverso ordine, *cytharam jucundam cum psalterio*, pro quo graeci et latini habent, *psalterium jucundum cum cithara*; sed in sensu nulla diversitas est. Illud, *jucundum*, videtur opponi sono gravi et rudi tympanorum: psalterium enim et cithara jucunde et dulciter sonant, tympanum aspere et incondite.

3. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.*

Explicat, quo tempore sit praecipue jubilandum et ait, *buccinate in neomenia tuba*, idest, initio mensis, quod graece dicitur νεομηνία, quasi nova luna; quia in noviluniis hebraei incipiebant menses, et festa celebrabant. *In insigni die solemnitatis vestrae*, idest *buccinate in neomenia*, quae est insignis dies solemnitatis vestrae. Disputant hoc loco tractatores, an Propheta hoc loco loquatur de omnibus neomeniis, an de neomenia septembris: nam omnes neomeniae, idest omnia initia mensium lunarium erant dies festi apud hebraeos, et in illis clangebatur tubis, ut habetur lib. Num. cap. 10. tamen neomenia septembris erat celeberrima omnium, quia in eam diem incidebat festum tubarum, ut habetur Lev. 23. et num. 29. Qui volunt, prophetam loqui de sola neomenia septembris, nituntur potissimum sequentibus verbis, *in insigni die solemnitatis vestrae*. Ubi videtur restringi nomen neomeniae ad unam neomeniam insignem et solemnem, in qua potissimum erat usus tubarum, quae sine dubio erat neomenia septembris, quae dicitur num. 29. *Dies clangoris et tubarum*, et Lev. 23. dicitur *sabbatum memoriale clangentibus tubis celebrandum et vocandum sanctum*, atque in eo ab omni opere servili esse vacandum. Qui autem existimant, prophetam loqui de neomenia cujuscumque mensis, dicunt verba sequentia, *in insigni die solemnitatis vestrae*, non intelligi de neomenia, sed de aliis festis ut Pascha, Pentecoste, tabernaculorum et aliis, ut sensus sit, *buccinate tuba in neomenia*, et buccinate etiam tuba in omni alia insigni die solemnitatis vestrae. Res est parvi momenti: tamen prior sententia mihi probabilior videtur, quoniam ut plurimum in psalmis, quod passim observat sanctus Augustinus, posterior pars versiculi repetit, aut declarat partem priorem. Quod attinet ad verba illud, *in insigni*, hebraice est, בכסה *bachese*, quod proprie significat, *in operimento*, sive *tegmine*, vel, ut alii dicunt, *in tempore constituto*, sive *solemni*, et ad verbum sic verti posset haec sententia, *buccinate in neomenia tuba, in tempore solemni ad diem festum vestrum*; quod idem est cum eo, quod vertunt septuaginta, quantum ad sensum attinet; idem enim est *in insigni die festivitatis*, et in tempore solemni ad diem festum, nisi quod in hebraeo est prima persona pronominis, in graeco et latino est secunda. Nam in hebraeo est, חגנו *chaggenu, solemnitatis nostrae*, in graeco vestrae. Sed utrumque est verum, et fortasse septuaginta legerunt in secunda persona etiam in hebraeo: advertimus enim non raro aliter legisse hebraicum textum septuaginta interpretes, quam nunc habeatur in nostris libris.

4. *Quia praeceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.*
5. *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguam, quam non noverat, audivit.*

Reddit rationem, cur oporteat cum exultatione cantare, et instrumenta musica pulsare in die festo, quia videlicet hoc Deus ipse mandavit, quando eduxit populum de captivitate Pharaonis. Vult enim Deus, qui nulla re indiget, hoc tributum laudis, et memoriae beneficiorum suorum. *Quia*, inquit, *praeceptum in Israel est*, idest psallere, et tympana cum aliis instrumentis pulsare oportet in signum laetitiae et gratiarum actionis; quia hoc praecepit Deus populo suo Israel; et hoc praeceptum habetur et conservatur in Israel, idest in populo Dei qui a parente dicitur Israel. *Et judicium Deo Jacob*; ideo repetit aliis verbis: idem enim est praeceptum et judicium hoc loco, ut etiam in psal. 18. et 118. et alibi: idem quoque est Israel, et Jacob. Ait igitur, *et judicium Deo Jacob*, idest et hoc ipsum est decretum, quod servandum est a populo Jacob erga Deum suum. *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti*. Idipsum secundo repetit cum additione temporis: idem enim intelligitur per Israel, per Jacob et per Joseph, populus videlicet Dei, qui totus constabat ex filiis Jacob et Joseph, ut supra diximus in psal. 76. et psal. 79. Idem quoque est praeceptum, judicium et testimonium, ut dictum est in psal. 18. et 118. *Posuit*, inquit, *testimonium in Joseph*, idest constituit hoc praeceptum in populo suo, qui Joseph dictus est a Patriarcha Joseph, qui pater fuit naturalis duarum tribuum, et pater protectione et providentia in Aegypto omnium filiorum Israel. Posuit autem hoc praeceptum Deus in populo suo, quando eduxit eum de Aegypto. Siquidem omnia praecepta, et hoc unum cum caeteris data sunt a Deo per Mosen in deserto paulo post egressionem de Aegypto, ut notum est ex lib. Levit. et Num. *Linguam quam non noverat, audivit*. Haec pars ultima versiculi duobus modis exponi solet. Prior expositio est veterum scriptorum, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Euthymii et aliorum, quod per linguam, quam non noverat populus Dei, intelligatur vox audita de monte Sina: non enim audierat unquam antea populus vocem Dei loquentis: et spiritualiter intelligitur vox Evangelii, quam incipiunt audire, et credere qui exeunt de Aegypto, et serio convertuntur ad Deum. Posterior expositio est aliquorum recentiorum, quod per vocem, quam non subierat, intelligitur lingua Aegyptiaca, ut sensus sit, *linguam quam non noverat audivit*, idest, populus Dei in Aegypto, unde per gratiam Dei eductus fuit, *linguam quam non noverat audivit*, ac per hoc cum barbaris ignotae linguae conversatus est. In hebraeo habetur in prima persona, אשמע ידעתי *jadanthi eschmanh*, *linguam quam non noverat audivi*. Sed credibile est septuaginta interpretes legisse in tertia persona, et sic fuisse in antiquis codicibus.

6. *Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.*

Hoc est alterum beneficium Dei erga hebraeos in exitu eorum de Aegypto. Siquidem Aegyptii hebraeos cogebant serviliter laborare in operibus duris laterum faciendorum, et coquendorum, ut perspicuum est ex lib. Exod. cap. 1. 2. 5. Ait igitur, *divertit ab oneribus dorsum ejus*, idest Deus divertit ab oneribus dorsum Israel, sive Jacob, sive Joseph, idest dorsum populi sui, liberans eum ab oneribus duris luti, et laterum, quibus opprimebatur ab Aegyptiis. *Manus ejus in cophino servierunt*, idest divertit Dominus ab oneribus dorsum populi sui, cujus populi manus longo tempore in gestandis cophinis plenis luto, vel lateribus servierunt. In hebraeo habetur in prima persona, diverti ab onere dorsum ejus: et quamvis sensus idem sit, sive loquatur propheta, sive Deum loquentem introducat; tamen omnino credibile est, in codicibus antiquis, quos habuerunt septuaginta interpretes fuisse in tertia persona: nulla enim est ratio, cur vertere voluerint aliter quam in textu invenerint. Illud autem, *in cophino servierunt*, in hebraeo est, *a cophino recesserunt*. Sed manifesta est ratio diversitatis ob unius litterae similitudinem: nam septuaginta legerunt, תעברנה *tanhavodna*, quod est *servierunt*: ut nunc legitur; תעכרנה *tanhavorna*; quod est, *recesserunt*, sunt enim literae simillimae ד et ר.

7. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te; exaudivi te in absconditо tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.*

Ab hoc versiculo usque in finem vicissim commemorat Deus beneficia sua in populum, et ingratitudinem populi in Deum. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te*, idest dum in Aegypto tribulationem gravissimam patereris, invocasti me, et liberavi te, educens de terra illa, et liberans de durissima servitute. *Exaudivi te in absconditо tempestatis*, idest exaudivi te non solum cum timeres tempestates et plagas, quibus perrussi Aegyptum: tunc enim abscondi te, et protexi, ne plagae illae tibi nocerent. Vel, ut alii volunt, *exaudivi te*, cum transisses per mare rubrum, et Pharao cum curribus suis, et equitibus te sequeretur, ego latens in columna nubis, et ignis excitavi tempestatem in mari et subverti rotas curruum Pharaonis, et universum exercitum interfeci. Itaque illud, *in absconditо*, potest referri tum ad populum absconditum a Deo tempore tempestatis, tum etiam ad ipsum Deum absconditum in columna nubis, et invisibiliter pugnantem cum Pharaone et exercitu ejus. *Probavi te apud aquam contradictionis*, idest post haec tam magna beneficia tentavi

http://www.obrascatolicas.com

te per aquae penuriam, ut explorarem fidem et patientiam tuam: sed inveni te impatientem et infidelem. Scribitur haec historia Exod. 17. et Numer. 20. ubi Deus permisit ad modicum tempus, ut populus aquae penuria laboraret, et populo murmurante, et verso in seditionem, Deus ex petra eduxit aquas largissimas. Vocata est autem aqua illa contradictionis, quoniam propter aquam populus contradicere coepit Mosi, atque ejus imperium detractare.

8. *Audi populus meus et contestabor te, Israel si audieris me. non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*
9. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum, et implebo illud.*

Refert Propheta in persona Dei, quam aequas conditiones Deus in populo suo proposuerit, et quam amplas pollicitationes addiderit, si pactis conventis stare voluisset. In quo apparet ineffabilis benignitas Dei. *Audi*, inquit, tu gens hebraea, quae es *populus meus*, et palam admonebo te, sive testatum faciam tibi, quid a te requiram, et quid tibi redditurus sum. *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens*, idest si me audire, et mihi obedire volueris; hoc a te requiro, hoc in primis tibi mando, *ut non sit apud te Deus recens*, idest Deus, quem non coluerunt patres tui, sed recens introductus. Sic enim hoc explicatur in cantico Mosis, Deuteronom. 32. Vere tamen scribit sanctus Augustinus, omnes Deos falsos esse Deos recentes, quia non sunt aeterni, nec sine principio, sed nuper in officina sculptoris effecti, vel in cerebro humanae vanitatis formati. *Neque adorabis Deum alienum*, est declaratio, vel repetitio ejusdem rei: dicuntur enim Dii alieni, Dii aliarum gentium, quos non coluerunt Patriarchae hebraeorum. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.* Optima ratio cur non debeat gens Judaica colere Deos alienos: quoniam, inquit, *ego sum Dominus Deus tuus, quia redemi te de captivitate*, ac transtuli a servitute Pharaonis ad servitutem meam. Quae ratio multo etiam magis convincit Christianos non debere colere Deos alienos: quia Deus verus atque aeternus, non solum nos cum caeteris creavit, sed per Christum filium suum liberavit de captivitate diaboli, et transtulit in regnum filii dilectionis suae. *Dilata os tuum, et implebo illud.* Haec est promissio amplissima Dei cultoribus suis, quae sumpta est a metaphora cibi. *Dilata*, inquit, quantum potes, os, et fauces desiderii tui, quia replebo cibo suavissimo famem tuam. Hanc promissionem solus Deus implere potest. Quidquid enim creatum nobis detur, non satiat, neque explere potest appetitum cordis humani. Sola Dei visio, atque fruitio, quae bonum est infinitum, et omnia omnino bona comprehendit, satiare nos poterit. Recentiores referunt hunc versiculum ad orationem, ut sensus sit, *aperi os tuum*, et pete quod vis, et implebo petitionem tuam. Sed veteres, s. Hieron. s. Augustinus, Theodoretus et Eutymius referunt ad cibum, ut nos exposuimus, et vere dilatare, et implere os ad comestionem potius pertinent, quam ad locutionem. Sensus autem idem est.

10. *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi.*

Queritur nunc Deus de ingratitudine populi sui, quod tam aequis conditionibus non acquieverit. Et mirum est valde, quod cum in terris servuli ambiant gratiam Domini sui, et pro magno beneficio reputent, si cum eis Dominus loqui, vel eos respicere dignetur; Israel tamen, idest pulvis et cinis Deum Deorum audire, et in eum intendere dedignetur. Sed vere dixit in Evangelio Luc. 16. Dominus, *prudentiores esse filios hujus saeculi filiis lucis in generatione sua.* Vox hebraica pro eo, quod nos habemus, *non intendit mihi*, habet, לא אבה לי *lo ava li, non voluit me*, idest rejecit me, contempsit me, in me respicere non est dignatus.

11. *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibant in adinventionibus suis.*

Horrendum, sed justissimum flagellum minatur Deus contemptoribus suis, ut videlicet fiat eis peccatum poena peccati, idest, sinantur in peccata semper graviora prolabi, donec ad profundum malorum deveniant, hoc est, quod dicit Apostolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*; et paulo post, *tradidit illos in passiones ignominiae*; et iterum, *tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt.* Haec est illa obduratio cordis, de qua dicit Ecclesiastes cap. 7. *Considera opera Dei, quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Et dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum*, idest permisi ut ambularent, et operarentur juxta concupiscentias suas; non dedi eis, ut filiis, disciplinam; sed ut alienos dimisit ut praecipitarentur et conderentur. *Ibunt in adinventionibus suis*, idest sequentur non semitas Patrum suorum, non vias rectas legis meae, sed cogitationes cordis sui in cultu Deorum, quos humana curiositas adinvenit; et in omni genere turpitudinis vitiorum quibus corrumpi solet humana natura, cum Dei lumine non dirigitur, et Dei dextera non tenetur, et Dei efficaci gratia non juvatur.

12. *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.*
13. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.*

Iterum redit ad promissiones per modum optantis, ut ostendatur innata Deo nostro misericordiae affluentia. Vere enim Deus noster, *Pater misericordiarum est, et Deus totius consolationis*, ut ait Apostolus 2. Cor. 1. Nam ubi legimus, *si populus meus audisset me*, in hebraeo est, לו *lu*, quae est particula optantis. *Utinam populus meus audisset me.* Sed quia in Deum proprie non cadit talis affectio, et est ea metaphorica locutio, septuaginta interpretes verterunt, *si populus meus audisset me, et in viis meis*, idest in legionibus meis, *ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*, idest facillime et celerrime omnes hostes populi mei, qui nunc eum tantopere vexant, humiliassem, et dejecissem, ut caput attollere non valerent. *Et super tribulantes eos misissem manum meam*, idest quia semper persecutores populi mei misissem manum potentiae meae, atque eos contrivissem. Illud, *pro nihilo*, in hebraeo est, כמעט *chimhat, quasi modicum*, vel ut sanctus Hieronymus vertit, *quasi nihilum.* Et sensus est, Deo non est difficile debellare quoslibet inimicos, quoniam omnis humana potentia, quasi nihil est coram Deo; ac per hoc potest facillime et velocissime id agere, quia nihil ei resistit. Itaque illud, *pro nihilo*, exponendum est, ac si nihil essent omnes inimici, ita eos humiliassem. Illud, *forsitan*, non habetur in hebraeo, sed additum est a septuaginta declarationis gratia, ut intelligeremus Deum non necessario, sed libere agere et posse pro arbitrio, si velit, non agere.

14. *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in saecula.*

Hic jam loquitur Propheta, et confirmat, quod Deus dixerat, *et non audivit populus meus vocem meam*, proinde per inimicos intelligit Judaeos, qui ex filiis inimici facti sunt, ac tum praesertim cum Christum negaverunt coram Pilato, regem suum esse, de qua re Daniel cap. 9. diserte ait, *et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Ita exponunt omnes veteres, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii. Recentiores nonnulli cum Rabbinis exponunt de inimicis Judaeorum, sed nos malumus Patres nostros, quam Rabbinos sequi. Ait igitur, *inimici Domini*, idest Judaei rebelles et increduli, *mentiti sunt ei*, quia promiserunt ad radices Montis Sinai, se facturos omnia, quae Dominus imperasset, Exod. 24. *Omnia verba*, inquiunt, *quae locutus est Dominus, faciemus*, et tamen nihil eorum opere compleverunt. Ex hebraeo יכחשו לו *jechachasciu lo*, posset etiam verti, *negaverunt ei*, vel *eum*: sed rectissime etiam vertitur, *mentiti sunt ei. Et erit tempus eorum in saecula*, idest, et erit tempus defectionis et rebellionis eorum in saecula, quia vix in fine mundi reliquiae judaeorum convertentur, vel juxta s. Augustinum, erit tempus supplicii eorum in saecula, quia ignis gehennae non extinguetur. Theodoretus et Euthymius notant apud Syros per tempus interdum significari supplicium, sive calamitatem: quod s. Augustini expositionem confirmat.

15. *Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.*

Hic notatur maxima Judaeorum ingratitudo, qui mentiti sunt Domino cum tantis eos beneficiis affecisset. Possunt autem haec verba referri ad manna, quod pluebat Judaeis in deserto, et aquam quae in eodem deserto scaturivit de petra; nam cibus ille recte dicitur adeps frumenti quia erat panis angelorum, ut dicitur in psalmo 77. et habebat omnem saporem, ut dicitur Sapientiae 16. Mel de petra Moses eduxit, quia ut Theodoretus dicit, sitientibus hebraeis instar mellis videbatur. Potest tamen etiam referri totus hic versiculus ad ubertatem tritici vini et olei, quae erat in terra promissionis, quamvis magna ex parte montuosa et saxosa esset. Sic enim scribit Moses, Deuteron. 32. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Ubi per fructus agrorum, intelligitur praecipue frumentum, de quo paulo infra dicit, *et hircos cum medulla tritici.* Per mel de petra intelligitur mel ipsum, quod apes in cavernis petrarum producebant, necnon ficus, uvae et reliqua dulcia, quae in montibus illis petrosis gignebantur. Sed adeps frumenti, et mel de petra multo pretiosiora sunt apud Christianos, quibus adest sub specie panis corpus Redemptoris, et mel sapientiae coelestis de petra, quae idem Christus est; et tamen non pauci post abrenunciationem diabolo et pompis, et operibus ejus factam in baptismo, mentiuntur Deo revertentes ad ea, quibus renunciaverant, et post gustatum panem de coelo, et mel de petra, revertuntur, ut canes immundi ad vomitum suum. Qui timere debent aeternitatem futuri supplicii ignis, qui non extinguitur, et vermis qui non moritur.

PSALMUS LXXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus Asaph.

Argumentum hujus psalmi est exhortatio ad judices, ut juste judicent. Sed ut majorem efficaciam habeat exhortatio, inducitur Deus summus judex increpans judices minores.

http://www.obrascatolicas.com

EXPLICATIO PSALMI LXXXI.

1. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.*

Pronunciat s. Propheta, Deum semper adesse, cum judices sententias ferunt, et de ipsis eorum sententiis judicare, et rectaene, an iniquae sint. Quod certe multum prodesset judicibus si serio cogitarent, in conspectu summi judicis omnes causas judicari. *Deus*, inquit, *stetit*, idest, semper assistit praesens invisibili majestate, *in synagoga Deorum*, idest, in conventu, et consessu Judicum, dum causas populi judicant: et dum illi judicant populos, Deus *in medio eorum* praesens assistens *judicat ipsos judices*. Hic sunt aliqua dubia breviter dissolvenda. Primum est, quia in hebraico textu ubi dicitur, Deus stetit, vox *Deus*, est אלהים *Elohim*, quae est numeri multitudinis, et significat *Deos*, sive judices: vox autem Deorum, cum, dicitur in Synagoga Deorum, est numeri singularis אל *El*, et significat Deum. Quare videntur Septuaginta Interpretes non recte vertisse, *Deus stetit in synagoga Deorum*. Respondetur primo, fieri posse ut verba illa in nostris codicibus sint transposita, et in codicibus antiquis fuerit in primo loco אל *El*, et in novissimo אלהים *Elohim*, ut Septuaginta reddiderunt. Secundo, posse hunc locum hebraice ita legi, *Deus stetit in synagoga Deorum*: carent enim hebraei casibus; tamen Septuaginta Interpretes, ut sensum clariorem redderent, vertisse, *Deus stetit in synagoga Deorum*. Tertio, posse verti cum s. Hieronymo, Deus stetit in synagoga Dei, idest, in synagoga sua: tamen septuaginta Interpretes vertisse, *in synagoga Deorum*, quia synagoga Dei nihil est aliud, nisi conventus Judicum a Deo constitutorum, quibus etiam nomen suum impertivit, quia communicavit cum illis auctoritatem judicandi, quae est ipsius propria, dicente s. Jacobo cap. 4. *Unus est legislator, et judex*. Neque obstat, quod, אלהים *Elohim*, sit numeri multitudinis: recipit enim usitate significationem numeri tum singularis, tum multitudinis. Alterum dubium est, cur dicatur in praeterito, *Deus stetit*, et non potius, Deus stetit in synagoga Deorum quando id fuit, quando stetit: et non inveniens quando Deus Pater steterit, refert hunc locum ad Deum filium, qui in carne stetit in synagoga Scribarum, et Pharisaeorum. Sed non est necesse restringere haec verba ad tempus Christi, cum hoc perpetuum sit, ut Deus semper assistat judicantibus: unde etiam sequitur, *in medio autem Deos dijudicat*: vel, ut est in hebraeo, ישפט *ispot*, dijudicabit. Itaque illud, *stetit*, significat, ab initio stare consuevit, sive constituit se praesentem. Et quia Deus non mutatur, sicut ab initio stetit, ita semper, stat, stabit, et semper judicabit. Tertia dubitatio, cur dicit, *stetit*, et non potius sedit; Judicis enim sedere est, non stare. Sed facilis est responsio: nam vox illa, *stetit*, non significat hoc loco stare ut distinguitur contra sedere sed adesse, ut distinguitur contra abesse, et praesertim hoc significat vox hebraica, נעב *nitsab*; ut perspicuum est ex lib. Judic. cap. 3. vers. 22. nam ubi legimus, *infixit ficam in ventrem ejus tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnus*, in hebraeo est, *ut sequeretur: quod stetit post ferrum*, ubi describitur capulus, qui est in gladio post ferrum: quo loco vox, *stetit*, quam etiam hic habemus, non significat, *stare*, idest, *non sedere*, sed, *adesse*, vel *manere*.

2. *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?*

Utrum haec dicantur a Propheta, qui reprehendit judices, propterea quod non cogitent Deum assistere judiciis ipsorum, et ideo injuste judicent: an potius dicantur a Deo, qui assistens judicantibus, et sententias eorum diligenter examinans, arguit malos judices de praecipue et frequentissimo eorum crimine, videlicet de acceptione personarum, ob quam plerumque injuste judicant, incertum est, sed sive Propheta, sive Deus haec dicat, divina reprensio est, quia per os Prophetae Spiritus sanctus sine dubio loquebatur: et quia raro accipitur persona hominis pauperis, et justi; frequentissime autem persona divitis: et injusti ideo de hac acceptione potissimum eos reprehendit. *Usquequo*, inquit, *judicatis iniquitatem*, idest, quamdiu perseverabitis in hoc peccato inique judicandi? et addit causam praecipuam iniquorum judiciorum dicens, *Et facies peccatorum sumitis*, idest, quia facies, sive personas peccatorum accipitis; hinc enim oriuntur iniqua judicia, quia judices non attendunt ad merita causae, sed ad gratiam hominum divitum, et potentium, qui hoc ipso peccatores sunt, quod cupiant a judicibus gratiam suam justitiae anteponi. Porro sumere faciem alicujus, in judicio nihil est aliud, nisi talem sententiam ferre, non qualem justitia exigit, sed qualem requirit amicus, vel benefactor, vel cognatus. Et hoc idem est respicere in faciem hominis, non in regulam justitiae.

3. *Judicate egeno, et pupillo, humilem, et pauperem justificate.*

Reprehendit Deus, sive Propheta primo loco vitium acceptionis personarum: nunc secundo addit vitium oppressionis pauperum, quos judices opprimunt, tum quando differunt eis justitiam facere, tum quando damnant eos injuste, ut adversariis potentioribus non displiceant. *Judicate*, inquit, *egeno et pupillo*, idest, causam pauperis, et praesertim pupilli libenter admittite, diligenter discutite, sollicite expedite, ne cogantur bona sua litigando consumere: *humilem*, idest, hominem abjectum, atque afflictum, *et pauperem justificate*, idest, absolvite, et justum declarate. Hoc tamen intelligitur si vere justus sit: scriptum est enim Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: juste judica proximo tuo*. Sensus igitur non est, ut semper pro paupere, sive in favorem pauperis judicetur; sed ut quando pauper justus est, et injuste accusatur, Judex efficiat ut justitia pauperis emineat, et non opprimatur potentia adversariorum.

4. *Eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate.*

Non satisfacit Judex officio suo, si solum proferat justum judicium, nisi etiam cogat divites, et potentes, ut pauperibus, et egenis, re ipsa satisfaciant sive restituendo ablata, sive resarciendo detrimenta, quae ob calumnias, et lites passi sunt. Ideo sive Deus, sive Propheta adjungit, dicens, *Eripite pauperem*, videlicet de manu potentis, *et egenum* de manu ejusdem potentis *liberate*. Idem enim bis repetit more suo, ut res menti altius infigatur. Eripere autem pauperem de manu potentis est sententiam adversus potentem pro paupere juste pronuntiatam executioni mandare et re ipsa efficere, ut pauper nihil detrimenti a potentiore inimico patiatur. In hoc igitur potissimum deberent judices, et principes auctoritatem suam demonstrare. Sic enim et gratiam Dei, et benevolentiam populorum sibi compararent: sed quoniam ut plurimum id non faciunt, sequitur Propheta, et dicit.

5. *Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terrae.*

Deplorat Propheta voluntariam caecitatem Judicum, ob quorum injustitias totus orbis terrarum conturbatur. Nam ut Dominus dicit in evangelio Matth. 5. *Si sal evanuerit, in quo salietur?* et alibi, Luc. 11. *Si lux quae in te est, tenebrae sint, ipsae tenebrae quantae erunt?* Sic etiam dicere possumus, si apud eos, qui ex officio justitiam administrant, justitia non invenitur, ubi tandem invenietur? nonne iniquitas omnia confundet? *Nescierunt*, inquit. *neque intellexerunt*, idest, neque cognoverunt quid facti; neque intellexerunt quid juris esset in causa. Hoc enim interest inter duo verba hebraica ידעו *jadehu* יבינו *jabinu*, quae hic habentur, quod inter *cognoscere*, *et intelligere*, apud latinos. Cognoscere latius patet, ut etiam ad notitiam sensuum pertineat, intelligere proprium est mentis, et rationis, quare proprie dixit Propheta Isaias cap. 1. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*; non autem proprie dixisset, *intellexit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*. Ex hac ignorantia judicum fit *ut in tenebris ambulent*; idest, errent in judicando, quomodo caeci errant inter ambulandum. Ex hoc autem errore, et injustitia sequitur perturbatio, et tumultus, seditio, et defectio populorum; quod significatur verbis sequentibus. *Movebuntur omnia fundamenta terrae*, idest totus orbis terrarum turbabitur, et quasi fluctuabit, neque alia fuit causa, cur totum regnum Israel deficeret à rege David, nisi quia persuasit Absalon populis regem Davidem non intendere causis cognoscendis, ut patet ex lib. 2. regum, cap. 15. Cur autem Judices permulti caeci sint, causam refert Scriptura in cupiditatem munerum. Isaiae 1. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduae non ingreditur ad eos*. Exod. 23. *Nec accipias munera, quae excaecant prudentes*. Deut. 16. *Munera excoecant oculos sapientum*. Ecclesiastici 20. *Dona excaecant oculos judicum*.

6. *Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes.*

Reprehendit hactenus Propheta, sive Deus ipse, Judices acceptionis personarum, injustitiae et ignorantiae: nunc ostendit, quam indigna sint haec vitia eo sublimi honore, in quo Deus illos costituit. *Ego*, inquit, *dixi*, pronunciavi, asserui, *Dii estis, et filii Excelsi omnes* vos judices, et principes terrae. Vocat autem filios excelsi, vel comparans eos cum angelis; qui apud Job cap. 1. et 38. *Filii Dei* dicuntur: vel ut ostendat, Judices non esse Deos proprie, ut est verus, et summus Deus, qui caret principio: sed esse Deos, quia filii Dei, idest ab uno vero Deo Dii constituti, per participationem auctoritatis judicandi et jubendi. In evangelio Joan. cap. 10. Dominus hunc locum adducens dicit, vocari Deos, *quia sermo Dei ad illos factus est. Si illos*, inquit, *dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, quem Deus sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum?* Sermonem Dei ad aliquem fieri, est Deum committere alicui officium aliquod. Sic enim dicitur, factum est verbum Dei ad Prophetas, quos mittebat ad praedicandum. Et Lucae 3. dicitur *Factum est verbum Dei super Joannem Zachariae filium in deserto*: et mox adjungitur executio. *Et venit in omnem regionem Jordanis praedicans*, etc. Et quod Lucas dixit, *Factum est verbum Dei super Joannem*. Joannes cap. 1. explicuit dicens, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*. Atque hinc manifeste colligitur vis argumenti Christi. *Si illos dixit Deos* Scriptura, *ad quos sermo Dei factus est*, idest, quos Deus misit ad aliquid faciendum, communicans illis auctoritatem suam; quanto magis ego Filius Dei, et Deus dici possum, quem de coelo Pater aeternus misit in mundum cum plenaria potestate. Neque ex hoc loco colligi debet, omnes judices et principes habere a Deo immediate potestatem suam. Satis enim est, si eam habeant, vel immediate, ut habuit Moses in testamento veteri, et s. Petrus in novo; vel mediante consensu populi, ut habent reges et principes terrae, in quos transtulit populus auctoritatem suam, quam accepit a Deo jure naturae: *non enim est potestas nisi a Deo*, ut Apostolus scribit ad rom. 13.

7. *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.*

Ego, inquit, *dixi*, quid estis dignatione Dei, sed nunc addam, quid sitis vitio vestro; ex Dei munere Dii estis, et angelis similes; sed ex peccato, quod habetis ex primo homine, *sicut* caeteri *homines moriemini*. *et* ex proprio vestro vitio, quo abutimini potestate vobis tradita, *sicut unus de Principibus* coelestibus, idest, de angelis apostaticis *cadetis*, et sic de summo gradu ad imum, de magna gloria ad extremam miseriam praecipitabimini. Illud, *sicut homines*, in hebraeo est, כאדם *che-*

http://www.obrascatolicas.com

Adam, sicut Adam, et s. Hier. in commentario exponit, Sicut primus homo mortuus est, ita et vos ejus filii secundum carnem peccatricem moriemini. Non potest tamen septuaginta Interpretum versio improbari, quoniam vocabulum, *Adam*, ita proprium est primi hominis, ut etiam saepe toti generi humano accommodetur. Illud autem, *sicut unus de principibus*, refertur ad Diabolum, non solum a s. Hieronymo, sed etiam a sancto Augustino, Theodoreto, Euthymio, et aliis.

8. *Surge Deus, judica terram. quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus.*

Haec psalmi conclusio duplicem habet sensum, unum ut Propheta imploret auxilium Dei adversus injustitias principum, et judicum terrae, ut videlicet ipse, qui est verus Dominus et possessor totius orbis, emendet judicia hominum, puniat improbos judices et pauperes oppressos sublevet juxta sapientiam et potentiam suam: alterum, ut haec sit praedictio per formam precationis, qua praedicatur adventus Messiae, qui sicut haereditabit orbem terrae, ita etiam judicabit terram justo judicio per suos administros, id est, fideles principes et reges, dum saeculum durat, et postea per se in novissimo die. *Surge Deus, judica terram*, idest, quandoquidem abutuntur Judices potestate sua, tu Deus summe judex exurge, *et judica terram*, exercens judicia in ipsos judices, et liberans pauperes innoxios ab oppressione potentium iniquorum. *Quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*, idest, quoniam possessio tua semper erit sicut fuit in omni humano genere. Non enim sic distribuis regna filiis hominum, ut tu supremam potestatem non semper timeas. Vel, *Surge Deus* Christe, veni in terras, *judica terram*, vindica eam a potestate tenebrarum, trade eam ministris tuis fidelibus, quoniam tu *eris haeres universorum*, ut verus naturalis Filius Dei. Et demum surge iterum, et veni de coelo cum sanctis tuis, et judica terram judicio ultimo, a quo nulla dari poterit appellatio: quia *haereditabis in omnibus gentibus*, quando *omnes inimici tui subjecti erunt sub scabellum pedum tuorum*: ut dicitur in psalmo 109. et sublato omni principatu, et potestate, tu solus pacifice cum Patre et Spiritu sancto regnabis per omnem aeternitatem.

PSALMUS LXXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Psalmi Asaph.

Hic est postremus psalmus ex iis, qui inscribuntur Asaph. De argumento tres invenio sententias. Recentiores volunt in hoc psalmo describi orationem regis Josaphat adversus Moabitas, Ammonitas, et Idumaeos; qui adversus eum conspiraverant ut dicitur, 2. Paralip. 20. Sed contra hanc sententiam facit, quod in hoc psalmo non tantum nominantur tres illae gentes, sed aliae sex, vel septem. Theodoretus, et Euthymius existimant, hunc psalmum continere bella gentium, quae erant in circuitu terrae promissionis adversus Judaeos, qui redierant ex captivitate Babylonica. Sed neque illae gentes tam multae erant, quam multae hic numerantur: solum enim 2. Esdr. 4. nominantur Ammonitae, Arabes, et Azotii: Probabilius est haec omnia contigisse tempore Machabaeorum, ut colligitur ex lib. 1. cap. 5. Machab. Sanctus Augustinus omnino contendit hunc psalmum intelligendum esse de bellis Antichristi adversus ecclesiam, quae sententia probabilissima videtur. Nam sine dubio cum Antichristo convenient omnes barbarae nationes, ac praesertim Orientales Agareni, et Ismaelitae, a quibus Mahumetani originem ducunt. Sed quicquid sit de sensu historico, non potest, nec debet negari, quin praecipua intentio Spiritus sancti ad Christum, et ecclesiam dirigatur.

EXPLICATIO PSALMI LXXXII.

1. *Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.*

Precatur Deum Propheta in persona populi, ut quoniam ipse est potentior omnibus inimicis, non amplius dissimulet vindictam sumere de persecutoribus populi sui. *Deus quis similis erit tibi?* idest nemo tibi comparari poterit in potentia, et robore cum tu solus sis omnipotens: ideo *ne taceas*, idest ne dissimules, *neque compescaris*, idest, ne te ipse mitiges, et compescas a sumenda vindicta, tu qui Deus es, cui nemo resistere potest. S. Augustinus satis apte ad Christum accomodat, qui in hoc mundo similis aliis hominibus videbatur; sed

in die Judicii nemo similis illi erit, quando apparebit *in gloria patris sui, et sedebit in sede Majestatis suae*, ut habetur Matth. 25. Qui etiam tempore passionis tacuit *sicut Agnus mansuetus*, et compescuit ipse se, sed in die Judicii non tacebit nec justissimam iram compescet; quando dicet, *ite maledicti in ignem aeternum*. Quod attinet ad verba, ex hebraeo s. Hier. sic vertit totum hunc versiculum, *Deus ne taceas, ne sileas, et non quiescas Deus*. Et quidem voces Hebraicae hunc sensum facere possunt, sicut etiam hunc, Deus ne silentium tibi sit. Sed etiam recipiunt hunc alium sensum; *Deus non similis tibi*, id est, nemo similis tibi est: quod Septuaginta per interrogationem eleganter expresserunt. *Deus quis similis erit tibi?* vox enim, דמי *domi*, deducitur a verbo, דמה *damah*, quod et *similem esse*, et silere significat. Illud, *neque compescaris*, in hebraeo proprie est, *neque quiescas*. Sed idem est sensus. Ultima vox, *Deus*, in hebraeo est, אל *El*, quae vox Deum significat, ut fortem, et robustum, ex qua intelligimus illud. *Quis similis tibi*, accipiendum esse de similitudine in potentia, et robore.

2. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput.*

Magna ratio cur Deus silere non debeat, hic adducitur; quoniam inimici ejus tumultum insolitum excitaverunt convenientes ex variis nationibus in maxima multitudine adversus populum Dei, et qui aliquando dissimulaverant, aperte se hostes professi sunt. Illud, *sonuerunt*, non significat sonitum tubae, aut tympani tantummodo, sed tumultum gravem, unde existit sonitus inconditus multitudinis; id enim proprie significat vox hebraica, המה *hamah*, quare s. Hieron. vertit, *Quoniam ecce inimici tui tumultuati sunt*. Illud, *extulerunt caput*, s. August. refert ad Antichristum, qui erit caput hostium Christi: ipso enim apparente, plurimi qui non audebant se hostes ecclesiae profiteri, palam se Antichristo adjungent, et tum ipsi efferent audacter caput suum proprium, tum etiam extollent caput commune omnium iniquorum, idest Antichristum.

3. *Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.*
4. *Dixerunt, venite, et disperdamus eos de gente et non memoretur nomen Israel ultra.*

Hic explicat magnitudinem periculi, ut Deus non expectet diutius, neque differat auxilium: quoniam hostes non moliuntur excursionem, aut depredationem aliquam: sed ultimum exterminium, et perfectam desolationem Ecclesiae Dei. Ex hoc loco probabile fit, haec adimpleta esse utcumque, idest, tamquam in typo, et figura tempore Machabaeorum. Dicitur enim libro 1. cap. 5. convenisse omnes gentes, quae erant in circuitu, ut tollerent genus Jacob. Sed proprie pertinent haec omnia ad tempus Antichristi, tunc enim omni conatu contendent omnes impii simul congregati delere castra sanctorum. Sed verba consideremus. *Super populum tuum malignaverunt consilium*, idest, malignum consilium inierunt adversus totum populum tuum sed per malignum intelligi debet malitiosum, et astutum: nam verbum יעצימו *jaharimu*, proprie significat, astute, et secreto consultiverunt, sicut etiam vox, סוד *sod*, quam *consilium* verterunt Septuaginta, significat secretum, ac per hoc consilium, quatenus secretum esse solet. Hoc autem consilium astutum, et secretum erit multiplex apud Antichristum, nam et consilium secretum habebit cum diabolo, quem occulte colet: et astuto consilio finget se Christum esse, ut Christianos decipiat; et simul circumcisionem, et sabbatha probabit, ut seducat Hebraeos. *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos*, idest, malitiosum illud consilium excogitaverunt in perniciem fidelium tuorum, qui sanctificati sunt per sanguinem Unigeniti, et tibi proprie sanctificati, et dedicati sunt vel certe sancti tui sunt per sanctam fidem et religionem, quam susceperunt. In hebraeo legitur, על צפוניך *hal sephunecha*, *adversus absconditos tuos*, vel *abscondita tua*, vel *arcana tua*: proinde non desunt qui intelligant per hanc vocem *sanctuarii*, interiora: neque ab hac expositione dissentit graeca lectio, nam ἁγίων, tam significare potest sancta tua, quam sanctos tuos. Caeterum editio latina vulgata antiquissima, quae sine variatione legit sanctos tuos, declaravit ambiguitatem, quae in hebraeo et graeco esse poterat. Recte autem fideles Dei dicuntur absconditi Dei, quoniam Deus sub umbra alarum suarum protegit eos: et quoniam (ut Apostolus dicit ad Coloss. 3.) *abscondita est vita nostra cum Christo in Deo, et cum apparuerit Christus vita nostra, tunc et nos apparebimus cum illo in gloria*: cui subscribit sanctus Joannes in Epistola 1. capitulo 3. dicens, *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus*. Itaque sancti Dei recte dicuntur absconditi, quoniam etsi Fidei professio non sit abscondita, tamen gloria et pretium inaestimabile hujus professionis abscondita sunt, et suo tempore revelanda. *Venite, et disperdamus eos de gente*, idest, efficiamus, ut non sint amplius gens, et populus, vel ut sanctus Augustinus exponit, *disperdamus eos de gente*, idest, de gentibus, ut inter gentes, sive homines nullum locum habeant. *Et nomen Israel non memoretur amplius*, idest, ne nomen quidem populi Dei supersit. Jam enim saepe monuimus per Israelem intelligi populum Dei, sive secundum carnem, sive secundum spiritum ab Israele descendat.

5. *Quoniam cogitaverunt unanimiter simul, adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumaeorum, et Ismaelitae.*
6. *Moab, et Agareni, Gebai, et Ammon, et Amalec: alienigenae cum habitantibus Tyrum.*
7. *Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Loth.*

Describit gentes, quae delere nitebantur populum Dei de terra. *Quoniam*, inquit, *cogitaverunt*

http://www.obrascatolicas.com

unanimiter simul, idest, consilium ceperunt uno animo omnes inimici Israel simul: ubi enim nos legimus, *cogitaverunt*, in hebraeo est, נועצו *nohatfu, consultaverunt*, ac per hoc illud, *cogitaverunt*, significat inito consilio cogitaverunt. *Adversus te testamentum disposuerunt*, idest, foedus inieruut adversus populum tuum: vox enim testamentum, in sacris litteris pactum significat, et in textu hebraico expresse, ברית *berith, pactum*, sive *foedus* legitur. *Tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae*, etc. Isti sunt qui consultando inter se cogitaverunt, et pactum inierunt adversus populum Dei. Primum quidem Idumaei, sive potius tabernacula Idumaeorum; idest, integra castra Idumaeorum. Sunt autem Idumaei populi, qui descendunt ab Esau, qui alio nomine dicebatur Edom. Deinde Ismaelitae, idest, populi, qui descendunt ab Ismaele filio Abrahae ex Agar ancilla. Tertio *Moab*, idest, populus, qui descendit a filio Loth, qui dictus est Moab. Quarto *Agareni*, idest, populi, qui descendunt ex Agar ancilla Abrahae, sed ex alio marito, cui nupsit posteaquam dimissa fuit ab Abraham. Quinto *Gebal*, idest, populus, qui descendit a Gebal. Utrum autem Gebal sit nomen viri, an regionis incertum est, cum hoc nomen non inveniatur in scripturis, nisi hoc loco fortasse idem est Gebal cum Gebelem, cujus fit mentio lib. 2. reg. cap. 8. ubi dicitur, *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle salinarum, caesis decem et octo millibus, et in Gebelem ad viginti tria millia*, vel est idem cum Geba, de qua dicitur lib. 2. Esdr. capit. 12. *de domo Galgal, et de regionibus Geba*. Theodoretus, et Euthymius dicunt, Gebal fuisse gentem vicinam Idumaeis, Sexto Ammon, idest, populus, qui descendebat ab Ammon filio Loth fratre Moab: hos enim duos genuit Loth ex filiabus suis Genes. 19. Septimo *Amalec*, idest, populus, qui descendebat ab Amalec, qui fuit nepos Esau, ut legitur Genes. 36. Octavo *Alienigenae*, idest, populus Philistinorum, de quibus frequentissima mentio est in libris regum. In hebraeo habetur, פלשת *pelescet, Palaestina*, sed Septuaginta hanc unam gentem perpetuo alienigenas vocare solent. Nono, habitantes Tyrum, idest, Tyrii, qui sunt populi ad mare, sic dicti a Tyro civitate, atque emporio nobilissimo. Decimo Assur, qui venit in Auxilium filiis Loth, idest, populus Assyriorum, qui juvabant Moabitas et Ammonitas adversus Judaeos. Per hos Assyrios recte Theodoretus interpretatur Samaritanos, idest Assyrios, quos constituit Salmanasar rex Assyriae in Samaria, quando transtulit decem tribus in Assyriam, ut habetur lib. 4. reg. cap. 17. Non enim legitur in scripturis; quod aliquando venerint aliqui ex Assyria in adjutorium filiis Loth, idest, Moabitis et Ammonitis: sed legimus in primo libro Machab. cap. 5. quod gentes, quae erant in Galilaea, et Samaria, conjunxerint arma cum Moabitis, et Ammonitis adversus Judaeos. Porro isti decem populi significant, ut supra diximus, gentes quae pugnaverunt cum Machabaeis, vel potius multitudinem orientalium barbarorum, qui cum Antichristo gravissimam persecutionem movebunt adversus ecclesiam.

8. *Fac illis sicut Madian, et Sys arae, sicut Jabin in torrente Cisson.*

Praedicit nunc Propheta per modum imprecationis exterminium gentium, quae cum Machabaeis praeliabantur, sed praecipue Antichristi, et exercitus ejus, comparans illos aliis persecutoribus, qui similiter perierunt. *Fac illis*, inquit, *sicut Madian*, idest, disperde eos, sicut olim tempore Gedeonis judicis dispersisti, ac penitus profligasti Madianitas. Historia haec habetur in lib. Jud. cap. 6. et 7. *et Sisarae*, idest, sicut tempore Barach judicis perdidisti Sisaram principem militiae Jabin regis. *Et Jabin, in torrente Cisson*, idest, et sicut delevisti ipsum Jabin regem Chanaam cum exercitu suo prope torrentem, qui dicitur Cisson. Habetur haec historia in lib. Jud. cap. 4. et 5. Meminit autem Propheta horum principum prae caeteris, quoniam devicti sunt non sine miraculo a paucis hominibus: et magis terrore a Deo immisso, quam viribus Judaeorum.

9. *Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terrae.*

Describit locum, ubi perierint Jabin, et Sisara cum exercitu suo; locus enim fuit Endor, cujus fit mentio in lib. Josue cap. 16. Ibi ergo perierunt, et facti sunt ut stercus terrae, quia insepulti computruerunt, et a maxima gloria ad summam ignominiam redacti sunt.

10. *Pone Principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.*

Revertitur ad historiam Gedeonis, qui non solum exercitum Madianitarum profligavit; sed etiam paulo post interfecit quos principes Madianitarum *Oreb, et Zeb*, et quos reges *Zebee, et Salmana*. Vide in lib. Jud. cap. 7. et 8.

11. *Omnes principes eorum, qui dixerunt, Haereditate possideamus sanctuarium Dei.*

Pone, inquit, sicut reges et principes Madianitarum omnes principes eorum populorum, qui dixerunt, *Haereditate possideamus*, idest, tamquam haereditatem, et propriam possessionem vindicemus nobis *sanctuarium Dei*, idest, civitatem Jerusalem, quae erat sanctificata Deo, ut proprium ejus habitaculum. Significat autem Jerusalem (ut saepe diximus) ecclesiam Dei, quam totis viribus sibi subjicere, et captivare conabitur Antichristus. In hebraeo pro, *sanctuarium*, habetur, נאות *nehot*, quam vocem sanctus Hieronymus vertit, *pulchritudinem Dei*, sed commodius verti posset, pulchra habitacula Dei. Septuaginta verterunt sensum, Habitacula enim Dei, sanctuaria sunt.

12. *Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.*

Aptissima similitudine describit Propheta instabilitatem, et interitum impiorum, quae procedunt ex justo judicio Dei. Rota enim semper circumvolvitur, cum ruit in praeceps, nec ad punctum temporis consistere potest, et tandem tota confringitur; sicut etiam stipulae stante vento huc illucque jactantur, donec dissipatae non amplius compareant. Ad hunc modum praedicit Propheta per modum imprecationis, Deum acturum esse cum impiis persecutoribus justorum: et re vera sic fieri experientia testis est, nihil enim instabilius est prosperitate impiorum; et finis eorum, mors aeterna erit.

13. *Sicut ignis, qui comburit sylvam, et sicut flamma comburens montes.*
14. *Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.*

Praedixit supplicium impiorum, instabilitatem in hoc saeculo, et interitum in futuro: nunc praedicit velocitatem, et facilitatem, qua Deus illos puniet: nam non contentus similitudine venti dissipantis stipulas, comparat iram Dei igni comburenti ligna sylvarum, aut foenum camporum. *Sicut*, inquit, *ignis qui comburit ligna sylvarum*, inter quae multa sunt arida, et velocissime absumuntur, *et sicut flamma comburens montes*, idest, foenum in montibus, praecipueque cum siccum fuerit, *Ita persequeris eos*, idest, pari facilitate, et celeritate persequeris, et perdes eos *in tempestate tua*: quod declarans addit, *et in ira tua turbabis eos*. Idem enim est tempestas, et ira, utrumque enim justum Dei judicium significat, quod instar vehementissimae tempestatis, et turbinis, cui resisti nullis viribus potest, impios percellet, conturbabit, et dissipabit. S. Augustinus notat impios comparari montibus propter elationem ac superbiam, et lignis sylvarum propter sterilitatem, et carentiam fructuum bonorum, ob quae jure sempiternus ignis illis debeatur.

15. *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum Domine.*
16. *Erubescant, et conturbentur in saeculum saeculi, et confundantur, et pereant.*
17. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.*

Praedicit in fine psalmi, alios ex persecutoribus per flagella erudiendos et convertendos ad Deum; quales erunt plurimi Judaei, qui tunc demum agnoscent errorem suum et pudefacti convertentur ad Deum: alios in pertinacia, et obstinatione sua permansuros; sed eos quoque confundendos, et vel invitos cognituros potentiam Dei singularem, et quod ipse solus sit verus Dominus omnium rerum. *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia*, idest, confusione, ut ignominiam suam intelligentes verecundati *quaerant nomen tuum*, idest, invocent nomen tuum, vel *quaerant nomen tuum*, idest, quaerant gloriam tuam, non amplius suam, ex inimicis amici facti, et ex servis filii. Illi autem, qui ex flagellis non molliuntur, sed obdurantur ad imitationem Pharaonis, *erubescant, et confundantur in saeculum saeculi*, idest, aeterna confusione repleantur; nec solum confundantur, sed etiam *pereant in aeternum. Et cognoscant inviti quia nomen tibi Dominus*, idest, jam propria experientia edocti intelligant, tibi soli nomen Domini proprie convenire, cui ad nutum serviunt omnia, et tu nulli necessitati servis, qui nulla re indiges, in te ipso habens omnia: caeteros autem, qui dicuntur Domini, vel usurpasse nomen alienum, vel improprie Dominos dici, cum et ipsi multis rebus indigeant, ac per hoc multis necessitatibus serviant. *Tu solus altissimus in omni terra*, idest, et cognoscant, quia tu solus praemines potestate super omnes principes universae terrae; neque ullus est qui tecum contendere, vel tibi ullo modo comparari possit. Haec Prophetia nunc ex parte impletur, sed in die judicii omnino, et absolute implebitur.

PSALMUS LXXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem pro torcularibus, filiis Core Psalmus.

De hoc titulo alibi diximus. Argumentum idem fere est, quod psal. 41. cujus initium est, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*. Utrumque psalmum videntur nonnulli nimis humiliter exponere dum docent, vel Davidem, vel populum in hoc psalmo exprimere desiderium redeundi ad terrenam Jerusalem, ut tabernaculum Domini visitare posset: longe autem humilius exponunt, qui docent Coritas in hoc psalmo proferre desiderium suum redeundi ex Babylone in Jerusalem, ut possent deservire tabernaculo, unde victum capiebant. Nos cum patribus existimamus, tam ardens desiderium, quale in hoc psalmo legimus etiam ad litteram, ad coelestia tabernacula

http://www.obrascatolicas.com

pertinere, et nihil terrenum, nihil humanum, nihil corporale Spiritum sanctum his suis vocibus exprimere voluisse: et ideo ab Ecclesia Catholica peregrinante cantica ista frequentari, etiamsi tabernaculum, quod erat in Jerusalem, jamdudum conflagraverit, et ipsa Jerusalem funditus eversa fuerit.

EXPLICATIO PSALMI LXXXIII.

1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.*

Haec vox est hominis pii peregrinantis an patriam, et desiderium perveniendi declarantis; nascitur autem hoc desiderium, tum ex foelicitate, quae est in patria, tum ex miseria, quae est in peregrinatione. Vir enim pius, quantumvis in hoc exilio abundare videatur terrenis rebus, intelligit tamen se miserum esse, *et persecutionem pati*, ut Apostolus dicit 2. ad Timoth. 3. Quoniam ipsa etiam terrena prosperitas magna tentatio, et persecutio est. Ait igitur. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum*! vox est admirantis, quasi dicat, o quantum diligunt omnes pii tabernacula tua, coelestes videlicet mansiones tuas o Domine exercituum! vocat autem Dominum exercituum, quia hoc ipsum facit pulchra valde, et amabilia tabernacula coelestia, quod ibi sint innumerabiles exercitus Angelorum, idest, civium sapientissimorum, optimorum, potentissimorum, pulcherrimorum: quorum vel unus sufficeret laetificare peregrinationem nostram, si cum toto suo decore nobis appareret; sed praeter exercitum tantum tantorum Principum, ibi videtur facie ad faciem Dominus virtutum, cujus comparatione fulgor omnium angelorum tenebrae sunt. Recte notat hoc loco Theodoretus, non fuisse in terrena Jerusalem plura tabernacula Dei, sed unicum: ac propterea non de illo uno ligneo, et deaurato, ac manibus hominum constructo tabernaculo, Prophetam hoc loco intelligendum esse, sed de coelestibus tabernaculis non manufactis, de quibus Dominus dicit Joan. 14. *In domo patris mei mansiones multae sunt. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Dixerat in genere tabernacula Domini multum diligi a piis peregrinis: nunc se in eorum numero ponit, ac dicit, *Concupiscit*, *et deficit anima mea*, quasi dicat, Ego certe ita desidero atria illa, ut prae amore langueam, et anima mea deficiat, ac deliquium patiatur, in atria Domini intendens, et pulchritudinem eorum considerans.

2. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Declarat vim amoris et desiderii sui per effectum qui enim vehementer amat, et desiderat; corde recogitat, et ore laudat, quod desiderat. *Cor meum*, inquit, *et caro mea*, idest, mens, et lingua exultando laudaverunt Deum vivum: ipse enim est pulchritudo increata, et infinita, cui suspiro. In hebraeo pro exultaverunt est, ירננו *ierannenu jubilaverunt*, sive magna voce laudaverunt; proinde illud, *exultaverunt*, non debet accipi pro sola laetitia: sed pro laetitia prorumpente in vocem jubilationis. Neque repugnat hic versiculus cum superiore, etiamsi ibi anima deficiat, hic exultet; varii sunt enim amantium affectus: nunc deflent absentiam rei amatae, et prae amore deficiunt: nunc exultant ob spem potiundae rei tam pulchrae: et in laudes ejus erumpunt. *Deum vivum*, seu viventem appellat non solum ad distinctionem idolorum, *quae oculos habent, et non vident, aures habent, et non audiunt*, ut dicitur in Psal. 113. quia res inanimae sunt: sed etiam quia Deus solum propriissime vivit; vivere enim est moveri non ab alio, sed a se: res autem creatae quae vivere dicuntur, quia habent in se principium aliquod motus, tamen sine Deo non moventur; *in illo enim vivimus, movemur, et sumus*, Act. 17. Solus Deus ita vivit, ut a nullo moveatur, idest, a se solo habet intelligere, et velle, et ideo ipse solus est vita, ipse fons vitae non aliunde accipiens, sed omnibus tribuens. *In ipso*, inquit Joan. cap. 1. *vita erat lux hominum.*

3. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi. ubi ponat pullos suos.*
4. *Altaria tua Domine virtutum rex meus, et Deus meus.*

Hi versiculi obscuri sunt, et ab aliis aliter exponuntur. Sanctus Hieronymus et Theodoretus videntur satis commode eos explicuisse. Eos secutus, hunc sensum esse existimo, optaverat sanctus peregrinus domum coelestem: sed interim dum ejus possessio differtur, consolatur se, quod vel nidulum in terris invenerit, altaria videlicet Domini sui, nihil enim habemus in terris, quod melius nobis repraesentet tabernaculum coeleste, quam sacrum altare. Ibi enim adest multiplex memoria rerum coelestium; ibi quotidie immolatur Agnus Dei, qui sanguine suo aperuit credentibus regna coelorum; ibi futurae gloriae nobis pignus datur, ibi Deo propius astamus, eique intentius supplicamus; ibi effundimus corda nostra, et divinas laudes devotius et attentius, quam usquam alibi decantamus. Ait igitur, *etenim passer invenit sibi domum*, idest omnia animantia quaerunt sibi locum aliquem quietis: et ipse etiam passerculus invenit sibi domum, idest, nidulum aliquem: *et turtur nidum sibi*, idest non solum animalia, quae delectantur frequentia ut passeres; sed etiam animalia solitaria, ut turtures, parant sibi nidos, ubi ponant pullos suos, et cum eis quasi securae quiescant. *Altaria tua Domine*, idest, mihi vero, sive activam vitam ducam, more passerum, sive contemplativam more turturum, *altaria tua nidi sunt*, ubi interim paulisper quiescam, et ubi vota mea et casta desideria, piasque meditationes et preces, et laudes, quasi pullos reponam. *Altaria*, inquam, *tua, rex meus, et Deus meus*, idest qui me regis, dum ut passer huc, et illuc vagor, et qui me consolaris, dum ut turtur solitarius gemo, sive *rex meus*, cui milito, dum aucupes mihi ut passeri laqueos tendunt, et *Deus meus*, cui vaco, dum ut turtur viduus divina contemplor. In hebraeo non habetur proprie nomen turturis, idest, תור *thor*, sed, דרור *deror*, quod proprie *libertatem* significat, et quia aviculae libere volant per aerem, hebraei hoc nomine, avem significari volunt. Caeterum fieri potest, ut septuaginta legerint *thor*, non, *deror*, facile enim fuit successo temporis, ut ex litera ת, sint factae duae literae, ר, ד, *res* et *daleth*, vel si hoc non placeat dicemus, septuaginta interpretes, nomen generale avis, restrinxisse ad turturem; quomodo nunc Rabbini illud idem nomen restringunt ad hirundinem: nec enim minus libere volant per aerem turteres, quam hirundines, et mystica significatio requirebat, ut nomen turturis hoc loco, non hirundinis poneretur.

5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*

Dixerat se invenisse nidum, ubi interim requiesceret: sed ex ipso nido admonitus, quanto melior sit domus aeterna nidulo temporali, exclamat, *beati, qui habitant in domo tua Domine*, id est, ergo quidem in hoc nidulo paulum quiesco, sed illi vere beati sunt, illi foelicissime requiescunt, *qui habitant in domo tua*, ubi divitiae et gloria, ubi mansiones multae, ubi pax et securitas sempiterna est. Et quoniam non habent necesse in sudore suo vesci pane suo, neque in aliorum gratiam laborare, ubi nulli sunt egentes; id solum illis superest, negotium, *ut in saecula saeculorum laudent te*: neque in periculum est, ut taedeat semper laudare quem numquam taedebit semper amare; et quem sine labore, sine fatigatione, sine satietate laudabunt.

6. *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit: in valle lachrymarum in loco quem posuit.*

Dixit beatum esse, qui habitat in domo Domini, nunc addit, beatum etiam esse, si non in re, saltem in spe eum qui fretus divino auxilio decernit firmiter in corde suo non haerere in valle, sed ascendere semper magis per gradus virtutum, donec ad locum perveniat, quem posuit Deus finem omnium laborum, quae est aeterna beatitudo. Duae sunt autem hujus versiculi expositiones, una si solum latinum contextum inspiciamus, altera, si eum cum graeco, et hebraeo concordare velimus. Prior haec est, *beatus* ille *vir* est, *cujus auxilium* non in propriis viribus, sed *in te* Domine est: hic enim *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum*, id est, disposuit semper ascendere, ad majorem virtutis persecutionem, dum est in hac mortali vita, quae est vallis lachrymarum. *In loco quem posuit*, id est, in valle lachrymarum, quem locum ipse sibi peccando constituit. Deus enim in paradiso eum posuerat, sed ipse sibi locum posuit in valle lachrymarum. Posterior expositio haec est, *beatus vir, cujus est auxilium abs te*, idest, qui non confidit in viribus suis, sed a te auxilium expectat. *Ascensiones in corde suo disposuit*, idest, Deus disposuit in corde ejus numquam stare, vel retrocedere, sed de gradu inferiore ad superiorem ascendere. *In valle lachrymarum*, idest, per vallem lachrymarum, dum videlicet peregrinatur in hac valle plena periculis, et tentationibus, *in loco quem posuit*, idest, usque ad locum sive habitaculum, quod idem Deus statuit tamquam metam, et finem peregrinationis. Quod attinet ad verba, in hebraeo multo aliter legitur hic versiculus: ac primum pro illis verbis, *cujus est auxilium abs te*, in hebreao habetur. עוז לו בך *hhoz lo cach fortitudo ei in te*, sed idem omnino est sensus. Idem enim est, *cujus auxilium abs te est*, et *cujus fortitudo in te est*. Pro, *ascensiones*, in hebraeo habetur *semitas*, sed per semitas intelliguntur altae semitae, vel etiam *exaltationes et gradus*: nam סלל *salal* exaltare significat: inde, מסלות *mesillotch*, *ascensiones*, et altas semitas significat, pro *in corde suo*, in hebraeo est, בלבבם *bilbabam*, *in corde eorum*; tamen et septuaginta et s. Hieron. verterunt in singulari, in *corde ejus*: et sic etiam legit s. August. qui refert verbum, *disposuit*, et verbum *posuit*, ad Deum. Ipse enim disponit in corde nostro ascensiones ad locum, quem ipse posuit: et non est novum, ut in latina editione accipiatur. suo, pro ejus; sicut etiam aliquando accipiantur ejus, pro suo, ut Joan. 8. *Patrem ejus dicebat Deum*, idest, patrem suum. Pro, *disposuit*, in hebraeo est. *transeuntes*: sed septuaginta vocem hebraicam. עברי *hobere*, non deduxerunt a verbo. עבר *habar*, quod est *transire*, sed a verbo, עבד *habad*, quod est *servire*, *facere*, *operari*, et legerunt sine ultima litera, *habad operatus est*, quod est. idem cum verbo *disposuit*, sic legendam esse hanc vocem, non solum colligimus ex literarum similitudine, et ex convenientia cum textibus graecis, et latinis, sed etiam quia si legerimus. *transeuntes*, vix divinari posset, quis esset sensus hujus loci. Denique pro, *loco*, in hebraeo est *fontem*. Sed septuaginta Interpretes non legerunt, מעין *mahian*, idest, *fontem*, sed, מעון *manhon*, locum, sive habitaculum; ex quo etiam intelligimus, per locum, sed locum commodum ad habitandum, et recte a s. Augustino referri ad mansionem coelestem, et quod nos legimus, *in loco*, *quem posuit*, clarius habetur in graeco, εἰς τὸν τόπον. *in locum quem posuit*, et sic legit sanctus Augustinus. Interpres enim latinus aliquando non servat constructiones grammaticales: nam et apud Joan. capit. 7. legimus, *ambulabat Jesus in Galilaeam; non enim volebat in Judaeam ambulare*: pro, in Galilaea, et in Judaea.

http://www.obrascatolicas.com

7. *Etenim benedictionem dabit legislator ; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Declarat Propheta, quomodo vir justus ascendens per vallem lacrymarum perveniet ad locum quietis, quem Deus posuit: ac demonstrat initium, medium, et finem hujus ascensionis. Initium est justificatio, sine qua lex impleri non potest; medium est impletio legis; finis est visio Dei, in qua beatitudo consistit. *Etenim benedictionem dabit legislator*, idest, legislator Deus, qui dedit legem et eam viam esse voluit ad vitam, justa illud Matth. 19 *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*; *dabit etiam benedictionem*, abundantem videlicet gratiam per Spiritum sanctum justificando a peccatis, infundendo charitatem, pellendo timorem. *Ibunt de virtute in virtutem*, idest, accepta gratiae benedictione proficient quotidie in melius magis ac magis roborabuntur, superantes omnem difficultatem, et resistentes omni tentationi: per virtutem enim hoc loco intelligitur robur, et potentia. *Videbitur Deus Deorum in Sion*, idest, et sic tandem pervenient ad montem Sion coelestem, ubi videbitur facie ad faciem Deus unus, et verus, qui est Deus, non solum coeli et terrae, sed etiam angelorum, et beatorum, qui participatione sunt Dii. In hebraeo, ברכות *berachoth*, graeco textu εὐλογίας, habetur in numero multitudinis, *benedictiones*, ut intelligamus, multiplicem esse gratiam Dei, quae non solum delet peccata, sed etiam juvat ad opera bona facienda, et legem implendam. Illud autem *dabit legislator*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *amicietur Doctor*, ut sensus sit, benedictionibus vestietur qui docet legem Dei. Sed septuaginta Interpretes verbum, יעטה *iahter* acceperunt active, ut revera est, non passive, ut sensus sit, Benedictionibus vestire legislator ascendentes in convalle lacrymarum. Idem autem est, dare benedictionem, et, vestire benedictionibus, nisi quod prior sententia est propria, posterior metaphorica. Solent enim septuaginta Interpretes vertendo verba hebraica in graeca explicare metaphoras, ut sententia facilius intelligatur. De voce legislatoris, et doctoris non debet fieri quaestio: omnis enim legislator est doctor, quia dum leges condit, et praebet, hoc ipso docet quae sit recta via: et quoniam hoc loco de Deo sermo est, maluerunt septuaginta vertere. *legislatorem*. quam simpliciter Doctorem; quia Deus non docet explicando legem ab alio datam, sed ipse dedit leges ipse explicat, ipse juvat ut impleantur. Illud, *ibunt de virtute in virtutem*; quamvis sit explicandum de vi, et robore, ut sonant voces hebraicae, מחיל אל חיל *mechail et chail*, et graecae ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, hoc loco positae: tamen non male s. Augustin. exponit de virtutibus moralibus, justitia, prudentia, fortitudine, et de virtute contemplationis divinae, quia istae virtutes roborante animum adversus tentationes, et vitia; ut sensus sit, *ibunt de virtute in virtutem*, idest, de virtute actionis ad virtutem contemplationis, sive de virtutibus necessariis in via ad virtutem, quae habebitur in patria, ubi non erit necessaria ista prudentia, cum nulla mala vitanda occurrent; neque justitia ista, cum nulla sit futura injustitia, neque ista fortitudo, cum nullus instabit timor: neque ista temperantia, cum nulla erit fraenanda libido.

8. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob.*

Revertitur ad gemitum suum cupiens esse ex illis, qui ascendunt ex convalle ploralionum, et pergunt foelici itinere de virtute in virtutem. *Domine Deus virtutum*, tu qui fortissimus, et potentissimus, ac virtute plenissimus es, exaudi orationem meam, qua peto gratiam ambulandi de virtute in virtutem, et virtute corroborari in interiori homine. *Auribus percipe Deus Jacob*, tu inquam, qui es Deus fidelium tuorum, quorum Pater est s. Jacob, exaudi orationem meam, qui unus sum ex populo tuo, ex filiis Jacob secundum spiritum.

9. *Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.*

Imploravit Dei auxilium, sumens argumenta ad impetrandum, quod ipse potentissimus sit, et curam geral populi sui; nunc eadem repetit aliis verbis, sed majori efficacia. Quod enim dixit, *Deus virtutum*, nunc dicit, *protector noster*, et in hebraeo, מגננו *magghnnenu*, *clypeus noster*, ubi ostendit, Deum esse potentissimum ad protegendum populum suum, esse videlicet Deum quasi fortissimum clypeum populi sui. Ibi dixerat, *exaudi orationem*, hic dicit, *aspice*, quasi dicat, *non solum audi me*, sed tu ipse vide, et considera pericula, in quibus versor. Ibi dixerat, *auribus percipe Deus Jacob*, hic dicit, *respice in faciem Christi tui*, idest, respice verum principem populi tui, Messiam videlicet, Agnum sine macula, qui tollit peccata mundi, ac propter eum protege nos. S. Augustinus exponit, *respice in faciem Christi tui*, idest, fac ut omnes respiciant in faciem Christi, agnoscant eum, credant in eum, obediant ei. Sed prior sensus est magis litteralis, et magis communis. Neque obstat, quod tempore Davidis nondum esset verbum incarnatum, neque *mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus interpellare coepisset pro nobis*, 1. Timoth. 2. Merita enim Christi ab aeternitate fuerunt in conspectu Dei, unde dicitur in Apocalypsi 13. *Agnus occisus ab origine mundi*, quoniam ab origine Mundi Deus propter merita passionis Christi praevisa, multa beneficia praesertim spiritualia servis suis concessit. *Qui benedixit nos*, inquit Apostolus ad Ephes. 1. *omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.*

10. *Quia melior est dies una in atriis tuis, millia.*

11. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Ut ostendat sanctus peregrinus Dei, se non petivisse protectionem adversus temporalia mala, sed adversus tentationes, et pericula spiritualia, quae impediunt ascensum ad domum Dei; subjungit, tantam esse coelestis patriae foelicitatem, ut optabilis sit unum diem tantum ibi manere, quam mille diebus alibi: et melius sit in eo loco inter ultimos sedere quam alibi inter primos, quae duae comparationes si serio cogitentur, magnum affectum in corde puro gignere possunt. Illud, *quia*, reddit causam, cur tanto affectu dixerit, *protector noster aspice*, etc. quasi dicat, ideo cupio valde protectionem tuam in hac ascensione ad patriam, quia nimis magna esset jactura, si ad patriam illam non pervenirem. *Melior est enim habitatio unius* diei in atriis illis coelestibus, quam mille, idest, innumerabilium dierum alibi: sic exponit s. Augustinus in lib. 3. de lib. arb. cap. ult. Tanta, inquit, est pulchritudo justitiae, tanta jucunditas lucis aeternae, hoc est, incommutabilis veritatis, atque sapientiae, ut etiam si non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitae pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum recte, meritoque contemnerentur: non enim falso, aut pravo affectu dictum est, *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia*. Idem tamen s. Augustinus, et hoc loco, idest, in commentario hujus psalmi et in lib. cir. de liber. arbitr. scribit, per unam diem, intelligi posse diem aeternitatis, quae una est et eadem semper manens: per millia dierum, tempora volubilia, et instabilia hujus vitae, quae quantumvis multiplicentur, semper longe inferiora erunt die semper manentis aeternitatis. Sed prior sensus est magis litteralis, et magis cohaeret cum sequenti comperatione. *Elegi*, inquit, *abjectus esse in domo Dei mei*, idest, tanta est dignitas domus aeternae in coelis, ut malim ibi sedere ad januam cum ultimis, quam *habitare in tabernaculis peccatorum*: vox enim hebraica, quam noster Interpres vertit, *abjectus esse*, est הסתופף *histopheph*, quae proprie significat, sedere ad januam more janitoris: nam, סף *saph*, limen significat, et ducta est similitudo a janitoribus tabernaculi, qui erant infimi omnium ministrorum domus Dei, ut patet ex lib. 1. Paralip. cap. 9. Recte autem vocat Propheta palatia hujus mundi, tabernacula peccatorum, tum quia in domo coelesti nulla invenitur iniquitas; hic autem nemo est, qui non peccet: tum quia respectu domus coelestis sunt veluti tentoria quaedam, quae facile mutantur, et fundamento carent: non enim haec est eadem vox, quae in principio psalmi. Ibi enim vox hebraea, משכנותיך *michenotheca*, proprie significat tabernacula, sive tentoria, quae transferuntur de loco ad locum.

12. *Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus, gratiam, et gloriam dabit Dominus.*

Consolatur hoc versiculo, et sequenti Propheta virum justum ascendentem in valle lachrymarum, atque ad patriam anhelantem: promittit enim illi a Deo gratiam, et gloriam: gratiam per quam justificetur, et in justitia proficiat, dum de virtute in virtutem ascendit; et gloriam, per quam glorificetur, cum ad Sion montem pervenerit, ubi Deus Deorum, non jam per fidem, sed per speciem se videndum praebebit. Probat autem, gratiam, et gloriam dandam a Deo justis hominibus, quia misericordiam, et veritatem diligit Deus. *Qui enim misericordiam diligit, miserebitur*, et misereudo gratiam dabit: quia *veritatem*, idest, justitiam *diligit*, reddet fideliter quod promisit diligentibus se, ut s. Jacobus scribit cap. 1. In hebraeo pro his verbis, *misericordiam, et veritatem diligit Deus* habetur *sol, et scutum Dominus Deus*, et quidem probabile est septuaginta Interpretes, pro voce, שמש *scemes*, quae *solem* significat, legisse, שמן *scemen* quae significat *oleum*. Sic etiam pro voce, יהוה quae significat *Dominus*, probabile est eos legisse, יאוה, *ieve*, quae significat, *dilige*. Denique probabile est, eos per oleum, et scutum, intellexisse misericordiam, et veritatem: quia oleum misericordiam significare solet, et de veritate scriptum est in psalm. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Tamen si quis contendat, omnino esse legendum in hebraeo, *quia sol, et scutum Dominus Deus gratiam, et gloriam dabit Dominus*, idem sensus erit: nimirum, quia Dominus Deus Sol, et scutum est: ut scutum dabit gratiam protectionis in via; ut sol dabit gloriam manifestae visionis in patria.

13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Domine virtutem, beatus homo qui sperat in te.*

Confirmat quod dixit, et restringit promissionem gratiae, et gloriae ad eos qui ambulant in innocentia; quasi dicat, Deus misericors, et justus non privabit bonis gratiae et gloriae, quae sola sunt vere, et absolute bona, eos qui semel justificati ambulant in innocentia, perseverantes, et proficientes in fide, spe, et charitate. Alioqui enim, si retrocedant, et ambulent in iniquitate, a gratia excident, et pro gloria confusionem accipient. Concludit psalmum conversus ad Deum. *Domine*, inquit, *virtutum*, idest, exercituum, *beatus erit* qui in te confidit confidentia vera, ac solida, quam fides vera, et conscientia bona gignere solet.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS LXXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem filiis Core. Psalmus.

Duae sunt de argumento hujus psalmi tractatorum sententiae. Alii enim volunt commemorari a Propheta liberationem populi ab una captivitate, et inde argumento sumpto orari pro liberatione ab alia captivitate, commemorari videlicet liberationem a captivitate Ægyptiaca, et orari pro liberatione a captivitate Babylonica, vel commemorari liberationem a captivitate Ægyptiaca, et Babylonica, et orari pro liberatione a captivitate diaboli, quae per illas figurata fuerat. Alii, et fortasse rectius, existimant, in hoc psalmo de una tantum captivitate agi, idest, de captivitate generis humani sub principe tenebrarum, a qua liberamur per Christum Dominum nostrum; sed in primis tribus versiculis praedici liberationem ab hac captivitate, in reliquis orari pro executione praedictionis. Cur autem praedictio de re futura exponatur per verba temporis praeteriti, causa est, quoniam quae nobis futura sunt, in Dei praescientia, et decreto jam facta sunt.

---

1. *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.*

Initio psalmi propheta, Spiritu sancto revelante, aeternum Dei decretum de futura liberatione nobis aperit: ac primum docet primam causam, et ultimum effectum nostrae liberationis. Prima causa fuit dilectio, qua Deus dilexit genus humanum. Cur enim Deus *sic mundum dilexerit, ut filium suum unigenitum daret*, per quem redimeremur *et omni benedictione benediceremur*, ut loquitur Dominus Joann. 3. et Apostolus ad Ephes. 1. nulla ratio reddi potest, nisi ipsa Dei bona voluntas, sive beneplacitum, et misericordia. Ultimus effectus erit perfecta liberatio a captivitate, quam habebimus in resurrectione, quando perveniemus ad libertatem gloriae filiorum Dei. Nunc enim ex parte liberati sumus, sed expectamus redemptionem corporis nostri, per quam liberabimur ab omni corruptione, et necessitate. Ait igitur, *benedixisti Domine terram tuam*, idest, propter peccatum primi hominis maledixisti terrae, quam ipse feceras, et hominibus inhabitandam dederas: sed scio etiam, te revelante, quod in mente tua, in decreto tuo, *benedixisti terram tuam;* decrevisti enim in aeterno beneplacito tuo terram tuam, quam fecisti visitare, et benedicere omni benedictione, et gratia, mittens ad eam unigenitum tuum *plenum gratiae et veritatis*, ut est Joan. 1. hebraeus, et graecus codex clarius explicant hanc primam causam omnium bonorum nostrorum, quae est bona voluntas Dei. Vox hebraea est, רצית *ratzitha*, quae significat proprie *bene tibi placuisti in terra tua*, sive bene voluisti terrae tuae. Vox graeca εὐδόκησας significat, bene voluisti terrae tuae. Inde est εὐδοκία quam saepissime legimus in evangelio, et in Apostolo commendatam, ut initium, et radicem omnium beneficiorum Dei. Sicut autem maledixit Deus terrae, non propter ipsam sed propter inhabitantes: sic etiam benedixit terram propter habitantes: quare tota ista benedictio ad homines referenda est. *Avertisti captivitatem Jacob.* Hic exprimitur ultimus effectus misericordie Dei qui erit perfecta liberatio a captivitate, in quam incidimus per peccatum. *Avertisti*, inquit, *captivitatem Jacob*, idest, jam in aeterno decreto tuo per mortem filii tui praevisam placatus, removisti, sive dissolvisti captivitatem populi tui Jacob, ut deinceps fruatur libertate gloriae filiorum Dei. Ex hebraeo, שבת *sciabtha* pro *avertisti*. S. Hieron. vertit, *reduxisti*, sed idem est sensus. Nomine autem Jacob intelligitur, teste s. August. totus populus Dei, sive ex Jacob descendat secundum carnem, quales sunt Judaei credentes in Christum, sive secundum spiritum fidei, quales sunt gentiles conversi ad Christum, *qui sunt quasi rami oleastri inserti in bonam olivam et quasi lapides vivi superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*, ut Apostol. docet ad rom. 9. et 11. et ad Ephes. 2.

2. *Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum.*

Declarat nunc modum, quo Deus benedicens terrae suae dissolvit captivitatem Jacob: ac dicit id eum fecisse, remittendo peccata populi sui. Sicut enim peccatum fuit causa captivitatis, ita remissio peccati fuit causa liberationis a captivitate. *Remisisti* inquit, *iniquitatem plebis tuae*, id est, in mente, et decreto tuo condonasti iniquitatem populo tuo, ob quam iniquitatem tradideras eumdem populum diabolo, tamquam administro justitiae tuae. *Operuisti omnia peccata eorum*, haec est repetitio, et declaratio ejusdem rei, *operuisti* idest, abscondisti a facie tua, ut non videres ad puniedum: quia vero Deus non potest non videre id quod re vera est, quantumvis abscondatur, et tegatur, ideo quando Deus tegit peccata, omnino illa delet, et remittit, ut nusquam sint; et, ut alibi diximus, tegit Deus peccata, quando ea remittit, non quasi velo occultante, sed quasi emplastro curante, et sanante. Dicit autem, *omnia peccata eorum*, ut explicet quod dixerat, *iniquitatem plebis tuae*, non significare unicam iniquitatem communem toti plebi, quale est peccatum originis, sed omnem iniquitatem tum communem omnibus, tum propriam singulis. In graeco habetur, remisisti τὰς ἀνομίας iniquitates: sed in hebraeo habetur in singulari, עון *havon iniquitatem*; sed idem est sensus.

3. *Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuae.*

Hic vero reddit causam, cur Deus dimiserit iniquitatem plebi suae; ac dicit, ideo dimisisse, quia placatus fuerat, et iram deposuerat. Quemadmodum enim ira Dei causa erat ultionis, sic etiam placatio Dei causa fuit remissionis: placavit autem iram Dei, idest, justitiam punitivam Dei, *Agnus occisus ab origine mundi*, Apocal. 13. Agnum autem immaculatum dedit nobis misericordia, et bona voluntas illius, *qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Joan. 3. Hic igitur est ordo liberationis, Benedictio sive bona voluntas Dei dedit filium liberatorem: filius morte sua placavit iram Dei, satisfaciendo justitiae pro peccatis totius mundi: placatus Deus remisit peccata: remissio peccati solvit captivitatem. Atque hoc totum mysterium absconditum in mente Dei revelavit Spiritus sanctus Prophetae suo, et ille nobis in tribus his versiculis descripsit. Illud, *omnem iram tuam*, significat, Christi redemptionem sufficientissimam fuisse ad plenam satisfactionem. Significat etiam libertatem, quam habebimus tempore suo, idest, in novissimo die, futuram omnino plenam, et absolutam, ut nihil poenae, nihil miseriae relinquatur: omnis enim poena ex ira Dei procedit. Illud, *avertisti ab ira indignationis tuae*, idipsum repetit, et hunc sensum habet, avertisti te ab ira, et indignatione tua. In hebraeo habetur, *convertisti te, sive conversus es ab ira furoris tui.*

4. *Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.*

Incipit nunc Propheta in persona populi Dei orare pro executione, atque adimpletione decreti divini. Ac primum petit, ut Deus incipiat mitigare iram suam, cujus mitigationis primus effectus est initium salutis nostrae, idest, auxilium divinum, per quod incipiamus converti ad Deum. Neque enim converti possumus ab iniquitate ad Deum, nisi gratia ejus praeveniat nos, et vocando, illuminando, adjuvando, movendo convertat. Ait igitur, *Converte nos Deus salutaris noster*, idest, incipe salutem nostram operari tu Deus salvator noster, quod facies, si nobis bonam voluntatem conversionis inspires. Et ut hoc misericorditer facere incipias, *averte iram tuam a nobis*, idest, reconciliare nobis oblitus offensionum, quae te nobis inimicum reddiderunt.

5. *Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?*

Persistit in eadem petitione, quasi dicat, satis diu iram tuam portavimus, ne differas misericordiam impertiri, et pacem nobis reddere. *Numquid in aeternum irasceris nobis?* idest, num aeterna erit inimicitia tua ad genus humanum? num *a generatione in generationem sine fine extendetur ira tua?* quasi dicat, id non convenit infinitae clementiae, et bonitati tuae. In hebraeo non habetur particula, *aut*, sed omnino subintelligitur; ideo recte septuaginta Interpretes eam expresserunt.

6. *Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua laetabitur in te.*

Declarat affectum, qui sequetur ex reconciliatione: inde enim fiet, ut homo lucretur vitam, et Deo reddatur laus. *Deus tu conversus ad nos* per depositionem irae, et reconciliationem *vivificabis nos:* nam *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna*, Rom. 6. *et plebs tua* vivificata, et respirans ob tam ingens beneficium, *laetabitur in te*, ac laetabunda cantabit laudes tuas. In Hebraeo pro voce, *Deus*, habetur, הלא *halo, nonne*: et sic vertit S. Hieronymus, *Nonne tu reversus vivificabis nos?* Sed facile est videre quid Septuaginta habuerint, et legerint in suis codicibus: non enim tam imperii erant ut verterint, *Deus*, si habuissent. הלא *halo*, sed habuerunt, אלה *eloha*, quod significat Deus et sunt eaedem literae, sed transpositae. Pro, *conversus* s. Augustinus legit, *convertens*, ut etiam sonat vox Graeca ἐπιστρέψας, sed, sensus non est, *Tu convertens nos, vivificabis nos*, sed *tu convertens te ad nos vivificabis nos*; et hoc modo conciliatur haec lectio cum hebraica, et latina.

7. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.*

Petiit Propheta mitigationem irae divinae, petiit reconciliationem, et vivificationem, quae fit cum per gratiam remittuntur peccata: petit nunc adventum Salvatoris, per quem factum est, ut plane perspiceremus, et videremus Dei benignitatem, et misericordiam erga nos. De qua manifestatione dicit Apostolus, *apparuit gratia Dei omnibus hominibus*, ad Tit. 2. et rursum, *benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* Ad Tit. 3. Quis enim dubitare potest, an Deo curae sit genus humanum, nosque verissime Deus diligat, posteaquam misit filium suum unigenitum, ut nos pretioso sanguine suo de diabolica captivitate redimeret? *Ostende*, inquit, *nobis misericordiam tuam*, idest, fac, ut plane cernamus, et experimento certo di-

http://www.obrascatolicas.com

scamus misericordiam illam, qua in mente tua ab aeterno benedicere decrevisti terram tuam. *Et salutare tuum da nobis*, idest, et mitte nobis Salvatorem filium tuum: tunc enim vere ostendes omnibus hominibus misericordiam, et benignitatem, et gratiam tuam. Ex hebraeo verti posset, וישעך *visciuhacha*, *et Jesum tuum da nobis*: nomen enim, *Jesus*, Salvatorem significat, ut notum est. Potest etiam hic versiculus exponi rectissime, et ad litteram de salute perfecta, quae erit In resurrectione: tunc enim propriissime ostendet nobis Deus misericordiam suam, ita ut eam videamus, et quasi tangamus. *quanto coronabit nos in miserationibus, et sanabit omnes infirmitates nostras, et replebit in bonis desiderium nostrum, et renovabit ut Aquilae juventutem nostram*, ut dicitur Psal. 102. Et tunc dabit possidendum in aeternum salutare suum, quando manifestabit nobis. Sed prior expositio pertinet ad patres testamenti veteris, qui expectabant Christum in carne venturum: posterior pertinet ad nos, qui expectamus Christum venturum in gloria, *ut reformet corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*, ut habetur Philip. 3. s. August. utiliter ad mores dicit, tunc Deum ostendere misericordiam suam, quando persuadet nobis, nosque intelligere, et quasi cernere facit, nihil nos esse, aut posse ex nobis, sed ex misericordia ejus esse quod sumus, et posse quod possumus. Ita enim non extollimur, nec superbimus, sed humiles sumus in oculis nostris: humilibus autem datur gratia Salvatoris.

8. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

Ut certos nos reddat Propheta eorum, quae dicturus est, admonet in hoc versiculo se non loqui ex se, sed ex revelatione Domini; et ea solum canere, quae ipse prius a Domino audivit. *Audiam*, inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus*, idest, ego, quod audio a Deo, hoc loquor, ideo et nunc exposita petitione audiam quid Dominus respondeat, ut idipsum caeteris manifestem. Dicit autem, *Quid loquatur in me*; ut significet, loquutionem, Dei ad Prophetas, esse interiorem, et spiritualem. Spiritus enim Sanctus Prophetas inhabitans in illis loquebatur, quod ipsi primi aure cordis audirent, et deinde per ipsorum linguam ad aures corporis aliorum perveniret. Non habetur quidem in textu hebraico illud, *in me*, sed septuaginta Interpretes addiderunt, ut explicarent modum loquendi Dei in Prophetis, juxta illud Oseae 1. *Principium loquendi Domino in Oseae*; et Zachar. 1. *Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me*. Porro illud, *audiam*, significat praeterea attentionem, et desiderium audiendi, quasi dicat, libenter, et attentissime audiam, quonian Deus more suo loquetur bona, et utilia. *Quoniam*, inquit, *loquetur pacem in plebem suam*, id est, scio Deum loculurum esse pacem in plebem suam, ideo libenter, et attente audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Itaque summam verborum Dei est annunciatio, et promissio pacis per adventum Messiae, quem Propheta petierat dicens, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis*. Dabit igitur Deus Salvatorem; et per eum annunciabit, et praestabit verissimam pacem: unde et *princeps pacis* dicitur Isaiae 9. *Et pacificavit omnia, sive quae in coelis sive quae in terris sunt*, ut dicitur ad Coloss. 1. Pax autem complectitur complementum omnium beneficiorum Dei, neque antea perfectam pacem habebimus, quam perveniamus ad coelestem Jerusalem, quae interpretatur *visio pacis*. Pax enim opponitur bello, bello autem non carebimus donec *absorpta fuerit mors in victoria, et mortale hoc induerit immortalitatem*, ut ait b. Paul. 1. Cor. 15. tunc enim cessabit bellum cum vitiis, et concupiscentiis cum principibus tenebrarum harum, cum necessitatibus, et difficultatibus omnibus. Dum autem hic vivimus, *militia est vita hominis super terram*, Job 7. quantumvis quod in nobis est, pacem cum omnibus habere cupiamus.

9. *Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.*

Explicat quod dixit, *in plebem suam*: promittit enim Deus pacem plebi suae, sed non toti: nam in plebe Dei sunt boni, et mali: malis autem pax non convenit, sed bonis: *pax enim multa diligentibus legem Domini*, psalm. 118. et, *non est pax impiis, dicit Dominus*, Isaiae 48. Qui autem sint sancti quibus promittitur pax, explicatur per verba sequentia, *Et in eos qui convertuntur ad cor*. Tunc enim incipit sanctitas, et consequenter inchoatur pax, cum homo ab exterioribus ad interiora convertitur, unde dicitur, *Redite praevaricatores ad cor*, Isaiae 46. et de filio prodigo dicitur Luc. 15. *In se autem reversus*. Tunc autem incipit homo reverti ad se, sive redire ad cor, quando apud se cogitare incipit vanitatem rerum temporalium, et quam sit brevis, et modica dulcedo peccati; et contra, quanta sit nobilitas virtutis, quam ingens pretium bonorum aeternorum: sed proficit postea paulatim homo, cum secum habitare incipit, et de rebus, quae foris sunt, non credit judicio sensuum externorum, neque sermonibus filiorum hujus saeculi; sed conversus ad cor consulit de omnibus rectam rationem, consulit fidem divinitus inspiratam, consulit veritatem ipsam, quae Deus est. Denique perfecte ad cor suum ille convertitur, et pacem, quae superat omnem sensum, gustare incipit, qui in corde suo tabernaculum erigit Deo, et ex imagine, quae est anima rationalis ad exemplar, quod est ipse Deus, alis contemplationis ascendit: et ibi pulchritudinem infinitam Creatoris attendens, in ejus amorem ita rapitur, et accenditur, ut omnia quae foris sunt nihili ducat; ita uni Deo vinculo charitatis inhaeret, ut rerum aliarum penitus obliviscatur. Hominis autem sic affecti nulla mundi pressura pacem, quam in Deo habet, perturbare potest; sed veniamus ad verba. Codex latinus in secunda parte hujus versiculi neque cum hebraico, neque cum graeco concordare videtur. Hebraicus codex sic habet, ישובו לכסלה ואל חסיריו ושל *veel chasidau veal iasciubu lechislab, et super sanctos, et non revertentur ad stultitiam*. Graecus autem, *et super sanctos suos, et in eos, qui convertunt cor ad ipsum*. Lectio tamen nostrae latinae vulgatae editionis antiquissima est, et eam sequitur s. Hieron. in textu, et in commentario psalmorum, nec non sanctus Bernardus in sermone super haec verba, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; neque in sensu ulla diversitas est. Converti enim ad cor, et convertere cor ad Deum, idem significant: siquidem qui convertitur ad cor, desinit attendere ad externa, et visibilia, quae temporalia sunt, et incipit considerare interna, et invisibilia, quae aeterna sunt, in quibus primum locum obtinet Deus; sic etiam converti ad cor, et non converti ad stultitiam, pro eodem accipi possunt. Neque difficile est si quis velit voces hebraicas cum latina editione concordare: nam vox, אל *al*, quae significat *non*, potest legi, אל *el*, solius puncti facta mutatione, et significat, *in*; sic etiam vox לכסלה *lechislah*, quae significat, *ad stultitiam*, potest legi, סלה לב *leb selah*, et significat *cor*: *selah* enim adjungitur passim in psalmis: et vel nihil significat, vel significat, *semper*, quod hoc loco optime quadrat; vel significat aliquid nobis incognitum, unde ab interpretibus omitti solet. Itaque sic reddi possunt verba hebraica: *Et in eos, qui convertuntur corde, sive ad cor, semper*.

10. *Verum tamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.*

Adveniente Messia praedicabitur pax, sed diu postea exhibebitur: verumtamen salus, idest, gratia sanitatis, et aliorum miraculorum praesentissima erit, et vicinissima omnibus credentibus in eum, ac timentibus eum timore reverentiae, et pietatis. Inde vero maxima gloria Deo exurget, laudantibus, et magnificantibus Deum omnibus, qui mirabilia ejus videbunt, cujus rei plurima testimonia legi possunt apud Evangelistas. Hoc igitur est quod nunc Propheta subjungit, *verumtamen prope timentes eum salutare ipsius*, idest, salus Dei, sive Christus ipse Salvator prope erit ad sanandum per omnipotentiam suam omnes timentes eum, omnes videlicet colentes eum timore sancto *ut inhabitet gloria in terra nostra*, idest, fient ista magnalia salvatoris frequentissima, ut gloria Dei manifestetur, et inhabitet in terra promissionis, ad quam proprie salvator mittetur. Sed si corporalis salus vicina erit timentibus eum, et inde gloria Dei magnifice orietur: multo magis salus spiritualis prope timentes eum erit: *quotquot enim recipient eum, dabit eis potestatem filios Dei fieri*, Joan. 1. et inde manifestabitur gloria ejus, *quasi unigeniti a patre, pleni gratia, et veritate*.

11. *Misericordia, et veritas obviaverunt sibi, justitia, et pax osculatae sunt.*

Aperit hoc loco Propheta mysterium aliud in adventum Messiae complendum; misericordiam videlicet, et justitiam, quae contrariae videntur, cum una ignoscat, altera puniat simul esse conjungendas. Futurum enim erat per Christi passionem, ut et genus humanum misericorditer liberaretur, et tamen divinae justitiae plenissime satisfieret. *Misericordia*, inquit, *et veritas obviaverunt sibi*, idest obviabunt sibi tempore Messiae cum alias in diversa pergere viderentur. *Justitia, et pax oscu, latae sunt*, idest, justitia punitiva, quae paulo ante veritas nominata est, et pax sub nomine misericordiae significata, amicissime conjungentur, et quasi inter se osculabuntur. Hunc sensum, qui mihi litteralis videtur, eleganter prosequitur s. Bernardus in serm. 1. de Annunciatione. S. Hier. in commentario, et sanctus Augustinus per misericordiam, intelligunt misericordiam, qua usus est Deus erga gentiles, quibus dedit Salvatorem, quem non promiserat; per veritatem autem intelligunt justitiam, sive fidelitatem, qua exhibuit Judaeis Messiam, quem patribus eorum pollicitus fuerat, unde est illud Apostoli rom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum*: tunc enim misericordia et veritas obviaverunt sibi, cum in unam Ecclesiam convenerunt gentiles, et Judaei, illi per misericordiam, isti per veritatem adducti. Per justitiam, quae osculatur pacem, intelligit idem sanctus Augustinus justitiam, quae reddit unicuique suum, ex cujus observatione pax oritur, quemadmodum ex violatione justitiae oritur bellum; et rectissime admonet frustra illos quaerere pacem, qui sororem pacis justitiam completi recusant. Alii hunc versiculum exponunt de virtutibus, quae florebunt in populis tempore Messiae, vel de virtutibus, quae in ipso Messia maxime eminebunt.

12. *Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit.*

Hic jam explicat Propheta mysterium incarnationis, utens verbo temporis praeteriti pro verbo temporis futuri more Prophetarum. *Veritas*, inquit, *de terra orta est*, hoc est, Christus, qui veritas est, de Virgine Maria nascetur. *Et justitia de coelo prospexit*, idest, et tunc justitia de coelo manifestabitur, tum quia nato Christo coepit vera justitia de coelo descendere, et homines per fidem Christi justificare; tum quia per adventum Christi revelari coepit *ira Dei de coelo super omnem iniquitatem*, ut dicitur ad rom. 1. Numquam enim plene cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversus peccatum, nisi expiari Deus voluisset illud morte unigeniti Filii sui: et etiam numquam plene cognitum fuisset, quanta sit ira Dei futura in die judicii adversus iniquos, nisi vidissemus, quanta fuerit Christi passio pro peccatis alienis expiandis: nam *si in ligno viridi haec faciunt, in arido quid fiet?* ait ipse Dominus, Luc. 23.

13. *Etenim Dominus dabit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum.*

Pergit explicare mysterium incarnationis, atque ostendit veritatem ex terra nasciturum, non quomodo nascuntur fruges ex terra arata, et sata opera hominum, sed quomodo nascuntur flores in

http://www.obrascatolicas.com

campis sylvestribus, sine cultura humana ex pluvia de coelo, et radiis solis in eam cadentibus. *Etenim*, inquit, *Dominus dabit benignitatem*, idest, emittet de coelo spiritum sanctum suum, qui virginem obumbrabit, et sic terra nostra, neque arata, neque sata, sed omnino Virgo intacta dabit fructum suum. Unde in Cantico canticorum ipse dicit, *Ego flos campi, et lilium convallium.*

14. *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.*

Concludit Propheta demonstrans, Christum omnino justum, et sanctum futurum, ita ut radios justitiae suae ante se praemittat, et luce sua sibi viam aperiat ad omnem progressum in hac valle tenebricosa hujus nostrae mortalitatis. *Justitia*, inquit, *ante eum ambulabit*, idest, Christus quasi sol quidam, et vere lux mundi radios justitiae, et sapientiae suae praemittet, sicut etiam scriptum est in psalm. 88. *Misericordia, et veritas praecedent faciem tuam:* et Isai. 58. *Anteibit faciem tuam justitia tua;* et sic, *ponet in via gressus suos*, idest, aggredietur iter peregrinationis suae, ut multos peregrinos perducat ad patriam. Possunt hi tres versiculi exponi etiam de justificatione, et bonis operibus hominum credentium in Christum: nam utroque modo exponit s. Aug. *Veritas de terra orta est et justitia de coelo prospexit*, idest, veritas confessionis peccatorum, et laudis Dei coepit per Christum oriri ex ore hominum terrenorum, et tunc *justitia Dei de coelo prospexit*, ut confitentes peccata sua, et laudem dantes gratiae Dei justificaret; sed haec ipsa veritas confessionis non orietur ex terra per vires ipsius terrae, sed per auxilium gratiae Dei praevenientis; nam *Dominus dabit benignitatem*, qui dulcescere faciet justitiam in corde peccatorum, et sic *terra nostra dabit fructum suum*. Porro justificatus homo per Christi gratiam, semper justitiam ante oculos suos habebit, ut omnia faciat juxta regulam justitiae: sic *justitia ante eum ambulabit* praeferens illi quasi facem legem Domini, ne ambulet in tenebris, et sic securus, et gaudens ponet in via gressus suos, ut foeliciter ad patriam aliquando perveniat.

PSALMUS LXXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Oratio ipsi David.

Titulus indicat hunc psalmum nihil esse aliud, nisi orationem Davidi a Deo inspiratam, cum amaro esset animo, et consolatione divina indigeret. David enim ut erat homo spiritualis, et in Schola Spiritus sancti eruditus, cum variis tribulationibus premeretur, non quaerebat consolationem a rebus creatis, in quibus vera consolatio animae inveniri non potest, sed ad Deum fontem omnis suavitatis per contemplationem, et orationem confugiebat. Proinde nos etiam hoc psalmo uti debemus cum tentationibus variis undecumque illae veniant, fatigati, moerore labescimus.

EXPLICATIO PSALMI LXXXV.

1. *Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego.*

Incipit orationem a magnitudine Dei, et vilitate sua: quae est optima ratio precandi, apta ad impetrandum: *oratio enim humiliantis se penetrat nubes*, Eccles. 35. *Inclina*, inquit, *aurem*, idest, tu qui excelsus es, inclina ad me qui in imis jaceo, *aurem tuam. Exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego*; haec est ratio, cur dixerit, *inclina quoniam*, inquit, *inops, et pauper sum ego*, id est, quoniam mendicus jaceo ad portam divitis; inclina ex alto aurem tuam ad humilem servulum, et quia talis est *exaudi eum*. Pauper enim, et inops hoc loco dicitur is, qui sive habeat sive non habeat opes terrenas, non in illis confidit, non inde superbit, non alios contemnit, sed ipsas potius opes contemnit, si habet, neque se meliorem aut majorem reputat iis, qui non habent. Rectissime admonet s. August. Lazarum non delatum fuisse ab angelis in sinum Abrahae propter inopiam, Luc. 16. sed propter humilitatem: neque divitem epulonem sepultum fuisse in inferno propter divitias, sed propter superbiam. Alioquin ipse etiam Abraham, qui ditissimus fuerat, in inferno sepultus fuisset. Sed quoniam Abraham *cinerem, et pulverem se esse arbitrabatur*, ut ipse de se loquitur Genes. 18. et mandata Domini ita diligenter observabat, ut non solum opes, sed ipsum filium unigenitum, cui servabat opes, propter Deum sacrificare promptissimus erat, Genesis 22. ideo non solum ad locum refrigerii post mortem ductus fuit, sed etiam ad ejus sinum congregabantur omnes, qui eo tempore in Domino moriebantur. Ipse etiam David dives erat, quod ad terrenam substantiam attinet; sed quoniam non inde superbiebat; neque eam magnifaciebat et totus a Deo pendebat, in quo spem suam, et vires suas et omnia bona sua collocaverat, et sine quo nihil se esse aut posse sciebat, ideo se vere pauperem, et inopem praedicabat.

2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.*

Explicat in quo cupiat exaudiri, ac primum proponit id, quod est vere primum in intentione, et quod ipse Dominus primum quaeri jussit, cum ait: *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis*. Matt. 6. *Custodi*, inquit, *animam meam*, idest, conserva vitam animae meae, cui tam multi hostes in hoc exilio insidiantur. *Quoniam sanctus sum*, idest, ideo peto conservari vitam animae meae a te, quoniam tu mihi eam dedisti, tu me in sanguine Filii tui justificasti, et sanctificasti, et per hoc vivificasti, qui in peccatis mortuus eram. Nam, ut recte dicit s. August. cum quis per sacramenta Christi justificatum se esse confidit, et ex gratia Dei sanctum se nominat, non est superbia elati, sed confessio non ingrati; quod si quis dicere non audeat, *sanctus sum*, idest, justificatus, et mundatus: saltem dicere potest, *sanctus sum*, idest, fidelis sum, sanctae religionis, et fidei professor sum, Deo per baptismum dedicatus, et sanctificatus sum. *Salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.* Idem repetit aliis verbis. Ideo enim cupit costodiri animam suam, ut non perdat salutem aeternam sic enim loquitur s. Petrus in Epist. 1. cap. *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo*. Petit igitur salutem quam ne amitteret, petierat custodiam. Addit rationem, cum dicit, *servum tuum sperantem in te*, quia cum Deus salvum facit servum suum salvum facit rem suam: et cum salvum facit sperantem in se, fidelem, et justum se demonstrat, quia implet quod promisit.

3. *Miserere mei Domine: quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Petit in secundo versiculo summum bonum, idest, salutem animae, quae est finis omnium desideriorum: nunc recto ordine petit medium ad finem, laetitiam videlicet spiritualem, qua fortiter toleret tentationes, et pericula exilii, donec ad salutem perveniat, ubi nullae erunt tentationes, nulla pericula. *Miserere mei Domine*, idest misericorditer exaudi orationem meam. *quoniam ad te clamavi tota die*, idest, quoniam ardenter, et perseveranter oravi; nihil enim magis requiritur ad impetrandum quam si oratio fundatur ex accenso desiderio, quod significatur in verbo, *clamavi;* et cum perseverantia, quae significatur in vocibus illis, *tota die. Laetifica animam servi tui*; haec est petitio, quam misericorditer exaudiri petit, et pro qua tota die clamavit. *Laetifica*, inquit *animam servi tui*, idest, undique angustiis tentationum premor, nihil mihi in hac valle lachrymarum occurrit, nisi amarum, dum non minus prosperitas terret, quam adversitas ipsa contristet. Ideo, *laetifica animam servi tui. quoniam ad te Domine animam meam levavi*, idest, quoniam non inveniens requiem in ulla re creata, ad te creatorem pennis cogitationis et desiderii animam meam levavi. Amor animam nostram portat, et vere dictum est, anima magis est ubi amat, quam ubi anima. Alae amoris sunt cogitatio, et desiderium: qui enim amat, cogitando assidue, et desiderando rem amatam, in illam fertur, et in illa manet. Qui vere, et ex corde Deum amat, cogitando, et desiderando Deum, animam suam ad Deum levat. Contra qui terram amat, cogitando, et concupiscendo terram, animam suam ad terram deprimit. Itaque ille solus cum Propheta vere dicere potest, *ad te Domine animam meam levavi*, et jure suo petere potest consolationem spiritus, ac dicere, *laetifica animam servi tui*: qui nulla tenetur concupiscentia rei creatae, nec ullo terreno luto affixus inhaeret. Recte s. Bernard. serm. 6. de Ascensione Domini, explicans illa verba Domini Joann. 16. *Nisi ego abiero Paraclytus non veniet ad vos*. Quid est, inquit, *nisi ego abiero Paraclytus non veniet*? nisi carnis praesentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiae plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Quid vobis videatur fratres? si haec ita sunt; imo quia ita sunt, adeat qui huic sterquilinio semper inhaeret, qui carnem fovet, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernae visitationis sperare, quam ne cum ipsa quidem verbi carne percipere ullatenus Apostoli potuerunt. Erat omnino si quis coelestem illam dulcedinem huic cineri divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri hujusmodi illecebris arbitratur.

4. *Quoniam tu Domine suavis, et mitis; et multae misericordiae omnibus invocantibus te.*

Haec est ratio cur animam suam ad Deum levaverit pro consolatione recipienda, quia *Deus suavis est, et dulcis*; et sicut dicit Joann. Epistol. 1. cap. 5. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae*: sic dicere possumus, suavis est Deus, et in eo amaritudo non est ulla: cum e contrario in carnalibus consolationibus, suavitas sit modica, et amaritudo plurima. Neque solum Deus suavis est, sed etiam mitis, ut ad se accedentes non repellat et imperfectum nostrum toleret. Notat s. Augustinus in eo plane perspici mansuetudinem Dei, quod orantes nos patietur, cum tam saepe inter orandum ad alia cogitanda mentem avertamus: certe enim Judex homo, non pateretur reum, si dum causam agit, ad colloquendum cum amicis, de rebus praesertim nullius momenti, averteretur. Nec solum Deus suavis est in se, et mitis, quia non repellit

http://www.obrascatolicas.com

accedentes ad hunc fontem suavitatis, sed etiam *multae misericordiae* est, quia facile admittit, et recipit, et se gustandum praebet omnibus invocantibus se, non accipiens personas divitum, aut pauperum, Judaeorum, aut Gentilium *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Rom. 10. Quod si aliquos orantes non exaudit, neque eorum miseretur, causa est, quia non vere Deum invocant, aut non sicut oportet invocant. Saepe etiam exaudit, sed tempore opportuno, et non raro exaudit orantis desiderium, non verba loquentis, quando videlicet qui orat id petit quod sibi non expedire ignorat, et si non ignoraret omnino non peteret. Quod attinet ad verbum illud, *suavis* in hebraeo est, טוב *tob*, quod significat, *bonum*; et multi exponunt *benignum*, sive *beneficum*. Et quamvis Deus sit vere bonus, benignus, et beneficus; tamen noster Interpres, non solum hoc loco, sed etiam in psalm. 33. et 99. eamdem vocem vertit, suavis; et haec interpretatio concordat cum verbo, *gustate. Gustate et videte*, inquit, *quoniam suavis est Dominus*; gustatur enim proprie suavitas, non benignitas, et huc alludens s. Petrus in Epist. 1. capit. 2. ait: *si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus;* illud autem, *mitis*, in hebraeo est, לחס *salach*, quod proprie significat propitiabilis, et sic vertit s. Hieronym. et in sensu non est discordia; mitis enim facile propitiatur, et facile ignoscit: et sic exponit s. August. cum dicit, Deum esse mitem, quia facile ignoscit evagationibus nostris, cum oramus.

Auribus percipe Domine orationem meam, et intende voci deprecationis meae.

Repetit primam partem primi versiculi, sed aliis verbis idem significantibs. ad affectum ostendendum erga rem desideratam, et petitam.

6. *In die tribulationis meae clamavi ad te, quia exaudisti me.*

Videtur hic versiculus additus esse ad explicationem superioris; quia enim dixerat, *auribus percipe orationem meam*, poterat Deus interrogare, quando orabis? quando vis percipiam auribus orationem tuam? Respondet Propheta, omni die oravi, et omni die oro, et orabo, dum vivam in hoc exilio. Omnis enim dies peregrinationis, dies tribulationis meae est, cui enim dulcis est patria, non potest non amara esse peregrinatio. *In die ergo tribulationis meae*, idest, omni tempore peregrinationis tribulationem, et dolorem inveni, et ideo semper *clamavi ad te*: et ea fiducia clamavi, *quia tu semper exaudisti me*, idest, semper me exaudiri solitus es.

7. *Non est similis tui in Diis Domine, et non est secundum opera tua.*

Reddit rationem, cur ad solum Deum confugiat, illum invocet, atque ad eum animam suam levare conetur; quia videlicet nemo sit Deo similis, neque in essentia, neque in potentia, neque in sapientia, neque in bonitate, non tantum inter homines, sed etiam inter Deos: quod si per Deos intelligamus Deos falsos, nimirum Idola, et doemones, de quibus dicitur in psalm. 95. *Dii gentium doemonia*, absolute verum est, quod hic dicitur, *non est similis tui in diis Domine*: quoniam Idola oculos habent, et non vident, et ab hominibus pendent, ut sint, et ut custodiantur, et moveantur: Deus autem verus sine oculis corporalibus videt; et a nullo pendet, sed omnia ab ipso pendent. *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Act. 17. Doemones autem ad imaginem quidem, et similitudinem perdiderunt. Si vero per Deos intelligamus Deos per participationem potentiae, et auctoritatis, quales sunt principes, et judices terrae: vel participationem sapientiae, justitiae, quales sunt Angeli sancti, tunc id quod dicitur, *non est similis tui in Diis Domine*, intelligendum erit de similitudine perfecta, quae requirit aequalitatem: illi enim sunt perfecte similes in potentia, vel sapientia, vel justitia, qui sunt aeque potentes, aeque sapientes, et aeque justi. Constat autem Deum esse infinito modo potentiorem, sapientiorem et justiorem omnibus angelis et hominibus: proinde verum est, non esse ullum *similem Deo in Diis participatione*, nisi imperfecta, et inaequali similitudine. *Et non est secundum opera tua*, non solum nemo ex Diis est perfecte similius Domino Deo nostro; sed neque est ullum opus Deorum quorumcumque, quod possit comparari cum operibus Dei nostri. Deus enim fecit ex nihilo coelum et terram, et omnia quae in eis sunt: Dii autem caeteri intra mundum operantur, et ex iis, quae Deus fecit, materiam operandi sumunt. Ergo non est opus ullum *secundum opera Dei*, idest, quod comparari possit operibus Dei.

8. *Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.*

Ex hoc versiculo intelligimus, versiculum superiorem accipiendum esse de Diis falsis, qui ab erantibus adorabantur tamquam veri, et summi Dii; probat enim Propheta, nullum ex hoc quod aliorum Deorum cultus tandem aliquando cessabit, et manifeste apparebit falsitas, et vanitas ejusmodi Deorum: cultus autem Domini Dei nostri sempiternus erit. Quod autem hic dicit Propheta partim impletum est in ecclesia Christi, partim implebitur in die judicii: nam quamvis tempore Davidis alii essent Dii Moabitarum, alli Ammonitarum, alii Philistinorum, alii aliarum gentium Idololatria cessare, et veri Dei cultus introduci coepit. Itaque *omnes gentes venerunt*, idest, ex omnibus gentibus venerunt et relictis Diis falsis Deum verum adoraverunt: sed in die Judicii omnes omnino homines nullo excepto apertissime cognoscent, Deos gentium fuisse doemonia, vel inania simulacra, et velint, nolint, curvabunt genua coram Domino, et implebitur illud Isaiae 45. *Mihi curvabitur omne genu*, quod applicatur Christo, ut vero Deo, ab Apostolo rom. 14. et Philip. 2. Illa prhasis, *adorabunt coram te Domine*, hebr. est: vox enim, ישתחו *istachàvu*

proprie significat, *prosternent se*. Hoc autem verbum requirit particulam, *coram*: prosternimur enim coram eo, quem adorare volumus. Itaque illud, *adorabunt coram te*, exponendum est, adorando prosternent se coram te. Illud, *et glorificabunt te*, ad omnes pertinet, sed vario modo; justi enim ex amore et libentes; injusti ex timore, et inviti glorificabunt in die judicii Dominum, ac dicent, *justus es Domine, ac rectum judicium tuum*: psalm. 118.

9. *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus.*

Haec est ratio cur cessabit cultus inanium Deorum, et omnes gentes adorabunt, et glorificabunt Dominum, *quoniam ipse solus est Deus*, vere magnus, et Deus *faciens mirabilia*, quae nullus alius facere potest; quod in die judicii potissimum cognoscentur, cum ad nutum Domini omnes mortui resurgent, et sine ullo impedimento, et resistentia justi exaltabuntur ad regnum; injusti deprimentur ad supplicium sempiternum. Hinc et Apostolus utitur voce, *magni Dei*, cum de judicio loquitur, quia in judicio magnitudo Dei apertissime demonstrabitur. *Expectantes*, inquit, *beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* ad Tit. 2.

10. *Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Revertitur ad orationem, qua postulat dirigi in hac peregrinatione, et exilio, ne forte aberret a via, quae ducit ad patriam: et simul postulat consolationem spiritualem, quasi refectionem, ne deficiat in via. *Deduc me Domine in via tua*, idest, per auxilium gratiae tuae ostende mihi viam tuam nec solum ostende illuminando mentem, sed etiam movendo voluntatem; et sic *ingrediar* iter *in veritate tua*, idest, juxta veritatem fidei tuae, et legis tuae, *laetetur cor meum*, hoc est, quod supra dixit, *laetifica animam meam*; ergo laetetur te laetificante, et consolante cor meum, *ut timeat nomen tuum*, idest, non affecto consolationem propter consolationem, sed ut per eam quasi cibo recreatus perseverem in timore sancto tuo, et timendo offensionem tuam pergam recto itinere per viam mandatorum ad patriam, ubi sine timore serviam tibi. Non displicet s. Augustini expositio, *laetetur cor meum*, sic tamen ut etiam timeat nomen tuum: hic enim exultandum est, sed cum tremore, dum ad dulcem patriam, sed inter pericula tentationum currimus. In hebraeo pro, *laetetur cor meum*, legimus, יחד לבבי *jachad lebabbi*, quod verti potest, *unitum, vel unicum sit cor meum*: vel, *uni cor meum*, sive cum s. Hieronymo, *unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum*: ex qua lectione colligitur optimus sensus, ut videlicet optet Propheta, cor suum uniri in timore Domini, ut totum cor suum timeat Dominum, et non pars Dominum, pars mundum timeat. Caeterum nostra versio ex Graeca fideliter derivata est. Graeci autem interpretes viri septuaginta antiquissimi, et doctissimi numquam sic vertissent, si legissent, quod nos in nostris codicibus habemus: credibile igitur est eos non legisse, יחי *jachad*, sed, יחד *jechad*, cum iisdem literis, sed diversis punctis, quod significat *laetabitur*, a verbo חדה *chada*, et habetur haec ipsa vox Exodi 18. v. 9. et eam reddit s. Hieronymus, *laetatus est*, accipiendo futurum pro praeterito, propter literam vau praecedentem. Sed hoc loco ubi non est vau praecedens rectissime vertit noster interpres *laetetur*, et potuisset etiam vertere, *laetabitur*.

11. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in aeternum.*

Orationi adjungit gratiarum actionem; nihil enim utilius est ad impetranda nova beneficia, quam memorem, et gratum se ostendere praeteritorum. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine Deus meus*, confessionem laudis, et gratiarum actionis, *in toto corde meo*, idest, ex vero et pleno cordis affectu. *Et glorificabo nomen tuum*, idest potentiam tuam, *in aeternum*, donec vixero, sine intermissione.

12. *Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiore.*

Hoc est beneficium, pro quo gratias agit: quia videlicet ex magna misericordia sua Deus non ex meritis ipsius hominis supplicantis, eruerit animam ejus ex inferno inferiore, idest, justificaverit eum a peccatis, ob quae ad infernum interiorem descensurus erat, nisi per gratiam liberantur. Et vere tam magna misericordia Dei est ea, qua nos ex injustis justos facit; quam magna est poena gehennae perpetuae a qua liberamur, et quam magna est foelicitas sempiterna, ad quam jus accipimus, et aditum apertum habemus. Unde et Apostolus Petrus dicit, *secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* 1. Pet. 1. Cur gehenna dicatur infernus inferior, dupliceem rationem reddit s. August. unam, quod terra haec plena periculis sit infernus quidam respectu coeli, sed superior respectu gehennae. Alteram, quod in ipso inferno subterraneo sit pars superior, in qua erat Lazarus in sinu Abrahae requiescens, et inferior, in qua dives epulo cruciabatur in flammis. Addit s. Hieron. infernum inferiorem dici gehennam respectu peccati, qui est infernus quidam, sed quasi superior. Non desunt ex recentioribus, qui hoc loco per infernum inferiorem, intelligant graves calamitates, et pericula vitae hujus temporalis. Sed nos maluimus sequi ss. Patres Hieronymum, et Augustinum, quibus addi potest s. Bernard. in serm. 2. de Assumpt. qui per inferiorem, intelligit illum, ubi nemo confitetur Domino, et unde non datur egressus: praesertim cum magna misericordia, non ad res temporales, quae parvae sunt, et breves, sed ad sempiternas pertinere videatur.

http://www.obrascatolicas.com

13. *Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam et non proposuerunt te in conspectu suo.*

Post actionem gratiarum revertitur ad orationem qua petit liberari a multidudine hostium, qui vitae ejus insidiabantur, et quamvis nonnulli exponant haec omnia de hostibus corporalibus Davidis, vel Ezechiae: alii de hostibus Christi, qui mortem illius procuraverunt: tamen magis cohaeret cum superioribus partibus psalmi expositio s. Augustini, qui docet, haec omnia esse intelligenda de membris corporis Christi, idest, de hominibus justis, vel de quolibet homine justo, qui patitur varias tribulationes ab hostibus animarum, sive sint haeretici, sive schismatici, sive in ipsa ecclesia perdite viventes: quibus addere possumus, et doemones, qui istis omnibus praesunt. Ait igitur homo Dei, liberatus per gratiam Christi ab inferno inferiore, et interim praelians cum hostibus animae suae, et graviter ingemiscens, o Deus meus, *ecce iniqui insurrexerunt adversus me*; neque pauci, aut debiles sunt, *sed synagoga potentium*, idest, congregatio magna fortissimorum hostium, *quaesierunt animam meam*, ut eam perdant: et excaecati atque obdurati *non proposuerunt te ante conspectum suum*, idest, non cogitaverunt te esse protectorem justorum, et quod non cum homine infirmo, sed cum Domino Deo exercituum bellare audeant. In hebraeo pro voce *iniqui*, est, זדים *zedim*, quae proprie superbos significat sed idem est sensus. Superbi enim praeter caeteros omnes iniquissimi sunt.

14. *Et tu Domine Deus miserator, et misericors, patiens, et multae misericordiae, et verax.*

Dixit quot et quales hostes haberet: nunc petit adversus eos auxilium, ac primum praedicat multis nominibus bonitatem Dei, ut ostendat se non temere a tam bono Domino auxilium sperare. *Et tu*, inquit, *Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multae misericordiae, et verax*. Miserator hebraice; רחום *rachum*, significat proprie pio et paterno affectu miserantem filios. Misericors hebraice, חנון *channun*, significat proprie gratiae largitorem, sive gratificatorem, ut loquitur Apost. ad Ephes. 1. *Qui gratificaverit nos in dilecto filio suo*, idest, gratos nos sibi fecit, sive in gratiam recepit. Patiens hebraice longanimis, ארך אפים *erech appaim*, proprie *longus naribus*, idest, longus sive tardus ad iram accipiuntur, apud hebraeos. Multae misericordiae hebraice, רבחסד *rab chesed*, idest, Multus misericordiae, sive multus in misericordia. Verax hebraice, אמת *emeth*, veritatis, sive fidelitatis, et conjungitur cum voce multus, ut sit sensus, multae misericordiae, et veritatis, idest, multus in misericordia: et veritate, sive fidelitate. Ex his habemus, Deum esse amantem affectu paterno, inde esse facilem ad gratiam, inde esse tardum ad iram: inde denique esse multum, idest, liberalem, et promptum ad misericorditer promittendum, et fideliter adimplendum, quae omnia afferunt ineffabilem consolationem, et fiduciam hominibus piis, et ipsi Deo ex corde adhaerentibus: haec enim dicuntur timentibus Deum, ut clarius explicantur in psalm. 102. Qui enim Dei benignitate abutuntur, *ii thesaurizant sibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei*, ut dicit Apostolus ad rom. 2. quibus etiam dicit ad Hebr. 10. *Horrendum est, incidere in manus Dei viventis.*

15. *Respice in me, et miserere mei. da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.*

Explicata tot nominibus Dei benignitate, nunc petit, eam in se converti. *Respice*, inquit, *in me*, oculis tantae bonitatis tuae, *et miserere mei*, tu qui tam multus es ad miserendum. *Da imperium tuum puero tuo*, idest, in hoc peto, ut misrearis mei, ut non praevaleant hostes tam multi in servum tuum, sed contra des servo tuo robur, et fortitudinem, ad eos vincendos, et subjiciendos: et hoc modo *salvum fac me filium ancillae tuae*, ab eorum sive occultis insidiis, sive manifestis persecutionibus. Pro voce, *imperium*, in hebraeo est, עזך *hhuzecha*, robur tuum sive potentiam: ex quo intelligimus, non peti hoc loco regnum aliquod, aut imperium, prout sonat verbum latinum: sed peti gratiam fortiter resistendi hostibus, et illos subjiciendi, atque vincendi.

16. *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.*

Concludit petens aliquod externum signum, unde constet etiam apud adversarios, Deum adjutorem et consolatorem esse servorum suorum fidelium. *Fac mecum signum in bonum*, idest, ostende in me signum aliquod, quod rem bonam, id est, gratiam, et favorem tuum manifestet: *ut videant* illud signum *qui me oderunt* et confundantur diffidentes videlicet de victoria. *Quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me*, idest, quoniam re vera jam adjuvisti me in certamine, et consolatus es me in tribulatione per internam gratiam tuam, ostende etiam exterius signum aliquod favoris tui erga me, ut qui oderunt me videant hoc signum et confundantur. Potest etiam cum Euthymio sic exponi, ut videant qui me oderunt, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me, et confundantur: sed prior expositio videtur facilior, et conformis est interpunctioni hebraicae, graecae, et latinae, quae non videtur admittere hyperbaton. Quaerunt scriptores quod sit illud signum, quod hoc loco Propheta requirit. S. Hieronymus dicit esse signum crucis Christi: illud enim est signum in bonum, quia signum redemptionis; et cum illud aspictunt doemones, qui nos oderunt sine dubio confundunturur. S. Augustinus exponit hunc locum de signo, quod apparebit in die novissimo, quod erit in bonum electis; et eo viso confundentur omnes inimici nostri. Alii intelligunt de signo, quod accepit ab Isaia rex Achaz, cum ei dictum est, *dabat Dominus ipse vobis signum, ecce virgo concipiet, et pariet filium*, etc. Isaiae 7. Hoc enim signum vere fuit in bonum Davidi, cujus filius futurus erat Messias, et toti mundo, qui per Christum ab omnibus hostibus liberandus erat. Fortasse vocantur hoc loco *signum in bonum* laetitia spiritualis, quam initio petivit David, cum ait, *laetifica animam servi tui*, haec enim laetitia in homine justo, atque in tribulatione posito signum clarissimum est gratiae Dei; et hoc signo conspecto confunduntur non solum doemones, sed etiam omnes alii persecutores; et tunc sensus erit, *fac mecum signum in bonum*, idest, da mihi gratiam spiritualis laetitiae, quae etiam in ipsa vultus mei serenitate resplendeat: *et videant qui oderunt me*, hoc signum patientiae, et tranquillitatis animae meae, *et confundantur*, quoniam tu Domine adjuvisti certantem, et consolatus es moerentem, et tristitiam in gaudium internum jam convertisti.

PSALMUS LXXXVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Filiis Core Psalmum Cantici.

In hoc psalmo cantatur laus civitatis Jerusalem, per quam ecclesia Christiana sine dubio intelligi debet: terrenae siquidem civitati Jerusalem, etsi convenit, quod initio dicitur, fundamenta ejus esse in montibus, tamen non conveniunt caetera, ac praesertim, quod in ea sit habitatio Babyloniorum Ægyptiorum, et Tyriorum; ecclesiae autem sive militanti sive triumphanti omnia conveniunt.

EXPLICATIO PSALMI LXXXVI.

1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

Incipit Propheta laudare civitatem Jerusalem a fundamentis, quae sunt montes sancti, sed antequam progrediamur, solvenda est quaestio communis, quae statim unicuique occurrere potest; quid igitur significat pronomen *ejus?* non enim videtur posse referri ad Jerusalem, vel Sion, tum quia non est antea nominata civitas Jerusalem, vel Sion; tum quia in textu hebraeo et greco, illud *ejus* est generis masculini, Jerusalem autem et Sion sunt generis feminini. Respondeo, illud *ejus*, referri ad nomen subintellectum civitatis, quamvis enim nomen civitatis sit regulariter generis feminini: tamen habet terminationem ad modum masculinorum; dicitur enim, עיר *hir*, et in numero multitudinis, ערים *hirim*, et non desunt viri doctissimi, qui velint esse etiam generis masculini. Praeterea sicut inveniuntur multa nomina, quae praeter ordinem conjunguntur cum verbis diversi generis, ut ostendimus in institutionibus linguae hebraicae pag. 4. cap. 4. sic etiam fieri potest, ut pronomen generis masculini praeter ordinem conjungatur cum nomine generis feminini, non enim ista sunt ita rata in lingua hebraica, ut sunt in graeca, et latina. Itaque sensus est, *fundamenta ejus* Civitatis, quam mente intueor, et cujus laudes praedicare incipio, *sunt in montibus sanctis*. Omisit autem Propheta nomen civitatis, et dixit, *Fundamenta ejus*, ut ostenderet se continuare verba externa cum interna admiratione: contemplans enim, et admirans magnitudinem, et pulchritudinem Civitatis novae descendentis de coelo, prorumpit in verba illa, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Non placet autem quod aliqui dicunt, illud *ejus* referri ad Christum, neque enim Christus pendet a fundamentis, sed omnia fundamenta pendent ab ipso, qui est, ut recte monet s. August. Fundamentum fundamentorum, sicut est pastor pastorum, et rex regum, et Dominus dominantium. Ad Ephes. 2. *In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*. Multo minus placet quod dicunt Rabbini, illud *ejus* referri ad psalmum, et conjungi priorem partem hujus versiculi cum titulo hoc modo, *Canticum Psalmi, Fundamenta ejus in montibus sanctis*, idest, fundamenta hujus psalmi sunt in montibus sanctis; hoc, inquam, non placet, quia Septuaginta Interpretes viri doctissimi aperte distinxerunt titulum a psalmo, et psalmum inchoarunt in illis verbis, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*: distinctio; et interpunctio Rabbinorum est multo posterior, ac per hoc, inquam, non placet, quia Septuaginta Interpretes viri doctissimi aperte distinxerunt titulum a psalmo, et psalmum inchoarunt in illis verbis, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*: distinctio; et interpunctio Rabbinorum est multo posterior, ac per hoc minorem habere debet fidem. Porro nomine fundamentorum, juxta varias considerationes, res varias accipere debemus: si cogitemus eos, qui

http://www.obrascatolicas.com

primi ad ecclesiam convenerunt, et primi eam propagaverunt, fundamenta sunt Apostoli duodecim, juxta illud Apoc. 21. *et civitas habebat fundamenta duodecim, et in eis nomina duodecim Apostolorum Agni.* Si consideremus doctrinam, in qua fundatur fides Ecclesiae, fundamenta sunt Apostoli, et Prophetae, qui fuerunt immediati ministri Verbi Dei, et de his dicit Apostolus ad Ephes. 2. *Superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Si denique suspiciamus auctoritatem, et potestatem Ecclesiasticam, secundum quam id est fundamentum in domo, quod caput in corpore. Fundamenta sunt Christus, et Petrus; Christus fundamentum primarium, Petrus secundarium. De Christo dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* De Petro dicit Christus, Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Isti sunt ergo montes sancti, super quos fundata est Civitas Dei qui dicuntur montes propter altitudinem et excellentiam, sancti autem, quia non fuerunt alti altitudine superbiae, sed altitudine sanctitatis, et sapientiae, et auctoritatis. Neque obstat, quod Christus dicatur lapis angularis superpositus aedificio: psal. 117. *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic sanctus est in caput anguli*, et ad Ephes. 2. *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Nam lapis angularis est duplex, unus in fundamento, et alius in summo aedificio, et uterque connectit duos parietes; sed quamvis in aedificio corporali non possit esse idem lapis angularis in fundamento sustentans totum aedificium, et in vertice sustentatus a toto aedificio: tamen in fabrica spirituali unus et idem lapis, idest, unus et idem praelatus sustentat, et portat auctoritate sua totum aedificium, et simul praeest, et portatur per obedientiam a toto aedificio, idest ab omnibus lapidibus vivis: quae duo officia conveniunt principaliter Christo, qui est absolute caput, et princeps ecclesiae totius; sed conveniunt summo Pontifici, ut Vicario Christi generali: et suo modo omnibus aliis Praelatis respectu eorum, quibus praesunt; debent enim omnes Praelati portare, et portari, portare infirmitates subditorum, et portari ab eis dum imperant vel corripiunt. Sequitur alia laus civitatis Dei ducta a portis. *Diligit*, inquit Propheta, *Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Dixerat civitatem Dei fundatam esse super montes sanctos ac per hoc non posse ruere, ut solent aedificia fundata super arenam: nunc addit, non solum non posse ruere, sed nec posse expugnari ab hostibus, quia munita est portis fortissimis, de quibus dicitur in psal. 147. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Diligit ergo Deus portas Sion*, idest, diligit Deus Sion ob firmissimas ejus portas, quae eam faciunt inexpugnabilem: *super omnia tabernacula Jacob*, idest, magis quam diligat quaecumque tabernacula Jacob, quoniam etiamsi tabernacula illa pulchra essent, et miro ordine disposita, quando iter faciebant hebraei ab Aegypto in terram promissionis, tamen erant sine fundamento, et sine portis, ac per hoc mutabilia, et temporaria. Significatur igitur his verbis stabilitas, et firmitas ecclesiae, adversus quam portae inferi non praevalebunt, ac praesertim quando pervenerit ad patriam coelestem, ad quam etiam suspirabant Patriarchae, de quibus dicit Apostolus ad heb. 11. *Expectabant enim fundamenta habentem Civitatem, cujus artifex, et conditor Deus.* In Apocalypsi cap. 21. dicuntur *duodecim esse portae civitatis novae Jerusalem, et in illis scripta esse nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Per duodecim portas intelligunt communiter expositores illius loci, et Sanctus Augustinus in expositione hujus psalmi duodecim Apostolos, quia per illorum verissimam, et firmissimam praedicationem intramus omnes in ecclesiam Dei: neque obstat, quod paulo post dicuntur Apostoli duodecim, esse duodecim fundamenta ejusdem civitatis; sunt enim Apostoli et portae, et fundamenta; portae praedicando, fundamenta sustinendo. Neque etiam obstat, quod Joan. 10. Christus dicit. *Ego sum ostium; per me si quis introierit salvabitur.* Nam Christus porta est ratione meriti, siquidem per ejus meritum omnes intramus, et salvamur. Praeterea (ut dicit Augustinus) hujus civitatis una porta est, et duodecim portae sunt; quemadmodum unum fundamentum est, duodecim fundamenta sunt. Christus enim in Apostolis erat, et per Apostolos loquebatur, ut dicit Apostol. 2. ad Cor. ultimo, *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Itaque cum intramus per Apostolos, per Christum intramus, quia Apostoli non se ipsi, sed Christum praedicabant, et Christus per eos praedicabat: et cum in Apostolis fundamur, et super eos aedificamur, in Christo fundamur, et super eum aedificamur. Quod autem in portis scripta erant nomina duodecim tribuum filiorum Israel, id significatur, primos qui intrarunt in ecclesiam per Apostolorum praedicationem, fuisse filios Israel, ex quibus etiam ipsi Apostoli erant; deinde intrasse gentium plenitudinem: nam et Apocal. 5. ubi describuntur electi, et salvandi, primo loco numerantur duodecim millia ex singulis tribubus filiorum Israel, deinde additur *turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, et linguis.*

2. *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.*

Propheta David spiritu ebrius, et excellentiam hujus civitatis admirans sicut ex abrupto coepit, *fundamenta ejus*, etc. sic mutat continuo formam dicendi, et ipsam civitatem alloquitur dicens, *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, idest, non mireris, o sancta civitas, si ex abrupto loqui coepi, quoniam obruor copia encomiorum tuorum; multa enim gloriosa, magnifica, praestantissima dicta sunt mihi a Spiritu sancto de te. Et vere quis posset ordine servato narrare laudes illius civitatis, ubi erit Deus omnia in omnibus, et ubi bona illa servantur electis, *quae oculus non vidit auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt?* Quamvis autem proprie gloriosa dicta sunt de civitate Dei, quae est in coelis, et suo modo etiam de illa, quae est in terris toto orbe diffusa, tamen de terrena etiam Jerusalem, ut typum gerebat Ecclesiae, *gloriosa dicta sunt*, quod videlicet, civitas

esset regia, et sacerdotalis: quod in ea templum Domini arca testamenti, et alias id genus multa conservarentur: et quod omnium maximum est, quod in ea rex Angelorum, et Dominus omnium docuerit, miracula fecerit, redemptionem generis humani operatus sepulcrum suum reliquerit. Spiritum sanctum de coelo miserit, et ecclesiae suae perpetuo duraturae fundamenta jecerit.

3. *Memor ero Raab, et Babylonis, scientium me.*
4. *Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.*

Laudat nunc Propheta sanctam civitatem a multitudine, et varietate nationum, quae ad illam inhabitandam convenerunt: non enim soli Judaei, ut in testamento veteri ad Jerusalem pertinent: sed omnes nationes ecclesiam Catholicam, quae est vera Jerusalem in hoc psalmo laudata, inhabitaturi erant. Nominat autem Raab, et Babylonem, Palaestinos, Tyrum, et Aethiopes, quae erant nationes gentilium, sed notae Judaeis. Per *Raab* intelligunt scriptores veteres Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii in hunc locum, meretricem illam, quae dicebatur Raab, et excepit exploratores Josue in civitate Hiericho, ut habemus Josue 2. Sed recentiores recte adverterunt, meretricem illam, et in hebraeo, et in graeco vocari רהב *Rahab*, cum aspiratione gravi ῥαχάβ, in hoc autem loco scribi per lenem aspirationem, ῥαὰβ: per Raab autem intelligunt Aegyptum, sive regem Aegypti; vox enim hebraica רהב significat superbum, et sic vertitur in psalm. 88. et Isaiae 51. et in utroque loco, per superbum, intelligunt scriptores Aegyptum. Hic igitur erit sensus: *Memor ero Raab, et Babylonis scientium me*, idest, ego Deus conditor civitatis Jerusalem, in advocandis, et conscribendis electis civibus Jerusalem, memor ero, non Judaeorum tantum, sed etiam Aegyptiorum, et Babyloniorum, qui scient me, per fidem videlicet, et religiosum cultum cognoscent me. *Ecce enim etiam alienigenae*, idest, Palaestini, *et Tyrus*, idest populus Tyri, et populus Aethiopum, *fuerunt illic*, idest, istae quoque gentes, me vocante, et adducente erunt in civitate sancta Jerusalem. Ponitur enim praeteritum pro futuro, more prophetico. In hebraeo pro, *scientium me*, habetur לליו עי *leiode hai, scientibus me*, et eodem modo habetur in graeco ὅτοι ἐγεννήθησαν ἐκεῖ. Sed articulus ל *le*, qui habetur hoc loco, non solum deservit dativo, sed etiam genitivo, imo et accusativo ut grammatici docent. Quare si graecam interpretationem sequi velimus, non erit vertendum, *memor ero Raab, et Babylonis*, sed, *commemorabo Raab et Babylonem scientibus me*, id est, fidelibus meis. Sed quia latinus interpres vertit, ut jure potuit, *memor ero Raab, et Babylonis*, rectissime addit, *scientium me*, et est haec lectio antiquissima apud latinos, ut perspicuum est ex commentario s. Hieronymi in hunc psalmum. Illud autem, *hi fuerunt illic*, in hebraeo est זלר זה שם *jullad sciam, iste natus est ibi*, in graeco habetur in numero multitudinis, *hi nati sunt illic*, et idem est sensus, nimirum, unusquisque horum natus est illic. Quare latina interpretatio explicari debet hoc modo, *hi fuerint illic*, idest, hi omnes populi enumerati fuerunt, sive erunt in Jerusalem per novam generationem: per antiquam enim generationem cives erant Aegypti, vel Babiloniae, vel Tyri, vel Palaestinae, vel Aethiopiae, sed per novam generationem renati ex Deo per Christum, erunt omnes cives unus, atque ejusdem civitatis sanctae Jerusalem, *ubi non est gentilis, aut Judaeus, Barbarus, aut Scytha, servus, et liber, sed omnia, et in omnibus Christus.* Coloss. 3.

5. *Numquid Sion dicet, homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*

Addit propheta praecipuam laudem sanctae civitatis, quod in ea natus sit, qui fundavit eam *altissimus Filius Dei.* Hinc enim potissimum gloriosa dicta sunt de ea, quod civis ejus esse voluerit secundum naturam humanam, qui fundator ejus est secundum naturam divinam. Sic enim intelligunt hunc locum ss. patres Hieronymus, et Augustinus et post eos Theodoretus, et Euthymius doctores graeci, et ante hos omnes vetustissimus latinorum Tertullianus in libro adversus praxeam. *Numquid Sion dicet homo*, idest, num fieri poterit, ut homo aliquis dicat Sioni rem tam novam, et tam admirandam, et inauditam a saeculo. *Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*, idest, numquid significabit aliquis ipsi Sioni, *quod homo natus sit in ea*, et ipse idem fundaverit eam, *cum sit Altissimus?* Hanc tam evidentem prophetiam nonnulli cum Judaeis obscurare nituntur. Sed nos majorem fidem habemus ss. Patribus, quam omnibus Judaeis. Quod attinet ad verba illud, *numquid*, in hebraeo est, *et*; sed fortasse textus hebraicus corruptus est vitio scriptorum; et pro *vau*, legendum est *he*, quod significat *numquid*. Caeterum etiamsi maneat particula, *et*, idem est sensus. Si accipiatur per modum interrogandi, idem est enim, *Et Sion dicet homo?* et, *numquid Sion dicet homo?* In textu graeco non habetur numquid neque, *et*, sed, *mater*, et sic legit etiam s. August. *Mater Sion dicet homo;* sed s. Hieron. in commentario aperte docet, textum graecum esse corruptum, et Septuaginta vertisse μητη quod est, numquid, sed ab aliquo sciolo additum esse, ρ, et factum esse μήτηρ. Illud, *Sion*, est in casu dandi, ut ex articulo hebraico notum est: et etiam ex eo, quod verbum, *dicet*, in hebraeo est generis masculini, et Sion est generis foemININI. Itaque homo dicet Sion, non ipsa Sion dicet. Illud, *dicet*, in hebraeo est יאמר *jeamar*, dicetur: sed remotis punctis eaedem literae faciunt, יאמר *jomar*, quod significat *dicet*, et sic legerunt Septuaginta, qui verterunt ἐρεῖ *dicet*. Illud, *homo et homo*, Rabbini, et qui eos sequuntur ita conjungunt, ut sensus sit, *homo et homo*, idest, multi homines. Sed in textu hebraico et graeco primum, *homo*, conjungitur cum verbo *dicet*, ut sensus sit. Dicet homo ad Sion: alterum, *homo*, conjungitur cum verbo *natus est*, et haec est vera interpunctio et lectio; neque debemus propter Rabbinorum glossas pervertere textum, et relinquere patrum expositio-

http://www.obrascatolicas.com

nem. Illud, *et*, cum dicitur, *et homo natus est in ea*, potest accipi pro *quia*, ut saepissime alias in scripturis. Si quis quaerat, quomodo Christus dicatur natus in Sion, cum constet eum natum esse in Bethlehem. Respondebimus hoc loco, per Sion significari ecclesiam, sive populum Dei; Christum autem natum esse secundum humanitatem in populo Dei, sive in ecclesia, quae coepit in Abel, cujus ecclesiae ipse est conditor secundum divinitatem. Addimus recte etiam posse dici, Christum natum esse in Sion, ratione parentum suorum Davidis, Salomonis, et aliorum, qui sedem suam posuerunt in Sion.

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et Principum: horum, qui fuerunt in ea.*

Respondet ad interrogationem, qua dixerat, *Numquid Sion dicet homo*; dicit enim Propheta, Dominum ipsum hoc dicturum, imo scripturum ad aeternam memoriam in libro, in quo scribit populos, et principes populorum, qui per novam nativitatem fuerunt in ipsa civitate. *Dominus*, inquit, *narrabit*, idest, annunciabit quod in Sion natus sit homo, qui ipse idem sit fundator Sionis: *narrabit autem in scripturis populorum et principum*, qui fuerunt in ea, idest, narrabit in illis scripturis, in quibus continentur nomina populorum, et principum renatorum in ipsa civitate: caput enim horum omnium est ille homo, qui simul est fundator Sionis, ac per hoc in capite libri scribetur. Porro publicatio hujus libri fiet in die Judicii; tunc enim aperientur libri, et alius liber, qui est vitae, ut dicitur Apoc. 20. de quo libro dicitur Luc. 20. *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in coelo.* Per principes, intelligit s. August. Apostolos, quos constituit Dominus principes super omnem terram. Quod attinet ad verba, in hebraeo, pro, *narrabit*, est verbum ספד *ispor*, quod s. Hieronymus vertit, numerabit. Verbum enim ספר *saphar* utrumque significat, et *narrare* et *numerare*: et utraque significatio hic locum habet: in libro enim vitae narrantur res gestae electorum, et eorum numerus describitur. Pro voce *in scripturis*, in graeco habetur εν γράφῃ; *in scriptura*, sed numerus non mutat sensum. In hebraeo habetur ad verbum, בכתוב עמים *bichthob hammim*, *in scribendo populos*, idest, narrabit, vel numerabit, dum scribet populos: atque hinc exposuimus verba vulgatae editionis latinae in scripturis populorum, idest, in scripturis, in quibus scribuntur populi, sive nomina populorum: una enim editio aliam explicat. Illud, *et principum*, in hebraeo habetur transpositum post illa verba, *horum qui fuerunt in ea*, imo sequens versiculus apud hebraeos incipit per ista verba, Et principum. Sed nos sequi debemus lectionem septuaginta Interpretum, qui emendatiores libros habuerunt: ista enim transpositio videtur facta negligentia librariorum, et totum sensum obscurat. Illud, *horum qui fuerunt in ea*, in hebraeo est in singulari. *hic natus est in ea*, sed idem est sensus, hic videlicet, Dominus narrabit cum describet populos, et principes, quorum unusquisque per novam nativitatem fuit in ea.

7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.*

Haec est conclusio psalmi, quae continet summam foelicitatem habitantium in illa civitate, cujus fundamenta initio psalmi descripta sunt. Haec est enim foelicitas propria civitatis sanctae Jerusalem, quod in ea nullus est miser, nullus moerens, nullus gemens: quoniam *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apocal. 21. et quamvis haec implenda sint re ipsa in coelesti Jerusalem: tamen etiam in ecclesia militante, qui sunt descripti cives in coelo, omnes sunt spe gaudentes; et illis dicit Salvator, Joan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*: et Apostolus, Philip. 4. *semper gaudete*; et re vera si servi Dei gaudent etiam in tribulatione, quando moesti esse poterunt? Notat autem s. August. non esse dictum, *laetantium*, sed quasi laetantium, ne putaremus laetitiam patriae esse laetitiam, qualem hic videmus in filiis hujus saeculi, qui laetantur in acquisitione auri, et argenti, vel in carnalibus deliciis, aut aliis ejusmodi rebus. Erit ergo habitatio in coelesti Jerusalem similis habitationi, ubi convivium, vel nuptiae, cum laetitia et canticis jucunde celebrantur, sed non erit eadem causa laetitiae, hic et ibi, ac si diceretur, Non erit habitatio tripudiantium, vel potantium; sed sicut tripudiantium et potantium neque erit habitatio laetantium in nuptiali convivio, sed sicut laetantium in nuptiali convivio. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *Et cantores quasi in choris, omnes fontes mei in te.* Sed ut supra diximus, septuaginta Interpretes habuerunt codices magis correctos, et verba illa, ושרים *vesarim*, quae s. Hieron. legit in hoc ultimo versiculo, et vertit, *et cantores*, ipsi legerunt in versiculo superiore, et verterunt, *Et principum*: nam vox שרים *sarim*, si legatur cum puncto in dextro cornu primae literae, significat. *cantores*, a verbo שול *sur*, si legatur cum puncto in sinistro, significat *principes*, a verbo, שי ה *sarab*, et sic legerunt septuaginta Interpretes. Illud, quasi in choris, כחללים *checholelin*, potest etiam recte verti. Sicut tripudiantium, vel laetantium, ut notum est. Denique illud, *omnes fontes mei in te*, non habet difficultatem, nisi ratione duorum vocabulorum, *fontes mei*: sed vox hebraica, מעיני *mahianai*, *fontes mei*, lecta videtur a septuaginta Interpretibus, מעוני *mehoni*, cum iod paragogico, quae significat habitationem: neque enim tam imperiti erant Septuaginta, ut pro fontibus, ponerent habitationem, nisi legissent verbum, quod ita verti posset. Sed quamvis vera lectio sit, quam ex septuaginta Interpres noster latinus expressit: tamen lectio quoque illa verum sensum habet, quam sanctus Hieronymus ex hebraeo transtulit. Vere enim beati omnes in coelis sunt quasi cantores in choris laudantes Deum, quoniam omnes fontes bonorum divinorum in coelesti Jerusalem inveniuntur.

PSALMUS LXXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Psalmi filiis Core, in finem pro Maheleth, ad respondendum intellectus Eman Ezraitae.

Obscurus titulus est, ut fere tituli caeteri esse solent. Illud, *pro Maheleth*, est ipsa vox hebraica, quam Septuaginta Interpretes intactam reliquerunt, ut Amen, Alleluja, et similes. S. Hieronymus vertit, per chorum; alii volunt esse instrumentum musicum. Illud, *ad respondendum*, s. Hieronymus vertit, *ad praecinendum*; vox tamen hebraica לענות *lehonoth*, respondere significat. Videtur autem Eman Ezraita ille esse, qui cantor dicitur lib. 1. Paralip. cap. 6. et nepos Samuelis fuisse describitur: quamvis et alii fuerint, qui hoc nomine dicti sunt. Igitur sensus erit, Canticum psalmi filiis Core datum ad canendum et frequentandum usque in finem super instrumento *Maheleth* appellato ad respondendum alternatim canendo, in quo explicatur eruditio, sive intelligentia mysterio plena Eman Ezraitae, sive ipse, sive David in ejus persona psalmum composuerit. Argumentum psalmi ex Hieronymo, Augustino, et Euthymio est passio Domini nostri Jesu Christi, quae hoc loco manifeste praedicitur, ut in aliis multis psalmis.

EXPLICATIO PSALMI LXXXVII.

1. *Domine Deus salutis meae, in die clamavi, et nocte coram te.*

Propheta in persona Christi, ut ostendat magnitudinem passionis, multis et variis modis repetit, et inculcat, quod Dominus in Cruce pendens dixit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Incipit autem ab oratione invocans Deum patrem, ac dicens, *Domine Deus salutis meae*, idest, a quo salutem expecto per celerem resurrectionem, *in die clamavi, et nocte coram te*: clamavit enim in die passionis ex cruce dicens, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* et nocte praecedente in horto ter clamavit, *Pater mi, si fieri potest, transfer calicem hunc a me.*

2. *Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.*

Exaudiatur, inquit, obsecro oratio mea: id enim significant omnia verba hujus versiculi, sed metaphoris multis poetice admixtis. *Intret in conspectu tuo oratio mea*, idest, admittatur quasi orator quidam ad praesentiam tuam haec oratio mea. *Inclina aurem tuam ad precem meam*, idest, posteaquam oratio admissa fuerit ad praesentiam tuam, praebe illi benignam aurem, ut cum fiducia exponat petitionem suam. In hebraeo pro verbis, *ad precem meam*, habetur, לינתי *lerinnathi*, idest, *ad laudationem meam*, sive *ad hymnum meum*. Est enim oratio cum admixta laude. Laus autem est in primis verbis psalmi, ubi dicitur, *Domine Deus salutis meae.*

3. *Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.*

Haec referri possent ad verba illa, *tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26 sed magis apte respondent illis, quae dicta sunt in cruce, *Deus meus, ut quid dereliquisti me* Matth. 27. Tunc enim plane repleta erat malis anima Christi, ob ingentes dolores totius corporis sui, et astantis matris suae, et vita ipsius propinquissima erat morti, ac per hoc inferno, ad quem tuae omnes animae defunctorum descendebant. Non desunt qui haec omnia, et sequentia referant ad morbum corporalem Davidis, aut Oziae regis: sed si ita esset, nihil mysterii in hoc psalmo esset, neque in titulo diceretur, *Intellectus Eman*, neque Ecclesia psalmum hunc cum caeteris frequentaret.

4. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.*

Commemoravit dolores gravissimos corporis sui,

http://www.obrascatolicas.com

ob quos jam vicinus erat morti: commemorat nunc ignominiam et contemptum: quem patiebatur jam mortuus ex opinione hominum: existimabant enim homines illum esse quasi unum de caeteris, qui invitus descendisset in mortem, nec posset ullo modo seipse juvare, neque haberet a quo juvaretur, cum tamen ipse vere esset inter ipsos etiam mortuos liber a dominatu mortis, et a captivitate Diaboli, et posset quando vellet, mori, et quando vellet resurgere *Aestimatus sum*, inquit, *cum descendentibus in lacum*, idest, putaverunt homines me descendisse in locum animarum, sicut alii descendunt, invitum videlicet et coactum, ac per hoc existimaverunt me esse unum de numero infirmorum mortalium: *factus sum*, opinione hominum insipientium, *quasi homo sine adiutorio*: nam ideo insultabant moventes capita sua, et dicentes, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Inter mortuos liber*: idest, ego, qui inter morti addictos, et potestati ejus subiectos solus liber sum, ut nemo me ad mortem cogere possit. *et qui potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*, ut dicitur Joan. 10. Ego, inquam, existimatus sum sicut homo sine adjuturio, infirmus, et imbecillus, ut caetera turba mortalium.

5. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.*

Pergit explicare opinionem hominum de morte sua. Existimatus, inquit, sum *sicut vulnerati dormientes in sepulchris*, idest, sicut alii vulneribus occisi, et in sepulchris jacentes sopore mortis oppressi. *Quorum non es memor amplius*, idest, quorum tu Deus curam, quam de hominibus habes, deposuisti, cum amplius non sint inter homines. Quod idem repetit, et declarat dicens, *et ipse de manu tua repulsi sunt*, idest, ideo tu Deus oblitus es eorum, neque de illis amplius cogitas, quoniam a manu providentiae tuae repulsi sunt, cum non sint amplius in rerum natura. Ubi non dicit Propheta, corpora defunctorum non pertinere ad curam Dei, sed homines mortui non sunt homines, neque indigent victu, vestitu, aliisque rebus quibus indigent homines. Porro Christus, etiamsi in triduo mortis non fuerit homo, et vere vulneribus occisus jacuerit in sepulchro, tamen valde dissimilis erat aliis hominibus, quoniam ipse se resuscitare poterat, quod nulli alii possunt. S. Augustinus exponit illud, *quorum non es memor amplius*, in hunc sensum, Non es memor aliorum mortuorum, ut eos continuo resuscites: sed memor eris in fine saeculi: et ille, *et ipse de manu tua repulsi sunt*, exponit de Judaeis existimantibus Christum similem fuisse aliis mortuis, non autem de mortuis jacentibus in sepulchris. Non rejicio expositionem; sed quam supra posuimus, ea nobis videtur magis textui inhaerere. Qui psalmum exponunt de aegrotatione Davidis, vel aliis ejus calamitatibus, coguntur haec omnia explicare per tropos, et similitudines, cum tamen Christo Domino proprie, et ad litteram aptissime conveniant.

6. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.*

Haec referuntur ab Euthymio ad sepulchrum Christi, quod lapide superposito tenebrosum erat. Sed de sepulchro dictum est in versiculo superiore: et sepulchrum tenebrosum quidem dici potest, sed non profundum instar lacus. Itaque melius referentur ad limbum, qui est locus subterraneus, et infernus etiam dici solet, et sic exponit s. Hieronym. S. August. per locum inferiorem, sine infimum, ut ipse legit, intelligit summam miseriam, qua major non sit, ut in psal. 39. *Eduxisti me de lacu miseriae. Posuerunt me in lacu inferiore*, idest, inimici mei, qui me occiderunt, fecerunt ut descenderem ad inferiores partes terrae secundum animam, qui jacebam secundum corpus occisus in sepulchro; describit autem locum inferni dicens. *In tenebrosis, et umbra mortis*, idest, in locis tenebrosis, et in umbra densissima, qualis est umbra mortis: vide in explicatione psal. 22. vers. 4. in hebraeo habetur. *posuisti me*, sed Septuaginta legerunt cum aliis punctis non. שתני *sciattani*, *posuit me*, sed, שתני *sciatuni posuerunt me*: sed etiamsi legeretur. *posuisti me*, sensus esset verus: siquidem Deus Pater recte dici potest posuisse Christum in limbo, quemadmodum etiam in Cruce, et in sepulchro, quia *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut ait Paul. Rom. 8. Illud etiam, *in umbra mortis*, in hebraeo habetur. בצלות *bimtzoloth*, *in profundis*. Sensus est idem, et fortasse, ut alii ante nos observarunt, literae sunt transpositae, et Septuaginta legerunt. בצל מות *betzal maveth*, quod significat, *umbra mortis*. Sunt enim literae omnino eaedem.

7. *Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.*

Duabus metaphoris declaravit David in persona Christi magnitudinem passionis. *Super me confirmatus est furor tuus*, idest, furor tuus, quo indignabaris peccatis generis humani, sive zelus justitiae, quo peccata omnia vindicari volebas, super me non solum effusus est, sed etiam confirmatus, et roboratus, ut non inde recederet, donec plenissima satisfactio existeret. Haec est prima metaphora, ex qua intelligimus, tantam fuisse acerbitatem Dominicae passionis; quantam requirebat furor Dei omnipotentis in peccata totius mundi. Digna plene res, quam omnes redempti attentissime contemplentur. *Et omnes fluctus tuos induxisti super me*. Haec est altera metaphora, qua comparatur passio Dominica omnibus fluctibus totius maris obruentibus, sive agitantibus, et alludentibus ad varios scopulos hominem in mare praecipitatum. Sicut enim Dominus Jesus Christus omnia peccata hominum super se diluenda susceperat, sic etiam non unus, aut alter fructus poenalis, sed omnes omnino in eum irruerunt.

8. *Longe fecisti notos meos a me; posuerunt me abominationem sibi.*

Addit ad caeteras passiones aversionem notorum ab ipso. Per notos autem intelliguntur, qui eum noverant inter ipsos conversantem, et docentem; sed non credebant esse Deum, aut Messiam; de quibus dicitur Joan. 1. *In propria venit, et sui eum non receperunt. Longe fecisti*, inquit, *notos meos*, idest, permisisti, ut qui me noverant, longe recederent a me; *posuerunt me abominationem sibi*, idest, non solum recederent, tamquam si me non nossent; sed etiam execrarentur ut seductorem, et Samaritanum, et doemoniacum, et amicum publicanorum, et peccatorum: haec enim omnia legentur in Evangelio dicta esse a Pharisaeis de Christo. Posset tamen hic versiculus exponi de discipulis Domini, qui proprie noti ejus dicuntur. Luc. 23. *Stabant*, inquit, *omnes noti ejus a longe*. Et Matth. 26. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt*. Quod autem additur de abominatione, impletum videtur in s. Petro, qui Matth. 27. *coepit detestari, et jurare, quia non novisset hominem*; ubi quamvis re vera s. Petrus in corde suo non abominaretur Christum, tamen visus est abominari, cum juramento execratorio, se non novisse illum. Denique Discipuli ejus, cum nondum intelligerent sacramentum Dominicae passionis, et apprehenderent passionem, et mortem Domini, ut rem noxiam, et sibi, et Christo; non mirum est, si tunc eam abominarentur. Unde etiam ei dicebant, *Nunc te quaerebant Judaei lapidare, et iterum vadis illuc*, Joan. 11. Et sanctus Petrus audita praedictione passionis, abominatus eam dixit, *Absit a te Domine, non erit tibi hoc*, Matth. 16. Utramque expositionem attingit s. Augustinus, sed ante ponit primam. S. Hieronymus per *notos* intelligit Apostolos, per *abominantes* intelligit Judaeos: ut et Euthymius. Sed difficile est ita dividere, cum pronomen *sibi*, referatur ad notos: illi enim *posuerunt eum abominationem sibi*, qui longe facti sunt ab eo, quamvis noti ejus essent.

9. *Traditus sum, et non egrediebar, oculi mei languerunt prae inopia.*
10. *Clamavi ad te Domine tota die expandi ad te manus meas.*

Explicata passionis magnitudine, revertitur ad initium passionis, et ad initium psalmi, idest, ad orationem, quia deprecatur mortem corporalem, ut fecit in horto, vel certe longiorem moram in morte. *Traditus sum*, inquit, *et non egrediebar*, idest, traditus sum quasi in carcerem, et conclusus undique in decretam a te passionem, unde egredi non potero, et ideo *oculi mei* lachrymis multis effusis *languerunt*, ut quasi siccati sint *prae inopia* humoris. Illud enim, *traditus sum*, hebraeo significat, *traditus sum in carcerem*, sive *conclusus sum in carcere*. Sed per carcerem intelligimus angustias passionis; et quoniam videbat, Dei praescientia, et praedifinitione, se traditum in ejusmodi angustias, ideo dicit, *Et non egrediebar*, id est, non poteram, nec volebam egredi, stante decreto patris aeterni. *Clamavi ad te Domine tota die*, hoc idem habetur in principio psalmi, et declaratur ab Apostolo ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte cum lachrymis, et clamore valido offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Dicitur autem clamasse *tota die*, quia et die et nocte clamavit, ut dicitur in primo versiculo: nam ex die, et nocte completur dies naturalis, ac per hoc tota dies dicitur utraque pars diei, quamvis non utraque pars integra sit. *Expandi ad te manus meas*, orando videlicet, vel expandi in cruce manus meas, ut tanto oblato sacrificio facilius impetrarem, et mihi celerem resurrectionem, et corpori meo mystico liberationem a morte sempiterna. Neque obstat, quod non expandit Christus manus tota die, illud enim *tota die*, refertur solum ad clamorem, non autem ad expansionem manuum. S. August. exponit omnia mystice, quoniam non existimabat posse ad litteram ostendi, quomodo Christi oculi potuerint languere prae inopia; neque quomodo tota die clamaverit, et extenderit manus suas.

11. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut Medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?*
12. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam et veritatem tuam, in perditione!*
13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis?*

Reddit rationem Propheta in persona Christi, cur a morte salvari petierit. Possunt autem hi tres versiculi, tribus modis exponi; primum de morte aeterna, quam Christus a membris suis idest, fidelibus suis amoveri oraverit: et in hoc sensu facile est intelligere hos tres versiculos. Redditur enim ratio, cur petendum, et optandum sit, ut haec mors amoveatur a fidelibus, quia Deus erga damnatos ad mortem aeternam, non ostendere solet, nec debet mirabilia sua: neque illi unquam resurgere debent ad vitam beatam; neque narrabunt cum laude misericordiam, et veritatem Dei. Denique quia non solum non narrabunt ista, sed neque cognoscent. Contra hanc expositionem facit, quod hic nominantur sepulchra, et medici: sepulchra enim sunt corporum mortuorum, non animarum damnatarum, medici si experimentum ullum facere auderent circa corpora, non circa animas auderent. Secunda expositio est, quod per mortuos et sepultos intelligantur obstinati in peccato, apud quos parum valent mirabilia Dei, et quos medici spirituales, quantumvis magni, non resuscitant. Hanc persequitur s. Augustinus, et ex parte s. Hieronymus, sed mystica est interpretatio, non litteralis. Tertia est Theodoreti, et Euthymii, quod intelligantur haec omnia de morte corporali, quam Christus a se, et suis deprecatur, optans, et petens celerem resurrectionem, et tunc sensus hic erit, *numquid mortuis faciens mirabilia?* idest, horreo mortem cupio vitam conservari, aut brevi restitui mihi, et

http://www.obrascatolicas.com

fidelibus meis : quoniam mortuis, qui non vivunt nec sentiunt, frustra ostenderes mirabilia opera tua, quae tamen mirabilia honorificum est te facere, et justum est ut agnoscantur, et tibi gratiae agantur. *Numquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* idest mortui non solum non vivunt, nec sentiunt; sed neque arte ulla humana suscitari possunt ut sentiant, et vivant et tibi confiteantur confessionem laudis. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?* Idest, ideo non facis mortuis mirabilia tua, quia illi in sepulchris jacent sine sensu, et mirabilia tua, narrare non possunt ; quae mirabilia sunt misericordiae, et veritatis tuae opera. Perditio autem hoc loco amissionem vitae corporalis significat: proinde jacere in sepulchro, et in perditione idem est : soli enim in sepulchris, jacent, quorum vita perdita, et extincta est. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis ?* idest, ideo non narrabunt mortui in sepulchris mirabilia tua, quia non ea cognoscunt, neque cognoscere possunt, cum degant in tenebris mortis, et in terra oblivionis, ubi nulla est memoria rerum praeteritarum, sicut nec sensus rerum praesentium. Haec expositio confirmari potest ex verbis regis Ezechiae apud Isaiam cap. 38. qui sine ullo dubio petebat vitam corporalem sibi conservari a Deo, et dicebat, *quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; vivens vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie.* Similia habentur in psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum ; sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Quod attinet ad verba, in hebraeo pro illis verbis, *aut medici suscitabunt*, habetur, *aut Gigantes resurgent.* Sed haec varietas nata est ex ambiguitate vocis hebraicae, ut etiam s. Augustinus admonuit ; nam vox, רפאים *rephaim*, quae significat *gigantes*, vel *mortuos* : si scribatur, רפאים *ropheim*, uno puncto dumtaxat mutato, significat *medicos*. Sic autem legisse septuaginta Interpretes certissimum est. Quod autem recte legerint, et verterint ex hoc etiam cognosci potest, quod radix hujus vocabuli est, רפא *rapha*, quae significat *mederi*, sive *sanare*. Quando enim ה *rephaim* accipitur pro gigantibus, *vel mortuis*, debet sumi א *aleph* pro ז *he* : nam radix est, רפה *raphah*, quae significat, *dissolvere*, unde dicuntur mortui, *rephaim*, quasi resoluti in cineres, et Gigantes dicuntur, *rephaim*, quasi qui terribili aspectu suo dissolvant intuentes. Illud autem, יקומו *jakumu*, similiter est ambiguum, et potest significare tam, *resurgent*, quam, *suscitabunt*, et ideo interpretes accomodate transtulerunt, sive *resurgent*. sive *suscitabunt*. Illud, *et confitebuntur tibi*, aliqui referunt ad medicos, quasi dicat Propheta, numquid medici suscitabunt mortuos, et laudabunt te, quod tantam virtutem medicinae tradideris? Sed rectius refertur ad mortuos, ut sensus sit, numquid medici suscitare poterunt mortuos, et ipsi mortui laudabunt te? Et sic exponit sanctus Augustinus. Denique illud, *in terra oblivionis*, ambiguum est: potest enim significare, in loco, ubi est, oblivio omnium rerum, et talis est regio mortis, vel in loco oblito, cujus loci videlicet nemo amplius recordatur. Codex hebraeus ambiguus est; septuaginta Interpretes, et sanctus Hieronymus interpretati sunt posteriore modo. Consequentia autem sermonis videtur requirere priorem sensum : sed uterque sensus in idem recidit, terra enim oblivioni data, est terra deserta, et desolata, ad quam nemo vivens accedit: proinde nemo est ibi, qui ullius rei recordetur, cum nemo sit ibi vivens, et sentiens.

14. *Et ego ad te Domine clamavi, et mane oratio mea praeveniet te.*
15. *Ut quid Domine repellis orationem meam? avertis faciem tuam a me ?*

Demonstrat in fine psalmi divino decreto confirmatam fuisse Christi passionem, ut mutanda omnino non esset: et pluribus verbis (ut initio diximus) explicatur illud in cruce brevissime dictum a Domino, Matth. 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me. Et ego ad te Domine clamavi*, ut videlicet calix possionis transiret a me, *et mane oratio mea praeveniet te*, idest, satis tempestive in ipso exordio passionis oratio Christi in horto fusa, nocturno tempore fuerit fusa, tamen dicitur mane fusa, quia tunc oriri incipiebat ipsa passio, et erat illud tempus quasi ancora passionis. *Ut quid repellis orationem meam*, idest, quare non exaudis ? quare non facis, ut calix iste transeat a me? *Avertis faciem tuam a me?* idest, quare avertis faciem tuam a me, quasi alienus? quare derelinquis me? haec autem dicuntur, ut intelligantur magnitudo passionis, quam natura humana naturaliter horrebat: alioquin enim absolute Dominus ipse passionem, ut remedium ad tollenda peccata generis humani, omnino volebat, et Pater eum semper exaudivit in eo, quod absolute petit. In hebraico, et graeco textu habetur, למה יהוה תזנח נפשי *Lamah*, Adonai *tiznach naphsci*, ἵνα τί κύριε ἀπωθῇ τὴν ψυχήν μου, *Ut quid Domine repellis animam meam*; pro eo quod nos habemus, *Ut quid Domine repellis orationem meam*; sed tamen etiam veteres Patres Hieronymus, et Augustinus legunt, *orationem meam*. Proinde latina vulgata lectio non est nova, et una lectio aliam declarat. Sensus enim est, Ut quid Domine repellis orantem animam meam.

16. *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.*

Ne putarent homines Christi passionem trium horarum aut unius diei tantum fuisse: revelat hic nobis Spiritus sanctus, Christum in diebus carnis suae numquam sine passione vixisse. Nam praeter calicem mortis amarissimae, quem semper ante oculos mentis habuit, in omni aetate sua in laboribus et aerumnis fuit. *pauper*, inquit, *sum ego, et in laboribus a juventute mea*, idest, cum in forma Dei essem beatus, et dives, propter vos homines egenus factus sum, et in laboribus a juventute mea, sive a pueritia mea, quod significat vox hebraica, מנער *minnochar*. Poterat etiam vere dicere ab infantia mea, vel a nativitate mea : quod praesepe et spelunca Bethlehemitica, et in Ægyptum fuga exiliumque testantur. *Exaltatus* autem in cruce tamquam in solio regni, habens super caput titulum scriptum, *Jesus Nazarenus rex Judeorum humiliatus sum* usque ad mortem, *et conturbatus* ob coecitatem, et ruinam populi mei. Vel exaltatus autem a populis clamantibus, et dicentibus, *benedictus, qui venit rex in nomine Domini*, ut habetur Luc. cap. 19. vel. *benedictus, qui venit in nomine Domini rex Israel*, ut dicitur Joannis 12. humiliatus ea de causa usque ad flagella, et mortem crucis, et conturbatus sum videns coecitatem populi mei. In hebraeo, pro, *exaltatus autem humiliatus sum*, habetur ex versione sancti Hieronymi, *portavi furorem tuum*. Sed septuaginta Interpretes aliter acceperunt verbum ambiguum, נשאתי *nasathi*: nam et *portare*, et *exaltare*, vel exaltari significat. Itaque s. Hieronymus unam significationem, aliam septuaginta Interpretes sequuti sunt. Vocem autem, אמיך *emecha*, *furorem tuum*, septuaginta legisse videntur a verbo, מכך *mecach*, quod *humiliari*, et *depauperari*, significat.

17. *In me transierunt irae tuae et terrores tui conturbaverunt me.*

Reddit causam, cur exaltatus humiliatus sit ; quia videlicet ira Dei in peccata multa, et multiplicia totius generis humani, in ipsum Christum transierunt: nam *propter scelus populi sui percussit eum Deus*, ut Isaias cap 53. *Et ipse* (ut sanctus Petrus ait in 1. Epist. cap. 2.) *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. In me*, inquit, *transierunt irae tuae*, quae super iniquos casurae erant: *et terrores tui*, quibus iniqui percellendi erant, *conturbaverunt me*: inde est enim, quod in horto coepit pavere, et taedere, et moestus esse, quia terrores Dei conturbabant eum, ut qui peccata totius mundi expiaturus, divinae justitiae satisfacturus erat.

18. *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.*

Declarat iram illam, et terrores Dei fuisse instar maris deglutientis, et absorbentis hominem, quod supra breviter dixerat, *repleta est malis anima mea. Circumdederunt me terrores tui sicut aqua tota die*, idest, undique, et semper me opprimebant, et absorbebant. Idem repetit, dicens, *circumdederunt me simul*, ubi in hebraeo est aliud verbum, הקיפו *hikkiphu*, sed idem significans.

19. *Elongasti a me amicum, et proximum, et notos meos a miseria.*

Hoc denique ad cumulum malorum accedebat, quod solus calicem illum amarum bibere opus illi erat, nullo participe, et socio tantae calamitatis. *Elongasti*, inquit, tempore passionis, *a me amicum, et proximum*, Judam videlicet, qui longissime ab illo recessit factus proditor, et hostis ex amico, et proximo. *Et omnes notos*, Apostolos videlicet, elongasti *a miseria mea* : nam *relicto eo omnes fugerunt*. Matth. 26. Et quamvis postea mulieres, et Joannes accesserint : illi non dolorem minuebant, sed augebant. Vere enim apud Isaiam loquitur Dominus, *torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum; circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non fuit, qui adjuvaret*. Isai. 63. In hebraeo pro, *a miseria* habetur, מחשך *machsciah*, idest, *a tenebris* : sed idem est sensus, tenebrae siquidem miseriam significant, ut lux prosperitatem. S. August. a versu quintodecimo usque in finem exponit omnia de corpore Christi, quod est ecclesia, non de ipso Christo in se.

PSALMUS LXXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus Ethan Ezraitae.

De Ethan Ezraita mentio fit lib. 4. regum cap. 4. ubi is ponitur inter viros sapientes. Est etiam Ethan unus ex principibus cantorum lib. 1. Paralip. cap. 6. Utrum autem isti sint unus, et idem, an diversi, et si diversi, quis eorum in hoc titulo ponatur, incertum est. Graeci legunt. Ethan Israelitae; sed videtur id vitio librariorum irrepsisse : codices enim hebraici, et latini habent, Ethan Ezraitae. Argumentum psalmi continet desiderium populi Dei in captivitate positi, ut cito Christus tanto ante promissus adveniat. Itaque primo loco ab initio psalmi usque ad versiculum tricesimum septimum explicatur promissio facta Davidi de perpetuitate regni ipsius. Deinde a versiculo tricesimoseptimo usque ad versiculum quadragesimum quintum, ostenditur, eam promissionem non fuisse adimpletam in filiis carnalibus, et regno temporali Davidis. Denique a versiculo quadragesimoquinto usque ad finem, ponitur desiderium, et oratio, ut promissio adimpleatur in Christo, vero, et sempi-

http://www.obrascatolicas.com

terno rege, de quo intelligenda erat; non autem de terreno regno. Nam ut s. Augustinus fuse docet in lib. 17. de civit. Dei cap. 9. 10. 11. 12. et 13. ea praecipue de causa voluit Deus, regnum terrenum Davidis finiri in Jechonia, et Sedechia, ut promissio de Christo Jesu Domino nostro intelligeretur: atque hoc admonet vox, משכיל *maschil*, idest, *intellectus*, in titulo posita.

EXPLICATIO PSALMI LXXXVIII.

1. *Misericordias Domini in aeternum cantabo.*

Haec est propositio, et argumentum totius psalmi. Dicit enim Propheta se in hoc psalmo cantaturum misericordias Domini stabiles, et firmas, idest, beneficia misericorditer promissa, quae numquam deficient, quae apud Isaiam dicuntur cap. 55. *Misericordiae David fideles* Illud ergo, *in aeternum*, non conjungitur cum verbo. *cantabo*, sed cum nomine, *misericordias*. Non enim David in aeternum cantare poterat, qui paulo post moriturus erat: sed cantaturum se dicit misericordias Domini in aeternum, permansuras, idest beneficia firma, et stabilia in aeternum. Parum autem refert, quod in graeco codice legatur τάς ἐλέησας σε κύριε, *misericordias tuas Domine*: in hebraeo, חסדי יהוה, *chasde* Adonai, et latino, *misericordias Domini*: nam idem est sensus, et priorem lectionem habet sanctus Augustinus, posteriorem s. Hieronymus.

2. *In generationem, et generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.*

Hic secundus versiculus est repetitio, et explicatio primi: idem enim est, *in aeternum*, quod, *in generationem, et generationem*: idem quoque est, *cantabo*, quod *annunciabo in ore meo*: idem denique est, *misericordias fideles*, quod *veritatem tuam*. Itaque in primo versiculo dicit se cantaturum misericordias Domini, quae in aeternum erant; in secundo dicit, se cantaturum veritatem Domini, idest, fidelitatem in servandis promissis, quae in generationem, et generationem permanebit. Quod autem hoc loco illud, *in generationem, et generationem*, debeat conjungi cum nomine, *veritatem tuam*, non cum verbo, *annunciabo*; perspicuum est ex illa additione, *in ore meo*: ne forte enim existimaremus, voluisse Davidem dicere, se cantaturum, et annunciaturum in aeternum per ore fidelium, qui perpetuo psalmos ejus cantabunt, addidit, *in ore meo*, idest, ego ipse ore meo cantabo, et annunciabo misericordiam, et veritatem Dei sempiternam. Sed hunc esse sensum horum versiculorum, manifestius intelligetur ex versiculo sequenti.

3. *Quoniam dixisti, in aeternum misericordia aedificabitur in coelis: praeparabitur veritas tua in eis.*

Probat aeternam esse misericordiam, et veritatem Dei, idest, in aeternum duraturas, quoniam Deus ipse hoc dixit, qui mentiri non potest. Ego, inquit cantabo misericordiam, et veritatem tuam, quae in aeternum erit, *quoniam tu dixisti*, et mihi Prophetae tuo revelasti, *in aeternum misericordia aedificabitur in coelis*, idest, beneficia misericorditer Davidi promissa in aeternum aedificium in coelis consurgent, idest, firma, et stabilia erunt ut aedificium immobile, quod nulla temporum duratione destrui potest. *In coelis* autem hoc misericordiae aedificium erit, ubi sunt omnia aeterna. Non enim eventus pendebit a voluntate hominum mortalium, neque consiliis, et decretis mutabilibus nitetur; sed in coelis fundamentum suum habebit. *Praeparabitur veritas tua in eis*, idest, in iisdem coelis fidelitas tua, qua promissa adimples praeparabitur. Vox hebraica, תכין *thachin*, ducitur a verbo, כון *chun*, quod significat, *parare, dirigere, ordinare*. Itaque sensus est, fidelitas tua non poterit impediri ab ulla inferiore causa, quoniam in coelis firmabitur, et stabilietur: et similis erit ipsis coelis, qui permanent in saeculum saeculi. In hoc versiculo est aliqua varietas lectionis: nam in hebraeo legitur in prima persona, אמרתי כי *chi amarthi. Quia dixi*: in graeco, et latino in secunda, quoniam dixisti: sed in hebraeo unius solius literulae, quae scribitur sic ו differentia est inter primam, et secundam personam. Itaque facile fuit literulam illam addere, vel demere librariis. Sensus est idem: nam si legatur *dixi*, sensus erit, te inspirante dixi: si legatur, *dixisti*, sensus erit, per os meum dixisti, vel mihi dixisti. Illud, *in coelis*, in graeco conjungitur cum verbo, praeparabitur, et omittitur illud, *in eis*, hoc modo: ἐν τοῖς οὐρανοῖς τοιμασθήσεται ἡ ἀλήτεία σου: *in coelis praeparabitur veritas tua*: sed quoniam in hebraeo habetur, בהם *bahem in eis*, distinctio, et lectio communis vulgatae editionis retinenda est, quae conjungit, *in coelis*, cum verbo, *aedificabitur*: et non omittit, *in eis*. Hebraeus codex non concordat neque cum graeco, neque cum latino: sic enim s. Hieron. ex hebraeo reddit, *coelos fundabis, et veritas tua in eis*. Et quidem hanc lectionem voces hebraicae patiuntur; sed sententia non videtur apte cohaerere cum praecedentibus, neque facile intelligi posse. Quid enim est, *misericordia praeparabitur: coelos fundabis*; nonne coeli ab initio fundati sunt, cur debent iterum fundari, et quemadmodum de misericordia dicitur, *aedificabitur*, non aptum erat, ut de veritate diceretur, *praeparabitur*, vel firmabitur, aut fundabitur? Et vox hebraica, תכיך *thachin*, facile potest per mutationem punctorum, et ו *jod*, in ו *vau*, verti in, תכוך *thiccon*, quod est, praeparabitur, vel firmabitur, et sic legisse credibile

est septuaginta Interpretes. De voce, *in coelis*, non est, facienda difficultas, quoniam etiamsi in in hebraeo desit praepositio, in, et ideo s. Hieron. verterit coelos; tamen saepe hebraei praepositionem omittunt, eamque subintelligunt: et septuag. Interpretes eam addere solent, ut hoc loco fecerunt.

4. *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usque in aeternum praeparabo semen tuum.*
5. *Et aedificabo in generationem, et generationem sedem tuam.*

Explicat nunc misericordiam fidelem, quam initio cantaturum se dixit. Est autem haec misericordia, promissio quaedam pacto, et juramento firmata de posteritate Davidis, et regia dignitate sempiterna, quae promissio habetur 2. reg. 7. ubi David cupivit aedificare domum Domino, id est, templum, ubi requiesceret Arca Dei, et sacrificiis Deus coleretur. Deus autem hoc bonum Davidis desiderium remuneravit per Nathan Prophetam, promissione domus ejus aedificandae, id est, propagandae posteritatis, et regni in domo ejus stabiliendi usque in sempiternum. Hoc igitur significat, cum ait, *Disposui testamentum electis meis*, idest, percussi foedus cum populo meo electo. *Juravi David servo meo*, idest, promisi cum juramento Davidi principi populi mei electi, *Usque in aeternum praeparabo semen tuum*, idest, hoc erit pactum juratum, ut stabiliam sobolem ejus usque in aeternum, ut numquam desit filius aliquis Davidis. *Aedificabo in generationem, et generationem sedem tuam*, idest, et multiplicabo tempora regni tui in aeternum. Quemadmodum enim aedificare domum, hebraica phrasi est multiplicare sobolem: sic etiam aedificare sedem regni est multiplicare tempora regni, sive efficere, ut regnum diuturnum, vel potius aeternum sit. Haec omnia sine dubitatione in Christum solum conveniunt qui futurus erat de semine David, et regnaturus in aeternum. Declaravit hoc Isaias cap. 9. ubi ait: *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et justitia, a modo, et usque in sempiternum*. Id etiam declaravit Angelus Gabriel Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem Davidis patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Neque possunt haec intelligi de regno temporali, quod jamdudum eversum est, sed de regno spirituali, et sempiterno, in quo Judaei valde hallucinantur, et erant expectantes Messiam, qui Jerosolymis temporaliter regnet. In hebraeo legitur in singulari, לבחירי *libchiri electo meo*, sed Septuaginta verterunt in numero multitudinis *electis meis*: nam populus electus per utrumque numerum significari potest. In eodem hebraico codice legitur ad verbum ברית כריתי *charithi berith, repigi pactum*, pro quo nos habemus, *Disposui testamentum*. Sed septuaginta plerumque pactum, testamentum vocant. Vulgatus quoque Interpres lib. 1. Machab. cap. 1. scribit, *Disponamus testamentum in gentibus*, quod nihil aliud est, nisi pactum faciamus cum gentibus.

6. *Confitebuntur coeli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.*

Exposita summa promissionis Dei, antequam fusius illam explicet, excurrit in laudes ejusdem Dei, ut offerat sacrificium gratiarum actionis: ac primum sanctus David videns se non esse idoneum ad agendas gratias pro tanto beneficio, dicit, angelos in coelo Deum laudaturos, gratiasque acturos. *Confitebuntur*, inquit, *coeli mirabilia tua*, idest, ego par non sum tantae laudi, quanta pro hac re tibi debetur, sed *confitebuntur*, id est, laudabunt *coeli*, idest, angeli habitantes in coelis, *mirabilia tua*, idest, admirabilem misericordiam tuam: *etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum*, idest, confitebuntur etiam laudes veracitatis et fidelitatis tuae in coetu sanctorum angelorum, qui tibi innumerabiles semper assistunt. Illi enim melius noverunt magnitudinem misericordiae, quae in aeternum aedificatur in coelis, quam nos, qui in terra jacemus. Illud, *etenim*, non est particula rationalis hoc loco, sed conjunctiva, idem valens, quod *et*, vel *etiam*: nam in hebraeo est, אף *aph*, quod significat, *etiam*.

7. *Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino similis erit Deo in filiis Dei.*

Probat angelos non recusaturos officium laudandi Deum, quoniam sunt ipso Deo longe inferiores. *Quoniam*, inquit, *quis in nubibus aequabitur Domino?* idest, Quis eorum, qui super nubes coeli degunt; *aequabitur Domino?* quasi dicat, nullus coelitum conditori coeli aequalis est, omnes subjecti, omnes servi: ac deinde idipsum repetit, dicens, *similis erit Deo in filiis Dei*; id est, quis ex filiis Dei, quales sunt angeli sancti, qui cum sint filii Dei, consequenter etiam Dii sunt, *similis erit* similitudine aequalitatis, ipsi uni vero Deo, qui Deus est per naturam, non per gratiam; per essentiam, non per participationem. Illud, *in nubibus*, idem est, ac si dictum fuisset, in coelo. Vox enim hebraica utrumque significat; et tum Septuaginta, tum s. Hieron. eamdem vocem hebraicam, שחק *sciachak*, hic verterunt, *nubes*, et paulo infra verterunt, *coelum*, ubi dicitur, *Et testis in coelo fidelis*. Itaque non significatur hoc loco, quod angeli proprie sint in nubibus, sed quod sint in coelo. Nubes enim pro coelo ponuntur. S. August. existimavit sensum esse, nullam ex nubibus aequari posse Deo, et quia videbatur nimis humilis esse comparatio nubium ad Deum, per nubes significari voluit praedicatores; per Dominum vero, Deum incarnatum, idest, Christum; sed prior expositio est magis litteralis.

8. *Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus, et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.*

Ostendit, vere nullum angelorum sanctorum

http://www.obrascatolicas.com

conferri posse cum Deo; quoniam *Deus est, qui glorificantur in consilio sanctorum*, idest, qui in coetu supernarum potestatum gloriosus agnoscitur, *magnusque* est potentia, et sapientia, et ideo reverendus, et metuendus super omnes angelos, qui in circuitu ejus sunt, ut milites in circuitu regis, et servi in circuitu Domini sui. Verbum, *glorificatur*, in hebraeo, נערץ *naharatz*, proprie significat, *robustus est, praevalet, eminet*. S. Hieron. vertit, *inclytus est*. Illud, *in consilio*, accipitur pro loco consilii secreti: nam in hebraeo est, סוד *sod*, quod secretum significat. Sunt autem Angeli quasi secretum consilium Dei, non quod Deo consilium dent, (*quis enim ejus consiliarius fuit?* inquit Isaias cap. 40. et Apostolus Rom. 11.) sed quod Deus secreta consilia sua eis revelet, et per eos exequatur: atque in hoc consilio sanctorum Deus mirifice glorificatur, admirantibus supernis illis senatoribus consilia, et judicia infinitae sapientiae Dei. Illud, *In circuitu ejus sunt*, non repugnat immensitati Dei, quae omnia ambit, et replet: nam quamvis Deus sit ubique, tamen non extenditur per loca, sed est ubique, totus, et ideo possunt angeli esse in circuitu Dei, quatenus omnes illum intuentur, et totum vident, quamvis et ipse sit in circuitu Dei, quatenus omnes illum intuentur, et totum vident, quamvis et ipse sit in circuitu angelorum, eosque undique circumspiciat, et conservet. Similis sententia est Apoc. 11. *Et omnes Angeli erant in circuitu throni.*

9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo.*

Quod Propheta dixit in laudibus Dei per modum narrantis: nunc idem dicit ipsum Deum alloquendo, et copiosius laudes ejus percurrendo. *Domine*, inquit, *Deus virtutum quis similis tibi?* idest, tu Domine es Deus exercituum, multorum videlicet millium Angelorum, sed in his omnibus ita emines, ut nullus sit perfecte tibi similis. *Potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo*, idest, ideo nullus est perfecte similis tibi, quia tu solus es potens non potens facere hoc, aut aliud, sed absolute potens quia omnia potes, et nihil potestati tuae resistit: nec solus potes omnia facere, sed etiam re ipsa facis quod promittis te facturum; fidelis enim es in omnibus verbis tuis. Dicitur autem veritas, idest, veracitas, et fidelitas esse in circuitu Dei, quoniam est veluti cingulum Dei: dicitur enim Isaiae 11. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorum renum ejus*; ut enim cinculum adstringit vestes, ut corpori firmiter adhaereant: sic veracitas adstringit verba promissionum, ut non mutentur, sed impleantur, et quemadmodum cingulum facit hominem expeditum ad ambulandum, unde dicitur Tobiae 5. Angelum Raphaelem apparuisse, ut juvenem praecinctum, et paratum ad ambulandum: sic veracitas facit ut omnibus remotis impedimentis homo expendite progrediatur ad implenda promissa.

10. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.*

Dixit Deum esse potentem, et fidelem, nunc probat Deum esse potentem, ex eo quod dominatur mari, et motus ejus mitigat. Mare siquidem horrendum in modum aliquando turbatur, et fremit; et quia latissimum, et profundissimum est, et fluctus suos usque ad coelum extollere videtur, ideo creatoris omnipotentia in eo sedando, et compescendo cernitur. De qua re sic loquitur Dominus, Job 38. *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia, et dixi, usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*; et Hierem. 5. *Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari praeceptum sempiternum, quod non praeteribit; et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud*; sed maxime Deus ostendit potentiam suam super mare, quando siccavit mare rubrum, et motum ejus ita mitigavit, ut staret quasi murus hic, atque inde, dum transiret populus hebraeus per medium sicci maris, ut dicitur Exod. 14. Illud, *potestati maris*, significat elationem, et quasi superbiam, maris; ut sensus sit, Tu dominaris superbiae maris elationes ejus comprimendo. Quod explicatur in verbis sequentibus, *et motum fluctuum ejus tu mitigas.*

11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.*

Haec ad litteram videntur intelligenda de Pharaone, et exercitu ejus; et recte conjunguntur cum superioribus verbis. Eodem enim tempore Deus mitigavit mare usque ad siccationem, et interfecit superbum Pharaonem, quasi vulneratum, et debilem, et dispersit exercitum ejus. Quod clarius legitur apud Isaiam cap. 51. *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, ut transirent liberati?* Ergo, inquit, *tu humiliasti superbum*, dejiciens illum in profundum maris; humiliasti autem nullo negotio, quemadmodum prosternitur facillime is, qui graviter vulneratus est, *in brachio virtutis tuae*, idest, brachio tuo potentissimo, *dispersisti* per mare rubrum *inimicos tuos*, exercitum videlicet Pharaonis. Possunt etiam haec omnia referri ad Diabolum, qui per Pharaonem in scripturis significatur, et ad angelos ejus. Deus enim initio mundi dominatus est potestati maris, et mitigavit motum fluctuum ejus, quando sedavit seditionem, et tumultum malorum angelorum, quasi maris turbati, et aestuantis, cujus fluctus, idest, superbia usque ad solum Dei elevabatur; humiliavit superbum Diabolum, quasi hominem prae vulneribus debilem, et impecillum, et dispersit omnes inimicos suos, qui Diaboli superbiam imitati fuerant.

12. *Tui sunt coeli, et tua est terra, orbem terrarum, et plenitudinem ejus tu fundasti: Aquilonem, et mare tu creasti.*

Docet non esse mirum, si Deus tam facile com-

pescuit mare, et humiliavit superbum, quia Dominus est universorum, et ideo Dominus, quia omnia fecit. *Tui sunt coeli*, et omnes habitantes in eo: *tua est terra*, idest, mundus inferior, et quidquid in eo est; solet enim scriptura per coelum, et terram mundum universum significare, ut Genes. 1. *In principio creavit Deus coelum, et terram.* Et Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine coeli, et terrae. Orbem terrae, et plenitudinem ejus tu fundasti*, idest, ideo tui absoluti juris est orbis terrae cum omnibus rebus, quibus plenus est; quia tu eum fundasti, idest, a fundamentis fecisti, nullo praesupposito fundamento ab alio Architecto constituto. *Aliquem, et mare tu creasti*, idest, tu fundasti orbem terrae cum omnibus suis partibus, Septentrionali, Australi, Orientali, et Occidentali. Per Aquilonem intelligitur pars orbis Septentrionalis omnium consensu, sic dicta a vento, qui ab illa parte flare sentitur. Per mare aliqui intelligunt Occidentem, sed refelluntur ab ipso Propheta in Psal. 116. *A solis ortu, et occasu; ab Aquilone, et mari.* Igitur per mare intelligitur pars orbis australis, quoniam mare oceanum maxima ex parte jacet ad austrum. In hebraeo non est, ים *jam*, quod significat *mare*, sed, ימיך *jamin*, quod significat dextrum, ideo vel dicendum est septuaginta Interpretes legisse, ימים *jammim*, quod est *maria*, et etiam legit s. Augustinus: vel reddidisse sensum, non verba. Mare enim, sive Auster dextra pars mundi censetur, aquilo sinistra, Oriens anterior, Occidens posterior. Sed cur propheta tam accurate meminit creationis orbis terrae, et partium ejus, et de creatione coeli nihil dicit? Opinor, quia de homibus habitatoribus terrae magis sollicitus erat, ut eis persuaderet, Deum esse verum eorum Dominum, quam de angelis habitatoribus coeli, quibus ea persuasio necessaria non erat; quamquam etiam ab una parte de toto judicium fieri poterat.

13. *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.*

Dixerat, Deum creavisse Aquilonem, et mare, idest, Austrum: nunc addit Orientem, et Occidentem. Sed more poetico describit orientem, et occidentem per montes *Thabor, et Hermon*, quorum unus est terrae promissionis ad orientem, alius ad Occidentem: sicut etiam poetico more describit creationem per effectum exultationis, ac si diceret, Oriens, et Occidens a te creati *exultabunt*, et gestient, et in laudes tuas suo modo prorumpent, ob tam insigne beneficium creationis. His dictis concludit, *tuum brachium cum potentia*, idest, ex creatione coeli, et terrae; ut etiam ex eo quod dominaris potentiae maris; et humiliasti superbum, et dispersisti inimicos tuos, colligimus, tuum brachium esse fortissimum, conjunctum videlicet non cum debilitate, vel infirmitate, sed cum absoluta omnimodaque potentia.

14. *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: justitia, et judicium praeparatio sedis tuae.*

Duo quaedam praedicaverat de Deo sanctus Propheta in octavo versiculo, potentiam, et veritatem; ac de potentia multa dixit in quinque versiculis nono, decimo, undecimo, duodecimo, et tertiodecimo: nunc incipit explicare, et laudare veritatem, quae judicium etiam, et justitia dicitur, et cum misericordia semper conjuncta esse solet. Ait igitur, *firmetur manus tua, et exaltetur dextera: justitia, et judicium praeparatio sedis tuae*, idest, opto quidem, et gaudeo quod manus tua *firmetur*, idest, roboretur: sive potens, et robustissima sit, *et eadem dextera tua exaltetur*, idest, laudetur, et magnificetur ab omnibus, ut aequum est, sed simul *justitia, et judicium sit praeparatio sedis tuae*, idest, misericordia, et justitia praeparent, ornent, et stabiliant thronum tuum. Existimamus hoc loco per justitiam, intelligi bonitatem, et misericordiam, quomodo accipitur nomen justitiae, Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum*, etc et Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Ubi per justitiam significatur eleemosyna. Et ibid. *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus.* Nam hoc idem repetitur aliis verbis in sequenti versiculo, *Misericordia, et veritas praecedent faciem tuam.* Est autem hoc loco metaphora desumpta a corporali solio regum: quemadmodum enim antequam rex procedat ad solium jura daturus, praecedunt famuli, qui solium praeparant, stabiliunt, et ornant; sic ad judicium Dei praesupponuntur misericordia, et justitia, quae faciunt ut judicia Dei justissima sunt, nec possint ullo modo esse iniqua. Deus enim primo exhibet misericordiam magnam hominibus omnibus, docendo per leges, juvando per gratiam, incitando ad bonum per praemiorum promissionem, absterrendo a malis per comminationem poenarum; et postea exhibet justitiam remunerando bonos, et puniendo malos: nisi enim misericordia praecederet justitiam, omnes periremus. Hinc etiam, admonentur reges, et principes terreni, thronos eorum multo melius ornari, et stabiliri misericordia, et justitia, quam auro, et gemmis: nec minus debere bonos principes dare operam ut peccata non fiant, quam ut puniantur cum facta sunt; non enim desunt aliquando si non principes ipsi, at certe aliqui ipsorum ministri, qui laetentur multiplicatione delictorum, ut habeant occasionem lucri in exercenda justitia: quique moleste ferant, cum a viris piis excogitantur remedia ad impedienda, vel minuenda delicta, quasi hoc redundet in detrimentum causidicorum, et judicum: sed ubi misericordia, et justitia praeparant thronum, cupiditas, et iniquitas locum non habent.

15. *Misericordia, et veritas praecedent faciem tuam: beatus populus, qui scit jubilationem.*

Prior pars hujus versiculi apud hebraeos conjungitur cum superiori versiculo; nihil enim est aliud, nisi repetitio illorum verborum, *justitia, et judicium praeparatio sedis tuae.* Itaque sensus est, *misericordia, et veritas*, idest, justitia, *praecedent faciem tuam*, ut praeparent sedem tuam, cum

http://www.obrascatolicas.com

ad judicium venturus eris, idest, certi sumus, te non judicaturum nisi justissime, et praemissa misericordia, ut minus invenias quod punias, et fideliter reddas unicuique secundum opera ejus. His explicatis de potentia, et veritate Dei cum misericordia conjuncta, applicat haec ad populum Israeliticum, et in particulari ad ipsum Davidem; ostendens in populo Dei, et in persona Davidis maxime locum habere potentiam, misericordiam, et justitiam Dei. *Beatus*, inquit, *populus, qui scit jubilationem*, idest, vere prae omnibus populis foelix est populus Israeliticus, qui scit per notitiam et experientiam has laudes Dei, et scit jubilare, idest, magno affectu laudare Deum. Hinc intelligimus non esse beatum, qui voce tantum Deum laudat, nisi etiam vere intelligat et cogitet Deum esse laude dignissimum, imo digniorem, quam verbis exprimi possit, et ideo ad jubilum cordis recurrendum esse, dum utcumque voce, et cantu eum laudamus.

16. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.*

Explicat quare beatus sit populus, qui scit jubilare: quoniam, inquit, homines ejus populi, non ambulabunt in tenebris, sicut gentes, quae ignorant Deum, sed conversi ad Deum *in lumine vultus ejus ambulabunt viam hujus vitae*: significat autem lumen vultus Dei tum illuminationem intellectus per notitiam legis, et voluntatis Dei tum etiam favorem gratiae, qua inflammatur effectus; lux enim illuminat, et calefacit. Ex hac autem ambulatione in lumine vultus Dei, sequitur laetitia bonae conscientiae, et gratiarum actio, et ideo *in nomine Dei exultabunt tota die*, idest, jugiter exultabunt Deum laudantes, et gratias agentes. Et quoniam qui ita ambulant, quotidie magis, ac magis proficiunt, et ascendunt ad majorem Dei notitiam, et amicitiam, et inde donis majoribus cumulantur, ideo addit, *et in justitia tua exaltabuntur*, idest, exaltabuntur ad majorem vitae perfectionem, et postea ad gloriam sempiternam, in justitia Dei qua servat promissa, sive in justitia, quam Deus nobis donat, cum nos quotidie magis, magisque justificat, idest, justiores facit. Ubi admonemur, non in nostra scientia, aut viribus confidendum esse, sive cum incipimus ambulare, sive cum incipimus ambulantes: illud enim, *in lumine vultus tui*, opponitur praesumptioni de proprio lumine: et illud, *in nomine tuo*, opponitur vanae gloriationi de proprio nomine; et illud *in justitia tua*, opponitur superbiae Pharisaicae, *qui ignorantes justitiam Dei, propriam justitiam statuere volunt, et ideo justitiae Dei non sunt subjecti*, ut ait B. Paulus ad Rom. 10.

17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*

Pergit humiliare superbiam humanam, quae valde facile sibi tribuit, quae Dei sunt, et inde meretur amittere quae acceperat. *Dixi*, inquit *in justitia Dei exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es*, idest, virtus, et robur eorum, unde proficiunt, et ascendunt, a te est, non ab illis, et ideo in te, non in se gloriari debent: ut enim es, qui das illis virtutem, et gloriosos eos facis. Id autem facis, non quia illi merentur, sed quia tibi placet: nam *in beneplacito tuo*, id est in bona voluntate tua erga nos, a qua bona omnia procedunt, *exaltabimus cornu nostrum*, id est robusti, et fortes erimus adversus inimicos nostros.

18. *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel Regis nostri.*

In hoc enim apparuit beneplacitum Dei, quod ex omnibus populis terrarum, placuit illi assumere populum Israel in suum, ac proprium. *Domini est assumptio nostra*, idest, Dominus ex beneplacito suo, non ex meritis nostris nos assumpsit in populum peculiarem, ac rex noster esse dignatus est; ideo enim subjungit, *et sancti Israel regis nostri*, ubi Israel est genitivi casus, ut apparet ex textu hebraico. Dicitur autem Deus a Davide, et ab Isaia, et aliis Prophetis, *sanctus Israelis*, quoniam a populo Israel peculiariter sanctificari, idest, sanctus haberi, et dici, et nomen suum nulla blasphemia, aut maledictione pollui volebat. In hebraeo pro, *assumptio nostra*, habetur, מגננו *maghinnenu protectio nostra*; sed idem est sensus. Deus enim assumpsit populum Israel, ut eum protegeret, et defenderet.

19. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti, posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.*

Hic jam incipit descendere ad personam suam, tamquam caput populi a Deo peculiariter dilecti. Sed oritur hoc loco gravis quaestio, An haec verba, et sequentia debeant exponi de Davide, an de Christo, an partim de Davide, partim de Christo? Sanctus Augustinus exponit omnia de Christo: sed repugnat huic expositioni quod Apostolus Act. 13. exponit de ipso Davide illa verba, *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum*, quae verba sumpta sunt partim ex hoc loco, partim ex lib. 1. reg. cap. 13. Praeterea, quod dicit infra, *Et ponam in saeculum saeculi semen ejus*, non videtur ad litteram convenire Christo, qui proprie non reliquit semen, idest, filios: sed optime conveniunt Davidi, cui Deus promisit 2. regum 7. quod post mortem ejus poneret de semine ipsius in throno regni, et regnum per ipsum semen aeternum esset. Alii exponunt omnia de Davide in persona sua; sed repugnat huic expositioni illa verba, *ego primogenitum ponam eum excelsum prae regibus terrae*, et alia multa, ut infra demonstrabimus. Euthimius exponit partem de Davide, partim de Christo, sed huic expositioni repugnat continuatio verborum, omnia enim verba ita contexta sunt, et continuata, ut ad eumdem pertineant. Existimo igitur omnia exponenda esse ad litteram de Davide, sed implenda magna ex parte per Christum, ita ut dicatur David primogenitus Dei, et excelsus prae regibus terrae, non in se, sed in Christo filio suo; et haec videtur esse Theodoreti sententia. Sed si hoc non placeat, adhaerendum erit omnino sententiae s. Augustini: quod enim omnia dicantur de Davide in persona propria, Judaicus error est. Tunc, inquit, quando assumpseras populum Israel in populum peculiarem, providisti etiam ei regem peculiariter tibi placitum: nam locutus es in visione, sive revelatione Sanctis tuis Prophetis, videlicet Samueli primum, et postea Nathan, ut intelligi potest ex lib. 1. reg. 16. et lib. 2. c. 7. *Et dixisti, posui adjutorium in potente*, idest, posui, sive costitui auxilium populo meo in homine robusto, et forti corpore, et animo, qui facile poterit liberare populum ab omnibus hostibus ejus. *Et exaltavi electum de plebe mea*, idest, constitui adjutorium populo meo in viro potente, quia exaltavi in regem, et protectorem, ac defensorem populi hominem electum a me de omni plebe mea. Sanctus Augustinus haec etiam exponit de Christo, qui proprie potentissimus fuit, et electus, ac dilectus prae omnibus. In graeco pro *sanctis tuis* habetur τοις υἱ οισ σs, filiis tuis, sanctus Hieronymus in epistol. ad Suniam, et Fretellam, dicit omnes Interpretes vertisse, *sanctis tuis*, ut habetur in hebraeo, לחסידיך *lechassidecha*, excepto auctore sextae editionis, quae habet, *Prophetis tuis*, et auctore communis editionis, quae habet, *filiis tuis*. Theodoretus tamen scribit, Symmachum vertisse, *filiis tuis*; sed in sensu nulla est diversitas: iidem enim et Prophetae, et filii Dei, et sancti dici possunt.

20. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.*

Explicat quis sit ille vir potens, ac dicit, esse ipsum Davidem, quem invenit dignum qui eligeretur, et ungeretur in regem: et quidem de Davide ad litteram haec exponi possunt, quem constat unctum fuisse a Samuele. Sed etiam per Davidem hoc loco s. August. intelligit Christum, quem Ezech. capit. 34. et 37. expresse Davidem nominat: de cujus unctione legimus psal. 44. *Unxit te Deus Deus tuus*. Quod autem dicitur, Deum invenisse Davidem, metaphoricum est: non enim Deus eget inquisitione, qui omnia quantumvis occulta, uno intuitu respicit: sed dicitur quaerere, et invenire, quia non eligit casu, neque accipit obvium quemque, sed facit sine labore inquirendi, quod facere solent homines, cum post longam, et maturam inquisitionem inveniunt quod optimum est, id est, eligit eum, qui dignissimus, atque aptissimus est.

21. *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.*
22. *Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.*
23. *Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam.*

Haec quoque de Davide utcumque exponi possunt, qui Dei auxilio multas victorias de inimicis suis obtinuit: tamen longe verius exponuntur de Christo. Nam in Davide profecit inimicus diabolus, eumque decepit, cum ad crimen adulterii, atque homicidii eum perduxit: profecit quoque in eo inimicus Absalon, et circumvenit; cum eum de regno expulit, et ad fugam compulit. Sed manus et brachium Domini, quod est ipsum Dei Verbum, potentia, et sapientia Patris, ita corroboravit humanitatem Christi hypostatice sibi unitam, ut nihil in eo homine proficere potuerit ullus inimicus: neque eum ullo modo decipere, aut circumvenire; sed contra potius, omnes qui eum oderant, a facie ejus caesi, et victi in fugam conversi sint: quamvis enim Christus flagellis caesus, et cruci affixus fuerit ab inimicis: tamen haec passus est quia voluit, et hac ipsa passione diabolum vicit, et captivos illi eripuit, et de illo gloriosissime triumphavit: Judaeos quoque inimicos Christi videmus hodie dispersos per orbem terrarum, quasi exercitum fusum, et fugatum.

24. *Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.*

Haec quoque in Davide vix adumbrata, in Christo perfectissime impleta sunt: nam veritas, et misericordia Dei cum Christo semper perseveraverunt, misericordia fuit assumptio humanitatis ad unionem hypostaticam, quae numquam disrumpi potuit, ne per ipsam quidem mortem: veritas autem fuit in eo, quod fideliter implevit Deus quod Angelus promisit. Luc. 1. *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Ex hoc autem quod veritas, et misericordia semper cum eo perseveraverunt, factum est ut *in nomine Dei exaltaretur cornu ejus*, idest, potentia jus eo usque, ut in nomine ejus omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum. Dicitur autem exaltari potestas Christi in nomine Dei, quia *gloria ejus est tamquam unigeniti a Patre* Joann. 1. ab omnibus adoratur ut Filius aeterni Patris, et ipse venit in nomine Patris sui, *et Deus Pater exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Philipp. 2.

25. *Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.*

Ab hoc loco conveniunt fere omnes, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, et multi recentiorum, non posse exponi verba psalmi, nisi de Christo, vel de Davide per filium ejus Christum, ita ut tribuatur Davidi, quod in Christo ejus filio impletum est; non enim David habuit potestatem in mari, sed in terra tantum, eaque satis angusta. Terra enim promissionis extendebatur usque ad mare Palaestinae, et usque ad flumen Euphratem, et non ultra. De hoc autem nostro rege dicitur, *ponam in mari manum ejus*, idest, dabo ei potestatem etiam in ipso mari, *et in omnibus fluminibus*; ac per hoc in omni orbe terrarum: mare siquidem est in finibus terrae circumiens totam terram; flumina autem sunt in medio terrae. Itaque per mare, et flumina intelliguntur omnia, fines, et meditullium: quod aliis verbis dictum est in psal. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare*, idest, ab uno extremo ad aliud. Possunt etiam per mare, et flumina

http://www.obrascatolicas.com

intelligi omnes populi, gentiles, et Judaei: nam *aquae multae populi multi*. Apoc. 17. et mare amarum, et vastissimum, significat gentilitatem, quae maximam partem generis humani tunc comprehendebat: flumina aquae dulcis et modicae, si comparentur ad mare, significant populum hebraicum, qui tunc erat populusDei electus, et peculiaris.

26. *Ipse invocabit me. Pater meus es tu Deus meus, et susceptor salutis meae.*

Adhuc apertius loquitur Propheta de Christo, non de se, nisi, ut diximus, haec conveniant Davidi ratione Christi filii ejus. David enim in toto psalterio nusquam invocat Deum sub nomine patris: proinde non de ipso dicitur. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu*. Et fortasse particulari providentia Dei factum est ut David numquam invocaret Deum sub nomine Patris, ut fecit Isaias, et alii Prophetae, ut hic locus non acciperetur de Davide, nisi ratione Christi. Christus enim initium verborum suorum, quae in evangelio leguntur, inde sumpsit: *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. sic etiam ultima verba ejus fuerunt in hac vita, *pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Luc. 23. In toto autem progressu vitae, frequentissime Deum appellat sub nomine patris. *Ipse*, inquit, *invocabit me, pater meus es tu*, quoad divinitatem; *Deus meus*, quoad humanitatem; *susceptor salutis meae* quoad mortalitatem. In hebraeo pro voce, *susceptor*, habetur, צור *tzur*, quod petram, sive arcem, sive fortitudinem, et robur significat. Itaque sensus est, *tu es susceptor salutis meae*, idest, tu suscepisti salutem meam custodiendam, ut propugnaculum, sive arx munitissima.

27. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.*

Hic vero apertissime de Christo Propheta loquitur: Christus enim qui secundum divinitatem unigenitus est, secundum humanitatem primogenitus est inter multos fratres. Dicitur autem primogenitus tribus rationibus. Primo, quia primus est in praedestinatione: in illo enim tamquam in capite nos praedestinavit Deus, ut dicitur ad Ephes. 1. secundo, quia primus est in secunda generatione ad vitam immortalem, unde dicitur *primogenitus ex mortuis*. Coloss. 1. et *primogenitus mortuorum*, Apocal. 1. Denique quoniam ipse habuit jure primogenitorum, *quem constituit Pater haeredem universorum*, Heb. 1. Nec solum posuit illum, Pater *primogenitum, sed etiam excelsum prae regibus terrae*, idest, principem regum terrae, et regem regum, ut exponit s. Joan. in Apoc. 1. et 19. Habetur in hebraeo vox, עלוז *helion*, quod est unum ex nominibus Dei; et significat excelsum sive altissimum; nec facile invenietur tributum creaturis. Hoc nomen habetur in psalm. 82. *Tu solus altissimus in omni terra*, et in psal. 90. *Qui habitat in adjutorio altissimi*. Sunt igitur omnes reges terrae subjecti Christo, ut regi altissimo, quo nihil altius invenitur. At certe haec de Davide, vel Salomone nullo modo dici possunt nisi ratione Christi, qui ab illis descensurus erat. Non solum enim non erant altissimi absolute, sed erant inferiores multis regibus terrae, ac praecipue regibus Assyriorum, qui eo tempore Monarchiam tenebant.

28. *In aeternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.*

Hic jam praedicit Prophetae aeternitatem regni Christi, quemadmodum antea praedixerat excellentiam: quam aeternitatem non habuit David neque in aliis filiis vel nepotibus, qui temporaliter regnarunt in Jerusalem; defecit enim regnum illud in Jechonia. *In aeternum*, inquit, *servabo illi misericodiam meam*, idest, misericordia, qua motus promisi Davidi filium, per quem regnum ejus aeternum esset, semper manebit: nam *testamentum meum*, idest, pactum, et promissio facta illi per Nathan 2. reg. 7 fidelissime conservabitur. Sed si de Christo sint exponenda haec omnia verba, hic erit sensus, *in aeternum servabo illi misericordiam meam*, idest, misericordia, qua illum praedestinavi, et elegi ante saecula, ut esset filius Dei in virtute, primogenitus, et excelsus prae Regibus terrae, semper manebit; non enim solvetur unquam unio hypostatica humanitatis cum verbo, ac per hoc semper erit ille homo Christus filius Dei *primogenitus, et excelsus prae regibus terrae. Et testamentum meum fidele ipsi*, idest, pactum meum cum ipso de stabiliendo regno ejus in aeternum, fideliter semper observabitur. Expressit hanc promissionem Angelus Gabriel, Luc. 1. cum ait, *regni ejus non erit finis*.

29. *Et ponam in saeculum saeculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies coeli.*

Explicat modum, quo volet Deus conservare Davidi misericordiam suam in aeternum: modus autem erit, quia dabit illi semen, idest, filium Christum, qui manebit, et regnabit in saeculum saeculi, ac per hoc *thronus ejus*, idest, regnum Davidis numquam finem habebit, sed tempora ejus erunt *sicut dies coeli*, idest, sicut tempus, quo durabit coelum: quod quidem Deus ipse statuit in aeternum, et in saeculum saeculi, ut dicitur in psal. 148. s. August. per semen, hoc loco, intelligit filios Christi regeneratos ex aqua, et Spiritu sancto qui post resurrectionem manebunt in regno Dei in saeculum saeculi. Sed magis convenit litterae, ut per semen intelligatur ipse Christus; juxta illud psal. 131. *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; et in eodem psalmo paulo infra, *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in aeternum manebit.*

30. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam et in judiciis meis non ambulaverint.*

31. *Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint.*
32. *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.*
33. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.*
34. *Neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita.*

Respondet objectioni, quae fieri potuisset, ac dicit, quod si filii Davidis iram Domini malis suis operibus provocaverint, ipsos quidem peccantes puniendo corripiet; non tamen irritum faciet quod jurejurando promisit. *Si autem dereliquerint filii ejus* idest, Davidis posteri, legem meam, sive judicialem, sive caeremonialem, sive moralem. *Et in judiciis meis non ambulaverint*, id est, si vel solam judicialem legem sequi noluerint, *si justitias meas profanaverint*, idest, si vel solam caeremonialem legem polluerint: *et mandata mea non costodierint*, idest, si vel solam moralem legem non observaverint; *visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum*, idest, non relinquam eorum scelera impunita, sed castigabo paterno flagello. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, idest, non propter peccata filiorum removebo a Patre beneficium, quod misericorditer promisi: *neque nocebo in veritate mea*, idest, neque ostendam veritatem meam, quam utique offenderem, eique nocerem, si irritum facerem quod promisi. Illud nocere in veritate, accipiendum est, pro nocere in veritati. In hebraeo clarius habetur, ולא אשקר באמונתי *velo asciaker beemunathi, neque mentiar contra veritatem meam. Neque profanabo testamentum meum*, idest, non polluam pactum meum, illud non observando: *et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita*, idest, non irritabo promissa mea. Hic duo sunt observanda. Unum est per filios Davidis, intelligi posteros Davidis secundum carnem, si per Davidem accipiatur persona ipsa Davidis filii Jesse, ut nos ad litteram accipimus: sin autem per Davidem intelligitur Christus, ut ad litteram intelligit sanctus Augustinus, et nos spiritualiter intelligi posse existimamus; tunc per filios Davidis, accipiendus erit populus Christianus, qui per baptismum in Christo regeneratur. Alterum est, ex hoc loco non esse colligendum, filios Davidis sive Judaei, sive Christiani sint, non posse perire in aeternum, si mali sint, quemadmodum haeretici aliqui docuerunt: non enim dicit per psalmistam Deus, *misericordiam meam non dispergam ab eis*, sed *non dispergam ab eo*. Itaque si mali filii, flagello paterno correpti corrigi voluerint, haereditatem non amittent, imo in gratiam, instar filii prodigi, amantissime recipientur, sed si obstinate in malo perseveraverint, ipsi quidem ab haereditate paterna excident; sed veritas Domini stabit, neque regnum Christi peribit, quoniam *potens est Deus de lapidibus suscitare filios Israel*, ut legitur apud Matth. cap. 3. quamquam qui praecogniti sunt, et praedestinati in Christo ante mundi constitutionem, sine dubio ad finem usque in fide, spe, et charitate perseverabunt.

35. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in aeternum manebit.*
36. *Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.*

Reddit rationem, cur velit adimplere promissionem de stabiliendo regno Davidis, etiamsi filii ejus non adimpleant praecepta ipsius, et ratio est, quia juravit, idest, firmissime, et sine retractatione promisit. *Semel*, inquit, *juravi in sancto meo*, idest, irrevocabiliter, et immutabiliter juravi per sanctitatem meam. Illud, *semel*, significat immutabilitatem, quia unicum Dei juramentum aequivalet innumerabilibus aliorum juramentis. Illud, *in sancto meo*, potuisset verti, *in sanctitate mea*, sed idem est, sensus, *in sancto meo*, idest, in sancto nomine meo, sive in sancto numine meo; quod Genes. 22. dicit, *per memetipsum juravi*. *Si David mentiar*; existimant aliqui haec esse verba juramenti, quasi dicat, si Davidi mentiar, hoc aut illud mihi contingat. Sed improbabile est, Deum jurare juramento execratorio. Verius est illud, *si*, aequivalere particulae neganti, et sensus esse, *si David mentiar*, idest, non mentiar Davidi, quomodo dicitur in psalm. 131. *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam*. Similis locutio est apud Isaiam cap. 22. *Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum*. Verba juramenti sunt quae sequuntur, *Semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut sol*, etc. idest, juravi, et non mentiar Davidi, quod filius ejus Christus in aeternum vivet, et regnum quoque ejus sempiternum erit. Illustrat autem hanc juratam promissionem tribus similitudinibus, solis, lunae plenae, et arcus coelestis. *Thronus*, inquit, *ejus in conspectu meo in aeternum manebit, sicut sol, sicut luna perfecta, et sicut testis in coelo fidelis*: quae significant regnum Christi, ac per hoc Ecclesiam ejus fore semper illustrem, et perspicuam, non obscuram, vel invisibilem, ut haeretici somniant; nihil enim clarius, et pulchrius sole interdiu; nihil item clarius, et pulchrius luna plena nocturno tempore; denique nihil clarius et pulchrius in nubibus arcu coelesti, qui testis est fidelis a Deo datus hominibus, numquam amplius fore diluvium aquarum. Per testem in coelo fidelem aliqui ipsam lunam intelligunt, sed videtur probabilius, ut intelligatur Iris, siquidem hoc loco vox, *in coelo*, non est שמים *sciamaim*, sed שחק *sciachak*, quod nubes, aut coelum aerium proprie significat, ut perspicuum est ex illo psal. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, et ex illo Deuteron. 33. *Magnificentia ejus discurrunt nubes*. Porro regnum Christi in communi prosperitate lucet, ut sol in die undique sereno: in communi perfectione fulget ut luna plena in tenebris noctis. Ubi vero admixta est persecutioni prosperitas, similis est Iridi in nubibus. Illud, *luna perfecta*, in hebraeo est, יכון *iccon*, *stabilietur*, sive *praeparabitur*. Ex quo intelligi-

http://www.obrascatolicas.com

mus vocem, *perfecta*, explicandam esse, ac si dictum esset, *luna stabilis*, sive *praeparata*; et si quidem agatur de stabilitate luminis, ut idem sit luna perfecta, quae sequitur, *in aeternum*, non est conjungendum cum *thronus tuus*: ut sit sensus, thronus tuus erit in conspectu meo in aeternum, sicut sol, et hunc sensum supra persecuti sumus; sed si agatur de stabilitate substantiae lunae, quae incorruptibilis est, tunc in aeternum jungi poterit cum luna perfecta, ut sensus sit, thronus tuus erit in conspectu meo sicut sol, et sicut luna, quae perfecta est quoad substantiam, et stabilis in aeternum.

37. *Tu vero repulisti, et despexisti, distulisti Christum tuum.*

Haec est altera pars psalmi, in qua Propheta in persona populi captivi orat pro adimpletione promissionis divinae; quamvis enim Deus firmiter, et cum juramento promiserit, vult tamen rogari, ut faciat quod promisit: sic Isaac Gen. 25. *Deprecatus est Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis*; et tamen Gen. 22. promiserat Deus Abrahae sobolem copiosam ex filio. *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum sicut stellas coeli*; et ibidem, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Orat autem Propheta Deum, illum quodammodo admonendo, quod si tamdiu differat implere promissum, videbitur non velle servare pactum, et juramentum suum. Itaque sensus est hujus versiculi, et sequentium, Tu Domine promisisti cum juramento filium Davidis perpetuo regnaturum: nunc autem videmus regnum ablatum esse a filiis David, et occupatum a rege Assyriorum: ergo, ut confirmes verbum tuum, mitte filium illum Davidis, quem promisisti, et da illi regnum sempiternum, ut jurasti, alioqui ridebunt nos inimici nostri, et in te redundabit opprobrium nostrum. *Tu vero repulisti, et despexisti*, idest, promisisti bona, nunc vero reddis mala, quia repulisti nos a protectione tua, et despexisti nos, quos magnifacere videbaris. *Distulisti Christum tuum*, id est, elongasti a te regem populi tui, Jechoniam videlicet, et Sedechiam, qui captivi ducti sunt in Babylonem. S. August. aliter exponit, videlicet distulisti mittere ad nos Christum tuum, illum qui perpetuo regnaturus est. Vox hebraica, התעברת עם משיחך *hithabartha him mesicheca*, vertitur a sancto Hieronymo, et hebraeis, *Iratus es cum Christo tuo*: cum qua sententia cohaeret prior expositio. *Distulisti Christum tuum*, idest, elongasti regem a favore tuo, et a regno suo, quod est signum irae, et indignationis in eum; tamen sententia sancti Augustini, quae est conformis graecae, et latinae lectioni, potest etiam concordari cum voce hebraica: nam eamdem vocem in psal. 77. Sanctus Hieronymus vertit, ut hoc loco verterunt septuaginta Interpretes versiculo 59. alias 62. ubi nos legimus, *audivit Deus, et sprevit*, sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit, *audivit, Deus et distulit*. Itaque videmus eamdem vocem hebraicam, et a Septuaginta, et a sancto Hieronymo nunc verti, *differre*, nunc *spernere*, nunc *irasci*. Illa verba, *repulisti*, et *despexisti*, non necessario conjunguntur cum sequentibus, ut sit sensus, *repulisti Christum tuum, despexisti Christum tuum, distulisti Christum tuum*: nam in hebraico ponitur interpunctio post verbum despexisti, et ideo potest facile defendi expositio sancti Augustini, qui vocem, *Christum tuum*, solum conjungit cum verbo, *distulisti*, non cum antecedentibus, *repulisti, et despexisti*, ad quae subintelligitur, nos, aut populum tuum, aut aliquid ejusmodi, ut sensus sit, repulisti et despexisti populum tuum, et distulisti mittere Christum tuum. Utraque expositio bonum sensum habet.

38. *Evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctuarium ejus.*

Explicat quomodo Deus repulerit, et despexerit populum suum: ac primum dicit, Deum evertisse testamentum servi sui, idest, retractasse pactum initum cum servo suo David, quod intelligendum est de eversione sive retractatione, quoad apparentiam, non quoad veritatem. Videbatur enim Deus non velle regnum Davidis esse perpetuum, quia permiserat occupari civitatem Jerusalem; et totam Palaestinam a rege Assyriorum. Sed re vera non de illo terreno regno intelligenda erat promissio, sed de spirituali, et coelesti. *Profanasti in terra sanctuarium ejus*, idest, projecisti in terram, et hoc modo profanasti sacrum diadema ejus; quod factum est quod cessavit regnum Davidis, deturbatis de solio Jechonia, et Sedechia, et ablato ejus regio diademate: nam in hebraeo habetur, נזרו *nizro*, quod proprie significat diadema regium, quod sanctum, et sacrum habebatur: in graeco est, ἁγιασμά, quod *sanctitatem, et sanctuarium, et sanctificationem* significat. Noster interpres hoc loco vertit sanctuarium, sed in psalmo 131. vertit sanctificationem, ubi apertissime loquitur propheta de diademate, non de templo: sic enim loquitur, *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea*. Itaque per sanctuarium videtur intelligenda sanctitas diadematis. Si tamen quis velit Theodoreti, et Euthymii expositionem sequi, qui per sanctuarium profanatum, intelligunt templum Salomonis per Nabuchodonosor regem eversum, et incensum; dicere poterit, ipsum templum vocatum esse diadema populi Judaici, quoniam re vera erat illis instar coronae gloriosissimae, et eo maximae, tamquam insigni diademate gloriabantur.

39. *Destruxisti omnes sepes ejus: posuisti firmamentum ejus formidinem.*
40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.*

Comparat populum Judaicum, per Davidem significatum, vineae, quae destructa saepe fit omnium transeuntium praeda; ita enim populus ille, Deo non protegente, factus est in direptionem Assyriis non semel, sed saepius capientibus, et spoliantibus Jerusalem. Historia nota est ex 4. libr. regum. *Destruxisti*, inquit, *omnes sepes ejus*, idest, tu Deus nos auxilio, et protectione tua destituens, in causa fuisti, ut instar vineae, destructa sepe, diriperemur ab hostibus. *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, idest, fecisti, ut in locum munitionis firmissimae succederet in Davidis regno, et civitate, formido; erat enim antea in eo regno fortissimi milites, sed Deo deserente facti sunt timidi, et imbelles, ut hostibus nullo modo resistere possent. Tribuit autem populus Deo causam horum malorum, quoniam intelligebat, sine Dei voluntate non fieri, et facillimum esse Deo, si velit omnia impedire. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam*, idest, diripuerunt populum Dei hostes ejus sine ulla prohibitione, quomodo diripiunt vineas omnes transeuntes per viam, quando disjectae sunt sepes, vel maceriae, quae aditum prohibebant. *Factus est opprobrium vicinis suis*, idest, inde factum est, ut omnes populi vicini irredeant populum Dei, tam imbellis factus est, ut nulli hosti resistere valeat.

41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum, laetificasti omnes inimicos ejus.*
42. *Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello.*

Pergit narrare calamitates populi Dei, in quas incidit desertus ab adjutorio divino. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*, idest, juvisti hostes populi tui, ut facilius deprimerent populum tuum. Exaltare, hoc loco, significat magnificare, roborare, excelsum facere. Inde vero secuta est laetitia magna apud hostes ob tam facilem victoriam, ideo subjungit, *laetificasti omnes inimicos ejus*; contra vero *avertisti adjutorium gladii ejus*, idest, avertisti adjutorium tuum a gladio ejus, regis videlicet, vel exercitus populi tui; quod clarius explicat, dicens: *et non es auxiliatus ei in bello*; ideo reges Juda resistere nequierunt Assyriis, hostibus suis.

43. *Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti.*

Obscurus est hic locus, sed ex posteriore parte versiculi apparet sermonem esse de privatione cultus regii, qui mundissimus, et splendidissimus esse solebat. Hebraeus textus est clarior; מגרתה השבת מטהרו וכסאו לארץ *hischatta mittoharo vechiso laaretz miggarthah*; Quod sic ad litteram verti posset, *Cessare fecisti munditiam ejus, et thronum ejus in terram detraxisti*. Graecus autem sic verti potest, *Dissolvisti eum a munditia sua, et sedem ejus in terram collisisti*. Igitur hic videtur esse sensus, Spoliasti regem vestibus regiis, et hoc modo destruxisti, et cessare fecisti munditiam ejus induens illum sordidis, et atris vestibus, et thronum regni ejus detraxisti in terram, et confregisti, ut neque cultus, neque thronus regius illi superesset. Alii volunt, per emundationem, intelligi templum, in quo per sacrificia mundabantur Judaei. S. Augustinus intelligit hunc locum de emundatione cordis per fidem Christi a quo destructi sunt Judaei, qui in Christum credere noluerunt. Sed ad litteram probabilius est accipi emundationem pro munditia, et nitore vestium regiarum, quas cum throno reges illi amiserunt.

44. *Minorasti dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.*

Haec est ultima, et principalis calamitas, quod cum Deus promisisset Davidi regnum perpetuum, jam videretur illam promissam aeternitatem ad brevissimum tempus contraxisse: nam in Jechonia, et Sedechia finitum est regnum illud temporale Davidis, quod speraverat nullum finem habiturum; ex hac autem diminutione temporis repletus est David in posteris suis magna confusione. In hebraeo habetur, הקצרת ימי עלומיו *hiktsartha jeme haluman, Abbreviasti dies adolescentiae ejus*. Sed Septuaginta non videntur legisse, *halumau*, quod est *adolescentiae ejus*, ut sanctus Hieronymus vertit, sed, עולמיו *holamau*, unica litera transposita, quod significat, *saeculorum ejus*, ubi etiam indicatur promissio saeculorum, sed abbreviata postea, et contracta: qui autem legi volunt, adolescentiae ejus, intelligunt per adolescentiam, tempus virentis, et florentis regni, quasi Deus non permiserit regnum saltem pervenire ad senectutem, sed in ipso quasi flore aetatis illud occumbere voluerit.

45. *Usquequo Domine avertes in finem? Exardescet sicut ignis ira tua?*

Hic jam incipit oratio pro acceleratione adventus Messiae, ut impleatur promissio jurata Dei. *Usquequo Domine avertes in finem*, idest, quamdiu avertes te; aut faciem tuam, usque in finem, idest, usque ad ultimam perniciem, et consumptionem, sine spe reconciliationis? quamdiu *exardescet indignatio tua*, quasi ignis, qui non cessat, donec in cinerem redegerit quod cremandum suscepit. In hebraeo habetur, עד מה ירוה הסתר *had ma* Adonai *tissather*, *Usquequo* Domine absconderis; ex quo intelligimus illud, *Usquequo avertes*, requirere, ut subintelligatur, *faciem tuam*; vel, te: tunc enim Deus abscondi dicitur, cum avertit a nobis faciem suam, et sic cessat nos illuminare, et calefacere lumine gratiae suae, quae est vita vera animarum.

46. *Memorare quae mea substantia, numquid enim vane costituisti omnes filios hominum.*
47. *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem; eruet animam suam de manu inferi.*

Nonnulli sic exponunt hos versiculos, ut sensus sit, Vita nostra brevissima est, et mors omnibus viventibus imminet: proinde, nisi in vanum constituisti filios hominum, da nobis Domine solatium aliquod, dum vivimus, et accelera consolationem, ne ante rapiamur a morte, quam adveniat consolatio tua. Nimis humilis videtur haec interpretatio: et Judaismum sapit, cum ultra praesentis vitae bona non assurgat. S. Augustinus de Christo ex-

http://www.obrascatolicas.com

ponit, ut sensus sit, Memorare Domine, quod Christi natura humana, mea substantia est, et propter illum non vane constituisti filios hominum: ille est, qui vivet, et non videbit mortem, quia ipse solus eruet animam suam de manu inferi, et resurgens a mortuis vivet, et non videbit amplius mortem. Sed haec expositio non est litteralis; nam vox, *substantia*, hoc loco non significat, naturam, sed tempus vitae, sive subsistentiam: nam in hebraeo ad verbum sic legitur, זכר אני מה חלד *zecor ani me chaled. Memorare ego quanti temporis sim*, idest, quam sit brevis vita mea, quam brevi tempore subsistam in vivis; cui sententiae recte connectitur quod sequitur, *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem*? id est nemo vivit in terris, qui non sit moriturus: et non est diuturnum, quod finem habet. Idem repetitur, cum additur, *eruet animam suam de manu inferi*, idest, est homo, qui non sit iturus ad locum mortuorum, quasi dicat, nemo vivit super terram, qui possit evadere mortem, per quam descendunt corpora sub terram, et animae ad inferos. Eo siquidem tempore nondum apertum erat coelum, quo nunc ascendunt animae justorum. Existimo igitur Prophetam, qui spiritualis erat, ex brevitate vitae humanae, et caducitate rerum humanarum exarsisse in desiderium vitae futurae aeternae in coelis, ac Deum precari voluisse, ut Messiam cito mitteret, Patrem futuri saeculi, qui aperiret credentibus regna coelorum; nisi enim saltem pars aliqua generis humani ad vitam illam aeternam, et beatam per Christum perveniret; vere in vanum condidisse videretur Deus omnes filios hominum. Ait igitur. *memorare quae sit mea substantia*, idest, quam brevis, quam fragilis quam aerumnosa sit substantia mea in terris. *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum*, idest, num constituisti, et creasti filios hominum, ut solus hanc vitam viverent, eamque tam brevem, et aerumnis plenam? id enim esset frustra condidisse genus humanum, si nulla ejus pars finem ultimum attigeret. *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem*? idest, quod sit brevis, et aerumnosa haec vita nostra, vel ex eo constat, quod nemo potest evadere: nemo *eruet animam suam de manu inferi*; inferus enim sine ulla exceptione omnes mortales ad se trahit.

48. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine, quas jurasti David in veritate tua?*

Hic jam aperte Deum precatur, ut impleat promissum de Rege mittendo ex semine David, qui populum suum in aeternum regat. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine*? idest, promissiones ex misericordia tua magna olim factae Davidi, quas etiam juramento confirmasti per ipsam tuam veritatem jurans, ac dicens, *Semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut dies coeli.*

49. *Memor esto domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.*

Addit aliam rationem, cur tanto affectu postulet adventum Messiae: quoniam populi infideles exprobrare non cessant populo Dei, quod frustra speraverit regem aeternum ex semine David. *Memor*, inquit, *esto Domine opprobrii servorum tuorum*, idest, vituperationis, quam patiuntur servi tui ab infidelibus. *Quod continui in sinu meo multarum gentium*, idest, quod opprobrium ego populus tuus continui, sive *portavi*, (ut sonat vox hebraica, שאתי *sceethi*,) *in sinu meo*, multarum gentium, idest, a multis gentibus: dicitur autem portari in sinu, sive contineri in sinu opprobrium, quando non potest excuti per manifestam responsionem. Ita populus ille tacens, et dolens ferebat opprobrium a multis gentibus sibi obiectum, quia non poterat ostendere promissionem Dei fuisse impletam, vel brevi, ac certo implendam.

50. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.*

Hoc videlicet est opprobrium, quod portabat in sinu suo, quod inimici Domini exprobrarent populo Dei commutationem Christi sui, idest, qualem compensationem habuisset David a Deo, pro tam amplis promissis, destructionem videlicet regni sui: nam commutatio hoc loco accipitur pro compensatione, ut Matth. 16. *Quam commutationem dabit homo pro anima sua*? Nam vox hebraica, עקבות *hikevoth*, significat proprie calcaneum, et inde accipitur pro vestigio: nec desunt qui hic vertant, *Vestigia Christi tui*: denique significat etiam *mercedem*, quae datur in compensationem, sive commutationem meriti; ac per hoc pro compensatione, et commutatione accipi potest. Atque haec facillima ratio est concordandi textum graecum cum hebraico, qui enim vertunt, vestigia, sive itinera Christi tui, nullam rationem reddere possunt, cur Septuaginta verterint, *commutationem.*

51. *Benedictus Dominus in aeternum: fiat, fiat.*

Haec psalmi conclusio satis aperte docet, Prophetam intellexisse, promissionem factam Davidi stabilem, et firmam fuisse, et omnino implendam tempore suo, quantumvis contrarium suadere viderentur quae fiebant tempore Nabuchodonosor. Imo etiam eadem haec conclusio docet, cognovisse Davidem, ideo divinam providentiam effecisse, ut regnum illud terrenum everteretur, ne putarent carnales Judae promissionem divinam impletam fuisse. Ait igitur, *Benedictus Dominus in aeternum*, idest, laus, et gratiarum actio semper Domino deferatur, quoniam omnia bene facit, et justus est in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. *Fiat, Fiat.* In hebraeo, אמן אמן *Amen, Amem*, idest, sic opto ut fiat, ut videlicet Dominus benedicatur in aeternum. Atque hic est finis libri tertii secundum hebraeos.

PSALMUS LXXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Oratio Moysi hominis Dei.

Sanctus Hieronymus in Epistola ad Cyprianum constanter affirmat, hunc psalmum cum aliis decem sequentibus a Moyse fuisse compositos: id colligit ex titulo. Sanctus tamen Augustinus hunc psalmum exponens, constanter id negat, ea ratione, quia si hic psalmus a Mose compositus fuisset, haberetur in ejus libris, idest, in Pentateucho, ubi habentur alia cantica ejusdem auctoris. Addere possumus aliam rationem; quoniam in hoc psalmo definitur vita hominis, ut plurimum annis septuaginta; et in robustioribus, annis octoginta: at Mosis tempore plurimi centesimum annum transcendebant: ipse enim Moses obiit annorum centum viginti, ut dicitur Deuteron. ult. et octoginta annorum erat, quando fecit eum Dominus ducem populi sui, et Aaron frater ejus erat annorum octoginta trium, antequam fieret summus sacerdos, ut intelligi potest ex capit. 7. Exodi; et tamen non est credibile electum fuisse, aut Mosem ducem populi aut Aaronem summum sacerdotem, homines decrepitos, et morti proximos. Itaque aetas octoginta annorum non erat tunc extrema decrepita, sed aetas matura, et vigens, atque ad res maximas gerendas aptissima. Neque probabile est, quod reliqui decem psalmi sequentes sint compositi a Mose, cum in psalm. 98. fiat mentio Samuelis, qui diu post mortem Mosis natus est. Neque satis facit huic objectioni Sanctus Hieronymus dicens, nomen Samuelis fuisse Prophetatum a Mose, ut lib. 3. reg. cap. 13. praedicitur nomen Josiae regis; nam de Josia sic loquitur Propheta, *Nascetur filius domui David, Josias nomine, etc.* ubi est manifesta praedictio de futuro: at in psalm. 98. narrantur res praeteritae. his verbis, *Moyses, et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos; custodiebant testimonia ejus, etc.* Non igitur hic praedicitur nomen Samuelis, quemadmodum nec Mosis, aut Aaronis, sed narrantur res ab ipsis gestae, antequam hic psalmus scriberetur. Quare videtur nobis, titulum hujus psalmi inscribi, Moysi, quod Mosem loquentem David introducit. Introducitur autem Moses fortasse, quod ipse scripserit creationem mundi, peccatum primorum parentum, et poenas inde secutas. Argumentum enim hujus psalmi est oratio ad Deum pro humano genere, quod ob peccatum primorum parentum in maximas incidit calamitates, et auxilio gratiae assidue indiget, tum ut aerumnas hujus vitae facilius toleret, tum ut ad gaudia sempiterna perveniat.

EXPLICATIO PSALMI LXXXIX.

1. *Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem.*

Orditur propheta orationem a gratiarum actione pro acceptis beneficiis: haec enim est Spiritus Sancti utilissima rhetorica, ut gratum se gratiae ostendat, qui nova beneficia petit. *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis*, idest, fatemur nos multis, variisque periculis esse obnoxios; sed in nobis te protectorem, et adjutorem experti sumus, idque non semel, aut iterum, sed omni tempore per omnes generationes sibi invicem succedentes. Vox hebraica, מעון *mahon*, proprie habitationem significat. Itaque per refugium hoc loco intelligitur domus bene munita, et loco edito posita, ad quam qui refugiunt, tutissimi sunt ab omni injuria sive hostium, sive bestiarum, sive pluviae, aut ventorum. Et vere qui confugiunt ad Deum, et in eo tamquam in arce munita per Fidem, Spem, et Charitatem, cogitatione assidua, et jugi desiderio habitant, securissimi sunt ab omni incursu malo; *quoniam eis omnia cooperantur in bonum*, ut ait Paulus ad rom. 8.

2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis: a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus.*

Probat eumdem ipsum Deum in omni generatione et generatione refugium esse potuisse sperantibus in eum; quoniam ipse semper est, videlicet aeque potens, aeque sapiens, aeque benignus.

http://www.obrascatolicas.com

Ut autem ostendat, Deum esse ante omnes res creatas, in quibus homines confidere solent, primum nominat montes. *Piusquam*, inquit, *montes fierent.* Montes enim cum altissimi, et solidissimi sint, multis modis refugium hominibus praebent, Fortasse etiam primo loco nominat montes quia primi apparuerunt, cum terra discooperiri coepisset ab aquis, a quibus initio creationis undique cooperiebatur: vel denique quia montes sunt pars terrae maxime eminens, et conspicua. Deinde subjungit formationem terrae, cujus partes quaedam sunt montes. Sed observanda est proprietas vocum hebraicarum: nam de montibus dicit, *fierent*, in hebraeo, *nascerentur*, ילדו *juladu*; de terra dicitur in hebraeo, *parturiretur*, תחיל *thechol*; itaque sensus est, priusquam montes nascerentur, imo priusquam ipsa terra parturiretur. Parturitio enim nativitatem praecedit. Addit, *et orbis*, nimirum habitabilis: hoc enim significat, תבל *thebel*, ex quo intelligimus per terram hoc loco intelligi terram incultam et desertam: per orbem, terram cultam, et habitabilem: montes enim in utraque parte terrae inveniuntur. Addit ultimo, *a saeculo, et usque in saeculum, tu es Deus.* idest, non solum tu es ante montes, et terram, tum incultam, tum habitabilem, sed *es a saeculo* idest, usque in aeternum. Nec dicit, tu eras a saeculo, et eris usque in saeculum, sed tu es, ut ostendat veram aeternitatem Dei, quae est duratio sine ulla varietate et mutatione, quod in psal. 101. dicit, *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Vox, *Deus*, in graeco codice non habetur, sed in hebraeo habetur, אתה אל *attha el*, et s. Hieron. testatur in Epist. ad Suniam, et Fretellam,, haberi apud Septuaginta, et apud alios quoque interpretes. Videtur autem esse vocativi casus, ut sit sensus, Tu o Deus a saeculo, et usque in saeculum es, et idem ipse semper es.

3. *Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti convertimini filii hominum.*

Hic incipit oratio, qua precatur Propheta Deum ut non sinat genus humanum abire in extremam vilitatem, et ruinam. Videbat enim hominem per peccatum primi hominis aversum a Deo praecipitem ruere in deterius; ideo clamat, *Ne avertas hominem in humilitatem*, idest, ne sinas averti humanum genus a lumine vultus tui ad vilitatem, et abjectionem extremam, ut oblitum veri boni amplectatur terram, et lutum saecularium desideriorum, et per ea demergatur in interitum sempiternum. Nam vox hebraica דכא *dacca*, non significat virtutem humilitatis, sed attenuationem, et miseriam. Addit rationem cur conveniat ut Deus non sinat perire tam nobilem creaturam. Nam, inquit, *tu dixisti, convertimini filii hominum*, idest, tu hortatus es per Prophetas tuos externa praedicatione, et per internam quoque tuam inspirationem ad conversionem peccatores; decet igitur, ut potenti auxilio gratiae tuae juves hominem ad conversionem, et non sinas eum averti ad extremam vilitatem. Illud *et*, ponitur pro, *quia*, cum dicitur, *et dixisti*, convertimini filii hominum, idest, quia tu dixisti, et invitasti ad conversionem; non enim *vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant.* In hebraeo non habetur negatio, sed affirmatio. *Convertes hominem in abjectionem.* Nisi s. Hieronymus diceret septuaginta Interpretes posuisse in versu superiore vocem illam, Deus, possemus suspicari, septuaginta non legisse, אל *el*, quod est, *Deus*, sed, אל *al*, et posuisse hanc vocem in principio hujus versiculi: sed quoniam non audemus s. Hieronymo contradicere, existimamus vel excidisse ex codice hebraico particulam illam negantem, quod facile fieri potuit, cum eaedem literae bis repeterentur: vel esse legendam literam hebraicam cum interrogatione, *Convertes, vel avertes hominem in humilitatem?* quae sententia eadem est cum illa, *Ne avertas hominem in humilitatem.*

4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quae praeteriit.*
5. *Et custodia in nocte, quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

Describit abjectionem generis humani post peccatum primi hominis ex brevitate vitae comparatae cum aeternitate Dei: nam Dei aeternitas sic immensa est, ut mille anni apud Deum, sint ut unus dies, vel una pars diei apud nos: et tamen vita nostra post peccatum, non est mille annorum, neque centum, sed vix septuaginta, aut in robustioribus octoginta. Quare vita nostra comparata cum aeternitate Dei minor est quam unus dies, aut notabilis aliqua pars diei; proinde fere nihil est: et tamen si homo non peccasset, sine ullo fine in aeternum vixisset; sed explicemus verba. *Quoniam*, inquit, *mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quae praeteriit*, idest, in vilitatem maximam conversi sumus, quoniam tu quidem aeternus es, ita ut apud te mille anni sint velut una dies, quae statim praeterit, *aut veluti custodia in nocte*, idest, una nocturna vigilia, quae tribus horis absolvitur: hominum autem qui ad tuam imaginem creati sunt, ac per hoc semper vivere deberent, anni tam breves erunt, ut in nihilum reputari possint: sic enim intelligimus illa verba, *quae pro nihilo habentur eorum anni erunt*, id est, anni hominum post peccatum erunt numerandi inter ea, quae pro nihilo habentur, idest, brevissimi, ac pene nulli. In textu graeco habetur, ἔτι idest, *adhuc*, et sic legit Euthymius, adhuc erunt, sed verior lectio est ἔτη idest, *anni erunt*, nam in hebraeo habetur שנים *scianim*, quod *annos* significat, non *adhuc*. Ex hebraeo sic vertit s. Hieronymus haec ultima verba, *Percutiente te eos in somnium erunt.* Pro quo nos habemus, *quae pro nihilo habentur eorum anni erunt.* Et quidem de voce *somnii*, et *annorum*, non magna est difficultas: nam eadem vox hebraica, si legatur, שנה *sciena*, significat *somnum*, sive *somnium*: et sic legit s. Hieronymus, et legitur hodie in textu hebraico, juxta puncta Rabbinorum: sed si legatur, שנה *sciana* significat *annum*, et sic legerunt Septuaginta, et vulgatus noster interpres. Illud autem, *Percutiente te eos*, in hebraeo

est, זרמתם *zeramtham*: quod ad litteram reddi potest, *inundasti eos.* Sed potest etiam legi cum aliis punctis, זרמתם *zirmatham*, idest, *inundatio eorum*, sive *fluxus eorum*: et sic legisse videntur Septuaginta, qui nomen, non verbum verterunt, τα εξοδενωματα αυτων, id est, *contemptibilia ipsorum*, quod recte noster interpres latine reddidit: *Quae pro nihilo habentur eorum*: verterunt autem Septuaginta non tam verbum, quam sensum. Illa enim quae fluunt, et transeunt, pro nihilo habentur, quia mox evanescunt. Illud pronomen, *eorum*, in hebraeo conjungitur cum nomine, *inundatio*, sive *fluxus*, non cum nomine *anni*. Quare sensus est, inter ea quae fluunt, et pro nihilo habentur eorum, idest, hominum, anni sunt; vel clarius, anni vitae, sive tempora vitae computantur inter eas res humanas, quae contemptibiles sunt, quia celerrime finiuntur.

6. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat, vespere decidat, induret, et arescat.*

Declarat annos vitae esse vere contemptibiles per similitudinem foeni, quod una die oritur, viret, floret, exarescit, et perit; in hebraeo sunt verba futuri temporis, et eodem modo videntur accipienda verba latina, ut hic sit sensus, *Mane*, idest, prima parte diei homo quasi herba virens apparebit in pueritia, et non ibi sistet, sed mox transibit. Mane item in eadem prima parte diei florebit in juventute, et nec ibi consistet, sed mox transibit. *Vespere*, in altera parte ejusdem diei *decidet*, in virilitate, flore scilicet juventutis cadente, *indurabitur in senectute*, amisso vigore virilitatis, *et arescet* in morte, siccato humore vitae. Vel ut exponit s. Augustinus *mane virescet*, et florebit in vita; *et vespere decidet* in morte, *indurabitur* in cadavere, *arescet* in pulvere; et qui de pulvere factus est, in suum pulverem continuo revertetur, ut non sit aliud tempus nostrum quam nasci, et mori, incipere, et finiri. Vae caecitati hominum, qui vitam unius diei, quae pro nihilo duci deberet, sic amant, ac si esset aeterna: et vitam vere sempiternam sic contemnunt, ac si esset unius diei, et pro nihilo habenda. Neque solus David haec docet, sed ante eum sanctus Job. cap. 14. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Et post eum Isaias cap. 40. *Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos; quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Quod si non placeat accipere verba illa, *transeat, et floreat* pro transibit, et florebit; oportebit aliquid subintelligere, ut tu Deus jussisti, ut homo sicut herba transeat, et floreat, etc. Vel, Ergo homo juxta sententiam Dei sicut herba transeat, etc.

7. *Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.*

Reddit causam brevitatis vitae nostrae, ac dicit esse justissimam iram Dei, quam iniquitas humana succendit. *Defecimus*, inquit, *in ira tua*, id est, consumpti sumus, et mortales effecti, quoniam irritavimus iram tuam: *et conturbati sumus* mortis horrore, et terrore, ob furorem tuum, qui securi, et quieti antea vivebamus. Non est in Deo proprie furor, vel ira, vel alia perturbatio, sed metaphorice dicitur ira et furor in Deo, quando non parcit peccatori, sed eum pro meritis punit.

8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: saeculum nostrum in illuminatione vultus tui.*

Dixerat causam brevitatis vitae nostrae fuisse iram Dei: nunc dicit, causam irae Dei fuisse iniquitates nostras. Vocat autem nostras iniquitates peccatum primorum parentum, quod nobis commune fuit, et in quo multae fuerunt iniquitates, juxta doctrinam sancti Augustini in Enchiridio c. 45. et aliis in locis. Fuit enim in eo peccato superbia, inobedientia, infidelitas, curiositas, et alia. Fortasse etiam respicit David ad iniquitates posterorum, ob quas magis contracta est brevitas humanae vitae: nam usque ad diluvium vivebant homines ad nongentos annos: deinde post diluvium ad ducentos vel trecentos. Postea tempore Mosis ad centum viginti. Denique tempore David ad octoginta. Ait igitur, *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, idest noluisti parcendo abscondere peccata nostra a facie tua; sed ea ante conspectum tuum posuisti, ut ea diligenter considerares, et punires. Quod enim Deus intelligatur ignoscere, quando avertit faciem a peccatis, docet idem Propheta, cum ait in psal. 50. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Quod autem additur, *saeculum nostrum in illuminatione vultus tui*, est repetitio ejusdem rei: nam per saeculum nostrum intelliguntur iniquitates vitae, sive temporis nostri, quas ne laterent posuit Deus *in illuminatione vultus sui*, idest luce vultus sui detexit, et illuminavit, ut earum turpitudo nota esset, et justo Dei judicio puniretur. Vox hebraica עלמנו *halumenu*, tria significare potest, occulta nostra, adolescentiam nostram, et saeculum nostrum. Omnia enim haec derivantur a verbo, עלם *ihalam*, quod est occultare. Addit s. Hieron. etiam quartam, videlicet *negligentias nostras*, sed omnia in idem recidunt. Nam multa sunt proprie peccata cordis, vel etiam omnia peccata, quatenus a corde exeunt: et huic voci aptissime respondet illud, *in illuminatione vultus tui*: nam *qui male agit, odit lucem*, ut habetur Joan. 3. sed Deus luce sua omnia detegit. Unde dicit Apostolus 1. Corint. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Per adolescentiam, intelliguntur peccata adolescentiae, idest primum peccatum Adami, quod actum est in prima adolescentia generis humani. Denique per saeculum nostrum (ut diximus) significantur peccata temporis nostri.

9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.*

http://www.obrascatolicas.com

Quod Deus viderit, et condemnaverit peccata nostra, poena ipsa mortis nobis inflicta demonstrat. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt*, idest omnes dies nostri abierunt, ut nulli jam supersint. *Et in ira tua defecimus*, idest, non solum dies nostri abierunt, sed et nos cum illis consumpti sumus; nam si Adam non peccasset, dies quidem praeterissent, sed numquam fluere cessassent, neque nos cum illis defecissemus; at nunc dies nostri ita fluunt, ut finem accipiant morte illorum cursum interrumpente, et nos ipsi cum illis finem vivendi accipimus, et consumimur, ira Domini peccatum illud justissime puniente.

10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.*
11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor, et dolor.*

Dixit, mortem esse poenam peccati; nunc addit, vitam ipsam, quam agimus ante mortem, esse miseram et brevem: juxta illud Patriarchae Jacob Gen. 47. *Dies peregrinationis meae, anni centum triginta sunt, parvi et mali.* De miseria dicit. *anni nostri sicut aranea meditabuntur.* In hebraeo solum habetur שנזגי כמו הגה *scianenu chemo hegheh, anni nostri sicut meditatio*, idest, anni nostri nihil sunt nisi quaedam continua exercitatio, et laboriosa meditatio. Sed septuaginta Interpretes, ut clarius rem explicarent, addiderunt, *sicut aranea*; et pro, *meditatio*, posuerunt, *meditabuntur*; et sensus est, Anni nostri, idest, tempus vitae nostrae exercebitur vanis laboribus, et doloribus, timoribus, suspicionibus in temporalibus bonis procurandis, et temporalibus malis cavendis, sicut aranea exercetur in texendis retibus omni re fragilioribus, non sine propriae substantiae consumptione: transit postea a miseria ad brevitatem dicens, *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, idest, tempus vitae nostrae in seipso conclusum, et definitum, non transcendit ultra septuaginta annos: et in robustioribus, *usque ad octoginta*; et si quid ultra sit, *erit labor, et dolor*, aetas videlicet infirma, et variis malis, et aerumnis obnoxia. Hic aliqua notanda sunt. Primum illud *in ipsis*, obscurum est propter phrasim propriam linguae Hebraicae, quae interdum ponit casum nominandi, cui nullum verbum respondet, ut in Psalm. 10. *Dominus in coelo sedes ejus*: nos diceremus, Dominus in coelo sedem habet, vel *Domini sedes in coelo est*, sic etiam in psalm. 17. *Deus impolluta via ejus*: nos diceremus, Dei impolluta via est. Sic igitur hoc loco nos diceremus, Dies annorum nostrorum septuaginta anni sunt: vel in diebus annorum nostrorum septuaginta anni. Itaque absolute legendum est. *Dies annorum nostrorum*; et postea subjungendum, *in ipsis* diebus, videlicet annorum nostrorum, septuaginta anni numerantur. Vel dicendum est, *illud*, in ipsis, redundare, ut in psalm. 121. redundat pronomen, *ejus*, cum dicitur, *cujus participatio ejus in idipsum*. Secundo illud, *in potentatibus*, in hebraeo est, בגבורות *bigburoth, in fortitudine, sive robore*, idest, in homine robusto: in graeco est, εν δυναστειαις, quod significare posset *in principatibus*, sive, *imperiis*; sed hoc loco ista significatio non facit ad propositum: non enim principes diutius vivunt, quam alii: quin potius contra scriptum est in Eccles. capit. 10. *Omnis potentatus brevis vita.* Ergo hoc loco vox illa significat vim, et potentiam complexionis, et sic exponunt omnes interpretes. Tertio illud, *et amplius eorum*, communiter exponitur, ut nos diximus, de vita quae producitur ultra annos octoginta: quidam tamen minus probabiliter intelligunt; quod potissima pars vitae intra ipsos septuaginta vel octoginta annos sit labor, et dolor. Prior expositio est Hieronymi, Augustini, Theodoreti, et aliorum gravium auctorum. Quarto s. Augustinus videtur subdubitare, an ad litteram hic locus intelligi debeat de vita contracta ad septuaginta, vel octoginta annos, tum quia multi robusti inveniuntur ultra annum octogesimum, et plurimi valde infirmi ante annum septuagesimum: tum quia ante diluvium vivebant homines usque ad annos nongentos; et tamem illi gravissime peccarunt in Deum, et propter ipsos potissimum contrahi debuit humanae vitae tempus. Caeterum, communis sententia Hieronymi, Theodoreti, Euthymii, et recentiorum est, quod ad litteram hic definiatur vita hominis septuaginta, vel octoginta annis, quae utcumque longa est, si comparetur ad vitam multarum bestiarum, tamen brevissima, si ad aeternitatem conferatur. Neque mirum est, aliquos ultra annum octogesimum robustos inveniri: nam et paucissimi sunt, et omnis regula patitur exceptionem. Multo minus est mirum quod aliqui reperiantur infirmi ante annum septuagesimum: nam etiam ante annum quadragesimum, et trigesimum ob complectionis vitium plurimi reperiuntur imbecilli. Phropheta vero loquitur de solo vitio aetatis, et dicit secundum communem, et ordinarium cursum, homines vivere consuevisse integris viribus, et sensibus usque ad annum septuagesimum, vel octogesimum. Tempore s. Augustini credibile est communem, et ordinarium vitae robustae cursum fuisse paulo breviorem, nunc vero experimur communem, et ordinarium cursum vitae robustae, et integrae ad quinquagesimum annum, et in robustioribus ad sexagesimum pertinere: et ex eo tempore laborem, et dolorem; quamvis non desinit hoc etiam tempore pauci quidam satis vegeti, et robusti annorum septuaginta vel octoginta, vel etiam nonaginta. Quod autem ante diluvium, et proxime post diluvium homines diutissime vixerint, factum est ex providentia Dei, ut genus humanum facilius propagaretur, quemadmodum postea pertinuit ad providentiam Dei, ut contraheret tempus humanae vitae, tum quia aequum est, ut sicut multiplicantur peccata, sic contrahatur tempus vitae, tum etiam quia si propagato humano genere adhuc homines diutissime viverent, mundus eos non caperet.

12. *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.*

Ex aerumna senectutis hoc boni consequimur, ut deposita superbia, et fastu juvenili humiliemur, et mansuescamus conscii propriae infirmitatis, et miseriae, et corripiamur, idest, erudiamur ad subjectionem sub potenti manu Dei. Illud, *quoniam*, accipitur hoc loco pro, *verumtamen*, aut *certe*: non enim apud hebraeos כי *chi*, semper est particula causalis. Ait igitur David, *Verumtamen* ex labore, et dolore senectutis *supervenit in nos mansuetudo*, humilitas et modestia; et inde *corripiemur*, et discemus subjecti esse Deo, et id parum temporis, quod superest, in ejus timore, et amore consumere. Aliqui per mansuetudinem intelligunt mansuetudinem Dei, qua nos in senectute, laboribus et doloribus clementer erudit. Sed prior expositio videtur anteponenda, cum in sequenti versiculo dicatur, *Quis novit potestatem irae tuae, et prae timore tuo iram tuam dinumerare?* non enim recte conjunguntur mansuetudo, et ira. In hebraeo, ut nunc se habet, longe alius est sensus: sic enim legitur ad verbum, כי גז חיש ונעפה *chi gaz chisc venahuphah, quoniam tonsio celeriter, et avolabimus*; et sensum esse volunt, quod senes, ac praesertim decrepiti facillime extinguuntur, quomodo foenum aridum facile demetitur, et avolat. Miratur s. Hieronymus in Epistol. ad Cyprianum, quid legerint in codicibus hebraicis septuaginta Interpretes, ut vertere potuerint, *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.* Sed aliquid eos legisse, quod recte in eam sententiam verti posset, dubitare non debemus, cum viri doctissimi, et fidelissimi essent, et cum eis consentiant Theodotion, et sexta editio, eodem sancto Hieronymo teste.

13. *Quis novit potestatem irae tuae? et prae timore tuo iram tuam dinumerare.*

Ex gravitate poenae redditae peccato primi hominis, colligit Propheta, magnam valde esse iram, et severitatem Dei adversus peccata; sed poetico more, et eleganti metaphora ita magnitudinem irae divinae describit, *Quis novit potestatem irae tuae*, idest, quis cogitando poterit assequi quanta sit vis, potentia, et efficacitas irae tuae Domine? *et prae timore tuo iram tuam dinumerare*? idest, et quis poterit te tantum timere, quantum timendus es, et juxta hunc timorem mensurare magnitudinem irae tuae, vel omnes ejus puniendi modos enumerare? nam ex eo quod propter unum peccatum primi parentis Deum iratus est universo humano generi, et omnes homines ad vitam laboribus, et doloribus plenam, et postea ad mortem damnavit, ac voluit ut omnes homines post multas aerumnas in pulverem suum redirent; certe recte colligitur, immensam esse indignationem divinam contra peccatum, et infinitos esse in ipsa divina indignatione modos puniendi peccatores. Ac sic ex morte ista corporis recte colligitur magnitudo irae divinae contra peccatum; quanto magis colligi deberet ex eo, quod animas et corpora iniquorum post diem judicii mitteret Deus in ignem inextinguibilem, et sempiternum: id enim omnem humanam intelligentiam longe superat. In hebraeo illud, *dinumerare*, conjunguntur cum versiculo sequenti: sed nos non sequimur interpunctionem Rabbinorum recentiorum, sed septuaginta Interpretum antiquissimorum. Illud, *prae timore tuo*, aliqui ita exponunt: Quis impeditus timore, et terrore tuo poterit mensurare iram tuam? Sed prima expositio videtur melior: quoniam propositum Prophetae est ostendere magnitudinem irae Dei: non autem ostenditur ex eo quod aliquis perturbatus timore, non potest in eum intendere aciem mentis; sed ex eo, quod homo valde timet, et ex magno timore colligit magnitudinem irae. Itaque illud, *prae timore*, accipiendum est pro, a timore, vel propter timorem, vel *secundum*, aut *juxta timorem*, ut clarius habetur in hebraeo, וכיראתך *uchirathecha.*

14. *Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.*

Ab hoc versiculo usque ad finem orat Propheta pro genere humano, ut sicut illud Deus juste punivit poena mortalitatis, ita misericorditer respicere, et adjuvare dignetur in hujus vitae mortalis peregrinatione. *Dexteram tuam sic notam fac*, idest, fac Deus, ut jam tandem innotescat nobis dextera tua, qua nos suscipias, et sustentes, et qua munera gratiae tuae nobis abundanter tribuas. Fortasse etiam per dexteram significatur Christus, quem Propheta promissum sciebat, et ut cito veniret, assidue precabatur. *Et eruditos corde in sapientia*, 1. Cor. 8. idest, et simul notos fac nobis homines eruditos corde in sapientia, idest, Prophetas, et Apostolos, qui habebant cor vera sapientia eruditum, non ut sapientes hujus mundi, qui vel habent linguam eruditam, non cor; vel si cor eruditum gerunt, non sapientia divina, et salutari, sed sapientia humana, et perniciosa, *quae inflat, non aedificat.* In hebraeo, ut nunc legitur, sic habetur, *Dies nostros sic notos fac, et veniemus corde sapienti.* Sed facile est videre, quid legerint septuag. Interpretes: nam non legerunt, ימינו *jamenu, dies nostros*, sed ימינך *jeminacha*, dexteram tuam: nec legerunt, נביא *nabi, veniemus*, sed, נביאים *nebijm*, Prophetas; tamen sensus, qui ex hebraeo colligitur, non est contemnendus; rogat enim Propheta, ut notos faciat nobis Deus dies nostros, idest, faciat ut intelligamus brevitatem dierum vitae nostrae, et non ipsi nos fallamus judicantes diuturnum id quod est brevissimum; nam si hoc intellexerimus, veniemus ad Deum corde sapienti, et inquiremus bona futura, quae sunt aeterna, et contemnemus praesentia, quae sunt brevissima.

15. *Convertere Domine usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos.*

Idipsum petit, sed oratione magis generali. *Convertere Domine usquequo*, idest, tu Domine avertisti a nobis faciem tuam, iratus nobis propter peccata nostra; sed aliquando tandem placatus convertere ad nos, et respice nos oculo benignitatis tuae, *et deprecabilis esto super servos tuos*, idest, exorabilis esto: sine te exorari a servis tuis, quos ipse formasti, et alis, ac sustentas in obsequium tuum. Illud, *usquequo*, posset accipi separatim, et cum interrogatione hoc modo, *Convertere Do-*

http://www.obrascatolicas.com

mine, usquequo non converteris. Sed nulla est distinctio in textu hebraeo, vel graeco, vel latino inter convertere, et usquequo: ideo praestat illud, *usquequo*, accipere pro, *aliquando*, ut supra diximus.

16. *Repleti sumus mane misericordia tua, exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.*
17. *Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

Hi duo versiculi possunt ex hebraeo verti per tempus praeteritum, ut verterunt septuaginta Interpretes: possunt etiam verti partim per modum imperandi, seu deprecandi, partim per tempus futurum, ut vertit s. Hieron. qui sic habet. *Imple nos matutina misericordia tua, et laudabimus, et laetabimur in cunctis diebus nostris: laetifica nos pro diebus quibus afflixisti nos, et annis quibus vidimus mala.* Sed cum vertuntur per tempus praeteritum, vel subintelligendum est aliquid, in hunc sensum, *convertere Domine aliquando, et deprecabilis esto super servos tuos*, ut aliquando dicere possimus, *repleti sumus mane misericordia tua*, etc. vel certe, ut explicat s. Augustin. Propheta praenunciat res futuras per verba temporis praeteriti propter certitudinem praedictionis. Itaque versiculi isti non ad tempus vitae, sed ad tempus patriae pertinent: tunc enim dicemus, *repleti sumus mane misericordia tua*, idest, initio veraе illius diei, quo solem justitiae respicere coepimus sine ullius nubis interpositione, et nocte, ac tenebris hujus vitae recedentibus, repleti sumus magna illa misericordia tua, quae nullum locum miseriae relinquit, de qua scriptum est in psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus, qui sanat omnes languores tuos, qui replet in bonis desiderium tuum*: ideo exultavimus, et delectati sumus, hoc enim solum restat hominibus beatis, et liberatis a malis omnibus, ut exultent laudantes Deum, et delectentur fruentes Deo. Nec solum laetati sumus ob tantum cumulum bonorum; sed etiam *laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti*, et *pro annis, quibus passi sumus mala*: tum quia dulciora sunt bona post experientiam malorum; tum etiam quia patientia in malis haec nobis tanta bona promeruit, juxta illud Apostoli, 2. Cor. 4. *Quod momentaneum est, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatus in nobis.* Itaque nunc benedicimus dies illos, et annos, qui nobis materiam patiendi praebuerunt, et Deo gratias agimus, qui nobis in tempore non pepercit, ut parceret in aeternum.

18. *Respice in servos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum.*

Posteaquam petivit summum bonum, quod est finis ultimus humanae naturae, et omnium actionum nostrarum; nunc petit media, idest, gratiam bene operandi. Primum enim, juxta praeceptum Domini, Matth. 5. *quaerendum est regnum Dei, deinde justitia ejus.* Ait igitur, *respice in servos tuos*, idest, illumina servos tuos, atque accende ad amorem tuum. Deus enim Sol est increatus, qui respiciendo illuminat, et calefacit: item, *respice in servos tuos*, idest, oculo benevolentiae, et favoris tui respice illos ut tuos, dirige, protege, auge, *et in opera tua*, idest, in opera bona, quae tu operari coepisti in illis. Omnia enim bona opera nostra dicitur Deus operari in nobis, quia ipso excitante et adjuvante fiunt et sine illius gratia praeveniente, et comitante nulla essent. Nec solum servos tuos, sed etiam *filios eorum*, sive naturales, sive spirituales respice, et dirige, ut parentes cum filiis, te dirigente, in via mandatorum perseverent; et ad patriam pertingere mereantur aeternam. In hebraeo legitur paulo aliter, videlicet *appareat ad servos tuos opus tuum, et gloria tua super filios eorum*: sed Septuaginta non legerunt, יראה *jerahe appareat*, sive videatur; sed ראה *rehe*, dempta prima litera, quod significat, *vide* sive *respice*: deinde explicandi gratia addiderunt conjunctionem, et verterunt, *respice in servos tuos, et in opera tua*: quamvis enim in hebraico sit *opus tuum*, licuit tamen interpretibus id esprimere numero multitudinis. Illius autem *et gloria tua* hebraice הדרך *hadarecha*, legerunt Septuaginta, הדרך *hadrech*, solis punctis mutatis, quod est, *dirige*, a verbo דרך *darach*. Itaque lectio graeca non dissidet ab Hebr. quam habuerunt septuaginta Interpretes. Sed et ipsa lectio hebraica, quam sequitur s. Hieron. bonum sensum habet, *Appareat opus tuum super servos tuos*, idest, operare in servis tuis per gratiam tuam opera bona, et sic manifeste operare, ut etiam alii videant opera eorum bona, et glorificent te patrem eorum, qui in coelis es, et qui opera bona operaris in eis: et gloria tua similiter appareat super filios eorum, ut etiam in illis opereris opera bona, et per illos nomen tuum glorificetur.

19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.*

Idipsum petit aliis verbis, ut ostendat se valde optare, quod petit. Quod enim dixit, *respice in servos tuos*, repetit nunc dicens, *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Deus enim, ut diximus, respiciendo illuminat; avertendo faciem, in tenebris nos relinquit. Quod autem dixit, *Et in opera tua*, nimirum respice, nunc repetit dicens, *et opera manuum nostrarum dirige super nos*, idest, tu praesidens nobis fac ut recte operemur, et regulam rectissimam, quae est lex tua, et voluntas tua, semper sequamur. Addit *Et opus manuum nostrarum dirige*, ut ostendat omnia opera revocari ad unum opus, quod est radix omnium, et in quo continentur omnia: hoc autem est opus charitatis, *nam qui diligit, legem implevit*, rom. 13. *Et charitas patiens est, benigna est*, etc. 1. Cor. 13. In hebraeo pro voce, splendor, est נעם *nunham*, quod significat decorem, et dulcedinem: sed decor, et splendor in idem recidunt: et recte Septuaginta verterunt, *sit splendor*, quoniam decor lucis splendor est. *Deus autem lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, 1. Joann. 1. et *Pater luminum est*, Jacobi 1. Item pro verbo, *dirige*, est in Hebraeo כוננה *chonena*, quod non solum *dirigere*, sed etiam *stabilire* significat. Itaque sensus erit, opus manuum nostrarum perseveranter dirige, ut non solum directio in bonis operibus, sed etiam perseverantia postuletur.

PSALMUS XC.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Laus cantici David.

Hic titulus non habetur in codice hebraico, neque in omnibus codicibus graecis; et sanctus Hilarius in prologo psalmorum, sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Euthymius in commentario hujus psalmi discrtis verbis dicunt, eum carere titulo. S. Joannes Chrysostomus, et s. Augustinus nullam tituli mentionem faciunt. Quare credibile est, titulum fuisse postea additum, ut intelligeremus, hunc psalmum a Davide fuisse compositum; non a Mose, ut Hilarius, et quidam alii tradiderunt. Et certe ratio, qua nonnulli adducti sunt, ut existimarent, hunc psalmum non Davidis esse, sed Mosis, infirma omnino est. Dicunt enim, psalmos, qui carent titulo, illius esse, cujus est psalmus praecedens: psalmum autem praecedentem esse Mosis, probant ex titulo illo, *Oratio Moysi hominis Dei.* At nos in explicatione psalmi superioris ostendimus, psalmum illum inscribi Moysi, non quod ille fuerit auctor, sed quod David Mosem loquentem introduxerit: et rationem adduximus, cur probabile non sit, psalmos, qui carent titulo, ejus auctoris esse, cujus nomen invenitur in psalmo praecedente. Argumentum psalmi est cohortatio ad fiduciam in Dei auxilio firmissime collocandam. Id enim in principio ponitur, et per totum psalmum variis rationibus confirmatur. Forma psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Propheta, nunc homo justus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, et ideo non minus elegans, quam difficilis. Quam vero sit utilis, et ad mores formandos accomodatus, vel ex eo cognosci potest, quod ex vetusto ecclesiae instituto, quotidie in divino officio frequentatur; idque ad initium noctis, ut Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo propulsemus.

EXPLICATIO PSALMI XC.

1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.*

Hoc primo versiculo continetur insignis promissio, per quam Spiritus sanctus certos nos reddit, auxilium divinum numquam defuturum iis, qui vere spem suam in Deo repositam habent. Sed verba singula explicemus. *Qui*: haec prima vox significat promissionem esse generalem; quasi dicat Propheta, Quicumque sit, sive dives, sive pauper, sive doctus, sive indoctus, sive patricius, sive plebejus, sive juvenis, sive senex: non enim Deus personam accipit; sed *dives est in omnes, qui invocant illum. Habitat*: hoc significat, promissionem hanc tam liberalem non requirere quamlibet fiduciam, sed assiduam, constantem, firmam, ita ut homo per fidem, et fiduciam facit sibi quasi domum in Deo, in quo habitet et quiescat, et eam quocumque ierit, circumferat, quomodo testudines faciunt. Vox hebraea, *jasciab*, habet aliquid majoris energiae, quam verbum, ישב *habitat*: significat enim etiam sedere, quiescere, durare; itaque sensus erit, qui habitat cum quiete, et perseverantia. *In adjutorio*, vox hebraea, בסתר *besether*, proprie significat, *in abscondito*, sive *in loco secreto*: sed septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram, cum dixerunt, *in adjutorio*; adiutorium enim Dei non est visibilis aliqua turris, sed arx invisibilis, et secretissima, quae sola fide invenitur, et penetratur. Vocabulum tamen graecum, et latinum admonet confidendum quidem firmissime esse in Deo, sed non esse negligenda ea, quae studio, et labore humano adhiberi possunt; exemplo nobis esse possunt agricolae, qui sperant in eo, qui dat pluvias de coelo, et solem suum oriri facit: sed interim laborant arando, serendo, metendo, quia sciunt eos adjuvari, qui aliquid cooperando faciunt. *Altissimi.* Multa sunt nomina Dei, sed nomen *Al-*

http://www.obrascatolicas.com

tissimi hoc loco aptissime ponitur; nam quia Deus est altissimus, idest, in altissimo loco sedet: ideo omnia videt, et nullum nostrum periculum eum latet. Rursum, quia non solum, est altissimus, quia omnia speculatur; sed etiam quia in altissimo throno sedet, et omnia subiecta habet, ideo potest ab omnibus periculis nos eruere. *In protectione Dei coeli commorabitur*: haec est altera pars versiculi, in qua promittitur merces confidentibus in Deo: et sensus est, qui vere confidit in auxilio divino, spe sua non frustrabitur, sed omnino a Domino protegetur. Et pulchre respondent verba singula singulis: verbo, *habitat*, respondet, *commorabitur*: verbo, *in adjutorio*, respondet, *in protectione*: verbo *Altissimi*, respondet, *Dei coeli*; sed singula consideremus. *In protectione*, vox hebraica, בצל *betzel*, proprie significat, *in umbra*, sive *in umbraculo*, ut s. Hieronym. vertit. Septuaginta Interpretes explicare voluerunt metaphoram, et ideo verterunt, *In protectione*. Deus enim sub umbra alarum suarum instar aquilae, vel gallinae protegit confidentes in se: potest etiam umbra significare gratiam, et favorem principum, quae umbra facillime, et longissime protegit, ut etiam cervus quidam ubique securus libere vagaretur, quia scriptum gerebat ad collum, *Caesaris sum, noli me tangere*: sic veri servi Dei ubique tuti sunt, inter leones, ursos, serpentes, ignes, aquas, fulmina, tempestates, quoniam omnes creaturae umbram Dei cognoscunt, et reverentur. Sed etiam vox latina, *protectio*, hoc loco valde ad rem facit; protegere enim est procul tegere: potest autem homo procul tegi duobus modis, si vel protector proprie adstans sagittas procul venientes repellat; vel si protector quidem procul absit, sed tamen repellat tela vicina, ut gladios, vel pugiones. Utrumque facit Deus: ipse enim manens in nobis repellit sagittas longissime venientes: videt enim prima initia periculorum, et ea, si vult, mirabili virtute in ipso primo exortu extinguit: sic etiam ipse in coelo sedens pericula nobis quantumvis proxima removet: habet enim oculos acutissimos, et manus longissimas, ut omnia mala nobis imminentia praevenire possit oculus ejus, intelligentia ejus; manus ejus, potentia ejus; et potentia ejus, voluntas ejus. *Dei coeli*, s. Hieron. vertit, *omnipotentis*, sed vox hebraica, שדי *saddai*, non solum omnipotentem, sed sibi sufficientem, idest, in se, et per se omnipotentem significat: nam et Apostolus se omnipotentem esse dixit, sed in Deo non in se. *Omnia*, inquit, *possum in eo, qui me confortat*. Philip. 4. septuaginta Interpretes verterunt. *Dei coeli*, quia nullus est sibi sufficiens, nullo egens, et per se, atque in se omnipotens, nisi Deus verus, qui coelum ex nihilo fecit; *Dii gentium doemonia, Dominus autem coelos fecit*, psalm. 95. Et quamvis etiam terra, et mare et aer sint opera Dei magna, et mirabilia; tamen nihil est in rebus corporalibus majus, et mirabilius coelo, sive molem, sive pulchritudinem, sive efficaciam, sive velocitatem, sive stabilitatem consideres. Quare idem Propheta de coelis singulariter dixit, *coeli enarrant gloriam Dei*. psalm. 18. *Commorabitur*, hoc significat, confidentem in Deo, non semel, aut iterum, sed assidue protegendum a Deo; erit enim ei protectio Dei non tugurium in via, sed quasi domus paterna, ac propria. In hebraeo est, יתלנן *ithlonan*, idest, *pernoctabit*; quia videlicet protectio nobis necessaria est in nocte, hac tenebris hujus vitae: non autem in coelesti patria, ubi nox nulla est, sed perpetuus dies, ut dicitur in Apoc. cap. 21. Hic admirari cogimur insipientiam hominum, qui tantam promissionem tam parvi faciunt: certe enim principes terrae multa insumunt in custodes corporis sui, aut arcium suarum; et tamen ab eis saepe produntur. At nunc non homo mendax et fragilis, sed Deus omnipotens, et verax dicit; *confide, et protegam*: et vix invenitur, qui sicut oportet, illi se credere velit.

2. *Dicet Domino, susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus sperabo in eum.*

Explicat, et probat propheta propositionem suam testimonio justi confidentis in Deum, qui de experimento suo testatur. *Dicet*, inquit, *Domino*, idest, gratias agens justus, qui habitat in adjutorio Altissimi, confitebitur Domino beneficium protectionis acceptum. In hebraeo est, אמר *omae*, quod significat *dicam;* sed s. Hieronymus vertit, *dicens:* videtur enim legisse, אמר *omer*. Septuaginta interpretes verterunt, dicent, quia legerunt, אמר *amar*, et acceperunt praeteritum pro futuro: sensus semper est idem, sive legamus, *dicam ego in persona omnium justorum; sive dicens justus*: sive, *dicet justus Domino*. Absolute vocat Deum, Dominum, quia vere ac proprie solus Deus, Dominus est; tum quia non habet superiorem, neque parem, tum quia nulli necessitati servit, cum nulla re indigeat; tum quia omnia serviunt illi ad nutum, sine quo neque esse, neque moveri possunt; tum denique quia solus potest res omnes mutare, destruere, reparare pro arbitrio. *Susceptor meus es tu*, ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *spes mea*. Et quidem vox hebraica, מחסי *machsi*, potest quidem significare, *spes mea*, sed potest etiam significare, *susceptor meus*, nam verbum, חסה *chasah*, unde est illud nomen, significat sperare, et etiam recipere se in aliquem locum tutum: denique septuaginta viri doctissimi non ignorabant vim hujus vocis, et videntur tria ista vocabula, *susceptor meus, et refugium meum*, et *Deus meus*, continere tria beneficia Dei, pro quibus justus gratias agit, unum praeteritum, alterum praesens, tertium futurum. Primum ergo beneficium est ineffabilis misericordia Dei, qui suscipit hominem jam lapsum in lethale peccatum, et ad gehennam ruentem, de quo dicitur in psal. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me*; sic enim hunc locum exponit s. Bernardus serm. 2. in psal. 90. Signum hujus susceptionis est, quando qui ceciderat, resurgit humilior, et fortior, et cautior, ut David, ut Petrus, ut Magdalena. Hoc primum beneficium commemorat homo justus, et confidens in Deo, non quod oriatur ex fiducia (praecedit enim fiduciam, non sequitur) sed quia dicit apud se, si tam bonus est Deus, ut suscipiat inimicum non confidentem, eique poenitentiam, et

confidentiam inspiret; quam bonus, et fidelis erit erga amicum, et filium confidentem; alterum beneficium est praesens et continetur in illo verbo, *et refugium meum*. Deus enim, quem suscipit per gratiam justificationis, non statim assumit in coelum, ubi nulla sunt pericula; sed constituit in acie praeliantium militum suorum: sed si confidat in Domino, Dominus illi refugium erit in omni tentatione, et refugium optimum, atque firmissimum; vox enim hebraea, מצודה *metzuda*, quae hoc loco habetur, significat *munitionem*, sive *arcem munitam*. Tertium beneficium est futurum, et maximum, et significatur in illis verbis, *et Deus meus*: Deus enim est summum bonum; et quidem Deus semper in se est Deus, ac per hoc summum bonum: sed nobis tunc proprie erit Deus, *quando videbimus eum sicuti est*, ut ait b. Joan. 1. Joan. 3. Tunc enim summo bono fruemur. Justus igitur quia cogitat, et confitetur, Deum sibi fuisse aliquando susceptorem, nunc esse refugium, et post hanc vitam fore beatitudinem; ideo concludit, *sperabo in eum*, idest firmiter statuo semper sperare in eum in omni periculo et tentatione: quod b. Job faciebat: cum diceret, *etiamsi me occideris, in ipso sperabo*. Job 13.

3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.*

Variant hoc loco codices: nam in hebr. יצילך *iatzilecha*, et graeco legimus, ῥύσεταί σε, *liberabit te*. S. Hieronymus, et s. Augustinus in commentario hujus psalmi, et s. Gregorius lib. 6. Moralium cap. 15. legunt liberabit me. Editio nostra vulgata habet *liberavit me*: quomodo legit etiam s. Bernardus ser. 3. in hunc psalmum. Res non est magni momenti: sed si legatur in secunda persona verba erunt Prophetae, et continuabuntur cum sequentibus: si legatur in prima persona, erunt verba hominis justi, et continuabuntur cum praecedentibus: sic etiam si legatur verbum temporis futuri, erit promissio; si temporis praeteriti, erit confessio; beneficium autem, quod hic commemoratur, idem omnino est, sive exprimatur in prima persona, sive in secunda; sive in praeterito, sive in futuro. Nos editionem nostram sequimur. Ergo vir justus, qui dixerat, *sperabo in eum*, subjungit rationem, *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*. Quibus verbis duo beneficia continentur, unum temporale, spirituale alterum: beneficium temporale est liberatio ab insidiis, dolis, fraudibus malorum hominum, ex quibus detrimenta temporalia oriuntur; fraudes enim sunt laquei, verbum asperum est detrimentum, quod inde sequitur; verbum enim apud hebraeos passim accipitur pro ipsa re. Et quoniam fraudes et doli plerumque fiunt per instrumentum linguae; ideo Ecclesiasticus cap. 51. dicit, *liberasti me a laqueo linguae iniquae*. Deus igitur singulari providentia sua fecit, et faciet deinceps, ut justis confidentibus in adjutorio Altissimi non obsint fraudes et insidiae impiorum. Alterum beneficium est longe majus liberatio videlicet a tentationibus doemonum: tanta est enim doemonum versutia, ut non immerito homines quantumvis prudentes, cum doemonibus comparati bestiolae esse videantur. Igitur venatores, doemones sunt, de quibus Apostolus dicit, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli*. Tim. 6. et, *resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur*. 2. Tim. 2. Sunt autem doemones, et plurimi numero, ut aerem istum caliginosum ferme totum repleant, teste s. Hieronymo in cap. 6. ad Ephes. et potentissimi, ac ferocissimi, ut in scripturis leonibus, et draconibus conferantur, 1. Petri 5. et Apocal. 12. neque aliud negotium habent, quam assidue rugiendo circuire quaerentes quem devorent, quae si serio, et attente cogiteremus cum timore et tremore magno vigilaremus in orationibus, non minus, quam fecisse Danielem credibile est, cum esset in lacu leonum, et tres pueros in camino ignis ardentis. Laquei sunt omnes res creatae, quae sensus humanos oblectare possunt, sive quae concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitae irritare solent: de quibus dicit Sapiens, *creaturae factae sunt in muscipulam pedibus insipientium*, Sap. 14. et, *in medio laqueorum ingrederis*. Eccl. 9. Verbum asperum, est mors animae, quam incurrit, qui laqueis istis capitur. Sic enim vertit ex hebraeo sanctus Hieron. *Liberabit te de laqueo venantium, et de morte insidiarum*: nam ut supra diximus, per verbum res ipsa intelligi debet; quod si quis velit per verbum asperum, proprie verbum ipsum accipere, poterimus per verbum asperum, intelligere sententiam judicis supremi, *ite maledicti in ignem aeternum*; vel, ut docet s. Bernardus serm. 3. in hunc psalmum, *tollatur impius, ne videat gloriam Dei*; hoc enim verbo nihil asperius cogitari potest, cum eo significetur privatio omnium bonorum, et cumulus omnium malorum, non temporalis, sed aeternus; hanc enim sententiam justissimi judicis Dei juste merentur, qui voluntarie laqueis venatorum doemonum se implicari sinunt.

4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.*

Incipit nunc Propheta ipse loqui, et confirmat verba hominis justi, ac si dicat, merito dixisti, *sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*. Vere enim liberavit te; et deinceps semper liberabit ab omni periculo: nam dum eris parvulus, et impar hostibus tuis, fovebit te sub alis suis, quomodo aquila, vel gallina fovet pullos suos; quando autem creveris, et per te pugnare poteris, dabit tibi scutum firmissimum, per quod invulnerabilis esse poteris; sed in hoc versiculo explicatur solum prior similitudo, in sequenti explicatur posterior. In scripturis sanctis duabus avibus comparatur Deus aquilae et gallinae. Deut. 32. *Sicut aquila provocans pullos suos, et super eos volitans*, Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos*. Aquila erat Deus ante incarnationem: gallina factus est post incarnationem vel si placeat ad Christum omnia referre, Christus ut Deus, est aquila; ut homo, gallina; vel Christus homo tempore mortalitatis

http://www.obrascatolicas.com

suae gallina foit, post resurrectionem aquila. Ait igitur, *scapulis suis obumbrabit tibi*, idest, Deus instar aquilae vel gallinae sub alis suis te colliget, et sic scapulis suis obumbrabit tibi, ut neque ab ardore Solis, neque a pluvia, et ventis, neque a morsibus milvorum timeas : quare tutissime *sub pennis ejus*, idest, sub ejus protectione, et defensione constitutus, sperare poteris liberationem, et incolumitatem.

5. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno.*
6. *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et doemonio meridiano.*

Explicat nunc Propheta alteram similitudinem pro majoribus qui per se pugnare possunt ; hos enim Deus armat scuto admirabili. Finxerunt poetae Achillem, et Aeneam scuto quodam coelesti donatos fuisse, ut invulnerabiles fierent : sed illae fabulae sunt. Hic autem clypeus, de quo loquitur David, vere clypeus coelestis est, et invulnerabiles reddit eos, qui ipso bene uti sciunt: et dicit Propheta, *scuto circumdabit te*, quoniam scutum non est simile galeae, quae solum caput regit, vel loricae, quae tegit pectus, et scapulas: sed est generalis quaedam defensio, cum possit attolli, demitti, converti ad omnes partes, et opponi omnibus ictibus. *In omnibus*, inquit Apostolus ad Ephes. 6., *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *scutum et protectio veritas ejus.* Sed facile est videre quae fuerit causa diversae translationis: nam s. Hieronym. legit, וסחרה *vesocherà et protectio.* Septuaginta vero interpretes legerunt, ר סחרך *ischrecha*, circumdabit te. Facile autem fuit negligentia librariorum mutari primam et ultimam literam. Melior est autem lectio, quam septuaginta interpretes habuerunt, quam ea sit quam habuit s. Hieronym. nam verbum, סחך *sachar*, circuire et circumdare significat: nomen סחרה *socherà*, scutum rotundum proprie designat : non est autem verisimile, Prophetam scripsisse scutum et scutum; ad quam repetitionem vitandam, s. Hieronym. vertit, scutum et protectio : quamvis illa vox proprie non protectionem, sed scutum significet. Porro scutum hoc veritas est : sic enim dictum est, *scuto circumdabit te veritas ejus*, ac si dictum esset, circumdabit te veritas Domini instar scuti, vel clypei. Veritas Domini in scripturis sacris duobus modis accipitur, uno modo pro veracitate et constantia in servandis promissis, ut in psal. 88. *Veritas mea, et misericordia mea cum ipso*; et infra, *misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo ei*, idest, non decipiam eum, *in veritate mea* ; altero modo pro veritate Fidei revelata per Apostolos et Prophetas: de qua dicitur Jo. 17. *Sermo tuus veritas est* ; et Prov. 31. *Omnis sermo Domini clypeus ignitus est*; et ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei*, idest, veritatis, quae sola fide percipitur, cum sit veritas supernaturalis. Utraque veritas clypeus est optimus ad propulsanda jacula omnia inimici, sive in prosperis, sive in adversis: nam veritas promissionum Dei est immobilis et firma, ut de ea dici possit : *coelum et terram transibunt; verba autem mea non praeteribunt.* Luc. 21. Est enim veritas Dei quasi terra solida, in qua anchora spei tutissime figitur: anchora, dum per aquam descendit, non firmat navim, quoniam aqua est elementum liquidum, et instabile: at dum terrae adhaeret, firmissime navim retinet. Sic spes nostra dum adhaeret promissionibus hominum, non potest non semper nutare : sed cum in Dei veritate figitur, firmissima permanet : *est enim Deus verax, omnis autem homo mendax*, inquit Apostolus ad Rom. 3. Et quis ei nocere poterit, cui protectionem promittit Deus, qui mentiri non potest? nec minus veritas Fidei instar scuti protegit, dum nos certos reddit, esse post hanc vitam paratam justis foelicitatem aeternam, et impiis supplicia sempiterna : futurum judicium in novissimo die, in quo singuli homines rationem exactissimam reddent judici Deo omnium operum, verborum, cogitationum, desideriorum, omissionum, denique otiosi cujuslibet, brevissimique sermonis. Haec enim, et similia, quae veritas fidei nobis ostendit, facile protegere nos possent ab omni tentatione tam in rebus prosperis, quam in adversis, si hoc scuto assidue uteremur, idest si veritates fidei assidue, et fideliter cogitaremus. Quis enim non fortiter adversus terrores omnes persistet, si attente cogitet illa verba Domini, Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest corpus, et animam perdere in gehennam?* Et quis vana blandimenta saeculi, et injusti lucri occasiones non facile spernet, si verba illa coelestis magistri serio considerare voluerit. Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur ; animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem sub anima sua?* Sequitur, *non timebis a timore nocturno*, etc. In quibus verbis Propheta explicat generatim pericula, in quibus avertendis scuto veritatis opus habemus. Sunt autem verba valde obscura et a scriptoribus varie exponuntur. Duae videntur expositiones praecipuae. Una sancti Augustini, qui per *timorem nocturnum*, intelligit tentationem levem, sed occultam: per *sagittam volantem in die*, tentationem levem, sed manifestam ; per *negotium parambulans in tenebris*, tentationem gravem, sed occultam ; per *doemonium meridianum*, tentationem gravem, sed manifestam. Altera est sancti Bernardi serm. 6. in hunc. psal. qui per *timorem nocturnum*, intelligit tentationem pusillanimitatis ; per *sagittam volantem in die*, tentationem vanae gloriae : per *negotium perambulans in tenebris*, tentationem ambitionis vel avaritiae: per *doemonium meridianum*, tentationem operis mali sub specie boni. Possumus addere tertiam expositionem, quae ex parte s. Joannis Chrysostomi esse videtur, ut per noctem intelligatur tempus adversitatis, per diem tempus prosperitatis: et hic sit sensus, *non timebis a timore nocturno*, idest in nocte adversitatis non timebis ab iis rebus, quae non laedunt, si non

timeantur: talia sunt detractiones, convicia, contumeliae, quae nocent illi a quo dicuntur ; non illi, in quem dicuntur, nisi ipse timendo, et eas magni faciendo seipsum laedat. *A sagitta volante in die*, id est, in die prosperitatis non timebis verba laudantium, et adulantium, quae superbiam gignunt, et instar sagittarum occidunt incautos. *A negotio perambulante in tenebris*, idest, in tenebris adversitatis non timebis veras calamitates, et persecutiones, quas homines impii negotiando negotia iniquitatis inferunt justis. *Ab incursu et doemonio meridiano*, id est, in meridie prosperitatis non timebis a gravissimis et notissimis sceleribus, ad quae nimia opulentia, vel potentia illos impellit. Possumus et quartam expositionem adjungere, quae praeter caeteras simplex, et litteralis esse videtur, ut sensus sit, non timebis ulla pericula, neque nocturna, neque diurna. Illud enim, *non timebis a timore nocturno*, significat, non afficieris timore ab ulla re, quae nocturno tempore timorem incutere potest. Accipitur enim timor pro re, quae timetur, ut 1. Petr. 3. *Timorem eorum ne timueritis.* Sicut spes accipitur pro re sperata, et desiderium pro re, quae desideratur, ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem*, idest beatitudinem, quae speratur, et psalm. 77. *Desiderium eorum attulit eis*, idest, rem quam desiderabant. Illud autem, *a sagitta volante in die*, significat, non timebis offensionem, sive calamitatem ullam diurnam. Ponitur enim sagitta pro quacumque re, quae laedere potest interdiu, species videlicet pro genere. Illud vero, *a negotio perambulante in tenebris*, est repetitio et explicatio illorum verborum, *non timebis a timore nocturno* : significat enim negotium perambulans in tenebris nocturnis. Vox hebraica, דבר *davar*, significat proprie *verbum*, sed accipitur pro re quacumque, quomodo etiam accipitur negotium pro quacumque actione, quae laedere potest. Sanctus Hieronymus vertit a peste in tenebris ambulante, quia legit, דבר *dever*, quod significat *pestem*, sed septuaginta interpretes legerunt, דבר *davar*, quod significat *verbum*, idest, rem omnem. Illud denique, *ab incursu et doemonio meridiano*, et repetitio et explicatio illorum verborum. *A sagitta volante in die* ; significat enim incursus, et doemonium meridianum, omnem occursum malum, sive omnem laesionem, omnem aerumnam, quae accidere potest in die, atque adeo in ipso tempore meridiano. Sanctus Hieronymus vertit, *a morsu insanientis meridie.* Sed verbum hebraicum, קטב *keteb* , significat *morsum* et *excidium*, et *ruinam*. Ideo septuaginta interpretes non male verterunt, incursum, ut designarent generatim omnem occursum malum. Vox autem, ישוד *jasciud*, quam sanctus Hieronymus vertit *insanientis*, videntur septuaginta interpretes legisse literis transpositis, ושיד *vesced*, quod significat, *et doemonio*. Vocat autem David doemonium meridiei, sive meridianum, omnem aggressorem robustum et potentem, qui non timet in ipso meridie nocere et laedere. Quoniam enim doemon princeps est omnium iniquorum, et malefactorum, recte transfertur hoc nomen ad omnes iniquos, et malefactores, praesertim audaces et robustos. In summa continetur in omnibus his verbis generalis promissio, qua securi redduntur ab omni periculo nocturno et diurno qui confidunt in Deo, et armati sunt clypeo veritatis : nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Roman. 8. *Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis ?* 1. Petr. 3.

7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*

Pergit Propheta, et describit victoriam hominis justi confidentis in Deo, et rite utentis clypeo veritatis. Possunt autem illa verba, *cadent a latere tuo*, exponi de sagittis, ut vult Euthymius, vel de hostibus, ut docent Theodoretus, et s. Bernardus, vel de commilitonibus, ut indicat s. Augustinus. Omnia sunt vera, sed expositio s. Augustini videtur anteponenda. Nam sagittae quidem repercussae a scuto, cadent in magna copia, sed non satis est ad victoriam sagittas repellere, nisi etiam occurratur timori nocturno, negotio perambulanti in tenebris, et doemonio meridiano. Itaque prima expositio non plene hunc locum explicat. Altera expositio melior, duobus modis potest intelligi: uno modo ut hostes dicantur casuri foelici casu : quod tunc fit, cum infideles convertuntur ad fidem, et peccatores convertuntur ad justitiam, et sic prosternuntur et occiduntur, ut moriantur peccato: et de hostibus fiant amici. Altero modo, ut hostes dicantur casuri infoelici casu, quod fit cum hostes justorum, sive doemones, sive homines mali, repelluntur a justis, et non solum non obtinent victoriam, sed etiam victi prosternuntur et cadunt : nec solum non lucrantur nova gaudia, sed graviora sibi ipsi praeparant supplicia. Tertia expositio verissima est, et simplex, ac litteralis : vult enim Propheta justos admonere, ut magnifaciant gratiam hujus victoriae, cum rara sit, et ad paucos omnino pertineat. *Cadent* enim in hoc praelio ex commilitonibus *mille a latere, et decem millia a dextris*: *ad ipsum autem non appropinquabit* neque timor nocturnus, neque sagitta volans in die, neque negotium perambulans in tenebris, neque doemonium vastans, et saeviens in meridie. Porro per latus videtur intelligi sinistra, cui opponitur dextera: et quidem mille dicuntur casuri a latere, idest, a sinistra, et decem millia a dextris; quoniam per sinistram intelligitur adversitas, per dexteram prosperitas. Multo autem plures ex hominibus cadunt, pereunt ex prosperitate, quam ex adversitate. Prosperitas enim dat occasionem superbiae, deliciis, licentiae, audaciae, et aliis id genus malis : adversitas vero reddit homines humiles, castos, patientes. *Tribulatio enim*, ut ait Apostolus ad Roman. 5, *patientiam operatur.* Jam vero numerus ille mille, et decem millium, nihil aliud significat nisi multos casuros a sinistris, sed multo plures a dextris. Quomodo accipiuntur hi numeri lib. 1. reg. cap. 18. *Saul percussit mille, et David decem millia.* Et Deut. 32. *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia?*

8. *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.*

http://www.obrascatolicas.com

Haec est nova causa laetitiae homini justo, cui non solum promittitur victoria, sed etiam quod sit cum magna voluptate visurus propriis oculis inimicos suos jacentes, et pro meritis punitos. Quae promissio impletur aliquando in hac vita. Sic enim viderunt filii Israel Aegyptios mortuos et jacentes in littore maris rubri, Exod. 14. Sic viderunt Moses, et Aaron absorberi vivos a terra Dathan, et Abyron, num. 16. Sic Ezechias vidit cadavera prostrata exercitus Sennacherib, 4. reg. 19. Sic Judith, et populus Dei, vidit caput Holophernis amputatum, et exercitum ejus fusum, et fugatum. Jud. 15. Sed plenissime implebitur haec promissio in die novissimo: tunc enim videbimus omnes inimicos nostros humi jacentes, inermes, et nudos, et sine ullis viribus, et poenae sempiternae addictos. *Verumtamen*, inquit Propheta, *oculis tuis*, idest, non ex auditu, et fama cognosces, sed tu ipse cernes illis ipsis oculis, quibus vidisti arma hostium, et pericula; qui quidem oculi tunc proprie tui erunt post resurrectionem: tunc enim quomodo tui sunt, quos te invito curiositas aperit, somnus claudit, fumus affligit, senectus obscurat, mors extinguit? *Considerabis*, idest non obiter, et per transitum videbis, sed diligenter et accurate considerabis omnes hostes tuos, qui sint, quot sint, quid meruerint, quid patiantur. *Et retributionem peccatorum videbis*, idest, et tunc plane perspicies quam mercedem habeant omnes impiorum labores. Ex quo existet pulcherrima species rerum: nunc enim omnia confusa et perturbata esse videntur: nam cum poena debeatur culpae, et praemium virtuti, saepe accidit, ut justi affligantur, et iniqui honorentur, et per hoc justitiae copuletur dolor, et iniquitati conjungantur gaudium: sed in die novissimo omnia ponentur suo loco, et poena retribuetur culpae, eique jungetur insolubili nexu et major poena majori culpae reddetur, et minor minori: et contra, nexu pariter insolubili praemium adjungetur justitiae, et majori justitiae majus praemium, et minus minori reddetur: et tunc implebitur quod dicitur in psalm. 57. *Laetabitur justus, cum viderit vindictam*, idest, cum retributionem peccatorum viderit: non quidem laetabitur ob calamitates miserorum, sed ob decorem justitiae et sapientiae divinae; quae splendebit mirum in modum in suppliciis impiorum.

9. *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*

Hic versiculus facilis est quoad verba, quae sunt omnia declarata in explicatione primi et secundi versiculi: sed de connexione non levis quaestio est: nam in verbis praecedentibus loquebatur Propheta cum homine justo, dicens, *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis*: nunc vitebitur loqui cum Deo, dum ait, *Quoniam tu es Domine spes mea*: et non apparet, quorsum haec dicat. Et rursum verba sequentia, *Altissimum posuisti refugium tuum*, ad hominem justum dirigi videntur, sed non apparet ulla connexio. Theodoretus, et quidam alii volunt subintelligi verbum, *dixisti*, ut hic sit sensus, Quoniam dixisti, tu es Domine spes mea, ideo altissimum posuisti refugium tuum. Euthymius et alii nihil existimant subintelligi debere: sed verba priora hujus versiculi esse hominis justi; verba posteriora esse Prophetae: jam enim admonuimus psalmum esse dramaticum, et ad formam dialogi factum: ut quamvis non designentur nominatim personae, tamen nunc Propheta, nunc homo justus, nunc Deus loqui intelligatur. Igitur posteaquam Propheta viro justo, dicit, *scapulis suis obumbrabit tibi Deus*, ut gallina pullo; et *scuto circumdabit te*, ut Imperator militem, et *non timebis a timore nocturno*, vel *diurno*; et multi hinc inde a dextris, et a sinistris cadent, sed tibi malum non appropinquabit, quin potius devictos hostes oculis tuis videbis: justus vir his auditis interloquitur et ad Deum conversus dicit. *Quoniam tu es Domine spes mea*, idest, vera sunt quae audivi; sed ideo vera sunt, quoniam tu es Domine spes mea, non confido in viribus, et armis meis, non in viribus et armis amicorum, sed in te uno confido, qui es unica, et tota spes mea: dicitur autem Deus ipse spes justorum, quoniam justi non sperant solum auxilium a Deo, sed ipsum Deum sperant sibi fore veluti arcem munitissimam, ad quam confugientes tempore persecutionis, et in qua per fidem, spem, et charitatem, perque orationem et contemplationem habitantes, nihil adversi pati possint. Atque hoc bene Propheta intellexit et ideo subjunxit, *Altissimum posuisti refugium tuum*, quasi diceret, recte, ac sapienter posuisti Deum spem tuam sic enim refugium tuum constituisti in arce omnium altissima, et munitissima, ad quam (ut in versiculo sequenti dicetur) nullum malum pertingere poterit. Ubi observandum est, per Altissimum non intelligi rem aliquam altissimam, sed ipsum Deum, cujus unum ex nominibus est *Altissimus*: nam in hebraeo habetur, עליון *helion*, quod est unum ex decem nominibus Dei, et significat *Altissimum*, sive *Excelsum*, et in graeco habetur ὑψιστον generis masculini, et καταφυγην generis foeminini. Ex quo intelligimus nomen *Altissimum* non esse adjectivum, quod cum substantivo, *refugium*, concordari debeat, ut sensus sit, posuisti tibi refugium altissimum, sed elegisti tibi Deum, qui dicitur et est Altissimus, in domum sive arcem refugii.

10. *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Explicat nunc Propheta quid boni consequatur justus ex eo, quod refugium sibi constituit in Altissimo: ac dicit eum tutissimum fore ab omni malo. Duplex est malum, culpae, et poenae. Malum culpae absolute, et simpliciter malum est; ideo de malo culpae intelligimus, *non accedet ad te malum*: malum poenae non est simpliciter malum, propterea de malo poenae explicandum existimamus, id quod sequitur, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Malum culpae esse malum absolute et simpliciter, malum poenae non item; ex eo constat, quod malum culpae facit hominem malum; malum poenae non facit malum, sed miserum: malo culpae nemo bene uti potest; malo poenae bene uti possumus: malum culpae non potest dici bonum, quia non est justum cum sit iniquitas: neque est utile, cum is qui peccat semper plus perdat, quam lucretur; malum poenae bonum dici potest, cum saepe sit justum et utile; mali culpae non est auctor Deus, qui est auctor omnis boni: malum poenae a Deo est Judice justo. Denique id etiam colligitur ex verbis Prophetae: nam cum dicit, *non accedet ad te malum*, loquitur de malo, quod in nobis est, et extra nos esse non potest, et tale est malum culpae, quod nonnisi intra nos, idest, in libero nostro arbitrio esse potest, cum addit, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, loquitur de malo, quod potest locum habere in rebus nostris, in libris, in servis, in domo, in agris, in substantia reliqua, et tale est malum poenae. Sed existit non levis dubitatio de veritate hujus promissionis: nam David unus erat ex justis, et confidentibus in Deo: et tamen ad eum accessit malum culpae, adulterium et homicidium et flagellum, imo flagella multa appropinquaverunt tabernaculo ejus: sic enim ipse dicit in psal. 72. *Lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die*, quod idem dici potest de Job, Tobia, Prophetis, et Apostolis, et de ipso Christo, quod ad flagellum attinet: omnes enim flagellati sunt, imo *Deus ipse flagellat omnem filium quem recipit*, ad hebr. 12. Duae sunt responsiones, quae dari possunt ad hanc dubitationem. Prior est, hanc promissionem non pertinere ad hanc vitam, sed ad futuram, quando impletum erit illud, *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis*: tunc enim in tabernaculum coeleste ingressi tutissimi erimus ab omni malo tam culpae, quam poenae: nam ideo *confortavit Deus seras portarum coelestis Jerusalem*, ut dicitur in psal. 147. *et posuit fines ejus pacem*, ut flagellum ad ipsum appropinquare non possit. Posterior solutio est, pertinere quidem hanc promissionem ad tempus hujus vitae, sed sano modo esse intelligendam: nam non accedet malum culpae ad electos justos, et in Deo confidentes, non quod peccare non possint, sed quia per divinam, et singularem providentiam ipsum etiam peccatum ipsis cooperabitur in bonum: quoniam permittet Deus eos in peccatum labi, ut inde fiant humiliores, et cautiores, et tanto magis accendantur in amorem Dei, quanto se agnoscent ejus gratiae, et misericordiae magis debitores: sic de s. Petro dicit s. Gregorius homil. 21. in evangelio, quod idem de s. Apostolo Thoma, et s. Maria Magdalena, aliisque permultis dici potest. Flagellum vero, idest, malum poenae non appropinquabit tabernaculo ipsorum, quoniam ipsi habitantes per desiderium in coelesti tabernaculo, et conversantes cum Apostolo Paulo per assiduam contemplationem in coelo, mala ista temporalia vix sentient, et omnino contemnent: imo mala esse non reputabunt, sed bona, cum materiam patientiae, et segetem gloriae illis praebeant hoc certe sentiebat Apostolus cum diceret, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. 2. Corinth. 7.

11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Hunc versiculum, et sequentem allegavit diabolus in disputatione cum Christo, Matth. 4. sed perperam; quoniam Christus non eguit custodia angelorum, ut s. Thom. docet in 1. p. qu. 113. art. 4. ad primum: Christus enim ratione divinitatis custos est angelorum, et hominum, *et omnia portat verbo virtutis suae*, ad hebr. 1. Ratione animae beatus erat, ac per hoc custodia non egebat, quem admodum neque nos egebimus, cum beati erimus. Denique ratione carnis, eguit quidem tempore mortalitatis suae protectione aliqua sed eam illi exhibebat verbum divinum, cum quo hipostatice unita erat; sed his omissis; quoniam poterat homo justus dicere, jam quidem securus sum nihil mihi mali eventurum, cum ero in coelesti tabernaculo; sed audire cupio, quis me custodiet in via, ne forte errem a recto itinere, vel incidam in latrones, aut in foveam aliquam ruam, respondet Propheta, Ne timeas, quoniam *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Sed verba singula consideremus. *Quoniam*. particula, reddit rationem verborum sequentium, non praecedentium; est enim sensus, quoniam Deus mandavit angelis ut custodiant te in via, ideo ipsi angeli in manibus te tollent, ne unquam offendas ad lapides pedem tuum. *Angelis*. Angeli sunt spiritus beati, et principes nobilissimi, et eorum custodia tutissima est, quoniam potentissimi, sapientissimi, et optimi sunt: ex quo admonemur, quanti Deus faciat genus humanum, cui tam magnos principes attribuit quasi paedagogos: sed cur dicit, angelis, et non potius angelo? quoniam habemus quidem singuli singulos angelos custodes proprios, ut colligitur ex verbis Domini, Matth. 18. *angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, et ex actis Apostol. cap. 12. *Angelus ejus est*, tamen habemus etiam Angelos alios custodes communes, eos videlicet, qui praesunt civitatibus, aut regnis, de quibus vide Danielem capit. 10. et sanctum Basilium lib. 3. in Eunomium. *Suis*. Hoc additur, quoniam sunt etiam angeli mali, de quibus dicitur Apocal. 12. *Et draco pugnabat, et angeli ejus*; Deus ergo mandavit angelis suis, ut te custodiant, non mandavit angelis alienis, qui non custodire, sed perdere tantum noverunt. Origenes hom. 35. in Lucam, et ex eo Joannes Cassianus collatione 13. docent, deum unicuique nostrum duos angelos attribuisse, unum bonum, qui nos protegendo custodiat, alterum malum, qui nos tentando exerceat. Sed falsa ista sententia est: *Deus enim intentator malorum est*, Jacob. 1. et mali angeli non egent mandato Dei, ut nos tentent: satis enim per se ad hoc agendum prompti sunt. *Mandavit*: haec est praecipua causa, cur angeli diligentissime nos custodiant, quia videlicet Deus id eis mandavit: quamvis enim libenter id faciant, quia nos amant, et quia malos angelos oderunt, et quia cupiunt instaurari sedes coelestis Jerusalem, et quia sciunt id esse gratissimum regi suo Christo Domino: tamen nihil magis eos movet, quam praeceptum Domini: intelligunt enim se esse ministros Dei, et Deum nihil ma-

http://www.obrascatolicas.com

gis requirere a ministris suis quam promptam, ac simplicem obedientiam. *De te.* Hoc significat, Deum quidem omnium hominum providentiam gerere, et omnibus, ac singulis hominibus angelum custodem dedisse: tam peculiari affectu prosequi homines justos, atque in se confidentes, et ideo peculiari studio mandavisse angelis suis de te, idest, de te homine justo, et confidente in auxilio ejus. *Ut custodiant te.* Hoc est quod Deus Angelis bonis mandavit, ut custodiant justum ab hoste invisibili, idest, ab angelis malis: quandoquidem homo, qui carne circumdatus est, et nihil cernere potest, nisi quod oculis carnis manifestatur, impar est ad praelium cum doemonibus, nisi a potentiore adjuvetur. *In omnibus viis suis.* Non dicit in via, sed in viis, et in omnibus viis; quia multae sunt viae hominis, et in omnibus auxilio angeli custodis eget. Via est lex, juxta illud ps. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* et ibidem, *viam mandatorum tuorum cucurri.* Via quoque est operatio, juxta illud Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Denique vita praesens est quaedam via, ut s. Basilius pulchre docet in explicatione psalmi primi. Via legis est multiplex, quia multae sunt leges; via operationis est etiam multiplex, quia multae sunt operationes; via quoque vitae, est multiplex, quia multae sunt partes vitae multae aetates, multi status, in omnibus igitur istis viis egemus custodia, quoniam labi possumus in omni lege, in omni operatione, in omni aetate, et statu vitae nostrae.

12. *In manibus portabunt te, ne forte affendas ad lapidem pedem tuum.*

Hic versiculus plenus est metaphoris, sed alioqui facillimus est. Itaque solum explicandum est quae sunt manus angelorum, qui lapides in via, qui pedes hominum. *Manus angelorum*, sunt intellectus, et voluntas; sive sapientia et potentia; nam intelligendo, et volendo omnia faciunt. *Lapides in via*, sunt omnia impedimenta, quae occurrunt in hac vita, sive temporalia, sive spiritualia; scandala, tentationes, persecutiones, et similia. *Pedes*, quibus ad lapides offendere solemus, sunt affectus humani. Pes tuus, inquit s. Bernardus serm. 13. affectio tua; et s. Augustin. in Psal. 94. Pedes nostri, in hoc itinere affectus nostri sunt. Duo sunt autem principales affectus, quasi duo pedes, amor et timor: et quocumque homo operando, loquendo, desiderando pergit, vel amore movetur, vel timore: amore acquirendi aliquid boni, vel timore illud amittendi, sive amore cavendi malum, vel timore illud incidendi. Tunc autem offendimus pedem ad lapidem, cum oblata occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi labimur in peccatum, unde bonum aeternum amittimus, et sempiternum supplicium incurrimus: sed qui habitant in adjutorio Altissimi ab angelo custode ita juvantur, ut vel occasio illa tollatur, idest, lapis ille de via removeatur: vel animus ita illustretur ad vera bona, et vera mala internoscenda, ut pede, idest, affectu elevato a terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facile contemnatur, et malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissime toleretur.

13. *Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem.*

Posteaquam propheta locutus est de angelis bonis, qui justum in Deo confidentem custodiunt, adjungit de angelis malis, ac dicit, eos justo confidenti non praevalituros, sed e contrario ab eo conculcandos, et conterendos, juxta illud Apostoli rom. 16. *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Vocat autem satanam Propheta serpentem propter astutiam, et leonem propter ferociam: et quoniam multa sunt genera serpentium, vocat eum aspidem, basiliscum, et draconem, quoniam cum astutia, quae omnibus serpentibus communis est, habet aspis conjunctam obstinationem, basiliscus crudelitatem, et draco potentiam, et vires maximas: quae omnia diabolo mirifice conveniunt. Neque solum hoc loco diabolus vocatur serpens et leo, sed etiam alibi saepe: nam Job 26. et Isaiae 28. *serpens, sive anguis tortuosus* nominatur, Apoc. 12. dicitur *draco*, et cap. 20. *serpens antiquus*, 1. Petr. 5. *leo rugiens*, atque haec videtur esse expositio litteralis, quam sequuntur ss. Patres Chrysostomus, et Augustinus et alii, tamen rejiciendae non sunt aliae tres expositiones, quae ad hunc locum adferri solent. Una est Theodoreti, et Euthymii, quod hoc loco promittatur subjectio verorum serpentum, et leonum hominibus justis, atque in Deo confidentibus. Scimus enim Danieli non nocuisse leones, neque s. Paulo viperam, et in historiis ss. Patrum a s. Gregorio, Sulpitio, Palladio, aliisque bonis auctoribus descriptis, non rara sunt exempla subjectionis exhibitae sanctis viris a leonibus et serpentibus, aliisque sylvestribus feris. Altera est per ista quatuor nomina intelligi quatuor persecutiones ecclesiae: persecutionem Judaeorum, qui instar aspidum surdarum obstinatissimi sunt; persecutionem haereticorum, qui per basiliscum designantur; persecutionem paganorum, qui leonibus comparari possunt; et persecutionem antichristi, qui satis apte draco nominari potest. Hanc explicationem ex parte indicavit s. Augustinus. Tertia est s. Bernardi, et aliorum, qui per ista quatuor animalia quatuor vitia significari docent; per aspidem videlicet obstinationem, vel avaritiam; per basiliscum invidentiam; per leonem superbiam; per draconem iracundiam. Sed vir justus, et non suis viribus, sed auxilio Dei fretus, facile per charitatem super aspidem, et basiliscum ambulabit, et per humilitatem conculcabit leonem, et draconem.

14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

Quoniam *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, ut dicitur Deut. 17. Propheta sanctus tribus testimoniis probare voluit, quod initio promisit, eos omnes protegendos a Deo, qui vere confidunt in Deo. Primum testimonium fuit hominis justi, qui ex proprio experimento testimonium reddidit veritati dicens, *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, etc.* Alterum testimonium fuit ipsius Prophetae, qui ut Spiritus sancti tuba, vel praeco dixit, *Scapulis suis obumbrabit tibi, etc.* Testimonium tertium est ipsius Dei, qui in tribus ultimis versiculis confirmat omnia, quae supra dicta sunt, et multa etiam addit. Sunt enim in his tribus versiculis octo promissa Dei, quae optimo ordine incipiunt a liberatione a malis, et procedunt usque ad exaltationem ad summum bonum: et quidem quatuor pertinent ad hanc vitam, *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione*: quatuor reliqua ad vitam futuram, *eripiam eum, glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam illi salutare meum.* Ait igitur, *Quoniam in me speravit, liberabo eum*: libertas, quae hic promittitur, sive liberatio potest intelligi generatim ab omnibus malis, et potest referri ad liberationes supradictas per angelos, per scutum et per alias res ut sensus sit, non putet justus liberari se posse per scutum, vel per angelos sine me, illa enim sine me nihil possunt: sed ego liberabo eum per scutum, per angelos, et saepe etiam per meipsum sine illis, quoniam in me, non in illis, potissimum speravit. Caeterum potest etiam altiore sensu significari hoc loco libertas tyrannide vitiorum, quae est libertas propria hominum justorum perfectorum, et praeter caeteras omnes maxime expetenda, de qua Dominus dicit in evangelio Joan. 8. *Qui fecit peccatum; servus est peccati; et si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Haec vero libertas non datur omnibus, sed sperantibus in Deo. *Quoniam*, inquit, *in me speravit, liberabo eum*, ubi vox Hebraea, חשק *chasak*, adhaerere, diligere, placere significat: quare non quaecumque spes, sed ea fiducia, quae oritur ex bona conscientia et ex dilectione, et filiali adhaesione nascitur, liberat hominem a tyrannide vitiorum: nam quemadmodum cupiditas ligat, et captivum facit; ita charitas solvit, et liberum facit; et quo magis charitas crescit, eo magis cupiditas minuitur: et cum perfectissima erit charitas, et adhaesio ad summum bonum, tunc perfectissima erit libertas, quae ab Apostolo dicitur *libertas gloriae filiorum Dei*, ad Rom. 8. Sequitur altera promissio, *protegam eum quonian cognovit nomen meum.* Nam qui liberatur in hac vita a tyrannide vitiorum, non perfecte liberatur; sed eget protectione Dei, tum ut non iterum captivus ducatur ab hostibus, tum ut proficiat in acquisita libertate gratiae, donec perveniat ad libertatem gloriae; ideo Deus protectionem continuam pollicetur iis, qui cognoverunt nomen ejus: dicitur autem cognoscere nomen Domini, qui ejus potentiam, et sapientiam, et bonitatem cognoscit, unde in spem, et fiduciam firmissimam erigitur. Dicitur etiam cognoscere nomen Domini, qui ex intima familiaritate novit Deum ut pastorem amicum, et patrem: de qua notitia dicitur in evangelio Joan. 10. *Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae*; et contra de aliis dicitur Matt. 25. *Non novi vos*, et 2. Tess. 1. *Dantes vindictam iis, qui non noverunt Deum.* Ineffabilis omnino benignitas Dei est, qui non solum innotescere dignatus est ut Dominus, sed etiam ut amicus, quod miratur David cum ait, *Quid est homo, quia innotuisti ei?* psal. 143.

15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.*

In hoc versiculo quatuor alia promissa continentur. Primum est exauditio generalis, quae soli Deo, qui omnipotens est, convenire potest; quod autem haec sit promissio generalis exaudiendi omnes preces confidentium in Deo, perspicuum est ex eo, quod nulla restrictio adhibetur, sed absolute dicitur, *exaudiam eum.* Deinde alia loca scripturae confirmant hanc promissionem. Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris.* Joan. 15. *Quodcumque volueritis, peletis, et fiet vobis.* Marci 11 *Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Jo. 3. *Fiduciam habemus ad Deum, et quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Quamvis autem conditiones nonnullae requirantur, ut semper oratio exaudiatur, tamen praecipua est, quae habetur hoc loco, cum dicitur, *Clamabit ad me*; clamor enim significat vehementiam desiderii ex dilectione, et fiducia procedentem. Sequuntur tria promissa, *Cum ipso sum, in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum* quae promissa optime respondent tribus diebus totius anni celeberrimis: Feriae sextae, in qua Dominus in cruce pendens in maxima tribulatione fuit; Sabbato in quo erutus de omni tribulatione suaviter requievit; et diei dominico, in quo resurgens ex mortuis gloriosissime triumphavit. Ejusmodi tres dies ad omnes justos, et electos pertinent: omnes enim cum Christo tribulationes ferre debemus. Feria sexta, idest, in hac vita quae brevissima est, et pro uno die computatur: deinde requiescere in sepulchris die sabbati: denique resurgere die Dominica, et cum Christo in aeternum glorificari. Ait igitur Dominus, *Cum ipso sum in tribulatione*; qui enim clamabat, ante omnia donum patientiae postulabat, quae *necessaria est, ut reportemus promissiones Dei*, ad hebr. 10. Dominus autem, qui dixit exaudiam eum, primo loco promittit donum patientiae dicens, *Cum ipso sum in tribulatione*, in qua sententia singula verba suum pondus habent. Illud, *cum ipso*, significat, Deum quidem esse cum rebus omnibus multis modis, sed speciali quodam modo, per internam consolationem, et influxum ineffabilis dulcedinis esse cum iis, qui tribulantur, quomodo mater aegrotanti filiolo majora signa benevolentiae exhibet quam caeteris filiis bene valentibus: et nos omnes membrum male affectum diligentius fovemus, quam caetera membra sana. Illud, *sum*, est verbum temporis praesentis, cum caetera omnia sint temporis futuri, *liberabo, protegam, exaudiam, eripiam, glorificabo, replebo, ostendam*: hoc autem significat, tribulationem hujus vitae esse mo-

http://www.obrascatolicas.com

mentaneam: quia de tempore praesenti nihil habemus, nisi momenta impartibilia: proinde proprie Apostolus dixit 2. Corinthios 4. *quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Itaque misericordia Dei nostri facit, ut tribulatio non nisi guttatim instilletur nobis, cum futura gloria sit quasi flumen inundans, juxta illud psal. 36. *Torrente voluptatis tuae potabis eos.* Illud, *in tribulatione*, significat, Deum in hac vita donare quidem consolationes multas amicis suis, sive corporales, sive spirituales, sed non sine admixtione tribulationis. S. Basil. hom. 5. in Exameron scribit in statu innocentiae nasci solitas in campis rosas sine spinis, sed post peccatum inventas quidem fuisse spinas sine rosis, sed non rosas sine spinis, ut impleretur illud Gen. 3. *spinas et tribulos germinabit tibi.* Sed quicquid sit de veritate historiae, moralis significatio verissima est: nam tribulationes sine consolationibus aliqui habent, praesertim ex impiis: consolationes sine tribulatione in hac vita nulli habent: neque impii, neque pii, sed hoc est discrimen inter pios et impios, quod pii cum tribulationibus veras, et solidas a Spiritu sancto consolationes habent: impij cum consolationibus brevibus, et apparentibus magis, quam veris veras, et solidas tribulationes habent. *Fructus spiritus est charitas et gaudium*, ex Apostolo ad Gal. 6. qui autem spiritum non habent, quomodo fructum ejus habere possunt? Sequitur, *Eripiam eum*: quae promissio proprie spectat ad vitam futuram: justi enim in morte liberantur ab omni tribulatione praesenti, et futura: sic enim scribit S. Joan. Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: jam enim dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis*, et Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Impii vero videntur quidem eripi per mortem a tribulationibus hujus vitae, sed non vere eripiuntur a tribulatione, sed transeunt de tribulatione temporaria ad aeternam: quomodo non dicuntur proprie de carcere liberari, qui educuntur de carcere ad patibulum. Aliquando tamen sancti viri etiam in hac vita eripiuntur ab aliqua tribulatione, ut contigit Patriarchae Joseph, Job, David, Tobiae, Danieli, tribus pueris, Susannae et aliis: sed illa modica et temporalis liberatio fuit. Restat quarta promissio. *Et glorificabo eum*, quae interdum in hac vita utcumque adimplebitur: sanctus enim Job post gravissimam tribulationem non solum ab illa ereptus et liberatus fuit, sed etiam valde glorificatus, quod idem legimus de Patriarcha Joseph, et de rege David. Caeterum vera glorificatio ad aliam vitam sine dubio pertinet: *tunc enim justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, Matthaei 13. *Et sedebunt super sedes judicantes mundum universum.* Matt. 19. et 1. Cor. 6. de quorum gloria Propheta canit psal. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Et Apostolus concinit ad Romanos 8. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*

16. *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.*

Haec sunt duo postrema beneficia: quae promittuntur iis, qui habitant in adjutorio Altissimi, et continent explicationem beneficii sexti, in quo dictum est, *glorificabo eum*, gloria enim sanctorum nascetur ex adeptione summi boni; summum vero bonum est aeterna foelicitas: nam foelicitas sine aeternitate, est foelicitas misera, et aeternitas sine foelicitate est aeterna miseria: primum ergo describitur in hoc versiculo vera aeternitas: cum dicitur, *longitudine dierum replebo eum*: deinde vera foelicitas, cum additur, *Et ostendam illi salutare meum.* Per longitudinem dierum intelligitur diuturnitas temporis, sed tanta ut plane repleat desiderium humanum, hoc enim promittit qui dicit, *longitudine dierum replebo eum*, quia vero non potest repleri desiderium humanum, nisi aeterna duratione, ideo per hanc longitudinem dierum significatur aeterna duratio. Utitur autem Scriptura ejusmodi verbis in designanda aeternitate, quia nobis loquitur, qui non novimus aliam longam durationem, nisi in diebus multis, aut longis; alioqui enim in vera aeternitae non erit successio dierum, sed una dies semper manens, vel potius unum momentum, semper durans absque ulla mutatione, aut vicissitudine. At, inquies, vicissitudo temporum mirifice delectat, et videmus homines variis oblectationibus fallere taedium longitudinis dierum in aestate, et longitudinis noctium in hyeme. Respondeo, id accidere, quia tempora hujus vitae sunt omnia variis incommodis plena, et ideo semper anhelamus ad futura: sed quando venietilla dies, qua nulla expectari poterit melior, votum omnium erit, ut illa semper duret. *Et ostendam illi salutare meum*: si per salutare intelligamus salutem, sensus erit, ostendam illi salutem meam, idest, efficiam, ut vir justus non amplius ex fide vivat credendo quod non videt, sed plane videat, et sentiat, atque experimento proprio cognoscat salutem, quae ex me est: est autem salus haec, quae nobis promittuntur, ipsa Dei visio, quae perfecta, et perpetua sanitas totius hominis erit: tunc enim sanabitur mens ab omni errore, et ignorantia, cum ad summam sapientiam perveniet, quae in visione supremae atque altissimae causae posita est. Ex illa sapientia nascetur in voluptate amor erga summum bonum ardentissimus, et stabilis, unde perfecte sanabitur affectus ab omni mala cupiditate. Redundabit autem haec sanitas in partem inferiorem, quae superiori sine ulla resistentia, vel rebellione subjicietur, et in ipsum corpus, quod immortale, impassibile, formosissimum, et sole fulgentius resurget. Quod si per *salutare*, intelligatur salvator, ut s. Aug. magis probat, tunc sensus erit, *Ostendam illi Salvatorem meum*, idest, Salvatorem, quem ego misi, et faciam, ut vir justus oculis mentis cernat eum, qua Deus est et oculis corporis cernat eumdem, qua homo est: quam ostensionem suae divinitatis promisit Christus, Joan. 14. cum ait, *Qui diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Haec autem manifestatio divinitatis, ipsa est vita aeterna, et summum bonum, et salus sive sanitas perfecta totius hominis. Quare sententia hujus loci in idem recidit, sive per *salutare* intelligamus salutem, sive Salvatorem. Sed libet in fine hujus psalmi admirari caecitatem generis humani: nam cum omnes cupiant foelicitatem aeternam, neque possunt eam non vehementer optare: tamen pro temporali, et parva prosperitate sive in divitiis acquirendis, vel cumulandis, sive in honoribus et dignitatibus adipiscendis, vel conservandis, sive in delectationibus carnis ac sensuum undecumque captandis, nihil non faciunt, currunt, discurrunt, vigilant, laborant, sudant, ingenium acuunt, linguam expoliunt, animum intendunt: et pro vera, et solida, et sempiterna foelicitate, pro veris divitiis, pro summis honoribus, pro ineffabili jucunditate, quae parata sunt diligentibus Deum, ita pigri sunt, ut pro his vix digitum movere dignentur. Horror est omnino cogitare, hominem ratione, et intelligentia praeditum iis rebus consectandis toto vitae suae tempore occupari, quibus saepe aditum ad aeterna, et summa bona sibi ipse praecludit. Orandus est Deus, ut qui promittere dignatus est tam ingentia bona, idem spiritum bonum nobis infundat, et illuminatos oculos cordis habere nos faciat, ut sciamus *quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus, in sanctis*, ut Apostolus admonet Ephes. 1.

PSALMUS XCI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus cantici in die Sabbati.

Hic titulus habetur in omnibus hebraicis, graecis, et latinis: et continet argumentum psalmi; est enim compositus psalmus, ut cantetur in die sabbati, ad erudiendum populum, ut discat die sabbati vacare laudibus Dei, praesertim ob creationem, et gubernationem mundi. Errant Judaei, qui otium sabbati sibi datum esse existimant ad vacandum conviviis, et deambulationi. Et judaeos imitantur christiani, quando ignorantes sabbatum cordis, in sola abstinentia ab operibus, et labore manuum sanctificationem festorum constituunt; haec enim oportet facere, et alia graviora non omittere, hoc est, sanctificandi sunt dies festi abstinendo ab operibus servilibus, sed otium illud ponendum est in considerandis operibus Dei, ex qua consideratione accenditur amor divinus, et sit in corde quies, et tranquillitas ineffabilis, quae dicitur Sabbatum cordis, sabbatum vere delicatum, et sanctum.

EXPLICATIO PSALMI XCI.

1. *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime.*

Haec est exhortatio ad laudandum Deum et psalterio, et voce. *Bonum*, inquit, *est confiteri Domino*, idest, justum, utile, delectabile, et honorificum est confiteri Domino confessionem laudis: justum, quia debitum: utile, quia meritorium: delectabile, quia dulce est amanti laudare dilectum: honorificum, quia munus est quasi proprium coelestium potestatum. *Et psallere nomini tuo Altissime*, idest, non solum bonum est confiteri corde, et lingua, sed etiam instrumentis musicis, quale in primis psalterium est, laudes personare nomini tuo, idest, gloriae tuae o Altissime.

2. *Ad annunciandum mane misericordiam tuam; et veritatem tuam per noctem.*

Haec est materia confessionis, de qua dictum est, *Bonum est confiteri*. Bonum igitur est confiteri, *ad annunciandum mane misericordiam tuam*, idest, ut annuncietur, et praedicetur omnibus misericordia tua, qua mundum creasti et veritas, sive justitia qua mundum gubernas: et quoniam opus misericordiae manifestum est, annunciatur de die: quis enim ignorat coelum, et terram, et quicquid in eis est, a Deo fuisse condita ex misericordia, et bonitate, non ex necessitate, vel debito? Quia vero opus justitiae occultum est, cum arcano Dei judicio saepe justi afflicantur, et iniqui axaltentur, ideo hoc opus annunciantur *per noctem*, in obscuro fidei, non in luce cognitionis. I-

http://www.obrascatolicas.com

tem annunciatur mane misericordia, et per noctem justitia, ut homines in luce prosperitatis gratias agant misericordiae Dei, et in tenebris tribulationis gratias agant justitiae Dei: nam, ut s. Augustinus hoc loco docet, non minus pater amat filios, quando blanditur, quam quando minatur: nec minus grati esse debemus Deo disciplinam correptionis danti tempore tribulationis, quam beneficia conferenti tempore prosperitatis. Quare imitari debemus hunc eumdem Prophetam, quia alibi canit, *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo*: psalm. 33.

3. *In decachordo psalterio, cum cantico in cithara.*

Explicuit materiam confessionis, de qua dictum erat, *Bonum est confiteri Domino*, nunc explicat quod adjunxit, *et psallere nomini tuo*: dicit enim psallendum esse in psalterio, et cithara, sed non sine dulci cantico vocis humanae. In hebraeo videtur distingui decachordum a psalterio: sic enim vertit sanctus Hieronymus, *in decachordo, et in psalterio*: et vere habetur distinctio in codice hebraico: sed tamen constat psalterium fuisse instrumentum decem chordarum: sic enim legimus in psalm. 32. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi*, et in psal. 143. *In psalterio decachordo psallam tibi*, et concordat textus hebraicus cum graeco, et latino, quare hoc loco ubi dicitur in hebraeo in decachacordo, et in psalterio; vel abundant illae particulae, *et, in*, et eas Septuaginta in suis libris non invenerunt: vel certe significant non distinctionem, sed explicationem, ac si dictum esset, *In decachordo, in psalterio*, inquam, sed res non est magni momenti. Quid spiritualiter significet psalterium, et cithara, diximus in explicatione psalmi tricesimi secundi, v. 2.

4. *Quia delectasti me Domine in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.*

Incipit nunc praedicare opus creationis, quod ad misericordiam pertinet, contemplatus, inquit, pulchritudinem, varietatem, excellentiam, virtutes, utilitates facturae tuae, coeli, terrae, aquarum, syderum, animalium, plantarum; admirabilem animo voluptatem percepi: sed in his omnibus non ipsa factura tua me delectavit: quoniam non substiti in ea, sed *tu me delectasti in factura tua*, ex ea enim ascendit animus ad infinitam pulchritudinem tuam considerandam, et in amorem tantae pulchritudinis raptus coepi vehementius admirari, et delectari, ac propterea jugiter *exultabo*, et exultans *laudabo te in operibus tuis*. Nota diligenter, non dixisse Prophetam, delectavit me factura tua; sed *delectasti me in factura tua*; quando enim sistimus in delectatione creaturarum, fiunt creaturae muscipulae pedibus insipientium, quomodo facta est Bethsabeae pulchritudo muscipula pedibus ejusdem Prophetae, quando eam videns in ea delectari voluit. Nota praeterea pro voce, *exultabo*, in hebraeo esse, ארנן *arannen*, quod significat, *exclamabo*; quare exultabo, exponendum est, prae laetitia, et admiratione, exultans cantabo laudes tuas magna voce cordis, et corporis.

5. *Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.*

Quia dixerat se valde delectatum esse in operibus Domini ne quis existimaret, eum plane comprehendisse, ac penitus inspexisse omnem excellentiam operum Domini, addit opera Domini majora, et sapientiam, per quam facta sunt, profundiorem esse, quam ut ad eorum perfectam cognitionem pervenire in hac vita possimus. *Quam magnificata*, inquit, *sunt opera tua Domine*, idest, admiror magnitudinem, et excellentiam operum tuorum: non comprehendo animo, vel cogitatione tantam magnitudinem: vere enim dixit Ecclesiasticus cap. 1. *Arenam maris, et pluviae guttar, et dies saeculi quis dinumeravit? Altitudinem coeli, et latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?* Sed haec licet magna sint valde, tamen sine comparatione major est sapientia opifex, de qua subjungit Ecclesiasticus, *sapientiam Dei praecedentem omnia, quis investigavit*; et David hoc loco, *nimis profundae factae sunt cogitationes tuae*, idest, sapientissimae illae cogitationes, quibus adinvenisti res tam mirabiles, et tam perfectas, quibus nihil addi, vel detrahi potest, tam sunt occultae, ut omnem intelligentiam superent. Ac ut in rebus minimis et vulgaribus exemplum ponamus: quis capiat quomodo in exiguo semine lateat tanta proceritas arboris: varietas ramorum, viriditas frondium, decor florum, utilitas fructuum, et ipsum etiam semen ad speciem propagandam? quis comprehendat, qua arte Dominus in minimis animalculis inseruerit vitam, et sensum, et motum? et praeterea in formicis prudentiam, astutiam in araneis, in culicibus, et pulicibus, tantam vim fodiendi istrumento tam fragili.

6. *Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget haec.*

Concludit hanc partem psalmi, quae ad creationem rerum pertinet, affirmans non esse hominum insipientium cognoscere, quam sint magna et inscrutabilia opera Domini. Stulti enim non cogitant in rebus creatis nisi vuluptatem, vel utilitatem, quam ex illis capiunt: quod illis commune est cum jumentis insipientibus, quae neque intelligentiam habent, neque ignorantiam suam norunt. Sapientes autem tametsi non essequuntur magnitudinem operum Dei, tamen intelligunt ea se assequi non posse, et ignorantiam suam intelligunt, et quo perfectius ignorantiam suam intelligunt, eo magis admirantur opera Dei, et ad veram sapientiam propinquant. *Vir*, inquit, *insipiens non cognoscet*, quam videlicet magnificata sint opera Domini, *et stultus non intelliget*, quam profundae factae sint

cogitationes ejus; haec enim docta ignorantia sapientium tantum est.

7. *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum; et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.*

Transit nunc Propheta ad opus gubernationis, et providentiae divinae, in quo praecipue justitia sive veritas elucet. In hoc autem summa providentiae consistit, quod impii ad tempus florere permittuntur, ut aeterna ariditate damnentur: Justi contra ad tempus ariditate mulctantur, ut in aeternum floreant. *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum*, idest, cum repente, et in magna copia germinaverint peccatores, ut solet foenum, quod statim, et multum crescit. *Et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem*, idest, cum non solum germinaverint, sed etiam floruerint, ut sonat vox Hebraica, ויציצו *vajatzitju*, et valde conspicui apparuerint, in sublimitate videlicet positi; et in divitiis abundantes.

8. *Ut intereant in saeculum saeculi, tu autem Altissimus in aeternum Domine.*

Pendet sententia versiculi superioris ab hoc versiculo, et subintelligitur aliquid, ut, *hoc fiet*, vel hoc divina providentia permittet *ut intereant in saeculum saeculi*, idest, ideo dabit iniquis Deus prosperitatem temporalem, ut remunerentur aliqua bona opera eorum, et propter scelera sua juste puniantur morte sempiterna. *Tu autem Altissimus* in aeternum Domine, idest, tu Domine valde dissimilis es iniquis, quoniam illi ad breve tempus emergunt ad aliquam altitudinem, tu autem in aeternum altissimus es.

9. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.*

Probat iniquos ad tempus solum, idque breve prosperandos. *Ecce*, inquit, *inimici tui, ecce*, inquam, *inimici tui peribunt*: illud, *ecce*, significat repentinam mutationem, quasi dicat, Qui virebant, et florebant, subito peribunt. Illa vero repetitio, *ecce inimici tui, ecce inimici tui*, auget execrationem, quemadmodum e contrario illud psal. 115. *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae*, auget pietatis affectum. Vere enim valde execrandus est, qui ut amicus sit hujus mundi, non timet inimicus Dei constitui: sic enim scribit sanctus Jacobus in 4. cap. epist. suae, *quicumque voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Quanta autem perversitas est propter amicitiam rei creatae contemnere amicitiam creatoris; *et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem*. Haec posterior pars versiculi est repetitio, et declaratio prioris. Quos enim vocavit inimicos Dei, nunc vocat operantes iniquitatem: et quos dixit perituros, nunc dicit dispergendos: nam hoc ipso fiunt homines inimici Dei, quod contrarii esse incipiunt voluntati ejus, quae nobis per legem divinam declarata est. Illi autem contrarii sunt legi Dei, qui operantur iniquitatem. Lex enim Dei rectissima est, et rectitudinis regula: iniquitas autem curvitas est, et recessus a regula. Porro dispergendi dicuntur impii ad similitudinem aridi foeni, cui paulo ante comparati sunt. Sicut enim foenum aridum a vento ita raptatur et dispergitur, ut non amplius compareat; sic impii ubi modicum creverint, et floruerint. Volente Deo exciduntur, et de terra tolluntur, ut etiam memoria eorum pereat.

10. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi.*

Opponit nunc justos impiis, atque ostendit eos tandem a divina providentia, et justa vere exaltandos; loquitur autem in persona sua, bene sperans de se, quod videlicet sit ipse unus de numero justorum. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, idest, cornu meum, potentia videlicet, et gloria ac foelicitas mea crescet in altum, non sicut fragile foenum, sed ut cornu unicornis: unicornis enim animal est gerens in fronte cornu unicum sed excelsum, et robustum valde. Et senectus mea in misericordia uberi, idest, non solum potentia mea, et gloria, ac foelicitas magna erit, sed etiam diuturna, et costans usque ad ultimam senectutem: nam et senectus mea erit in abundanti misericordia apud Deum. S. Augustinus mystice per senectam intelligit vitam futuri saeculi, quae erit post hanc vitam temporalem, sicut senectus est post juventutem. Vere enim vita futura sanctorum erit in misericordia uberi tollente omnem ab eis miseriam: et erit similis senectuti ob maturitatem judicii, et vacuitatem passionum, et habebit caput ab omni parte canditum, ubi ne unus quidem capillus niger, idest, nulla cogitatio, nulla cupiditas, nulla voluntas terra inveniri poterit. In hebraeo pro misericordia, habetur, שמן *scemen*, oleo; et senectus mea in oleo uberi. In graeco quoque legitur, εν ελαιω, id est, *in oleo*. Sed noster Interpres videtur legisse, εν ελεω, *in misericordia*. Dicitur autem senectus, *in oleo uberi*; quando abundat humore, qui facit eam esse diturnam: quia vero per oleum misericordia intelligitur, recte interpres vertit, *in misericordia uberi*, etiam si forte legerit, *in oleo*.

11. *Et despexit oculus meus inimicos meos, et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*

Adjungit justus ad foelicitatem suam, quod non timebit amplius inimicos suos. *Et despexit oculus meus inimicos meos*, idest, vidi, et contempsi praesentes inimicos, quoniam divina providentia fecit, ut mihi nocere non possent. *Et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*, idest, et quantum ad inimicos absentes, qui maligni cum sunt, in me insurgere cogitant, *audiet auris mea*, nuncium interitus eorum. In hebraeo pro *despexit*, est ותבט *vathabet*, *respexit*, sed idem est sensus; significatur enim eo verbo, quod

http://www.obrascatolicas.com

justus aspexit libere, et sine timore inimicos suos. Qui enim timet vim inimicorum, non audent eos aspicere, sed oculos dimittunt et fugiunt; qui vero eos contemnit, libere illos intuetur: et eodem modo posset exponi quod sequitur, videlicet quod justus sine timore audiet aggressionem malignantium in se futuram, quoniam non dubitat de victoria.

12. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.*

Quod de se Propheta dixerat, transfert nunc ad alios justos, quos eleganti similitudine comparat palmae et cedro, ut opponat iniquis, quos comparaverat foeno. Nam foenum mane floret, vespere arescit, et nullo negotio secatur a messoribus, vel a vento dispergitur; et ad nihil utile est, nisi ad ignem. Palma vero stabilis est, et longo tempore flores, et fructus conservat: sicut etiam cedrus Libani celsissima, et robustissima est, et ex ea ornantur palatia, et laqueria regum: sic impii brevissimo tempore virent, et florent, et paulo post in clibanum gehennae mittuntur. Justi vero instar palmae in aeternum virebunt, et efflorescent, et fructus dulcissimos adferent: nec facile succumbent oneribus, sed virtute omnia superabunt: nec non ut *cedri Libani multiplicabuntur*, idest, augebuntur, et crescent in maximam altitudinem: multiplicatis ramis bonorum operum, et firmissimis radicibus perseverantiae innixi nullo tentationum vento dejicientur: et tandem utiles erunt instar ligni cedrini ad ornanda laquearia regis regum in coelesti Jerusalem.

13. *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.*

Reddit rationem, cur justi instar palmarum, et cedrorum sint futuri: quoniam non in campis sylvae, aut in desertis montibus, sed in domo Domini plantati erunt, et in atriis Dei nostri florebunt, idest, in ecclesia Dei per rectam fidem plantati, et aquis sacramentorum, et verbi Dei rigati, in charitate fundati, et radicati flores honestatis, et fructus bonorum operum parient. Siquidem extra ecclesiam, et sine fundamento fidei omnis plantatio eradicabitur, quippe quam non plantavit pater coelestis.

14. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt ut annuncient.*

Quod de se paulo ante dixerat Propheta, quod habiturus esset senectam *in misericordia uberi*, idem nunc dicit de aliis justis, quod non solum sint prosperandi in juventute, et aetate matura, sed etiam senectutem bonam, et diuturnam habituri sint. *Adhuc*, inquit, *multiplicabuntur in senectute uberi*, idest, praeterea justi multiplicabuntur in diebus vitae idest, multiplicabuntur dies vitae suae, usque ad senectutem pinguem humore vitali, idest, viridem senectam; *et bene patientes erunt*, idest, in ipsa quoque senectute facile patientes erunt laborum, ob firmam corporis constitutionem. Illud, *uberi*, sanctus Hieronymus cum hebraeis jungit cum sequentibus sic legens, *fructificabunt in senectute; pingues, et frondentes erunt*. Sed vox, דשנים *de cenim*, quae significat pingues, potest etiam recte conjungi cum superioribus, ut Septuaginta voluerunt, ut haec sit translatio ad verbum, *multiplicabuntur pingues in senecta*, idest, conservantes pinguedinem vitalis humoris in ipsa senectute, quod est idem cum nostra lectione. *multiplicabuntur in senecta uberi*. Illud autem *bene patientes*, S. Hieronymus vertit, *frondentes*: et vere vox hebraica, רענים *rahanim*, significat proprie virentes et florentes, ac per hoc etiam frondentes: sed septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram et verterunt, ευπαθουντες, quod significat *homines bene affectos*: Interpres vero latinus vertit, *bene patientes*, quia magis respexit ad significationem vocis, quam ad proprietatem sermonis: sed sensus semper est idem. Illud, *ut annuncient*, pertinet ad versiculum sequentem.

15. *Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.*

Haec omnia inquit, evenient justis, ut annuncient, et notum faciant omnibus, aut verbo, aut exemplo suo, quod *Dominus Deus noster*, justus et *rectus*, est, *et nulla est in eo iniquitas*, quoniam etiamsi ad tempus impios prosperari sint: tamen suo tempore justitiae suae judicia exercet remunerando justos, et puniendo iniquos.

PSALMUS CXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Laus cantici ipsi David in die ante Sabbatum quando fundata est terra.

Titulus hujus psalmi non habetur in hebraicis codicibus, sed solum in graecis et latinis, iisque non omnibus. Videtur autem qui titulum addidit, voluisse psalmum decantari feria sexta, quae est dies ante Sabbatum, propterea quod in hoc psalmo narretur, terram a Deo fuisse firmatam, vel ut alii codices habent, inhabitatam: quod recte dicitur factum esse feria sexta. Illo enim die formatus est homo Dominus terrae, ac per hoc tum primum stabilita est terra, quae propter hominem creata fuerat. Eodem die non solum homo, sed etiam animantia caetera quae terram incolunt creata sunt, proinde illo die primum inhabitari coepta est terra. Eodem die per Christi passionem et mortem renovata, ac reparata est terra, et stabilita in regnum Christi devicto ac triumphato mundi principe, juxta illud, *nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, Joan. 12. Porro ecclesia christiana psalmum hunc canere solet in aurora diei Dominicae, ad laudes, quoniam Christus etsi regnum acquisierit per passionem; et fundamenta novae terrae jecerit feria sexta, tamen possessionem regni accepit quando resurrexit, et tunc *induit decorem, et fortitudinem*, quod in aurora Dominicae diei factum esse credimus.

EXPLICATIO PSALMI XCII.

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.*

Hoc principium psalmi recte potest tum ad creationem, tum ad redemptionem accomodari; neque novum est ut sententiae Scripturae divinae plures habeant sensus litterales. *Dominus regnavit*, idem est, ac si dictum fuisset, Dominus Regnum acquisivit, sive regnare coepit. *Decorem indutus est*, gloriam videlicet, et majestatem regiam. *Indutus est Dominus fortitudinem*, idest, non solum gloriam, sed et potentiam, ac robur accepit, quod regiae majestati necessarium est. *Et praecinxit se*, idest, accinxit se ad regnandum, et gubernandum. Quod si haec ad creationem referantur, dicetur Deus regnare coepisse, quando mundum creavit, quoniam tunc primum coepit habere subditos: si referantur ad reparationem, Christus in resurrectione regnum accepit, et tunc indutus est decorem gloriosi corporis, et fortitudinem quoque indutus est, quia data est illi omnis potestas in coelo, et in terra, et deinceps nulli creaturae subiectus sit, sed omnia habeat sub pedibus suis. Denique praecinxit se ad propagandum regnum suum per apostolorum praedicationem usque ad fines terrae.

2. *Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur.*

Regnare coepit Deus ab initio mundi, quia tunc constituit ab imis fundamentis orbem terrae, *Et firmavit ac stabilivit, ut commoveri non possit*, ac per hoc praebuit hominibus, qui Deum Regem agnoscere, eique servire debent, stabilem mansionem. Christus quoque per passionem et resurrectionem suam orbem terrae, qui variis motibus a daemonibus agitabantur, dum alii aliis Diis serviebant, firmavit, ac stabilivit in una, ac verissima religione, et fide.

3. *Parata sedes tua ex tunc: a saeculo tu es.*

Quamvis, inquit, *sedes regni tui parata sit ex tunc*, idest, ex rerum creatione, vel ex resurrectione: tu tamen non tunc esse coepisti, sed *a saeculo*, ab aeternitate sine principio es. Ubi illud, *es*, non significat simplicem existentiam naturae divinae, sed plenitudinem essendi, in qua omnia continentur: non enim Deus antequam mundum conderet, pauper erat, aut aliqua re indigebat: neque posteaquam mundum condidit, ditior aut locupletior factus est. Mundum enim Deus creavit, non ut ipse crescceret, sed ut nobiscum bona sua communicaret. Itaque non coactus aliqua necessitate, sed charitate, et misericordia motus, mundum crea-

http://www.obrascatolicas.com

vit, et eadem charitate, et misericordia mundum reparavit. *Sic* enim *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Joan. 3.

4. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.*
5. *Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.*
6. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

Haec omnia, si ad creationem referantur, ut referri debent juxta priorem sensum; significant modum, quo Deus terram habitabilem fecit, ut esset firma sedes generis humani. Initio enim creationis, aquae terram universam operiebant, et magno motu inundationes aquarum elevabantur, sed Deus altior, et excelsior, et in infinitum potentior increpuit, et compescuit aquas, easque in cavernas terrae conclusit, eisque praecepit, ut non reverterentur operire terram. Hoc dicitur clarius in psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi: Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquae*, idest, ita initio terra formata est, ut abyssus aquarum illam undique tegeret, ita ut super ipsos montes starent aquae. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt*, idest, sed tu Deus omnipotens increpasti aquas, et quasi tonitru imperii tunc illas ita turbasti, ut fugerent, et absconderent se intra profunda loca terrae. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.* Eadem descriptio habetur, in lib. Job cap. 38. sed hic brevissime Propheta haec omnia illis verbis complexus est. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*, idest, omnes aquae maris, atque omnis abyssus aquarum magno fremitu elevabantur super terram, sed mirabilis Deus in excelsis habitans, omni altitudine superior aquas compescuit, terram habitabilem reddidit. Sed quoad sensum posteriorem, describitur hoc loco magnitudo persecutionum Judaeorum, et paganorum adversus Christi regnum in resurrectione inchoatum, et victoria Christi de omnibus hostibus suis. *Elevaverunt*, inquit, *flumina voces suas*, *et fluctus suos.* Per flumina intelligo persecutiones Judaeorum, qui continuo coeperunt elevare voces suas adversus Evangelium, illique ubique contradicere. *Mirabiles elationes maris*: per mare, quod fluminibus multo est majus, intelligo persecutiones Neronis, Domitiani, aliorumque principum romanorum. *Mirabilis in altis Dominus*, idest, sed Dominus in altis habitans mirabilior apparuit; cum de omnibus perseculoribus victoriam reportaverit, et invitis omnibus, regnum suum per omnes terras propagaverit. S. August. per flumina intelligit Apostolos, qui pleni Spiritu sancto tamquam coelestia flumina per mundum discurrebant, et voces praedicando liberrime elevabant. Per *maris elevationes*, intelligit infidelium persecutiones; quemadmodum enim cum flumina intrant in mare, aquae illae salsae ad introitum aquarum dulcium intumescunt, et fremunt. sic infideles ad praedicationem Apostolorum tamquam contrariam doctrinae, et moribus ipsorum fremere, et tumultuari coeperunt. Utraque expositio optima est.

7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

Quantum attinet ad sensum priorem, respondet Propheta tacitae obiectioni, quae occurrere poterat: unde videlicet sciamus ea, quae dicta sunt de fundatione terrae, de abysso aquarum, et reductione aquae in loca humiliora, quibus rebus nullus testis adfuit, cum praecesserint hominum omnium creationem. Respondet igitur Propheta, id haberi ex testimonio Dei, qui haec revelavit servo suo Moysi: et testimonium illud valde credibile esse, cum Moses multis signis, et prodigiis, aliisque modis servum Dei fidelem, et prophetam verum se esse probaverit. Idem dici potest de sensu posteriore; testimonia enim Christi per Apostolos ad nos delata credibilia facta sunt nimis, tum ob signa, et prodigia Christi, et Apostolorum; tum quia videmus impleta, quae praedicta sunt; tum ob infinita alia, quae fidem cristianam omnino credibilem faciunt, ut nemo possit, posteaquam praedicatores audierit, sine magna temeritate non credere: ex quibus concludit Propheta, *domum* Dei, idest, ecclesiam Dei, in qua talia testimonia continentur, et praedicantur, debere sanctam, et inviolabilem conservari usque ad mundi consummationem. *Domum tuam*, inquit, *decet sanctitudo*, idest, decet ut eam omnes ut sanctam venerentur; item decet, ut qui in illa sunt, sancti sint, et moribus sanctis respondeant sanctitati doctrinae testimoniorum tuorum. Denique decet ut a te Domine inviolata, et sancta conservetur in longitudinem dierum, *ut portae inferi numquam praevaleant adversus eam*, Matth. 16.

PSALMUS XCIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David, quarta Sabbati.

In hebraeo nullus est titulus. Legunt tamen hunc titulum tamquam olim, vel a septuaginta, vel ab aliis adiectum s. Hieron. s. August. Theodoretus, Euthymius, et alii omnes: habetur enim in graecis et latinis codicibus. Illud, *quarta Sabbati*, significat cantari solitum ab hebraeis quarta die post sabbatum, idest, in medio hebdomadae. Reprehendit occasione hujus nominis s. Augustin. homines Christianos, qui ex antiqua paganorum consuetudine diem quartam vocant diem Mercurii, ut etiam diem martis: diem quintam, diem Jovis: diem sextam, diem Veneris: et diem sabbati, diem Saturni: cum deberent Christiano more dicere secundam feriam, tertiam feriam etc. quamvis enim illa sunt nomina stellarum, tamen apud paganos stellae illae a certis hominibus nomina acceperunt, quos homines benevolentia populorum Deos fecit, et in coelum transtulit. Argumentum hujus psalmi est providentia Dei punientis tandem malos et remunerantis bonos, quamvis aliquandiu justo judicio sinat prosperari malos, et opprimi bonos.

EXPLICATIO PSALMI XCIII.

1. *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.*

Ponit initio David propositionem unam, ex qua possent omnes, si vellent, plane cognoscere nullos malos impunitos fore. Propositio haec est, Dominus Deus judex summus, justissimus, et potentissimus est, ut ei nemo resistere possit. Nam vindicta ad judicem pertinet, et ideo privatis hominibus prohibetur. Rom. 12. *Non vos defendentes*, idest, vindicantes, *charissimi, sed date locum irae: scriptum est enim, mihi vindicta, et ego retribuam.* Et quamvis ad omnes judices pertineat vindicta scelerum; tamen absolute dicitur vindicta Dei esse, quia ipse supremus judex est, et vindictam sumet de omnibus sceleribus, non solum populorum, sed etiam judicum, principum, et regum omnium. Ait igitur, *Deus ultionum Dominus*, idest, Dominus noster, qui proprie solus Dominus est, cui omnia serviunt in coelo, et in terra: hic inquam, Dominus, est *Deus ultionum*, idest, summus judex, ad quem ultio scelerum omnium pertinet. *Deus ultionum libere egit*, quandocumque punire voluit peccatores; quia neminem timet, nullius personam accipit, nemo illum impedire, nemo ei resistere potest. Id patuit in dejectione diaboli, et angelorum ejus de coelo; in diluvio, quo genus humanum extinxit, exceptis paucis, quos ipse salvos esse voluit; in incendio Sodomae et Gomorrae, in demersione Pharaonis in mari rubro, et in aliis judiciis ejus permultis. Quod attinet ad verba, vox *Deus*, in hebraeo est, *El*, quod significat Deum, ut *fortem* et *robustum*, et recte coniungitur cum ultione, ut significetur Deum esse fortissimum ultorem scelerum. Vox *ultionum*, vel ponitur loco superlativi, quo modo *Deus scientiarum*, idest, scientissimus, *Deus misericordiarum*, idest, misericordissimus: vel significat Deum esse auctorem ultionum, quo modo ab Apostolo dicitur *Deus pacis*, *Deus spei*, *Deus salutis* rom. 15. et 16. Vere enim Deus, ultionum Deus est, quia non solum ipse per creaturas suas innumerabilibus, et occultissimis modis ultionum causa est: nam et peccatum saepe ex divino judicio est poena peccati, et ea quae maxime homines aliquando appetunt et quaerunt, Deus facit ut poenalia ipsis reddantur. Illud, *libere egit*, in hebraeo est, הופיע *hophiah*, quod s. Hieronymus vertit in imperativo, *ostendere*, sed potest etiam verti, *ostensus est*, sive apparuit, splenduit, illuxit: quod est idem cum illo, libere egit: nam qui timet, tenebras quaerit: sed qui nihil timet, et libere ultionem facit, palam et aperte illam facit. Itaque sensus est, Deus ultionis auctor apparuit, sive ultionis scelerum liberrime, et in luce coram omnibus fecit. Potest etiam fieri, ut septuaginta non tegerint, הופיע *hophiah*, sed, הופיח *hophiach*, ultima litera mutata. Hanc enim vocem habemus in psalm. 11. vers. 6. sed in futuro; et septuaginta verterunt, παρρησιασωμαι, *fiducialiter agam*, et poterat etiam latine reddi, libere agam. Nam hoc loco habemus in graeco idem verbum, sed in praeterito, επαρρησιασατο, et noster interpres vertit, *libere egit*.

http://www.obrascatolicas.com

2. *Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.*

Quia dixit Dominum esse ultorem scelerum: pregatur nunc consequenter, ut officio suo fungatur, et puniendo impios claudat ora eorum, qui providentiam ejus in dubium revocant. *Exaltare*, inquit, *qui judicas terram*, idest, ascende solium tuum, qui judex es universae terrae; *et redde retributionem superbis*, idest, profer sententiam damnationis iu homines superbos, et hoc modo vindictam sume de praecipuo scelere generis humani. Superbia enim est regina vitiorum, et ea debellata, universitas vitiorum debellata erit. Nominat quoque psalmus superbos, quoniam illi soli tandem puniuntur in Judicio, qui noluerunt humiliari ad poenitentiam: *omnes enim peccaverunt et tegent gloria Dei*, ut b. Paulus ait rom. 3. sed qui humiliantur sub potenti manu Dei, et cor contritum et humiliantum gerunt, salvantur: qui cervicem erigunt, et peccata sua defendent, retributionem vindictae accipient.

3. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?*
4. *Effabuntur, et loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur injustitiam?*

Reddit causam, cur petat judicium in impios et superbos: et causa est, quia nimium diu jam videtur superbia, et impietas eorum durasse. Sed precatio ista Prophetae, praedictio est per modum precationis: ad consolationem enim justorum afflictorum praedicit sanctus Propheta brevi futurum, ut superbi atque impii dispereant, quamvis in praesenti tempore diuturna videatur eorum potentia. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur*, de viribus suis, de prosperitate sua, de sceleribus suis? *Effabuntur, et loquentur iniquitatem*, idest, jactabunt, et praedicabunt injusta opera sua. *Loquentur omnes, qui operantur injustitiam*, idest, libere, et sine timore ullo loquentur de rebus suis gestis, vel gerendis homines impii, *qui operantur injustitiam*. Illud, *effabuntur*, in hebraeo, יביעו *jabbhu*, habet majorem vim;significat enim *fundent sermonem*, sive *diffluent eloquio*, quasi dicat, ex abundantia cordis fluet in eis abundantia verborum: itaque recte sanctus Hieronymus vertit, *garrient*. Pro voce, *iniquitatem*, cum dicitur *loquentur iniquitatem*, in hebraeo est, עתק *hatak*; quod vetus, et durum significat. Sed Septuaginta non solum hoc loco, sed etiam in psalmo 74. vers. 6. verterunt hanc vocem *iniquitatem, Nolite loqui adversus Deum iniquitatem*. Quare vel haec vox, iniquitatem etiam significat, vel septuaginta explicare voluerunt vocem hebraicam: vere enim nihil est durius iniquitate, quae facit cor lapideum ex carneo: nec male dicitur iniquitas antiqua, quia hominem ex novo veterem fecit, mortique addixit, quia quod antiquatur, et senescit, prope intertium est, ad hebr. 8.

5. *Populum tuum Domine humiliaverunt, et haereditatem tuam vexaverunt.*
6. *Viduam, et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt.*

Explicat injustitiam, quam operantur impii, dum furere permittuntur. *Populum*, inquit, *tuum humiliaverunt*, idest, coetum piorum, qui proprie populus tuus est, a te electus, et segregatus, et tibi uni dedicatus, *humiliaverunt*, affligentes, et persequentes. *Et haereditatem tuam vexaverunt*, idest, eumdem coetum piorum, quem tuam possessionem, et haereditatem esse voluisti, vexaverunt injuste opprimentes. Nec solum populum in commune vexaverunt, sed in personas miserabiles, et omni auxilio destitutas, furorem suum praecipue effuderunt: occiderunt enim *viduas* maritorum solatio destitutas: *et advenas*, qui procul a patria inter ignotos versantur: *et pupillos*, qui parentibus, dum adhuc auxilio eorum indigerent, orbati sunt. In graecis libris legitur, *Viduam, et pupillum occiderunt, et advenam interfecerunt*: sed nostra lectio conformis est hebraico textui; et sensus est idem.

7. *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*

Reddit rationem, cur iniqui tam audacter peccent; quia videlicet ita stulti sunt, ut existiment Deum non habere providentiam rerum humanarum, et nullum esse judicem, cui rationem operum suorum reddere teneantur. *Et dixerunt*, idest, quia dixerunt apud se, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, idest, neque sensu videndi, aut audiendi, cognoscet opera nostra; neque mentis intelligentia illa considerabit vel examinabit. Et quidem possent haec intelligi hoc sensu ut iniqui existiment Deum quidem posse, si velit, videre et intelligere opera nostra; sed ea non curare, neque ad ea attendere: tamen verba sequentia cogunt ut dicamus, iniquos in tantam caecitatem animi aliquando devenire, ut confidentissime peccent, ac si existimarent, Deum neque videre, neque audire, neque intelligere. Sequitur enim.

8. *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite.*
9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?*
10. *Qui corripit gentes, non arguet; qui docet hominem scientiam?*

Illud. *qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* est refutatio ejus, quod supra dictum est, *Non videbit Dominus*, ubi videre, positum est pro cognoscere sensu exteriore, per aures videlicet, aut per oculos. Probat autem Propheta, Deum audire, et videre; quia ipse dedit hominibus aures, quibus audiunt, et oculos, quibus vident; proinde multo magis ipse audit, et videt: nemo enim dare potest quod non habet. Quod autem sequitur, *Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?* est

refutatio ejus, quod impii dixerant, *Nec intelliget Deus Jacob*. Probat autem Propheta Deum intelligere, ac per hoc mente, et intelligentia praeditum esse, quia ipse auctor est hominibus, ut intelligant: ipse enim eos erudit, ipse docet, dum in creatione dat eis mentem rationis capacem, et intelligentiae lumen infundit. Quod attinet ad verba, illud, *insipientes in populo*, significat iniquos esse homines insipientiores toto reliquo populo: quod verissimum est, cum falsa bona veris anteponant, et temporaria sempiternis. Illud autem, *qui plantavit aurem*, est insignis metaphora significans sensum audiendi, ut etiam alios sensus non nasci ex corpore terreno, sed plantari a Deo: quemadmodum arbores non oriuntur a terra, vi ipsius terrae quae inanima est, sed plantantur ab hominibus in terra, et in ipsa terra crescunt. Itaque aures accipiuntur hoc loco non pro solo organo, sed pro organo, et sensu audiendi, qui in eo insertus est. Quod sequitur, *non audiet*, non significat Deum habere sensum audiendi corporalem, sed Deum cognoscere per suam essentiam, quae nos per sensum audiendi cognoscimus: ideo enim non dixit, *Qui plantavit aurem, non habet aures*: sed, *Qui plantavit aurem, non audiet?* illud, *qui finxit oculum*, est alia metaphora, per quam intelligimus mirabilem structuram oculi, et mirabiliorum vim, quae in ipso viget ad res videndas, a Deo factam esse ea facilitate qua figulus vas quodcumque fingere solet. Illud, *non considerat*, poterat etiam verti, non videt: hoc enim significat vox hebraica, יביט *jabbit*, sed Septuagiuta Interpretes maluerunt vertere, non considerat, ut intelligeremus, Deum non videre oculis carneis; sed mente considerare. Illud, *qui corripit gentes*, potuisset etiam verti, qui erudit: nam hanc significationem optime patitur verbum hebraicum, היסר *hajoser*, et graecum απαιδευων. Recte tamen noster interpres vertit, *qui corripit gentes*, quia sequitur, *non arguet?* et sensus est, Qui corripit omnes gentes dum per synderesim in eorum animis insertam eos admonet, ut a malo desistant: saepe etiam manifesta ultione peccata eorum punit: non arguet etiam populum suum, castigans eum per verba Prophetarum, vel etiam per flagella tribulationum, et si Deus corripit, et arguit, certe intelligit, et cognoscit, quae ab hominibus aguntur, et falso dicunt impii, *Non intelliget Deus Jacob*.

11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.*

Posteaquam refutavit Propheta verba illa iniquorum, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, addit hanc calumniam impiorum Deo non esse novam, *ipse enim scit cogitationes hominum, quod vanae sint*. Homo enim post corruptam naturam peccato primi hominis, vanus factus est, et similis jumentis insipientibus, quae non cogitant nisi praesentia. Quare admonemur hoc versiculo, non de nobis praesumere, sed humili prece a Deo sapientiam petere. *Vani enim sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*. Sap. 13. et ideo monet sanctus Jacobus cap. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat*, idest, numquam exprobrat importunitatem, quasi nimium saepe, et nimis multa petamus. Dives enim est in misericordia, et usque adeo liberalis, et magnificus, ut non solum libenter tribuat, quae postulamus, sed etiam mercedem reddat, quia postulamus, *Ora patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi*. Matthaei 6.

12. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.*

Hoc sequitur ex versiculo superiore: nam si cogitationes hominum vanae sunt, quas nimirum ex se habent: certe sequitur, ut ille solus beatus sit, idest, non vanus seu inani vento distentus, sed plenus veris, et solidis bonis, quem Deus erudire dignatur, idest, cui Deus oculos aperit ad ea, quae vere bona sunt, aspicienda, atque ut ad ea perveniat, *de lege sua docet eum*, idest, intime illi persuadet, obedientiam legis divinae toto affectu mentis amplexandam esse: non enim didicit proprie legem Dei, qui solum novit quae sint, et quot legis divinae praecepta, sed qui per divinam illustrationem, et charitatis infusionem ita affectus est erga legem Dei, ut libentissime illam impleat amore justitiae, non timore poenae, et sit illi eadem ipsa lex jugum suave, et onus leve. Illud, *De lege tua*, in graeco est, *ex lege tua*: ex hebraeo posset verti, *A lege tua*, sive, *ex lege tua*, sive, *de lege tua*. Sensus igitur est, beatus est, quem tu Deus docueris ex lege tua, quasi dicat, ex libro tuo, et non solum Deus sit doctor, sed ex libro suo doceat, librum legis suae ipse explanet, et illam ipsam legem observandam esse ei, qui vere beatus esse velit, intus per gratiam loquendo persuadeat.

13. *Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.*

Subjungit Propheta unum ex fructibus doctrinae divinae, qui est, ut homo doctus a Deo moderatius ferat persecutiones impiorum, donec adveniat impiorum ruina. *Ut mitiges ei a diebus malis*, idest, ad hoc utilis erit doctrina tua divina homini justo, ut mitiges ei tristitiam, quae oritur a diebus malis a tempore videlicet persecutionis, et tribulationis: et quamdiu mitigatione ista opus erit? *donec fodiatur peccatori fovea*, idest, donec perficiatur effossio foveae, in quam dejiciendi sunt impii: tunc enim cessabit mitigatio doloris, quia nulli erunt, qui dolore afficiant justos, cum omnis dolor fugiet a justis, et recidet in injustos. Notandum est hoc loco, delectationem legis, et gaudium spirituale, quo fruuntur in hac vita justi, non esse purum et simplex, ut erit in patria coelesti, sed admixtum tristitiae: mitigatur enim hic nobis tristitia, sed non tollitur omnino. Audi Apostolum, 2. Corinth. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*, et cap. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, ubi non dicit, tristes absolute, sed quasi tristes, quia gaudium superabundat, ut dicitur cap. 7. *Repletus*

http://www.obrascatolicas.com

sum consolatione, superabundo gaudia in omni tribulatione nostra. Notandum praeterea, eodem tempore texi coronam justis, et fodi foveam impiis: et non esse mirandum, si non statim impii puniantur, quoniam nondum est fovea eorum plane effossa: quemadmodum nec mirandum est, si non statim justi coronentur, quia nondum finita est coronae ipsorum textura. Sed hoc vere mirandum est, quod foelicitas et exaltatio impiorum sit effossio foveae ipsorum, et quo altius evehuntur, eo profundius fovea fodiatur. Impii enim quo magis exaltantur, eo magis superbiunt, et hoc ipso coram Deo profundius cadunt, juxta illud, *Dejecisti eos, dum allevarentur*, psal. 72.

14. *Quia non repellet Dominus plebem suam; et haereditatem suam non derelinquet.*

Reddit rationem, cur dixerit, *Donec fodiatur peccatori fovea.* Praeparatur enim interitus peccatoribus a providentia divina, *quoniam Dominus non repellet plebem suam*, quamvis ei videatur ad tempus iratus, et affligi eam sinat. Atque idem aliis verbis repetit, dicens, *et haereditatem suam non derelinquet.* Vocatur autem plebs, et haereditas Dei coetus piorum electorum. Illi enim vere sunt populus Israel electus in haereditatem.

15. *Quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.*

Declarat Propheta, coetum justorum non repellendum, nec derelinquendum a Deo usque ad diem ultimi judicii, idest, quamdiu versamur in periculis tentationum. *Quoadusque*, inquit, *justitia convertatur in judicium*, idest, usque ad illum diem, in quo justitia divina, quae nunc videtur esse quasi in habitu, vel in potentia, dum non punit impios, nec remuneratur pios, prodibit in actum judici; et quae erat justitia quasi habitualis, fiet justitia actualis, reddens omnibus pro meritis sive coronam justitiae, sive stipendium mortis aeternae. *Et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde*, idest, et tunc juxta divinam justitiam, quae in nubibus admirabilis apparebit, qui proximi sedebunt, erunt omnes ejus amatores, qui eam non timebunt, sed diligent, cum sint recti corde, idest, conformes rectitudini ejus, ac per hoc justi. S. Hieronym. ex hebraeo vertit, *Quoniam ad justitiam revertetur judicium*, idest, judicium, quod nunc saepe injustum esse perspicitur, tunc revertetur ad justitiam, idest, justissimum erit, quia tunc non judicabunt amplius homines mortales, sed judicabit Christus judex supremus, et justissimus, qui omnia judicia injusta retractabit, et irritabit, et ultimum judicium cum exactissima justitia copulabit. Hic sensus verus est, neque a superiore dissentiens: et verba hebraica utrumque sensum ferre possunt. Illud enim, כי עד *chi had*, significare potest, *quousque*, quemadmodum si dictiones invertantur, et legamus, עד כי *had chi* significabit, *usquequo*. Sequentia verba aeque bene legi possunt cum Septuaginta, *justitia convertatur in judicium*, et cum s. Hieronymo, *ad justitiam revertatur judicium*: Nam in hebraeo non habentur particulae illae, *in*, vel *ad*, et nomina non recipiunt varietatem casuum. Denique illud, *Et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde*: clarius est in hebraeo, et graeco: nam in hebraeo ad verbum sic legitur, *Et post illud*, judicium videlicet, *omnes recti corde.* In graeco vero sic, *Et qui habent eam*, justitiam videlicet, *omnes recto sunt corde.* Sed in latina editione, si subintelligatur interrogatio, *Et qui juxta illam? omnes qui recto sunt corde*: vel si addatur verbum, quod saepe apud hebraeos omittitur, et legamus: *Et qui juxta illam sedens, sunt illi omnes qui recto sunt corde*: vel denique si detrahatur pronomen relativum, quod in hebraeo non habetur, et legatur, *Et juxta illam, omnes qui recto sunt corde*, sententia perspicua erit.

16. *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?*

Dixerat in ultimo judicio cessaturam omnem injustitiam, et contra perpetuo regnaturam esse justitiam; nunc dicit, interea temporis, dum videlicet differtur conversio justitiae in judicium, valde necessarium esse divinum adiutorium adversus injustorum persecutiones. *Quis*, inquit, *consurget mihi*, idest, pro me, *adversus malignantes*? Quis me a tanto numero malignorum hominum, ac doemonum proteget? *aut quis stabit mecum*, ut me videlicet defendat, *adversus operantes iniquitatem?* Ubi posterior pars versiculi, prioris repetitio, et explicatio est. Illud, *mihi*, sanctus Hieronymus recte interpretatur, *pro me.*

17. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.*

Declarat hic magnitudinem periculi, in quo versamur ob multitudinem malignantium, qui undique nobis occurrunt. Induit autem Propheta personam omnium piorum et ait, *Nisi quia Dominus adjuvit me*, idest, nisi Dominus adjuvisset me, *paulo minus habitasset in inferno anima mea*, id est, parum abfuissem a morte sempiterna: quia videlicet tentationibus succubuissem, et de ipsa divina providentia dubitassem. Phrasis illa, *Nisi quia Dominus adjuvit me*, hebraica est, et Davidi familiaris, ut perspicuum est ex psalmo 123. et supplenda est hoc modo: *Nisi id accidisset quod Dominus adjuvit me*, etc. et planius, Nisi Dominus adjuvisset me. Illud autem, *paulo minus habitasset in inferno anima mea*, potest intelligi de morte corporali, per quam eo tempore omnes animae descendebant ad aliquam mansionem subterraneam: sed verius existimo, ut intelligatur de morte animae, et de inferno damnatorum. At inquies, ex hac sententia videtur sequi, ut auxilium Dei non sit necessarium ad superandas tentationes, sed solum ad facilius superandas: quod est dogma Pelagianum ex s. Augustino lib. de gratia Christi cap. 27. Si enim Dominus non juvisset, vix mortem animae evasissem: certe sequi videtur, ut nisi Dominus juvisset, mortem quidem animae evadere potuissem, sed valde aegre, et difficulter. Respondeo, *paulo minus*, non referri hoc loco ad difficultatem rei, sed ad brevitatem temporis, ut sensus sit, Nisi Dominus adjuvisset me, paulo post habitasset in inferno anima mea. Vox enim hebraica, כמעט *chimhat*, et graeca, παραβραχὺ hunc sensum faciunt, et juxta eum explicanda est vox latina, *paulo minus*, idest, *paulo post*, habitasset in inferno anima mea: sive parum abfuisset a casu in infernum anima mea.

18. *Si dicebam, moriuus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me.*

Explicat, in quo consistat auxilium illud, sine quo in inferno habitasset anima ejus. *Si dicebam*, inquit, *motus est pes meus*, idest, si agnoscebam, et confitebar infirmitatem meam, et me ex meipso non sufficere ad superandas tentationes: *tunc misericordia tua adjuvabat me*, illuminans intellectum, et purificans affectum, et vires tribuens voluntati, quae sufficerent ad stabiliendos pedes animae meae in via mandatorum tuorum.

19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.*

Non solum Deus justis per providentiam suam tribuit patientiam, sed etiam consolationem magnam, et ineffabilem, quae non tollit tribulationes, sed cum iis consistit, easque vertit in materiam gaudiorum. Sic enim dicit Apostolus 2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*; quia videlicet vir justus, dum tribulatur, intelligit se purgari a scoria vitiorum, si adest; vel se probari a Domino, si ea non adest, intelligit se conformem fieri Christo patienti, ut cum eo postea glorificetur; intelligit denique magnum esse, et supra modum excellens praemium patientiae, juxta illud Apost. 2. Cor. 4. *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Ait igitur, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, idest juxta mensuram dolorum, qui tristitiam in corde meo gignebant: *consolationes tuae laetificaverunt animam meam*; non enim juxta mensuram dolorum in carne, reddit Deus justis in hac vita consolationes in carne: neque enim simul esse possunt dolores in carne, et consolationes in carne: sed juxta mensuram dolorum in carne, tribuit Deus consolationem in anima, quae mitigat tristitiam cordis ex doloribus carnis provenientem. Neque repugnat hoc dictum Prophetae, *Secundum multitudinem*, etc. cum illo dicto Apostoli, *Superabundo gaudio*, etc. Vere enim gaudium spirituale majus est omni tristitia corporali, sed majus est servata proportione, ut minori tribulationi minus gaudium, et majori majus respondeat. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *In multitudinem cogitationum meorum*, pro eo quod nos habemus ex versione septuaginta Interpretum, *secundum multitudinem dolorum meorum*: vox hebraica, שרעף *sarhaph* est vox inusitata quatuor literarum, quae forte non habetur nisi hoc loco. Videtur deduci a verbo, שרע *sarah*, quod est excrescere, et secundum Rabbinos significat summas frondes arborum, quae excrescunt in magna copia, et ab omni flatu ventorum moventur. Metaphorice igitur hoc loco significant dolores cordis, idest, cogitationes affligentes, et torquentes ipsum cor, quae quidem multae, et molestae nasci solent ex inopia, infamia, morbo, aliisque aerumnis corporalibus: et ideo recte dicitur, *secundum multitudinem*, quia plurimae sunt, et recte comparantur frondibus excrescentibus in arbore, quia vanae sunt, et instabiles.

20. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui figis laborem in praecepto.*

Reddit rationem, cur Deus consoletur justos in tribulationibus eorum: et ratio est, quia Deus justissimus cum sit, et praecepta laboriosa hominibus dederit, aequum fuit, ut jugum legis alioqui asperum et durum, oleo consolationis liniret, et suave redderet. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis*, idest, numquid adhaeret, sive adjungitur tibi tamquam socius thronus inique judicantium. *Qui fingis laborem in praecepto*, idest, tibi qui in praecepto tuo observando laborem inseris sive facis, ut praecepta tua non sine magno labore possunt impleri. Haec mihi videtur hujus loci satis obscuri litteralis expositio: sunt tamen duae aliae expositiones. Una est eorum, qui considerantes illud, *qui fingis*, in textu hebraeo, et graeco esse participium, omittunt relativum, *qui*, et conjungunt participium *fingens*, cum sede, sive throno iniquitatis. Itaque sensum esse volunt, *Numquid adjungitur tibi thronus iniquitatis*, idest, numquid particeps es iniqui judicii, quod fingit laborem in praecepto, idest, quod judicium iniquorum facit praecepta divina nimis laboriosa, et impossibilia, et ideo non punit praevaricatores. Haec expositio repugnat editioni vulgatae, quae per pronomen, *qui*, declaravit participium, quod est in textu hebraeo et graeco: et illud, *fingens*, voluit referri ad Deum, non ad thronum, sive ad secundam personam, non ad tertiam. Alia est expositio s. Augustini, qui dicit Deum fingere laborem sive dolorem in praecepto, quia facit, ut ex laboribus, et doloribus, quos in hac vita patiuntur justi, erudiamur, et intelligamus quo supplicio afficiendi sunt injusti a Deo, qui justos sic affligi permittit. Itaque sanctus Augustinus ita exponit, quasi dictum esset, Qui fingis laborem in praeceptum, idest, ex labore facis praeceptum; et per praeceptum, non intelligit mandatum, sed eruditionem, qualia sunt praecepta sapientium, non mandata Principum.

21. *Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.*

Concludit psalmum affirmans, impios iniqueacturos adversus justos: sed providentiam Dei vigilaturam, et utrisque pro meritis retributuram. *Captabunt*, inquit, *in animam justi*, idest, homines iniqui more suo insidiabuntur justis, ut capiant

http://www.obrascatolicas.com

eos, ut venatores praedam capiunt. *Et sanguinem innocentem condemnabunt*, idest, et posteaquam laqueo suo irretierint, morti eum addicent, quamvis innoxium esse non ignorent. Haec possunt intelligi, tum de malis Judicibus, tum de malis accusatoribus; tum etiam de quibusvis sceleratis homicidis, et de eorum magistris et principibus daemoniis. Verbum, *captabunt*, in graeco est θηρευσουσιν quod significat, *venabuntur*, et ideo sensus est, captabunt per insidias, ut venatores faciunt: in hebraeo est, יגודו *jaghodu*, idest, conveniet, sive *congregabuntur adversus animam justi;* sed credibile est, septuaginta Interpretes legisse, יגדרו *jagudu*, uno puncto mutato, quod significat, *venabuntur*: particula, *in*, abundat apud latinos, cum dicitur, *captabunt in animam justi*. Proinde sensus est captabunt, idest, venando capient animam, idest, vitam justi.

23. *Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium spei meae.*

Loquitur Propheta in persona justorum, et sicut dixerat in numero singulari. *captabunt in animam justi*, sic etiam introducit justum loquentem in numero singulari, ac si dicat, illi quidem insidiabuntur mihi homini justo, meque ad mortem condemnabunt: sed *Dominus factus est mihi in refugium*, ut non mihi noceant insidiae illorum. Et *Deus meus* factus est *in adjutorium spei meae*, idest, Deus factus est quasi petra solida, in qua tuto innititur spes mea; sic enim habetur in hebraeo, Deus meus, לצור *letsur*, idest, in petram spei meae. Itaque posuerunt Septuaginta, et noster Interpres vocem, adjutorium spei, pro fundamento spei; adjuvat enim fundamentum ipsam spem, dum facit, ut non vacillet.

23. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos; disperdet illos Dominus Deus noster.*

Haec est justissima providentia Dei, ut tandem justos adjuvet, et iniquos disperdat. *Reddet illis*, inquit, *iniquitatem ipsorum*, idest, Deus faciet ut iniquitas impii revertatur in caput ipsius impii; dum justo non nocet, qui ob patientiam coronatur: et ipsi impio nocet, qui ob malitiam punitur. Quod explicatur sequentibus verbis, *in malitia eorum disperdet eos*, ubi notat s. Augustinus, recte dici, *in malitia*, quia Deus non tam punit eos ob id, quod fecerunt quam propter malitiam, qua id fecerunt. Tradidit enim Christum ad mortem Judas, tradidit etiam Deus Pater: sed Patri gratias agimus, *quia ex nimia charitate proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*: ut ait b. Paul. Rom. 8. Judam detestamur, quia ex cupiditate, non ex charitate; et pro pecunia sua, non pro salute nostra tradidit illum. Addit Propheta, *disperdet illos Dominus Deus noster*, ut explicet quis sit, qui disperdet impios: dixerat enim, *reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos*; et non dixerat, quis haec facturus esset: explicat igitur, ac dicit, *disperdet illos Dominus Deus noster*, cujus providentiam aut negaverant, aut contempserant.

PSALMUS XCIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Laus Cantici ipsi David.

In codice hebraeo nullus est titulus: sed vel excidit, vel hunc titulum addiderunt septuaginta viri, ut indicarent, argumentum hujus Psalmi esse laudem Deo, voce, non instrumentis musicis decantatam. Theodoretus censet, psalmum compositum esse a Davide in persona Josiae regis, quem spiritu praeviderit repurgaturum templum et altare, remotis cultibus Idololatricis, et ipsis sacerdotibus idololatricis interfectis: sed non est necesse ad Josiam recurrere: psalmus enim omni tempore omnibus locis, et omnibus fidelibus, tum Judaeis, tum christianis convenit. Continet enim invitationem ad laudandum Deum, corde, voce, et opere. Quare ecclesia catholica rectissime hunc psalmum esse voluit initium nocturnae psalmodiae, quae ut longissima est, ita ista praeparatione et exhortatione indigebat.

EXPLICATIO PSALMI XCIV.

1. *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.*

Invitatio, et exhortatio est ad laudandum Deum. Illud, *venite*, est exhortatio, et excitatio ad conjungendos animos, et voces in laudem Dei, quomodo Genes. 11. est exhortatio, et excitatio ad conjungenda studia, et operas in aedificanda civitate, et turri. *Venite, faciamus lateres*: et ibidem, *venite faciamus nobis civitatem*; et ibidem Dominus dicit, *venite descendamus, et confundamus ibi linguas eorum. Exultemus Domino*, invitat

primum ad exultationem spiritus, deinde ad jubilationem vocis: non enim recte jubilamus voce, nisi prius mens excitata sit in Deum per internam laetitiam, et admirationem. Unde et de Domino scriptum est. Luc. 10. *Exultavit spiritu, et dixit, Confiteor tibi Pater*; et mater Domini de se dixit, Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus*. Ait igitur, *venite exultemus Domino jubilemus Deo salutari nostro*, idest, omnes simul uniti exultemus spiritu coram Domino prae laetitia gestientes, et voce jubilemus Deo qui est salus nostra. S. August. per jubilationem intelligit vocem laetitiae, quae non potest exprimere quod intelligit. Sed vox hebraea, נריעה *narihah*, significat potius magnum clamorem, laetum tamen, qui magnus clamor magnum potius affectum, quam magnum strepitum hoc loco significat.

2. *Praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.*

Duobus modis potest hic versiculus intelligi. Uno modo, ut Propheta admoneat, ut summo mane appareamus coram Domino ad laudandum eum quasi dicat, antequam alii surgant, nos primi simus ante faciem Domini; et hoc satis convenit tempori, quo hunc psalmum in Ecclesia canimus. Altero modo, ut Propheta doceat, miscendam esse confessionem propriae miseriae cum confessione misericordiae Dei, ut sensus sit, *preoccupemus faciem ejus in confessione*, idest, antequam Dominus ad judicium veniat, et vindictam de peccatis sumat, praeveniamus eum confitendo peccata nostra, vel praeveniamus iram ejus (potest enim facies in hebraeo, פניו *panau*, sumi pro *ira*) et antequam Deus irascatur, confiteamur peccata; *et simul jubilemus in psalmis*, magnis vocibus extollendo misericordiam ejus. Et videtur haec posterior expositio magis ad mentem patrum, s. Hier. s. August. Theodoreti, et Euthymii in comment. psal. et s. Greg. Nazianz. in orat. de plaga grandinis.

3. *Quoniam Deus magnus, Dominus, et Rex magnus super omnes Deos.*

Reddit quinque rationes, cur Deus a nobis laudandus sit. Prima est, quia Dominus noster est magnus Deus super alios omnes Deos, et magnus Rex super alios omnes reges, qui etiam Dii dici solent. Quo loco pro voce, *Dominus*, est in hebraeo nomen quatuor literarum. יהוה Adonai, quod est proprium Dei veri: et ideo nomen appellativum, *magnus*, non debet conjungi cum *Dominus*, sed cum, *Deus*, ut diximus. Porro per Deos, intelligendi sunt primo loco Dii falsi, idest, daemonia, quae sibi apud gentiles usurpabant cultum veri Dei, ut dicitur in psal. 95. *Omnes Dii gentium daemonia*. Deinde intelligendi sunt reges, et Judices terrae, de quibus dicitur in psal. 81. *Ego dixi dii estis*. In graeco legitur, *super omnem terram*; et sic legunt Theodoretus, et Euthymius; sed in hebraeo est, על כל אלהים *hal col Elohim*, *super omnes Deos*, et sic legunt s. Hieron. et Augustinus: credibile est graecum esse corruptum.

4. *Quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipsius sunt.*

Altera ratio est, quia Dominus habet in potestate sua orbem terrae: sive longitudinem, et latitudinem, sive etiam altitudinem consideres; proinde omnes, qui terram incolunt, illi subjecti sunt, et sacrificium laudis illi debent. *Quia*, inquit, *in manu ejus*, idest, in potestate ejus sunt *omnes fines terrae*, idest, tota terra usque ad ultimos ejus fines. *Et altitudines montium ipsius sunt*, idest, non solum longitudo, et latitudo terrae, sed etiam omnis altitudo usque ad altissimos montes ad ejus ditionem pertinet. In codice quodam antiquo, ex quo legitur hic psalmus communiter in Ecclesia, praemittitur huic versiculo, *Quia non repellet Dominus plebem suam*; haec verba leguntur, et exponuntur a s. Hieron. et Aug. in commentario psalmorum. Sed in codice hebraeo, et graeco, et in Latina vulgata editione non habentur, et vere hoc loco supervacanea esse, sed in psalmo superiore locum suum habent, et inde huc translata sunt, verissima autem esse dubitari non potest. In eodem antiquo codice legitur, *altitudines montium ipse conspicit*, pro, *ipsius sunt*. Sed in hebraeo, et graeco habetur, *ipsius sunt*, et sic legunt patres. Caeterum illa lectio, *altitudines montium ipse conspicit*, nihil aliud significat, nisi Dominum esse quolibet altissimo monte altiorem, ita ut commode respiciat ea, quae sunt in verticibus montium altissimorum, ad quos nullus unquam hominum penetravit. In hebraeo pro, *fines terrae*, habetur, מחקרי ארץ *mechkere arets*, *investigationes* terrae, a verbo, חקר *chakar*, quod est investigare, et scrutari. Inde aliqui existimant, significari profundas terrae cavernas, quae opponuntur altitudini montium, ut sensus sit, in manu Dei esse tum profunditatem, tum altitudinem terrae. S. Hier. vertit, *in cujus manu fundamenta terrae, et excelsa montium ipsius sunt*, cum qua lectione potest concordari lectio graeca τα περατα τησλης, et latina, si per *fines terrae*, intelligamus fines, quoad profunditatem, non quoad longitudinem, vel latitudinem, sed uterque sensus est verus.

5. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.*

Tertia ratio est, quoniam Deus noster non solum terrae, sed etiam maris Dominus est, quippe qui fecit illud, et arenam siccam illi circumdedit, in qua tamquam in vase continetur. Quare aequum est, ut homines, qui ex mari maxima commoda percipiunt, illi gratias agant, eumque laudibus efferant.

6. *Venite adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.*

Quarta ratio est quia idem Dominus non solum fecit terram, et maria, sed etiam nos homi-

http://www.obrascatolicas.com

nes fecit, nos autem factorem nostrum peccatis nostris offendimus. *Venite*, inquit, *adoremus, et procidamus, et ploremus*, deflentes ingratitudinem, et peccata nostra *ante Dominum, qui fecit nos*, ac per hoc omni jure Dominus noster est, atque illi omnem obedientiam debemus. Ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *genua flectamus*, pro eo quod nos habemus, *ploremus*. Sed omnes codices graeci, et latini habent, *ploremus*, et sic legunt, et explicant omnes veteres tractatores, neque est verisimile, Prophetam dicturum fuisse, *genua flectamus*, posteaquam dixerat, *adoremus, et procidamus*: nam adorare in hebraeo significat, *prosterni, et procumbere*. quod explicatur per vocem sequentem, *procidamus*. Plus est autem procidere et toto corpore prosterni, quam genua flectere. Itaque probabile est, veram hebraicam lectionem, quam habuerunt Septuaginta fuisse, נבכה *nibche*, quod significat, *ploremus*, sed successu temporis irrepsisse unam literam, et factum esse; נברכה *nibrecha*, quod est *genua flectamus*. Neque ullo modo credibile est, septuaginta Interpretes, homines doctissimos reddituros fuisse, *ploremus*, si ita legissent, ut nunc in codicibus hebraicis legimus.

7. *Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuae ejus, et oves manus ejus.*

Haec est quinta et ultima ratio, quia Dominus non solum nos fecit, sed particulari providentia nos regit, quomodo pastor proprium gregem. Observat s. August. elegantem transpositionem verborum; videtur enim Propheta conjungere debuisse oves cum pascua, et populum cum manu, ac dicere, *et nos populus manus ejus, et oves pascuae ejus*; sed conjunxit populum cum pascua; et oves cum manu, ut significaret, populum esse respectu Dei instar ovium quae pastore indigent: et tamen non esse oves expertes rationis, quae baculo cogi debeant: dicuntur autem oves istae, oves manus Dei, vel quia Deus eas fecit, ut exponit s. August. vel ut alii communiter docent, quia Deus quasi manu propria eas regit; quamvis enim populus Dei habeat pastores, et doctores, a quibus pascitur, et regitur: tamen ipse etiam Deus peculiarem curam illius habet, et non finit, ut negligentia, ignorantia, vel etiam malitia Pastorum illis noceat. Ex quo intelligimus, debere populum Dei in Deo summo pastore fiduciam ponere, atque ad illum per orationem recurrere, quando pastor minus idoneus, illis contigit, ipse enim per Ezech. cap. 34. dicit, *Ego pascam oves meas*.

8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Haec est secunda pars psalmi, qua Propheta exhortatur populum Dei, ut non solum voce, sed etiam opere Deum laudet. Sacrificium autem operis Deo gratissimum est obedientia, quam exhibemus praeceptis ejus, juxta illud, 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta, et victimas, et non magis ut obediatur voci Domini?* Introducit autem prophetam Deum loquentem, ut hortatio majorem vim habeat. Neque obstat illud, *ejus*: nam in scriptura saepe Deus loquitur de se, ac si de alio loqueretur, ut in loco proxime citato. *Numquid vult Deus holocausta, et non magis ut obediatur voci Domini?* Sic igitur hoc loco dicit Spiritus sanctus, *hodie si vocem ejus*, idest, Domini, *audieritis*, idest, si vocem meam audieritis, qui Dominus vester sum, *nolite obdurare corda vestra*. Illud, *hodie*, significat, hoc tempore, et, ut Apostolus declarat hebr. 3. habet locum haec exhortatio, *dum nec hodie cognominatur*, idest, dum tempus hujus vitae durat: nam post hanc vitam non erit amplius tempus, sed aeternitas. Illud autem, *si*, videtur significare, Deum non singulis momentis nobis loqui, sed pro loco, et tempore nos admonere, vel per internas inspirationes, vel per voces praedicatorum, vel per lectionem Scripturarum, vel alio quocumque modo nobis voluntatem suam patefaciat. Illud, *nolite obdurare corda vestra*, significat, parum prodesse audire vocem Domini, nisi ea vox penetret intima cordis et inflectet ad fidem, et obedientiam: cur autem vox Dei non penetret, causa est durities cordis. Induratio autem cordis aliquando tribuitur homini, aliquando Deo: nam Exod. 7. dicit Dominus, *ego indurabo cor Pharaonis*, et 1. reg. 6. dicitur, *cur aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Aegyptus, et Pharao cor suum?* Porro Deus indurat corda non impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam, ut s. August. dicit in epist. 105. ad Sixtum; qui etiam in tractatu 53. in Joan. scribit, Sic obdurat Deus deserendo, et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Cui subscribit s. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. Obdurare per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Homo autem obdurat cor suum, quando resistit inspirationibus, et vocibus Dei, juxta illud Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis*: inducit autem hominem ad resistendum Deo, et claudendas aures interiores, peccati praesens dulcedo: quam Apostolus ad hebr. 3. vocat *fallaciam peccati*, cum ait, *ut non obduretur quis ex vobis fallaciam peccati*. In hebraico textu verba illa, *hodie si vocem ejus audieritis*, conjunguntur cum superioribus, *nos autem populus pascuae ejus, et oves manus ejus, hodie si vocem ejus audieritis*. Deinde incipit alius versiculus, *Nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione*. Sed Apostolus ad Heb. 3. citat hunc locum, ut nos in codicibus graecis, et latinis habemus. Itaque Apostolo judice melior est lectio Septuaginta, et nostrae vulgatae editionis, quam hebraica, ut nunc se habet, quicquid haeretici moderni blaterent.

9. *Sicut in irritatione secundnm diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.*

Ponit exemplum obdurationis: nam Patres antiqui educti per Mosem de Aegypto, dum in itinere essent, et desertum petransirent, non semel obduraverunt cor suum nolentes credere promissis Dei: neque illi obedire; unde *irritaverunt eum et exacerbaverunt*, ut habet alia lectio: tentarunt etiam potentiam ejus, et experti sunt, ac viderunt mirabilia opera ejus, qualia fuerunt manna de coelo pluens, et aqua de petra scaturiens. Vide Num. 14. *Sicut*, inquit, *in irritatione*, idest, quando Deum ad iracundiam provocaverunt, *secundum diem tentationis in deserto*, idest, juxta diem illum, quo Deum tentaverunt: tunc enim tentantes Deum illum irritaverunt, Non est necesse unam diem particularem hic notari, cum multis vicibus Deum Judaei tentaverint in deserto; sed potest accipi dies pro tempore, ut sensus sit, *sicut in irritatione*, quae facta est in tempore illo, quo me saepius tentaverunt in deserto. *Ubi tentaverunt me*, idest, ubi explorare voluerunt, utrum ego vere Deus essem, possemque illis in deserto panem, et aquam, et carnes parare, quibus rebus desertus locus ille carebat. *Probaverunt me, et viderunt opera mea*, idest, ubi etiam experti sunt me esse omnipotentem, quia viderunt opera mea, qualia solus Deus verus, vereque omnipotens facere potest.

10. *Quadraginta annis offensus generationi illi, et dixi, semper hi errant corde.*

Explicat clarius tempus irritationis, et tentationis in deserto, *Quadraginta annis*, inquit, *offensus fui generationi illi*, idest, toto tempore, quo duxi eos per desertum, ut introducerem in terram promissionis, *offensus fui generationi illi*, idest, offensus fui ab illis, sive infensus illis fui, ut explicat Apostolus hebr. 3. vox hebraica, אקוט *akut*, significat, *litigavi cum illis*, vel abominatus sum illos: sed omnia in idem recidunt, in quem sensum explicanda est etiam lectio psalterii romani, *quadraginta annis proximus fui generationi huic* idest, propinquavi illis, ut de proximo illorum querelas audirem eosque variis plagis flagellarem: et quia de proximo vidi, et audivi quid agerent, aut loquerentur, *dixi, semper hi errant corde*, idest, ducuntur variis desideriis, et ideo errant, et vagantur extra rectam viam salutis. Apost. ad hebr. 3. aliter distinguit, *probaverunt*, inquit, *et viderunt opera mea quadraginta annis*: *propter quod infensus fui generationi huic*. Sed quia neque hebraei, neque graeci, neque latini ita distinguunt; dicendum est Apostolum declarare voluisse verba hujus psalmi, et ideo addidisse illud, *propter quod*, ut sensus sit, *viderunt opera mea, quadraginta annis, propter quod totidem annis infensus fui generationi huic*.

11. *Et isti non cognoverunt vias meas, ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Declarat, cur corde erraverint, *quia non cognoverunt vias*, idest, leges *meas*, quae sunt rectae viae, per quas qui incedunt, errare non possunt: Loquitur autem de cognitione approbationis, non de simplici notitia. *Ut juravi in ira mea*, subintelligitur, non pervenerunt ad requiem, sicut juravi in ira mea, *si introibunt in requiem meam*. Itaque sensus est, Isti, qui semper errant corde, non cognoverunt vias meas quibus itur ad requiem, ac per hoc in illam non introierunt, *prout juravi in ira mea, si introibunt*, idest, quod non introibunt in requiem meam. Per requiem in sensu historico intelligitur terra promissionis, in quam non introierunt, nisi paucissimi ex illis, qui exierunt ex Aegypto: sicut Dominus juravit illis, Num. 14. *Vivo ego, dicit Dominus, sicut loquuti estis audiente me, sic faciam vobis, in solitudine hac jacebunt cadavera vestra*. In sensu anagogico, Apostolo teste ad hebr. 4. intelligitur coelestis patria, ubi erit perfecta requies. Juramentum autem Dei significat, rem esse certissimam, et immutabilem. In hebraeo habetur, אשר *ascer*, quod recte verti potest, tam *ut*, quam *quibus*. In Graeco habetur ω, ut etiam in Epistola graeca s. Pauli ad hebraeos: tamen in editione latina ejusdem Epistolae cap. 3. habetur, *quibus juravi*: sed cap. 4. *sicut juravi*. In psalterio romano, et apud Augustinum habetur, quibus juravi. Sensus semper est idem, tamen communior lectio est quae habetur in editione vulgata, et sic legit Apostolus, quando proprie citat verba psalmi, dicens, *Quemadomdum dixit, sicut juravi*, etc. ad Hebr. 4.

PSALMUS XCV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum ipsi David quando domus aedificabatur post captivitatem.

Hic psalmus apud hebraeos titulo caret: neque mirum est, quoniam videtur esse pars quaedam psalmi centesimi quarti, ut perspicuum est ex lib. 1. Paralip. cap. 16. ubi in reductione Arcae Domini canitur psalmus, cujus prior pars est principium psalmi 104. posterior est psalmus 92. Videtur enim Esdras, vel si quis alius fuit, qui librum psalmorum collegit, et ordinavit, ut numerum centum quinquaginta psalmorum compleret ex parte psalmi 104. fecisse hunc psalmum 95.

http://www.obrascatolicas.com

quemadmodum ex fine psalmi 56 et ex fine psalmi 59. composuit psalmum centesimum septimum, qui incipit, *paratum cor meum*, et ex fine psalmi 39. fecit psalmum sexagesimum nonum, qui incipit, *Deus in adjutorium meum intende*. Titulum ergo, quem habemus in codicibus graecis, et latinis, vel addiderunt Septuaginta interpretes vel quod verius reor, Esdras ipse addidit, et jussit cantari, cum templum reaedificabatur post captivitatem babylonicam. Quamvis autem David hunc psalmum composuerit occasione reductionis Arcae Domini, et Esdras eumdem psalmum cantari jusserit in reaedificatione templi: tamen certum est intentionem primariam Davidis, et ipsius Spiritu fuisse praedicere adventum Christi, et regnum ejus, *quando Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*, ut scribit Apostolus ad Coloss. 1. Recte enim observavit s. Augustinus in toto hoc psalmo nullam fieri mentionem aedificationis templi, nec reductionis arcae, ac per hoc vel psalmum non convenire cum titulo, vel exponendum esse, ut verba sonant de regno Christi in toto terrarum orbe propagando; hoc est, de Ecclesia in omnibus gentibus aedificanda. Atque in hanc sententiam conveniunt scriptores veteres Hieronymus, Augustinus, et Ambrosius latini; Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius graeci.

EXPLICATIO PSALMI XCV.

1. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.*

Incipit ab exhortatione, ut pro comuni beneficio communiter ab universa terra gratia agantur Deo. Ter autem repetit *Cantate*, ut etiam infra ter repetit, afferte Domino, ut obscure insinuaret mysterium sanctissimae Trinitatis, quod aperte in testamento novo praedicandum erat. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, id est, laudate, et gratias agite cum cantu, et laetitia. Vocat autem *canticum novum*, canticum pulchrum, et sapienter compositum: item canticum pro novo beneficio: item canticum quod a renovatis hominibus cani debet, in quibus non amplius regnet cupiditas, sed charitas. Denique ut exponit Chrisostomus canticum, non quale fuit canticum Moysis, aut Deborae, aut alia vetera cantica, quae non poterant cantari extra terram promissionis, juxta illud psal. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* sed canticum novum, quod per universam terram celebrari queat. Ideo enim subjuncitur, *cantate Domino omnis terra*, idest, non solum Judeae, sed orbis terrarum universus.

2. *Cantate Domino, et benedicite nomini ejus annunciate de die in diem salutare ejus.*

Praemissa exhortatione generali, incipit explicare materiam cantici, et laudationis, quae est Salvatoris adventus. *Cantate*, inquit, *Domino, et benedicite nomini ejus*, idest, cantando laudate potentiam ejus, quae per nomen significatur, nisi ferte per nomen insinuetur nomen salvatoris, de quo clarius fit mentio in verbis sequentibus, *Annunciate de die in diem salutare ejus*, idest, praedicate cum cantu, et laudibus venturam salutem, idque *de die in diem*, idest, omni die: quemadmodum enim sine cessatione dies diei succedit, sic aequum est ut laudatio laudationi sine cessatione succedat. Verbum hebraicum, בשרו *basseru*, significat bonum nuncium afferte, quod Septuaginta recte verterunt, ευαγγελιζεσθε, et interpres noster vertere potuisset, *evangelizate*, vel *bene nunciate*, ut legit s. Aug. Itaque ex hebraeo, et graeco exponi debet verbum latinum, annunciate, idest, bonum nuncium afferte.

3. *Annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.*

Dixit, Deum ob tam ingens beneficium omni tempore laudandum: addit nunc etiam in omni loco laudandum. *Annunciate*, inquit, *inter gentes gloriam ejus*, idest, notam facit non solum judaeis, ut faciebant Prophetae veteres, sed etiam gentibus gloriam Dei: et hoc ipsum clarius explicans ait, *annunciate in omnibus populis*, idest, omnibus gentibus, *mirabilia ejus*, idest, admiranda opera Dei, ex quibus manifestatur gloria ejus. Quamvis autem haec exhortatio pertineat ad omnes, qui noverunt mirabilia Dei; tamen praecipue pertinet ad apostolos Domini: illi enim sunt, qui omnibus gentibus notam fecerunt gloriam Dei, et mirabilia opera non solum creatoris, sed etiam redemptoris, et sanctificatoris, idest, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

4. *Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.*
5. *Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit.*

Declarat, quae sit gloria Domini, quae mirabilia opera ejus, quae paulo ante praedicanda semper, et ubique esse dicebat. *Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos.* Haec est gloria Domini, quod magnus sit absolute, sive potentiam, sive sapientiam, sive bonitatem, sive imperium, sive divitias, sive quaecumque alia consideres; quod juxta hanc magnitudinem sit laudabilis valde, et re ipsa ab omnibus laudetur: hinc enim pleni sunt coeli, et terra gloria ejus, quod denique terribilis sit super omnes Deos, idest, quod usque adeo emineat super omnes, qui ullo modo dicuntur Dii, ut non solum non audeant ei se conferre, sed ut servi, vel potius mancipia majestatem ejus contremiscant: nam de bonis angelis, qui sunt Dii per participationem canit Ecclesia, *majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates.* De malis angelis, qui sunt Dii per errorem gentium, dicit b. Jacobus in Epist. cap. 2. *Daemones credunt, et contremiscunt*: et quoniam praecipue de falsis Diis loquitur hoc loco David, ideo subjungit rationem, cur Deus noster terribilis sit super omnes Deos, dicens: *quoniam omnes dii gentium daemonia. Dominus autem coelos fecit*, idest, propterea Dominus terribilis est super omnes Deos; falsos videlicet, et gentibus per errorem adoratos, quoniam Dii gentium non sunt veri Dii, sed daemonia, idest, spiritus mali, qui a Deo creatore per superbiam recesserunt, et ab eodem aeternis suppliciis destinati sunt: *Dominus autem* non est spiritus creatus sed spiritus creator, qui *coelos fecit*, corpora omnium maxima, et pulcherrima, et omnia, quae coeli ambitu continentur, idest, res omnes creatas. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *omnes Dii populorum sculptilia.* Sed sciendum est vocem hebraicam, quae hic habetur, אלילים *elilim*, non significare proprie neque daemonia, neque sculptilia. *Daemon* enim dicitur, שד *sced*; *sculptile*, פסל *pesel*: vox autem *elilim*, significare videtur Deiculos, ut sit diminutivum ab, אל *el*, quod significat Deum, ut sensus sit, *Dii gentium non sunt Dii, sed Deiculi*, vel *Deastri* inutiles, et vani: Dominus autem est Deus verus, et potens, qui coelos fecit. Itaque vocem illam septuaginta Interpretes retulerunt ad daemonia potius quam ad simulacra; quoniam Daemonia habitabant in simulacris, et erant ii, qui potissimum a gentibus adorabantur, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. *Quae enim gentes immolant, daemonibus immolant, et non Deo.*

6. *Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.*

Dixerat, Deum esse magnum, et terribilem: nunc addit, eumdem esse undique laudabilem, pulcherrimum, gloriosum, et sanctissimum; idque praecipue cerni in coelesti sanctuario, ubi spectandum se praebet oculis angelorum, aliisque spiritibus beatis. Illustrabit hunc versiculum, alioqui satis obscurum, versiculus secundus ps. centesimi tertii, *confessionem, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*: dicitur enim Deus induisse confessionem, et decorem, quia ab omni parte conspicitur laudabilis, et ideo laudabilis, quia pulcher, et decorus totus, sive quis essentiam, sive attributa, sive judicia, sive cogitationes, sive opera ejus attendat, quod brevissime dixit s. Joan. 1. Epist. cap. 1. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae.* Dicet ergo Propheta de Deo, *confessio, et pulchritudo in conspectu ejus*, idest, laus, seu materia laudis, et pulchritudo, sive decor, et gloria est in circuitu Dei, quia confessionem, et pulchritudinem induit, ac per hoc undique conspicit laudem, et pulchritudinem suam, et undique conspicitur decorus, et laudabilis: quomodo Sol, si sensum videndi haberet, undique conspiceret radios lucis suae, sicut undique conspicitur micans, et lucidus. *Sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus*, idest, sanctitas, sive puritas, et magnificentia, sive majestas, et gloria, quibus Deus, quasi vestimentis indutus est, conspicitur in sanctificatione ejus, idest, in sanctuario, sive in templo sancto, quod in coelis ipse Deus habet. Posset etiam hic versiculus sic exponi: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, idest, offeratur in conspectu Dei confessio laudis, et pulchritudo justitiae, *sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus*, idest, sanctitas vitae, et magnificentia operum bonorum in sancto templo ejus similiter offeratur. S. Augustinus per confessionem intelligit confessionem peccatorum, per quam homo deformis incipit pulchrescere, et sanctificari, et placere sponso coelesti, qui pulcherrimus, et sanctissimus est. Quod attinet ad verba, pro vocabulo, *sanctimonia*, in hebraeo est, עז *hoz*, quod proprie robur, et fortitudinem significat; sed accipitur etiam pro gloria, honore, substantia, opibus. Videntur igitur septuaginta Interpretes, eam vocem accepisse pro gloria, et puritate, quae sanctitatis propria est: ut in sequenti versiculo acceperunt pro honore, et conjunxerunt cum gloria. Pro vocibus, *in sanctificatione ejus*, in hebraeo habetur, במקדשו, *bemikdascio*, idest, *in sanctuario ejus*, et sic etiam vertit s. Hieronymus. Neque est novum in scripturis, ut sanctificatio accipiatur pro sanctuario: sic enim legitur lib. 1. Machab. cap. 1. *Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum*, etc.

7. *Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.*

Praedixerat, praedicandam esse notitiam Dei omnibus gentibus per Christi adventum: nunc praedicit, convertendas esse omnes gentes, et glorificaturas Deum. Sed sicut illud praedixerat per modum hortantis dicens, *annunciate inter gentes gloriam ejus*; sic etiam nunc praedicit hoc per modum hortantis dicens, *afferte Domino patriae gentium*, idest, o familiae gentilium toto orbe diffusae, cum vobis annunciata fuerit gloria Domini, qui de coelo ad terram descendit, et peracta redemptione iterum ad coelum gloriosus ascendit; non sitis durae ad credendum, nec pigrae ad operandum, sed accurrite ad tabernaculum Domini, et afferte gloriam, et honorem, glorificando, et honorificando, verbis, et operibus Deum, et sanctum nomen ejus. Illud, *patriae gentium*, hebraice est, משפחות *mispechoth*, quod proprie significat familias. Sed latinus interpres reliquit hoc loco vocem graecam, πατριαι, quae significat familiam. Quare per, *patrias gentium*, non debemus hic accipere id, quod significat nomen latinum, sed quod significat graecum. Cur autem Propheta nominet

http://www.obrascatolicas.com

familias, ratio esse videtur, ut alluderet ad ritum hebraeorum, qui distincti per familias suas ascendebant festis diebus ad templum Domini, quod erat in Jerusalem. Significat igitur spiritus Sanctus, quod faciebant familiae Judaeorum corporaliter, faciendum esse a familiis omnium gentium spiritualiter, ut videlicet omnes ad Ecclesiam veniant, et Deo tribuant gloriam, et honorem omnium mirabilium, quae facta sunt in redemptione generis humani; non enim nostra industria, aut meritis evecti sumus ad filiorum Dei adoptionem, et gratiam; sed ex misericordia Dei, cui proinde debetur omnis honor, et gloria. Pro illa voce. *gentium*, in hebraeo est, populorum, עמים *hammim*, sed septuaginta Interpretes maluerunt vertere, *gentium*, quam populorum, ne Judaei dicerent, de populis suis tantum Prophetam esse loquutum. Itaque sustulerunt ambiguitatem vocis, et docuerunt, Spiritum sanctum locutum esse, de populis gentium, de quibus paulo ante dixerat, *Annuntiate inter gentes gloriam ejus*; et paulo infra *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*: nam utrobique in hebraeo habetur vox, גוים *goim*, quae proprie significat gentiles.

8. *Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

Hic etiam alludit ad morem hebraicum, juxta quem Judaei cum ascendebant ad templum, offerebant victimas, et adorato Deo revertebantur in civitates suas. Sed quia hoc loco invitantur gentiles, ut ad ecclesiam Domini veniant; intelligenda est haec oblatio de spiritualibus hostiis, de quibus loquitur sanctus Petrus in prima Epistol. cap. 2. *Offerte spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Sunt autem spirituales hostiae sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, jejunia, eleemosynae, et similia. Potest etiam hic locus intelligi de sacrificio Missae, quod successit omnibus sacrificiis hebraeorum, et quod juxta Prophetiam Malachiae, cap. 1. *Offertur Deo ab ortu solis usque ad occasum a gentibus conversis ad Deum per manus Sacerdotum testamenti novi*. Nam non sine mysterio in Hebraico textu non habetur vocabulum זבח *zebach*, quod significat hostiam, quae occiditur dum immolatur, qualia erant sacrificia ovium, et boum; sed מנחה *minchah*, quod significat hostiam incruentam, ac praesertim ex farina confectam. Parum autem refert quod pro, *atrio sancto*, in hebraeo habetur, בהדרת קדש *behadrath kodesc*, *in decore sanctitatis*: nam idem est sensus: vocat enim scriptura *decorem sanctitatis*, ipsum sanctuarium, quod esset decore, et sanctitate plenum.

9. *Commoveatur a facie ejus universa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.*

Hactenus quasi longe praevidit regnum Messiae et hortatus est praedicatores ad annunciandum, et populos ad recipiendum novum regem: nunc quasi propius intueatur, et ipsum venientem cernat, spiritu exultat, et hortatur ad venerationem, et laetitiam, non solum gentes, sed etiam terram, coelum, maria, arbores ipsas: non quod ista sensu praedita sint, sed ut declaret affectum suum, et universalem laetitiam, quae in toto mundo futura erat in adventu Christi. Quamvis autem aliqui haec referant ad secundum adventum, quando veniet judicare vivos, et mortuos: alii ad primum adventum, *quando venit quaerere, et salvum facere quod perierat*, Luc. 19. tamen sancti patres Hieronymus, et Augustinus, necnon graeci scriptores, Theodoretus, et Euthymius ad utrumque adventum referunt, quod et nobis probabilius esse videtur. Ait igitur, *commoveatur a facie ejus universa terra*, idest, commoveantur commotione timoris, et reverentiae omnes habitatores terrae ante faciem Domini venientis. In hebraeo est, חילו מפניו כל האדץ *chilu mippanau col haaretz*, *paveat a facie ejus omnis terra*, ubi numerus multitudinis indicat, per terram non intelligi elementum terrae, sed habitantes in terra. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*, idest, ut commoveatur terra, praedicate gentibus omnibus, quod Dominus adveniens regnum suum auspicatus est. Intelligitur autem nomine regni regnum spirituale, quo regnat per fidem in cordibus hominum; semper enim Deus regnat in coelo et in terra regno potentiae, et majestatis: sed per fidem regnare coepit in gentibus ab adventu Messiae: antea siquidem diabolus regnabat per errores Idololatriae: unde et Dominus Joan. 12. ait. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Sanctus Augustinus legit, *quia Dominus regnavit a ligno*: quam lectionem fuisse olim in septuaginta virorum interpretatione, et ab hebraeis fuisse abrasam, et sublatam testatur sanctus Justinus in dialogo cum Triphone, et Fortunatus in hymno, qui ab ecclesia frequentatur tempore Passionis, ex hac lectione accepit illud,

Impleta sunt quae concinit,
David fideli carmine,
Dicens in nationibus,
Regnavit a ligno Deus.

quamvis autem haec lectio optimum sensum habeat; tamen in libris graecis hodie non habetur, nec habebatur tempore s. Hieronymi, Theodoreti, et Euthymii, ut ex eorum commentariis perspicuum est: nec habetur in codicibus hebraicis, nec in editione latina vulgata.

10. *Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur, judicabit populos in aequitate.*

Hoc regnum merito convenire Christo, probat duplici ratione. Primum quia ipse est, qui cum in in forma Dei esset, orbem terrarum condidit, confirmavit, et stabilivit, ut commoveri non posset: justum enim est ut ipse regnet in terra, qui terram ipsam condidit. In hebraeo est, תכון *thiccon*, a verbo, כון *con*, quod est *stabilire*, *firmare*, *dirigere*; et hoc idem verbum habetur in psalm. 92. ubi legimus, *Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur*. Itaque potest referri haec pars versiculi ad creationem mundi: et tunc, *correxit*, idem erit, quod ita directe sudavit, ut nutare non possit: potest etiam idem verbum exponi de correctione morum per optimas leges, et instituta; et tunc sensus erit, Christum jure, ac merito regnare debere in orbe terrarum, quia orbem terrae nutantem ob pravas institutiones gentilium, ita correxit per legem suam evangelicam, quae prohibet omnia vitia, ut jam commoveri non possit, si leges illas sequatur, et observet. Unicum enim Domini praeceptum de dilectione, si observetur, totum orbem terrarum corrigit, et in summa pace constituit. Secunda ratio est in verbis sequentibus, *Judicabit populos in aequitate*, idest, non solum correxit orbem terrae sanctissimis legibus suis; sed etiam tempore suo judicabit orbem justissime: tribuet enim iis, qui legem evangelii servaverint, amplissima praemia; et iis, qui servare noluerint, justissimas poenas.

11. *Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: gaudebunt campi, et omnia quae in eis sunt.*
12. *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.*

Excitat ad laetitiam omnes res creatas propter adventum Domini, tum primum, tum secundum. Primus enim adventus omnia consecravit; secundus omnia glorificabit: *nunc enim omnis creatura ingemiscit, et parturit subjecta corruptioni; sed postmodum liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, ut dicitur ad rom. 8. *Laetentur ergo coeli, et exultet terra*, quae sunt partes mundi principales: *commoveatur etiam mare* motu exultationis, *et plenitudo ejus*, idest, omnia quae continentur in eo, sive insulae, sive pisces. *Gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt*, idest, sic erit, ut optavi: nam optavi ut terra exultaret; ipsa vero omnino exultabit, quia *gaudebunt campi, et omnia quae in eis sunt*, sive pecora, sive plantae; imo etiam *ipsa ligna sylvarum*, quantumvis sterilia, et inculta, exultabunt a facie Domini, ad praesentiam videlicet conditoris: exultabunt autem, *quia venit Dominus*, redempturus orbem terrae in misericordia, et quoniam iterum venit judicare orbem terrae in justitia. Sic enim exponunt s. Hieronymus, s. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius, qui referunt illud, *quia venit*, ad primum adventum, illud, *quoniam venit judicare terram*, ad secundum adventum. Sed si magis placeat juxta morem hebraicum, utrumque referre ad judicium, quae est simplicior, et fortasse magis litteralis expositio; tunc dicendum erit, Judicium novissimum, fore simul et terribile, et laetissimum; terribile impiis, laetissimum justis. Nam ea de causa in scripturis nunc describitur ut quid lugubre, horroris et timoris plenum, juxta illud, Luc. 21. *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum, arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi; nam, et virtutes coelorum movebuntur*: nunc vero describitur, ut quid jucundum, et laetum propter gloriam electorum, quae redundabit in ipsum coelum et terram, et maria, quae renovabuntur et statum omnino meliorem acquirent, unde dicitur paulo infra in eodem loco Evangelii, *his autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

13. *Judicabit orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua.*

Concludit, praedicens quale futurum sit judicium. *Judicabit*, inquit, *orbem terrae in aequitate*, idest, in justitia; id enim sonat vox hebraica בצדק *betzedek*, et graeca δικαιοσυνη; proinde non est accipienda hoc loco aequitas proprie, sed pro vera justitia. Repetit, et declarat hoc ipsum, cum addit, *et populos in veritate sua*: ubi quod dixerat, *judicabit orbem terrae*, explicat, cum dicit, *Judicabit populos*; non enim terram ipsam, sed populos habitantes in ea judicabit. Quod autem dixerat, *in aequitate*, explicat cum dicit, *in veritate sua*, idest, in ea veritate, et fidelitate, qua semper adimplet quod promisit: promisit autem, se redditurum unicuique secundum opera sua, non accepturum personas, juste denique judicaturum. Hoc igitur modo judicabit, et non aliter. Haec certe sententia deberet somnum, et torporem mortalium excutere, neque quia differtur judicium, et Deus interim patienter agit, credere debemus, judicium non esse futurum. Qui enim tam multa promisit antequam fierent, et reipsa praestitit: non decipit nos in hoc uno, quod tanti momenti est. An vero, inquit s. Augustinus, exhibuit nobis Deus omnia, quae promisit, et de solo die judicii nos fefellit. Vide explicationem sancti Augustini ad psalmum septuagesimum tertium prope finem, ubi copiose de hac re tractat.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XCVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Huic David, quando terra ejus restituta est.

Hunc titulum non habent hebraici codices; proinde vel excidit incuria scriptorum, vel eum addiderunt septuaginta Interpretes: habetur enim in graecis et latinis editionibus, et ab antiquis Patribus exponitur. Et quamvis in libris graecis non sit proprie restituta;sed καθιστατο constituta: tamen idem est sensus; cum enim restituta fuit terra Davidi,quam ei Absalon filius abstulerat, tunc *ipsa terra constituta fuit*, idest, confirmata, et stabilita, quae antea quodammodo fluctuaverat: vocatur enim terra hoc loco possessio terrae, sive regnum terrenum. Sed non videtur psalmus ad litteram intelligendus de restitutione, aut constitutione regni Davidis; nihil enim ejusmodi in psalmo legimus; sed videtur sanctus Propheta occasione terrae a se recuperatae Spiritu sancto afflatus cecinisse restitutionem, et constitutionem perfectam ecclesiae, quae futura est post ultimum judicium, quando remotis persecutionibus omnibus, et omnibus inimicis Christi sub pedibus ejus constitutis, ecclesia pace perpetua, et tranquillitate fruetur, et Christus ipse pacifice in universa creatura regnabit.

EXPLICATIO PSALMI XCVI.

1. *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae.*

Duobus modis ad litteram potest hic psalmus exponi, primum de regno Dei absolute, deinde de regno Christi post resurrectionem, ut exponunt Augustinus, Theodoretus, Euthymius: juxta priorem intelligentiam hic sensus erit:*Dominus regnavit*, idest, Dominus Deus est verus, et supremus rex; et omnes alii Reges servi ejus sunt: ideo *exultet terra,laetentur insulae multae*,idest, exultent, et laetentur omnes habitantes orbem terrarum, sive habitent continentem terram, sive insulas, quae plurimae sunt in mari: quia si forte opprimantur a regibus terrenis, non deerit illis Dominus, qui rex est supremus, et inferiores reges nullo negotio coercere, et in ordinem redigere potest. Juxta posteriorem intelligentiam hic sensus erit, Dominus Christus, qui aliquando humilis ante reges judicandus stetit, jam regnavit: quia *data est ei omnis potestas in coelo et in terra*, Matth. 28. ut jam nulli potestati nec de jure, nec de facto subjiciatur, sed omnibus praesit, ut *princeps regum terrae, et rex regum*, *ac Dominus dominantium*: ideo *exultet terra*, et *laetentur insulae multae*, quia Dominus, qui regnum Mundi adeptus est, Apocal. [illegible] frater noster est dignatione, quamvis et Deus noster sit creatione, et Dominus redemptione.

2. *Nubes, et caligo in circuitu ejus, justitia, et judicium correctio sedis ejus.*

Juxta priorem sensum explicatur natura Dei,qui cum invisibilis sit, tamen gubernat, et regit mundum visibilem summa justitia. *Nubes et caligo in circuitu ejus*, idest, Dominus rex noster invisibilis est, *quia lucem habitat inaccessibilem*. 1. Tim. 6. et similis est soli, qui quando nube, et caligine tectus est, non potest videri , et tamen lumen, et calorem ejus sentimus, sic in psalm. 17. describitur Deus, *posuit*, inquit, *tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Sic in monte Sina apparuit tectus nubibus, et caligine, ut dicitur Exod. 20. *Justitia, et judicium correctio sedis ejus*, idest, quamvis invisibilis sit, vere tamen adest, et judicat populos justissimo judicio. Illud, *correctio*, potuisset etiam verti, *firmamentum*, ut vertit sanctus Hieronymus, nec non stabilitas, rectitudo, praeparatio, ut alibi vertunt iidem septuaginta Interpretes: nam haec omnia significat vox hebraica, מכון *mecon*, a verbo, כון *con*, ut diximus in explicatione psalmi superioris. Itaque illud, *correctio*, significat hoc loco rectitudinem, sive directionem, ut sensus sit, rectitudo sive directio sedis Dei consistit in justitia, et judicio: rectissima enim est potestas judiciaria Dei, quae per sedem significatur, quia Deus semper juste judicat, nec potest ullo modo injuste judicare, cum sit ipsa sapientia, et justitia: est autem hoc proprium Dei; nam sedes aliorum regum non carent obliquitate aliqua, cum facile illis error obrepat, vel ex ignorantia, vel ex falsa informatione, vel ex passione. juxta posteriorem sensum, significatur adventus Christi ad Judicium : *veniet enim in nubibus coeli*, splendore magno circumdatus, ut ipse dixit in Evangelio Matth. 24. et 26. et ut Joannes scripsit Apocal. 11.

3. *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

Juxta priorem sensum significatur admirabilis potentia, efficacitas, et celeritas punitionis, quam Deus exercet in impios,quando vult eos punire in hoc mundo.*Ignis ante eum praecedet*,idest,quandocumque voluerit judicare, et punire impios, ignem a sede sua emittet; idest, virtutem efficacissimam et velocissimam, quae subito *inflammabit*, et consumet *in circuitu*, undique, ut non sit ullum effugium, *omnes inimicos ejus*. Potest etiam per ignem intelligi angelorum ministerium: nam ut dicitur in ps. 103. *Facit angelos suos spiritus, et ministros suos igem urentem*. De hoc igne dicitur in Ps. 17. *Ignis a facie ejus exarsit*, et Danielis 7. *Fluvius igneus, rapidusque a facie ejus egrediebatur*. Juxta sensum posteriorem significatur ignis ille, qui praeibit ante Judicium, et comburet omnia , quae in terra sunt, homines, domos, hortos, vineas, animantia, et caetera: de qua re scribit Apostolus Petrus in 2. Epist cap. ultimo, *quemadmodum tempore Noe mundus aquis inundans periit; ita in adventu Christi ad judicium, terram, et omnia quae in ea sunt, igni exurenda, et consumenda esse*. Quod autem dicit psalmus, solos inimicos Dei illo igne inflammandos; ideo dicit, quia solis impiis ignis ille nocebit, quique qui thesaurum suum, et cor suum habent in terra. Illi enim molestissime ferent per ignem illi occidi, et absumi opes omnes terrenas; quas diligebant: Justis autem non nocebit, quia bona terrena jam spreverant, seque ad meliora transferri per mortem videbunt.

4. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae, vidit, et commota est terra.*

Juxta priorem sensum pergit David explicare potentiam Dei impios. Deus enim non solum igne virtutis suae, aut angelorum sanctorum; sed etiam corporalibus fulguribus terret, quando ei placet, vel etiam tanta velocitate interimit hostes, ut tela ejusmodi nulla arte praecaveri, aut repelli possint. De hoc etiam dicit in psalm. 17. *Intonuit de coelo Dominus, et altissimus dedit vocem suam, misit sagittas suas, et dissipavit eos; fulgura multiplicavit,et conturbavit eos*; ait igitur,*Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae*; idest, quando placuit illi, in promptu habuit sagittas fulgurum jacere, et ubi illa illuxerunt orbi terrae, terra ipsa, quasi sensum haberet, et videret horrendam speciem coelestium jaculorum, tota contremuit, et tremore commota est. Est haec poetica descriptio, qua vis maxima fulgurum demonstratur. Juxta sensum posteriorem declaratur modus quo ante judicium ignis maximus exorietur , et consumet omnia; id enim fiet per instrumenta fulgurum, quae frequentissima erunt, sic legimus Sap. 5. *Ibunt, directae emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient*.

5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra.*

Hic explicat Propheta juxta utrumque sensum potentiam Domini per effectum; et persistit in eadem similitudine ignis: quomodo enim cera non potest subsistere ante faciem ignis, quin statim liquefiat, et pereat: sic montes quantumvis maximi, et durissimi sint, imo omnis terra, quae solidissima est omnium elementorum, vim divinae potentiae sustinere non posset, si Deus eam repente consumere, et ad nihilum redigere vellet. Itaque verba hujus versiculi non ita sunt accipienda, quasi re ipsa montes fluxerint, sicut cera; sed quia ita fieret, si Deus vellet. Alii exponunt montes fluxisse veluti ceram per apparentiam, quia visi sunt liquescere, et consumi, quamvis revera non consumerentur. Alii volunt, per montes, significari homines superbos, qui in judicio prae timore liquescent instar cerae ante faciem ignis. Illud *omnis terra*, in graeco est, πασης της γης *omnis terrae*, et sic legit sanctus Augustinus, et concordat cum hebraica lectione, quam sic reddit sanctus Hieronymus, *a facie dominatoris omnis terrae*. Fieri potest, ut nostra lectio vitio librariorum sit mutata, quod facillime contingere potuit: uterque tamen sensus est verus, neque est varietas haec alicujus momenti.

6. *Annunciaverunt coeli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.*

Juxta priorem sensum, *coeli annunciaverunt justitiam ejus*, quia ex conspectu solis, lunae et stellarum, et continuis conversionibus eorum, potuerunt homines intelligere Deum esse moderatorem justissimum orbis terrae. Sicut etiam dicitur in psal. 18. *Coeli enarrant gloriam Dei*, et idem affirmat Apostolus ad rom. 1. et sapiens in lib. Sap. cap. 14.Possunt etiam, per coelos annunciatores justitiae Dei, intelligi apostoli, et prophetae, ex quorum praedicatione viderunt omnes populi gloriam ejus, idest, cognoverunt, vel certe cognoscere potuerunt magnitudinem potentiae, bonitatis Dei, ex quibus consequitur gloria, idest, claritas nominis ejus. Juxta sensum posteriorem, significatur his verbis angelica tuba, quae de coelo annunciabit venturum judicem mundi totius, et rigorem justitiae ejus in eos, qui misericordem redemptorem suscipere noluerunt; et tunc videbunt omnes populi gloriam Domini, cum apparebit in nu-

http://www.obrascatolicas.com

bibus cum omnibus angelis in majestate sua. De hoc adventu scribit Apostolus. 1. Tessal. 4. *Ipse Dominus in jussu, et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo.* Ipse etiam Dominus Matth. 24. *mittet*, inquit, *Angelos suos cum tuba, et voce magna*, et Apocal. 1. scribit Joan. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Annunciabunt* ergo *coeli*, idest, angeli de coelo, *justitiam ejus*: qui veniet reddere unicuique secundum opera ejus: *et tunc videbunt omnes populi*, omnes omnino nullo excepto, *gloriam ejus*, quando *omne genu flectetur ei coelestium, terrestrium, et infernorum.* Philip. 2.

7. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.*

Juxta priorem sensum colligit Propheta ex jam dictis, merito confundi debere omnes idolorum cultores, cum jam satis constet unum solum esse verum Deum, qui dominatur, et regnat in coelo, et in terra, quique summa potentia, sapientia, et justitia praeditus gubernat omnia. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, quae Dii sunt inanes, et nec se, neque alios juvare possunt, et multo magis confundantur, *qui gloriantur in simulacris*, idest, in idolis *suis*; cum errore decepti glorientur in ea re, ob quam maxime erubescere deberent. Juxta sensum posteriorem, per modum imprecationis praedicitur confusio maxima, quae operiet in die judicii omnes idololatras: tunc enim apertissime cognoscent, idola nihil fuisse, et idolorum habitatores fuisse spiritus immundos, cum quibus ad aeterna supplicia damnabuntur.

8. *Adorate eum omnes angeli ejus; audivit, et laetata est Sion.*
9. *Et exultaverunt filiae Judae propter judicia tua Domine.*

Juxta priorem sensum, ut probet Propheta merito se dixisse, *confundantur qui adorant sculptilia*, convertit se ad angelos, et invitat eos ad adorandum Deum. Si enim angeli, qui sunt nobilissimae creaturae non debent adorari tamquam Dii, sed ipsi Deum adorare debent ut ejus servi: quanto minus daemones, vel idola colenda sunt? *Audivit, et laetata est Sion*, idest, audivit populus Dei, Deum ubique regnare, idolo nihil esse, ipsos etiam angelos subjectos esse Deo nostro: et ideo his auditis valde laetatus est, quod tantum habeat regem. *Et exultaverunt filiae Judae propter judicia tua Domine*, idest, idem populus Dei, qui et nomine Sion, et nomine filiorum Judae intelligitur, exultavit propter judicia tua, idest, quia tu Deus judicas omnes justo judicio. Juxta sensum posteriorem, demonstrat Propheta Majestatem Christi venientis ad judicium ex eo quod in judicio manifeste apparebit Christum vere esse Deum ex ministerio, quod illi exhibebunt omnes Angeli. Astabunt enim angeli ut ministri, eumque adorabunt, et obedient missi ab ipso ad diversa ministeria: ex quo sequetur maxima laetitia, et exultatio in veris fidelibus, cum viderint, tanta gloria coram toto mundo afflici Dominum suum. Utitur autem Propheta apostrophe ad angelos, et quasi exhortans ad faciendum, quod sua sponte facturos eos praevidebat. *Adorate*, inquit, *eum*, idest, Christum tribunali sedentem omnes angeli ejus. Confirmat hanc expositionem Apostolus ad hebr. 1. dicens, *et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit, et adorent eum angeli Dei.* Videtur enim Apostolus per illud, *iterum*, significare voluisse secundum adventum Christi, et ad illum adventum applicare ista verba psalmi, *adorate eum omnes angeli ejus*: non enim alibi, similia verba inveniuntur. Certe Theodoretus ex hoc psalmo Apostolum accepisse testimonium illud, diserte affirmat. Quod autem quidam auctor dicit, verba citata ab Apostolo, sumpta esse ex ultimo versiculo cantici Mosis quod habetur in Deuter. capit. 32. non videtur probabile, cum neque in textu hebraico; neque in versione Septuaginta fiat mentio adorationis. Per filias Judae, aliqui intelligunt oppida, subjecta civitati Jerusalem: sed quicquid sit de verbis, certum est, sensum pertinere ad populum Dei electum.

10. *Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.*

Reddit rationem, cur populus Dei exultare coeperit auditis illis, quae dicta sunt: ratio autem est, quia ex illis colligitur, Dominum populi Dei esse vere supremum Dominum, *Altissimum super omnem terram*, idest, super omnes reges, et principes terrae, et elevatum, *et exaltatum nimis*, idest, maxime, super omnes Deos, idest, super omnes angelos, qui sunt Dei per participationem, et super omnes Deos falsos, qui per errorem colebatur a gentibus. Et quamvis haec sint vera juxta priorem sensum, quia variis miraculis Deus noster se superiorem omnibus regibus terrae, et omnibus Diis manifeste probavit: tamen juxta sensum posteriorem, non minus vera, et magis clara sunt. Numquam enim Deus manifestavit gloriam suam apertius, quam faciet in novissimo die, quando, ut supra diximus, omnes omnino homines, et angeli tam boni, quam mali curvabunt genua ante illum.

11. *Qui diligitis Dominum odite malum, custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.*

Concludit psalmum exhortans populum Dei ad sectandam vitae puritatem et sanctitatem, quae, et in hoc tempore, et in futuro magnum praemium habebit. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Non poterat brevius, et plenius exhortari Propheta sanctus populum Dei electum: nam cum ait, *Qui diligitis Dominum*, appellat omnes vere justos: charitas enim Dei complectitur omnes virtutes: nam *qui diligit, legem implevit, et plenitudo legis est dilectio*, rom. 13. Itaque illud, *qui diligitis Dominum*, significat, o vos omnes, qui vere, non ficte, qui non ore tantum, sed etiam corde, qui secundum legis intimum, non secundum externam superficiem justi, et sancti, et Deum timentes estis. Illud, *odite malum*, comprehendit summam perfectae exhortationis, quoniam non ait, *fugite malum*, vel *declinate a malo*, quod utcumque actu externo fieri potest: sed, *odite malum*, quod nisi corde fieri non potest: Cor autem fons est omnium actionum bonarum, et malarum; ut enim ex corde procedit amor summi boni, ita *ex corde procedunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae*, Matth. 15. Subiungit deinde praemium dicens, *Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos*, idest, custos est Dominus fidelis, et diligens, fortis, et prudens diligentium se, ut vitam ipsorum defendat, et liberet de potestate iniquorum, qui ordinarie inimici sunt hominum justorum. Haec autem promissio impletur quidem in hac vita secundum priorem sensum: quoniam Deus custodit saepe vitam corporalem sanctorum suorum: semper autem custodit vitam spiritualem, quod est beneficium longe majus: et ideo fortasse dixit, *custodit animas*. Facit enim, *ut omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti*, roman. 8. Sed juxta sensum posteriorem, custodiet animas sanctorum suorum in die novissimo, ut nihil eis noceant accusationes inimici: et perfectissime de manu peccatoris liberabit eos: quia post ultimam illam sententiam nihil amplius poterunt peccatores adversus justos.

12. *Lux orta est justo, et rectis corde laetitia.*

Hoc est alterum praemium justorum, quod non solum liberabuntur a malis, sed etiam implebuntur bonis. Per lucem hoc loco potest intelligi lux favoris divini, vel, quod verius videtur, lumen justitiae, et intelligentiae, de quo dicitur Sap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et lumen justitiae non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis.* Dicitur autem lux justitiae, et intelligentiae oriri alicui, quando cognoscere incipit non theorice tantum, sed etiam practice justum, et injustum, bonum, et malum: et illud judicat, et eligit quod vere justum, et bonum est, non quod apparet justum, et bonum menti male affectae ex perturbatione passionum. Haec igitur lux orta est justo, sine qua non esset justus, et quia gaudium est justo facere justitiam, ut Philosophus docet, recte subjungitur, *et rectis corde laetitia*: justitia enim dirigit cor, et recto cordi ineffabilis infunditur laetitia ex eo quod conforme redditur voluntati Dei, et omnia ei placent, quae placent Deo, a cujus nutu pendent omnia. Itaque nihil est, quod justum contristare possit; sed inter ipsas etiam gravissimas tribulationes gaudet, et gaudium ejus nemo tollit ab eo. In hebraeo legitur, *Lux seminata est justo*: sed corrupta videtur litera hebraica unius literae munitione, nam, זרע *zarah*, significat, *seminare*, et sic legitur hodie: זרח *zarach*, significat, *oriri*, et sic legerunt septuaginta Interpretes, et sanctus Hieronymus, et idipsum confirmat ratio metaphorae, non enim lux recte dicitur seminari, sed oriri rectissime dicitur. Itaque lectio nostrae vulgatae editionis non est corrigenda ad hebriacam; sed contra, hebraica ad nostram.

13. *Laetamini justi in Domino, et confitemini memoriae sanctificationis ejus.*

Hoc sequitur ex iis, quae dicta sunt in superiori versiculo. Si enim laetitia orta est rectis corde; utique hoc sequitur, *ut recti corde*, id est, justi laetentur non in vanitatibus saeculi, in quibus laetantur injusti; sed *in Domino*, qui eis justitiam, et laetitiam donat, imo qui est ipsorum gaudium verum, et solidum, cum sit lux pulcherrima oculis interioribus, et dulcedo maxima interno palato. Nec solum *laetari debent justi in Domino*, sed etiam, *confiteri memoriae sanctificationis ejus*, idest, laudibus celebrare memoriam sanctificationis a Deo acceptae: non enim decet unquam oblivisci tanti beneficii, quo Deus nos ex impiis, et iniquis sanctos, et justos effecit. Potest etiam per sanctificationem intelligi sanctitas Dei, qua ipse sanctus est, quae est summa, et excellentissima sanctitas. Unde dicitur Isaiae 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Est autem, confiteri memoriae sanctitatis Dei, cum laudibus semper recordari Deum nostrum sanctissimum esse, ac per hoc debere nos summo studio sanctitati studere, *haec est enim voluntas Dei sanctificatio nostra*, 1. Thessal. 4. *Et sancti estote* (inquit Dominus) *quoniam ego sanctus sum*, Levit. 11. et 1. Petri 1.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS XCVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David.

In hebraeo non habetur nomen Davidis, sed simpliciter legitur, *psalmus*. Quis addiderit, *ipsi David*, ignoratur: credibile est septuaginta Interpretes addidisse. Argumentum est idem fere quod psalmi nonagesimi quinti. Praedicit enim David Christi adventum primum, et secundum; illum ad salvandum, istum ad judicandum.

EXPLICATIO PSALMI XCVII.

1. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.*

Invitat homines ad Deum laudandum ob mirabilia, quae fecit. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, quia videlicet novum offertur argumentum carminis, nec solum novum, sed magnum, et admirabile. *Quia mirabilia*, inquit, *fecit Dominus*: mirabiliter enim, et novo modo conceptus de Spiritu sancto, natus de Virgine peccatum nullum fecit, peccatores justificavit, surdos fecit audire, et mutos loqui, quin etiam caecos videre, claudos ambulare, aegrotos bene valere, mortuos vivere, et quod omnium est maxime novum, et mirabile, mortuus ipse se tertia die vivum exhibuit, coelum cum corpore penetravit, Spiritum sanctum de coelo misit per homines idiotas et viles, sapientibus, et prudentibus persuasit crucifixum colere, praesentia spernere, futura desiderare: denique (ut loquitur s. Augustin.) domuit orbem, non ferro, sed ligno. Possunt etiam haec referri ad Deum patrem, qui in filio suo, et per filium suum haec mirabilia fecit: ait enim Dominus Joann. 14. *Pater in me manens ipse facit opera.*

2. *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.*

Explicat quae sint illa mirabilia; et proponit unum, in quo continetur omnia. Hoc mirabile fecit Dominus, quod ipse solus virtute sua salvavit Mundum, non eguit sociis, non exercitu, non armis: ipse solus principem mundi ejecit foras, et universitatem generis humani de ipsius potestate liberavit. Hic finis erat omnium mirabilium, quae paulo ante numeravimus, ac per hoc in isto uno intelliguntur omnia. Illud, *salvavit*, potest referri ad Filium, qui sua virtute mundum salvavit; et ad Patrem, qui per dexteram suam, idest, per Christum mundum salvavit: sed in idem recidunt omnia. Illud, *sibi*, secundum hebraicam phrasim idem significat, quod ipsa, ac si dixisset propheta, Dextera ipsius ipsa salvabit, sive ipsa salutem mundi operata est. Sic legimus in canticis cap. 1. *Abi post vestigia gregum tuorum*, ubi est in hebraeo, ולכי לך *ulchi lach, abi tibi*, et cap. 2. *imber abiit* sibi: sed illud, *tibi*, et illud, *sibi*, omissum est ab interprete, quia redundat, et in ipso verbo subintelligitur. Sed Isaiae 59. expressit interpres illud, *sibi*, cum ita vertit, *salvavit sibi brachium suum*, et capit. 63. *salvavit mihi brachium meum.* Alii tamen volunt illud, *sibi*, positum esse pro eum, ut sensus sit, *salvavit eum dextera ejus*, quia propria virtute resurrexit a mortuis. S. Augustin. refert illud, *sibi*, ad Christum, ut ad finem, ut sensus sit, salvavit Christus homines, sed sibi, idest, ad gloriam suam. Omnes sunt expositiones verae, sed prima est maxime litteralis. Quod additur, *et brachium sanctum ejus*, est repetitio, et declaratio praecedentium; idem enim est dextera, et brachium, idest, virtus, et potentia; sed additur, *sanctum*, ut intelligamus, robur hujus brachii non esse aliquid carnale, sed spirituale: non enim Christus armis, aut viribus corporis hostem dejecit, sed charitate, et patientia, humilitate, et obedientia, meritis vitae sanctissimae, sanguine pretioso ex charitate fuso; non hasta, et gladio victoriam de hoste potentissimo reportavit. Sic enim ait apostolus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

3. *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.*

Potest hic etiam versiculus referri ad Patrem, qui *notum fecit salutare suum*, idest, Salvatorem, quem misit primo per prophetas, deinde per apostolos; et per eosdem *revelavit justitiam suam.* Potest etiam referri ad ipsum Filium, qui salutem, quam operatus est, ipse idem per se, et suos notam fecit: praedicavit enim ipse palam totos tres annos, et amplius: deinde misit apostolos, qui omnibus gentibus evangelium annunciaverunt. Itaque Dominus ipse praedicando, *notum fecit salutare suum*, idest, salutem suam attulerat, et dabat credentibus in eum; deinde *in conspectu gentium*, per apostolos suos, *revelavit justitiam suam*, idest, mysterium absconditum, et velatum a saeculo revelavit, et manifestavit gentibus: est autem hoc misterium justitia sua, id est, adimpletio promissionis olim facta patribus de redemptione generis humani. Sic enim intelligendam puto hoc loco justitiam, quoniam in versu sequenti declaratur haec justitia per nomen veritatis, ut mox videbimus. Si quis tamen velit per justitiam accipi hoc loco satisfactionem Christi ex rigore justitiae pro peccatis totius mundi, non repugno: sive haec referantur ad Patrem, sive ad Filium. Vere enim Pater per passionem Filii, et Filius per passionem suam, revelavit, quanto zelo punienda sit iniquitas, et quanto rigore justitiae eam ipse expiare voluerit. De hoc mysterio scribit Apostolus ad Ephes. 3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo.*

4. *Recordatus est misericordiae suae, et veritatis suae domui Israel.*

Reddit rationem, cur Deus notus fecerit salutare suum, et revelaverit justitiam suam. Ratio autem est: quia promiserat hoc Patribus, et quamvis aliquamdiu distulerit implere: tandem tamen recordatus est, idest, fecit, quod faciunt ii, qui recordantur: non enim in Deo cadere potest oblivio, sed metaphorice dicitur recordari, cum implet, quod distulerat implere, quasi oblitus esset. Eadem metaphora utitur passim scriptura, ut Gen. 8. *Recordatus est Dominus Noe*: et Luc. 1. *Recordatus misericordiae suae. Recordatus est* igitur Deus Pater *misericordiae suae*, qua promisit Patribus Salvatorem: et *recordatus est* Deus Filius *misericordiae suae*, qua venturum se esse pollicitus est: et simul recordatus est uterque *veritatis suae*, idest, fidelitatis, et justitiae in adimplenda promissione. Addit Propheta, *Domui Israel*, promissio enim domui Israel facta est non gentibus: tametsi gentium quoque misereri Deus decreverat, et per Prophetas saepe praedixerat. Hinc Dominus Matth. 15. dicit, *Non sum missus, nisi ad oves quae perierunt domus Israel*; et Apostolus rom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus Domine.*

5. *Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.*

Hic declaratur fructus praedicationis Apostolicae, non enim frustra notum fecit Dominus per evangelicam praedicationem salutare suum. Audierunt enim gentes praedicatores Dei, et crediderunt, atque eo modo purificato cordis oculo per fidem, et experimentum gratiae, *viderunt omnes termini terrae*, idest, tota terra usque ad terminos suos, *salutem*, sive *salvatorem*. Illud, *viderunt*, energiam habet: significat enim fidem actualem, cum notitia conjunctam, quae movet voluntatem ad amandum, et desiderandum: non enim dici possunt vidisse salutare Dei, qui fide habituali contenti de Salvatore non cogitant, neque de salutare (quae ab ipso est) acquirenda solliciti sunt. Illud, *omnes termini terrae*, non significat omnes, et singulos homines, sed multos ex omni natione, et gente.

6. *Jubilate Deo omnis terra, cantate, et exultate, et psallite.*

Signum fidei est gratias agere Deo, et prae laetitia spirituali exultare, et jubilare. Sic ille, qui invenit thesaurum, Matth. 13. *abiit, et prae gaudio vendidit omnia, quae habuit.* Sic Act. 8. cum praedicasse Philippus in Samaria, et recepissent Samaritani Verbum Dei; *factum est gaudium magnum in illa civitate*, et ibidem conversus, et baptizatus *Eunuchus ibat per viam suam gaudens.* Sic. 1. Petri 1. *Credentes exultantis laetitia inenarrabili, et glorificata.* Hoc igitur gaudium praedicit nunc propheta per modum invitantis, et cohortantis. *Jubilate*, inquit, *omnis terra*, idest, omnes fideles ex universa terra conversi de tenebris ad lumen admirabile, ad notitiam veri Dei, et salvatoris Jesu Christi, magna voce laudate, et gratias agite, cantate linguis, exultate animis, psallite moribus: et quia mores, sive virtutum opera multiplicia sunt: ideo multa hic subjiciuntur genera instrumentorum.

7. *Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi, in tubis ductilibus, et in voce tubae corneae.*

Quatuor istrumenta numerantur, quibus Deo psallere debent, qui viderunt salutare Dei per fidem, et videre cupiunt per speciem, cithara, psalterium (idem enim significat, in voce psalmi, et in sonitu psalterii) tuba cornea. Haec instrumenta erant in usu apud hebraeos secundum litteram: sed a nostris varie explicatur eorum significatio spiritualis. Mihi videntur posse satis commode applicari quatuor virtutibus cardinalibus: cithara prudentiae, psalterium justitiae, tuba ductilis fortitudini, tuba cornea temperantiae. Cithara variarum chordarum sonos miscens unum dulcem con-

http://www.obrascatolicas.com

centum efficit: Sic prudentia varias circumstantias operis boni conjungens perfectum opus reddit. Psalterium decem chordis instructum decalogum nobis repraesentat, idest, omnia praecepta justitiae. Tuba ductilis malleorum ictibus extenditur, et formatur, ut sonum suavissimum edat. Sic fortitudo, tribulationes, et angustias patienter ferendo ita extendit, et perficit hominem Dei, ut suavem illum sonum edat cum sancto Job, *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* cap. 1. Denique temperantia quasi durum cornu carnem mollem excedens, et superans; idest, corpus castigans jejuniis, atque vigiliis, et in servitutem spiritus redigens, tubam spiritualem efficit: qualis erat praecursor Domini, qui melle sylvestri, et locustis contentus, et pilos camelorum indutus; ac zona pellicea praecinctus dicebat, *Ego vox clamantis in deserto*. Matth. 3. qualis et beatissimus Paulus, qui diuturna temperantiae exercitatione edoctus, dulcissimos illos edebat sonos. 1. Cor. 6. *Habentes victum, et quibus tegamur, his contenti simus*, et 1. Tim. 4. *Esca ventri, et venter escis, Deus autem hunc, et has destruet*, et vere *magnus quaestus est pietas cum sufficientia*.

8. *Jubilate in conspectu regis Domini: moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.*

Quoniam adventus Domini communiter omnibus utilis erit, ideo Propheta invitat ad jubilandum, non solum terram in generi, sed omnes partes ejus. *Jubilate*, inquit, *in conspectu Regis Domini*, idest, cum advenerit rex magnus, qui Dominus omnium est, utpote verus Deus, *jubilate in conspectu ejus*, idest, ipso vidente, et audiente. *Moveatur ergo mare* motu exultationis, ac si sensu praeditum esset, et simul exultet *plenituto ejus*, idest, quicquid in eo est aquarum, insularum, piscium. Moveatur quoque simili exultationis motu *orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*, idest, omnes homines, quia Dominus Salvator est omnium hominum, maxime fidelium, ut Apostolus loquitur, 1. Timoth. 4. Et s. Leo. serm. 1. de natali Domini, Pro liberandis omnibus venit.

9. *Flumina plaudent manibus, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.*

Mare, et terram invitavit: invitat nunc flumina, et montes, ut similiter signa laetitiae edant: sed de mari dixit, *moveatur mare*, et in Hebraeo, ירעם הים *irham haiam, tonet mare*, idest, magno fremitu quasi tonet: de fluminibus dicit, *Flumina plaudent manibus*; quia sonitus fluminum multo levior est quam fremitus majus; proinde recte ille comparatur tonitruo, iste complosioni manuum. Quod autem dicitur, *montes exultabunt*, in hebraeo est, הרים ירננו *harim jerannenu, montes laudabunt*; sed omnia sunt metaphorica, sive dicantur montes exultare, sive laudare; et semper idem significant, videlicet prophetam ex amore, et desiderio erga Messiam venturum, optare, ut omnes res creatae laetentur, et laudent eo modo, quo possunt. Illud, *quoniam venit judicare terram*, potest referri tam ad primum, quam ad secundum adventum, ut diximus in explicatione psalmi nonagesimiquinti. Si ad primum adventum referatur, sensus erit, *exultent, et laetentur terra, et mare, montes, et flumina, quoniam Dominus venit judicare*, idest, regere, et moderari optimis, et justissimis legibus orbem terrarum non solum, ut olim majestate invisibilis divinitatis; sed etiam corporali, et visibili forma, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, ut dicitur ad Philipp. 2. Si referatur ad secundum, sensus erit, *exultet terra et mare, montes, et flumina, quoniam Dominus venit judicare terram*, et exterminabit omnes peccatores de ea, et renovabit omnia elementa, *et liberabit ea de servitute corruptionis sub qua nunc ingemiscunt, et parturiunt*, ut ait Apostolus ad Rom. 8.

10. *Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in aequitate.*

Haec conclusio eadem est cum conclusione psalmi nonagesimiquinti, excepto ultimo vocabulo. Ibi enim erat, *in veritate*, hic est, *in aequitate*, et per aequitatem intelligitur hoc loco *directio*, sive *rectitudo*, ut sonat vox hebraica, במישרים *bemesciariam*, et est repetitio, sive declaratio vocabuli justitiae. Quod enim dixit, *in justitia*, repetit, et declarat, cum dicit, *in aequitate*, sive rectitudine: quemadmodum quod dixit, *orbem terrarum*, repetit, et declarat cum dicit, *populos*. Itaque sensus est, *Judicabit orbem terrarum*, idest, omnes populos, *in justitia*, idest, in rectitudine judicii, in quo nihil erit obliquum, nihil iniquum.

PSALMUS XCVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus ipsi David.

In hoc psalmo nullus omnino titulus est apud hebraeos: apud graecos, et latinos titulus est, *psalmus ipsi David*, quem eumdem titulum invenimus in psalmo superiore. Argumentum est cohortatio prophetae ad agnoscendum regnum Dei, eumdemque Deum adorandum, et invocandum, ut fecerunt magna cum sua utilitate Moses, Aaron, et Samuel. Est autem duplex sensus in verbis hujus psalmi; unus deserviens tempori Davidis, cum regnum stabilitum esset in domo David, neque enim negari potest, quin in hoc psalmo sermo sit de vero monte Sion, de vera arca Dei, de Patribus illis, qui hic nominantur. Alter sensus est de regno Christi, de sacrosancta ejus ecclesia, et de glorioso corpore ejus: quorum typi fuerunt regnum David, mons Sion, et arca testamenti. Utrumque sensum breviter aperiemus, ut fecimus in explicatione psalmi 96.

EXPLICATIO PSALMI XCVIII.

1. *Dominus regnavit, irascantur populi: qui sedet super Cherubim, moveatur terra.*

Juxta priorem sensum significatur in hoc primo versiculo, stabilitum fuisse regnum Dei in Jerusalem tempore Davidis, quantumvis inimici ejus idololatrae indignarentur, et turbarentur. *Dominus*, inquit, *regnavit*, idest, jam Dominus expulsis Jebusaeis, et Chananaeis idololatris regnum suum stabilivit in Jerusalem. Quamvis enim David rex esset, tamen sub Deo regnabat, et ipsi Deo principaliter regnum suum attribuebat. *Irascantur populi*, idest, *Dominus regnavit* invitis, et repugnantibus populis idololatris; *regnavit*, inquam, quantumvis irascantur, et indignentur populi: vel, ut exponit sanctus Augustinus, prophetia est, non jussio, et sensus est, *regnavit Dominus, irascentur populi*, qui regnum ejus ferre non possunt. *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*, idest, ille Dominus regnavit, qui sedet super Cherubim, moveatur licet, et turbetur terra. Dicitur Dominus ad litteram sedere super Cherubim, quia sedem sibi elegerat propitiatorium, quod sustinebatur a duobus Cherubim lignis, sed deauratis, sub quibus erat arca, quasi scabellum pedum Domini. Dicebatur autem Dominus sedere invisibiliter in propitiatorio, quia inde responsa dabat. Unde dicitur 1. Paralip. 13. *Arca Dei sedentis super Cherubim*. Sed altiore sensu dicitur Deus sedere super Cherubim, quia praesidet spiritibus angelicis: vel, ut sanctus Augustinus exponit, quia Cherubim interpretantur plenitudo scientiae, et Deus superemnet omnem scientiae plenitudinem. Ubi etiam monet, posse nos fieri Cherubim, et habere in nobis praesidentem Deum, si habuerimus plenitudinem scientiae, non cujuscumque, sed ejus, quam in nobis Deus requirit, quae est scientia voluntatis ejus, idest, scientia legis ipsius. *Et quoniam plenitudo legis est dilectio*, ut ait Apostol. rom. 13. tunc erimus Cherubim, et habebimus praesidentem Deum, si dilectionem habuerimus, sicut scriptum est, anima justi sedes est sapientiae. Illud *moveatur terra*, declaratio est verborum praecedentium, *irascantur populi*. Voluit enim Spiritus sanctus ostendere, eos qui irascuntur contra Deum nihil esse, nisi terram, et ideo nihil posse adversus Deum, qui sedet in coelo super Cherubim, neque esse timendos a nobis, si et ipsi fuerimus Cherubim, et Deum in nobis sedentem habuerimus. Juxta sensum posteriorem significatur hoc loco, regnum Christi declaratum post ejus resurrectionem et ascensionem: tunc enim praedicari coepit per omnem terram, et continuo irati sunt populi, et commota est terra pugnantibus pro idolis suis contra Dominum suum: sed illis invitis, et repugnantibus regnavit Dominus Christus, et contrita sunt idola. Quamvis autem ira populorum infidelium videatur praevaluisse adversus corpora sanctorum martyrum: revera tamen non praevaluit: quoniam corpora illa reformabuntur ab eo, qui mortem in se ipso occidit; et vivent in aeternum: idola vero semel contrita numquam reficientur.

2. *Dominus in Sion magnus, et excelsus supra omnes populos.*

Juxta priorem sensum redditur ratio, cur frustra irascantur populi adversus Deum, qui regnum suum stabilivit in Sion. Ratio enim est, *quoniam Dominus in Sion*, regnans, *magnus* est, *et excelsus super omnes populos*, idest, excellit omnes

http://www.obrascatolicas.com

magnitudine, potentia, et sapientia, ut nullo modo superari possit. Juxta sensum posteriorem significatur, Christum, qui regnat in ecclesia tum militante, tum triumphante, quae per Sion, et Jerusalem intelligitur, magnum esse, et excelsum super omnes populos, ut nullus ei resistere valeat.

3. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, et sanctum est, et honor regis judicium diligit.*

Juxta utrumque sensum hortatur Propheta populos, ut non solum non irascantur adversus Dominum, sed potius ad illum conversi laudibus celebrent nomen ejus, *quoniam terribile, et sanctum est*. Dicitur autem nomen Domini terribile, et sanctum, quoniam nomen est judicis, sive regis potentissimi, et justissimi: et quia potentissimi regis nomen est, terribile est, et quia justissimi, sanctum, ac venerabile. Id quod sequitur, *Et honor regis judicium diligit*: est quasi ratio quaedam, cur nomen Dei, sive Christi sit terribile, et sanctum, hic enim est sensus, terribile et sanctum est nomen Domini, qui rex justissimus est, quoniam dignitas regia, vel sanctitas regia vel auctoritas regia id proprie requirit, ut rex judicium diligat, hoc est, amore justitiae recte judicet, non timore, aut necessitate aliqua, vel passione coactus. Itaque illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut alibi passim in scripturis. Illud autem, *honor regis*, significat regiam dignitatem, sive auctoritatem vox enim hebraea, עז *hoz*, multa significat, robur, auctoritatem, honorem, sanctitatem, substantiam, et similia.

4. *Tu parasti directiones, justitiam, et judicium in Jacob tu fecisti.*

Ostendit verum esse, quod paulo ante dicit, *honor regis judicium diligit*: ostendit autem per apostrophen ad Deum, sive Christum, quasi dicat, vere tu, ut rex optimus, et justissimus justitiam diligis: nam *tu parasti directiones*, idest, leges rectissimas, et ad dirigendos mores hominum aptissimas parasti, et confirmasti: et praeterea tu non solum leges ferendo, sed etiam judicia rectissima exercendo demonstrasti. te *justitiam* diligere: nam, *In populo tuo Jacob justitiam, et judicium fecisti*, puniendo peccata: et remunerando benefacta, cujus rei multa sunt exempla in utroque testamento: quamvis enim ad tempus patiatur Deus pios affligi, et impios exaltari: tamen postea pios liberat, et coronat; impios damnat, et cruciat, saepe hic in terris, semper autem in saeculo futuro.

5. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

Ex his colligit Propheta adorandum esse Deum, et hortatur ad id studiose faciendum, et quidem juxta priorem sensum hortatur ad Deum adorandum non solum in seipso, sed etiam in arca foederis, quae scabellum erat pedum ejus: sic enim legimus 1. Paralip. 28. *Ut requiescat arca Domini et scabellum pedum ejus*. Neque mirum est, quod arca dicatur scabellum pedum Domini, cum propitiatorium, quod sustentabatur a duobus Cherubim, esset sedes Dei, ut in primo versiculo dictum est: erat enim arca sub ipso propitiatorio, quasi scabellum subpedaneum sub solio. Ait igitur, *exaltate Dominum Deum nostrum*, corde videlicet, et voce laudando, et magnificando majestatem ejus: *et adorate scabellum pedum ejus*: corpore scilicet incurvantes, et prosternentes vox ad arcam foederis, quae est scabellum pedum ejus. *Quoniam arca*, sive scabellum hujusmodi *sanctum est*, propter relationem ad Deum, cui dicata est, et propter ejus honorem adorantur. Ex hoc loco satis aperte colligitur adversus haereticos nostri temporis, res sacras, ut imagines Christi, et sanctorum, reliquias eorumdem, et altaria, sacra vasa, et similia propter relationem ad Deum, vel sanctos, sanctas esse, et honoraria adoratione dignas. Neque obstat, quod in hebraeo ad verbum legatur, *adorate ad scabellum*, non, *adorate scabellum*: Nam vox hebraica, השתחוו *istachavu*, pro qua habemus, *adorate*, significat proprie prosternere se: idem est autem, prosternite vos ad sdabellum, et adorate scabellum. Neque etiam obstat, quod in graeco legatur, *Quoniam sanctus est*, non autem *quoniam sanctum est*, nam vox hebraica, קדוש הוא *adosck hu*, ambigua est potest referri ad scabellum, et verti, *Quoniam sanctum est*: et potest etiam referri ad Deum, et verti, *Quoniam sanctus est*, utroque autem modo significatur, scabellum esse adorandum popter relationem ad Deum, qui sanctissimus est; et sanctitatem impertit iis, quae ad eum pertinent, quatenus ipsius sunt. Nostra autem lectio reprehendi non potest: nam s. Hieron. in commentario, ubi exponit psalmos juxta versionem Septuaginta, legit in textu, et in commentario, *Quoniam sanctum est*: et s. Augustinus quamvis uno in loco legat, *quoniam sanctus est*; tamen in textu, et in commentario pluribus in locis legit, *Quoniam sanctum est*, ex quo intelligimus, graecum textum varium fuisse. Neque obstat, quod in fine psalmi dicatur, *Quoniam sanctus Dominus Deus noster*: nam in fine psalmi non dicitur, adorate montem, sed *in monte*: et jam dictum erat, *In monte sancto*, unde non erat opus iterum repetere, quoniam sanctus mons est. Juxta sensum posteriorem, hortatur Propheta, ut omnes adorent humanam Christi naturam, quae scabellum est divinitatis longe nobiliore modo, quam esset arca lignea. In illa enim erat verbum Dei scriptum in tabulis lapideis, in hac autem est ipse Deus verbum: illi conjunctae erant tabulae legis sola unione extrinseca, quia continebantur in illa, ut in vase: isti unitum est verbum hypostatice, ut vere dictum sit a Joanne cap. 1. *Verbum caro factum est*. Neque solum adorandam esse Christi humanitatem, ut est in propria forma, sed etiam ut latet sub speciebus sacramentalibus in Eucharistia docent ex hoc loco psalmi s. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. et

s. Augustinus in explicatione hujus versiculi. Ex quo refellitur alius error haereticorum; qui negant, Christum in Eucharistia esse adorandum.

6. *Moyses, et Aaron in Sacerdotibus ejus et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.*

Hic jam ponit Propheta exemplum, quod imitemur, trium insignium virorum, qui Dominum exaltaverunt, et adoraverunt scabellum pedum ejus, atque adorantes invocaverunt Dominum, et audivit eos Dominus, et mirabilia per eos operatus est. Nominat autem tres principes viros, qui super omnes eminuerunt post rempub. Judaicam constitutam; Moses enim fuit summus Princeps politicus, et summus sacerdos hebraeorum, Aaron fuit summus sacerdos tantum. Samuel summus princeps politicus tantum. Quamvis enim nonnulli patres Samuelem sacerdotem appellent, ut sanctus Ignatius in epist. ad Magnerianos, sanctus Cyprianus in epist. 65. ad Rogatianum, s. Athanasius in homil. de semente, s. Joannes Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Timotheum, et s. Augustinus lib. 17. de civit. Dei cap. 4. et lib. 2. retract. cap. 43. et in explicatione hujus psalmi: contra tamen s. Hieron. lib. 2. in Jovinianum, et auctor quaestionum veteris Testamenti (apud Augustinum tom. 4.) quaest. 46. constanter docent, Samuelem non fuisse sacerdotem, sed simplicem levitam, et probant his argumentis. Primo, quia non erat de filiis Aaron, ut manifestum est ex genealogia ipsius lib. 1. Paralip. cap. 6. vers. 34. quae est conformis genealogiae patris sui Elcanae lib. 1. reg. 1. vers. 1. constat autem solum posteros Aaronis, fuisse sacerdotes: caeteros vero levitas, ministros sacerdotum. Num. 16. et 18. Deinde quia Samuel ministrabat amictus ephod lineo, ut patet ex lib. 1. reg. cap. 2. Is vero habitus proprius erat levitarum, non sacerdotum. Tertio quia Elcana pater Samuelis erat levita, non autem sacerdos. Quarto, quia David in hoc psalmo distinguit Samuelem a Mose, et Aaron sacerdotibus, dum eum non numerat in sacerdotibus, sed in iis, qui invocabant nomen Domini, idest, qui studiose Deum colebant et invocabant pro se, et populo.

7. *Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.*

Ostendit, viros istos fuisse amicos Dei: nam invocabant Dominum pro se, et pro populo, et ipse ut amicos fideles exaudiebat eos. Id constat ex testimonio scripturarum, de Mose quidem Exod. 31. de Aaron. Num. 16. de Samuele 1. reg. 7. Quod autem in columna nubis loqueretur Deus ad Mosem, constat ex lib. Exod. c. 33. quod etiam ad Aaronem, constat ex lib. Num. cap. 12. de Samuele nusquam legitur. Itaque vel illud, *Loquebatur ad eos in columna nubis*, intelligendum est, ad aliquos eorum: vel, ut exponit s. Augustinus, per columnam nubis significatur obscure locutio, quomodo certum est, ad Samuelem quoque Deum esse loquutum. Nam 1. reg. 3. Deus in tenebris noctis Samueli loquebatur, ita ut vocem Dei loquentis audiret, neminem autem loquentem videret.

8. *Custodiebant testimonia ejus, et praeceptum quod dedit illis.*

Haec est ratio cur Deus prompte audiret Mosem, Aaronem, et Samuelem, quoniam obedientes erant imperio ejus. Nam, ut Dominus ait in evangelio. Joann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, ideo qui vult audiri a Deo in orationibus suis, debet audire Deum in praeceptis ipsius. *Custodiebant*, inquit, *testimonia ejus*, idest, omnia mandata, quae communia erant omnibus. *Et praeceptum quod dedit illis*, id est, non solum custodiebant praecepta communia toti populo de non colendis idolis, de sanctificando sabbato, de parentibus honorandis, de non occidendo, non moechando, et caetera ejusmodi; sed etiam praeceptum de recte gubernanda, et docenda multitudine, quod proprie ad ipsos, ut principes populi, pertinebat. Principes enim non sunt exempti a praeceptis divinis, imo debent in iis custodiendis toti populo praelucere.

9. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.*

Haec verba dupliciter exponi solent. S. Augustinus ita exponit, ut velit hic significari viros etiam perfectos in conspectu hominum, habere aliquid purgandum coram Deo, et Deum hoc ipso benevolentiam erga illos ostendere, quod non sinit impunita eorum errata, quamvis levia. Ponit exemplum in opificiis, quae oculis imperitorum videntur omnino perfecta, et tamen ab artifice adhuc poliuntur, quoniam aliter judicat peritus artifex, aliter imperitus inspector. Sic igitur exponit s. August. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos*, cum juxta peterent: *Deus tu propitius fuisti*, facilis ad ignoscendum eum in te peccarent: *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*, non sines impunita peccata eorum. Quia vero Samuelis peccatum nullum legitur in scriptura, ut neque etiam aperta vindicta, sanctus Augustinus recurrit ad communem poenam omnium Praelatorum sanctorum, quam patiuntur dum vident peccata populorum, et coguntur tolerare infirmitates eorum, et cum Apostolo 2. Cor. 11. dicere, *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Posset etiam dici, quod hic legimus de propitiatione, et vindicta peccati, referendum esse ad Mosem, et Aaronem tantum, quemadmodum ad eos tantum proprie referendum est quod supra dictum est, *In columna nubis loquebatur ad eos*. Nam Mosis, et Aaronis peccatum, et poena peccati legitur Num. 20. ubi cum nonnihil haesitassent in educenda aqua de petra; dixit Dominus ad Mosem, et Aaron: *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis*. Altera expositio est graecorum, Theodoreti, et Euthymii, qui non

http://www.obrascatolicas.com

admittunt hoc loco reprehendi ullo modo Mosem, Aaronem, et Samuelem. Sic igitur exponunt, *Deus tu prophitius fuisti eis*, quando te invocabant pro peccato populi, nam in eorum gratiam toti multitudini parcebas: *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*, idest, et ulciscens fuisti omnes injurias, quasi ipsi patiebantur ab iniquis, qui adinveniebant varias calumnias, et insidias adversus sanctos principes suos. Ubi illud, *adinventiones eorum*, volunt accipi passive, idest, *adinventiones*, quas Mosem, Aaron, et Samuel, non faciebant, sed patiebantur. Utraque expositio probabilis est, sed prior videtur simplicior, et facilior.

10. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

Concludit Propheta repetens versiculum quintum, quoniam in hoc versiculo continetur summa totius psalmi, sive finis, et quasi scopus, quo omnia diriguntur. Hoc solum interest, quod in quinto versiculo dicebatur, *adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*: hic dicitur, *adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster:* in hebraeo, sicut in quinto versiculo, dicebatur ad verbum, *prosternite vos ad scabellum pedum ejus*, idest, ad arcam: ita hic dicitur, *prosternite vos ad montem sanctum ejus*: et potuisset latine verti, *adorate montem sanctum ejus*, idest, montem Sion, ubi erat tabernaculum, et arca. Sed latinus interpres imitari voluit graecam interpretationem: graeci enim de scabello dixerant; προσκυνειτε τω υποποδιω, *Adorate scabellum*: de monte autem dixerant προσκυνειτε εις ερος *adorate in monte*. Nec solum graeci, sed etiam s. Hieronymus in sua versione ex hebraeo posuit, *Adorate scabellum*: et postea, *Adorate in monte sancto ejus*. Quare credere debemus versiculum hebraicum non debere in utroque loco eodem modo accipi: et retinendam esse lectionem vulgatae latinae editionis, quae et a graeca septuaginta Interpretum, et a S. Hieronymo testimonium habet. Igitur juxta priorem sensum hortatur David Hebraeos, ut adorent Dominum in monte Sion, ubi erat tabernaculum, et ubi futurum erat templum. Juxta sensum posteriorem hortatur christianos, ut adorent Deum in ecclesia catholica, quae mons est sanctus, et Sion spiritualis, et fugiant conventicula schismaticorum, et haereticorum: quoniam sanctus est Dominus Deus noster, ac per hoc odit montes pollutos sordibus falsarum religionum, et sicut ipse sanctus est, ita in monte sancto, in coetu fidelium adorari vult.

PSALMUS XCIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus in Confessione.

Huic titulo, qui est in hebraicis codicibus, graeci addunt nomen *Davidis*. Argumentum ex titulo cognoscitur. Hortatur enim Propheta populum Dei, ut frequenter, et diligenter Deo confiteatur confessionem laudis, tum quod Deus nos condiderit, tum quod pascat, tum quod dulcissima sit ejus commemoratio, et perpetua erga nos ejus misericordia, et fidelitas.

EXPLICATIO PSALMI XCIX.

1. *Jubilate Deo omnis terra: servite Domini in laetitia.*

Jubilare, ut saepe diximus, est magna, et laeta voce laudare; servire autem in laetitia, est non ex timore, sed dilectione obedire. *Jubilate Deo omnis terra*, idest, omnes qui Deum verum colitis, ubicumque sitis in universa terra, Deum laudate: nam et boni, et mali sunt in universa terra, admixta enim sunt zizania tritico, et spinis lilia. Et sicut in universa terra blasphemant, et murmurant contra Deum mali, si quid eis non pro voto successerit; ita par est, ut in universa terra laudent, et benedicant Dominum boni, quidquid illis acciderit: *quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, teste beato Paulo Roman. 8. *Servite Domino in laetitia*, idest, servite obediendo Deo, non coacte, sed spontanee, non cum amaritudine, ut mancipia; sed cum laetitia ut liberti: nam ut pulchre dicit s. Augustinus, Veritas nos liberavit, sed charitas servos fecit: et qui servit ex charitate, cum laetitia servit. Causa vero potissima, cur Deo cum laetitia serviendum sit, ea est, quia summa praeceptorum ejus dilectio est, et dilectione nihil dulcius: accedit, quod servitus Dei nobis utilis est, non Deo, ut vere dictum sit, *servire Deo regnare est*.

2. *Introite in conspectu ejus in exultatione.*

Ubique quidem Deum laudare debemus, sed praecipue cum intramus in domum ejus, quae domus orationis est, ubi et ipsum Deum in sacris rebus conspicimus, et ipse nos speciali providentia respicit, et audit juxta illud 1. Paral. 7. *Erunt oculi mei aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit*. Idcirco igitur monet Propheta, *Introite in conspectu ejus* in domum Dei, ubi peculiari modo conspicitis Deum; et conspicit vos Deus; sed introite in exultatione cordis, animo erecto, et inflammato, ut Deus vos prae desiderio sui exultantes videat.

3. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos.*

Ad excitandam devotionem, quae in domo Dei requiritur nihil magis prodest, quam attenta consideratio magnitudinis Dei, et beneficiorum ejus. *Scitote*, inquit, *quoniam Dominus ipse est Deus*, id est, considerate, et attenta cogitatione cognoscite, quoniam Dominus, quem colitis, et ad quem orandum, et laudandum acceditis, ipse est verus Deus, quo nihil majus, vel melius cogitari potest. Ipse est etiam, cui vitam vestram, et totum, quod estis debetis. *Ipse enim fecit nos, et non ipsi fecimus nos*, idest, non caremus principio efficiente, neque aliud habemus, quam ipsum Deum: quamvis enim parentes gignant filios, tamen prima causa, sine qua parentes nihil efficerent, Deus est. Quam multi dant operam liberis, et nullum gignere possunt? quam multi contra vellent satiare libidinem, et liberos non gignere, quibus tamen licet invitis liberi nascuntur? recte mater sanctorum Machabaeorum filiis suis dicebat: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum, et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator formavit hominum nativitatem, et omnium invenit originem*. 2. Machab. 7: s. Hieronymus ex hebraeo vertit, *Ipse fecit nos, et ipsius nos*. Sed videtur corruptum textum habuisse, codices enim nostri habent, לא *lo*, per aleph, quod significat *non*: et sic legerunt septuaginta Interpretes, qui verterunt ad verbum, *Ipse fecit nos, et non ipsi nos*. Sanctus Hieronymus videtur legisse, לו *lo*, per vau, quod significat *ipsius*, sive *ipsi* in dativo, et ideo vertit, *Ipse fecit nos, et ipsius nos*. Quidam recens auctor reprehendit vulgatam latinam editionem dicens, aliquem, sciolum conjunxisse in latino codice duas hebraicas lectiones, et fecisse, *Et non ipsi nos*; et sic omnia confudisse: sed immerito reprehendit hanc lectionem, quae optima est, et quam habent sanctus Augustinus, et ipse sanctus Hieronymus in commentario hujus loci, et alii fere omnes. Latinus enim interpres addidit illud, *ipsi*, ad vitandam cacophoniam, quae sentitur, cum dicitur, *Ipse fecit nos, et non nos*: nec volunt, *ipsi*, accipi in dativo, ut iste scriptor existimat, sed in nominativo. Itaque non conjunxit sciolus duas lectiones; sed interpres unam expressit, quam invenit in graeco, quaeque congruit cum hebraico magis correcto. At, inquiunt aliqui, nemo nescit, se non esse a se factum; proinde non erat, quod admoneret nos Spiritus sanctus, dicens, *ipse fecit nos, et non ipsi nos*: proinde melior est illa lectio, *ipse fecit nos, et ipsius nos*. Respondeo, etiam si nemo ignorare possit, se non esse sibi vitae auctorem; tamen multos esse, qui non considerent a quo facti sint, et qui ita se gerant, ac si neque Deum, neque ullum alium auctorem haberent, propterea utilissimum fuisse, ut serio admonerentur homines cogitare, se non esse sibi auctores vitae, sed vitam, et omnia uni debere Deo.

4. *Populus ejus, et oves pasquae ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.*

Commemorat alterum beneficium Dei, ob quod justum est, ut ei confessionem laudis persolvamus: quia videlicet non solum fecit nos, sed etiam regit, et pascit nos. *Populus ejus*, idest, populus, quem Deus peculiari providentia regit. *et oves pascuae ejus*, idest, et quos veluti rationales oves in pascuis suis doctrinae pabulo reficit, et corporalibus etiam alimentis pascit, introite portas *domus ejus*, sive tabernaculi ejus, *in confessione laudis*, *et atria ejus* in hymnis, et sic *confitemini illi* vos omnia ei debere, ac de manu ejus bona omnia suscepisse.

5. *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia ejus, et usque in generationem, et generationem veritas ejus.*

Addit Propheta tres proprietates Dei; quasi tres rationes, cur dignus sit, ut ab omnibus laudetur, quia suavis, quia misericors, quia verax, quae tria ita connexa sunt, ut unum nascatur ab alio. *Suavis est Deus*, et quia suavis, facile miseretur; quia miseretur, promittit liberationem; quia verax, implet promissa. *Laudate*, inquit, *nomen ejus*, idest, laudate Deum; nomen enim pro re nominata poni solet in scripturis. *Laudate* autem, *quoniam suavis est Dominus*. Mira proprietas omnipotentis, ac tremendae Majestatis, quae lucem habitat inaccessibilem, et quae terribilis est super omnes Deos, et aufert spiritum principum, et de quo Apostolus dicit, hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*: et tamen verissime dictum est, *Quoniam suavis est Dominus*, quod non semel in psalmis aliisque divinis Scripturis repetitur: psal. 34.

http://www.obrascatolicas.com

Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus, psalm. 83. *Quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae*, 1. Petr. 2, *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*, 2. Cor. 1. *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis*. Sed facile concordantur ista, quae videntur contraria: Deus enim suavis est rectis corde ac timentibus eum: asper autem, et terribilis distortis corde; et contemnentibus eum. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, inquit David in psalm. 72. nam planum, asperum videtur distorto, quia conjungi non possunt. Sunt autem distorti sive pravi corde, qui nolunt conformari rectissimae voluntati divinae: quales sunt contemptores, et ideo dicitur in psal. 102. *Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: et misericordia ejus ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum*; quod etiam in cantico suo Virgo Deipara posuit dicens: *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Itaque si quis incipiat cor suum dirigere, et conformare ad beneplacitum Dei, et nihil magis timere, quam ne Deum offendat, mox gustare incipiet, quam dulcis sit Dominus: et implebitur erga eum quod sequitur: *In aeternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus*, idest veracitas, et fidelitas ejus.

PSALMUS C.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David Psalmus.

In hoc psalmo David explicat exemplo suo qualis debeat esse bonus princeps, tum erga familiares, et privatam suam domum; tum erga rempublicam. Et quidem in textu hebraico omnia dicuntur per verba temporis futuri; ex quo intelligimus, Prophetam regium non tam cantare laudes proprias, quam optare, et petere a Deo gratiam bene imperandi, et proponere, ac statuere sic vivere, ut pium regem decet. Sed quoniam septuaginta Interpretes verterunt fere omnia in tempus praeteriti imperfecti, et eorum interpretationem sequutus est latinus interpres, non oportet negare, quin etiam Prepheta regius narret bona opera sua ad informandos successores, ac potissimum filium: neque id superbiae, vel arrogantiae tribui debet, quando vera dicuntur coram Deo, et ad finem bonum: sic enim idem David in psalm. 17. multa cecinit de sua innocentia. Sic Job capit. 29. plurima de suis benefactis praedicavit. Sic Esther capit. 14. sic Nehemias cap. 6. sic Ezechias 4. reg. 20. sic alii. Porro Pharisaeus in evangelio non reprehenditur, quod gratias egerit Deo de suis operibus bonis: sed quod superbe illa jactaverit, et proximum suum contempserit, Luc. 18. Adde quod David ideo incipit psalmum ab aliis verbis, *Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine*, ut ostendat bonorum operum suorum causam efficientem fuisse tum misericordiam Dei, cujus dona sunt opera nostra bona: tum judicium Dei, cujus timore adductus justitiam coluit.

EXPLICATIO PSALMI C.

1. *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine.*

Haec est quasi praeparatio totius psalmi, qua significat Propheta, se cum cantu celebraturum misericordiam, et judicium Domini, cujus rei multae sunt causae: prima, ut omnes intelligant benefacta Davidis, quae in psalmo commemorantur; esse dona misericordiae Dei, coronanda postea per justum judicium Dei: secunda, ut Principes admoneantur, Deo maxime placere misericordiam, et judicium, et ideo ipsi quoque misericordes sint, sed non injusti; justi, sed non crudeles: tertia, ut omnes homines sperent de misericordia Dei, et timeant judicium Dei: non ita sperent, ut praesumant: non ita timeant, ut desperent. Posuit autem David primo loco misericordiam, deinde judicium, quia hoc tempus praesens misericordiae est, futurum erit judicii; et ideo nemo miretur, si hoc tempore *Deus solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*. Matth. 3.

2. *Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.*

Hic versiculus pars est praefationis: dicit enim Propheta, se non solum voce cantaturum misericordiam, et judicium Dei: sed etiam per instrumentum, idest, psalterium celebraturum, et mente consideraturum, et contemplaturum. *Psallam*, inquit, idest, psalterium manu pulsabo, ut voce mea, et voce psalterii decantem misericordiam, et judicium: *et intelligam in via immaculata*, idest, considerabo, attendam, cogitabo viam immaculatam, et perfectam, quae consistit in misericordia, et judicio: nam *omnes viae Domini misericordia, et veritas*: similis est locutio in psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem*, idest, qui attente considerat miseriam pauperis, ut eam sublevet. Sic igitur hoc loco dicitur, *intelligam in via immaculata*, idest, attente considerabo viam immaculatam, ut ambulem per eam. *Quando venies ad me*, idest, id autem faciam non viribus meis, sed auxilio gratiae tuae, *quando venies ad me*, ut illumines, et doceas, et accendas, et moveas. Hanc ultimam particulam aliqui legunt cum interrogatione, *quando venies ad me?* sic s. Hieronymus in commentario, et Theodoretus, atque Euthymius, et textus hebraicus, et graecus huic lectioni favent: et tunc vox est optantis, ut sensus sit, *Intelligam in via immaculata*: O quando venies ad me, ut prefecte intelligam, et intelligens ambulem in via immaculata. Sed quamvis haec lectio verum sensum contineat, non tamen est necessarium ita legere, neque rejicienda est latina, et vulgata lectio: siquidem vox hebraica, מתי *mathai*, significat, *quando*, et potest cum interrogatione, et sine interrogatione legi: certe sanctus Hieronymus in sua versione ex Hebraeo ita reddit, *Erudiar in via perfecta, quando venies ad me.*

3. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meae.*

Hic jam incipit explicare mores suos laudabiles, ut caeteri imitentur, tum successores, tum subditi. Ad hoc enim princeps in sublimi loco sedet, ut tamquam lucerna in candelabro posita omnibus luceat. Ac primum declarat, qualis fuerit apud se, et in oculis Dei: deinde qualis fuerit erga alios, et in oculis populi. Ait igitur, *Perambulabam in innocentia cordis mei*, idest, vitam ducebam, sive perambulabam viam hujus praesentis vitae, conservans in primis cordis innocentiam: cogitabam bona, appetebam bona, delectabar in bonis; cavebam ne cor meum vitiosis cogitationibus, aut desideriis inquinarem: sciebam enim a corde vitam mortemque procedere. Hinc filius ejus Salomon a patre institutus postea scripsit, Proverb. 4. *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit*. Illud, *in medio domus meae*, significat, in penetralibus domus meae, ubi non erat qui me reprehendere posset. Multi enim in foro, et plateis modeste, et temperate se gerunt; sed in cubiculo, ac praesertim in cubiculo cordis per omnia scelera volutantur: sed David etiam in penetralibus domus, etiam in cubiculo cordis innocentiam custodiebat.

4. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes praevaricationes odivi.*

Dixit de innocentia cordis, nunc addit de innocentia oculorum, et manuum. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam*, idest, avertebam oculos, tum mentis, tum corporis ob omni injustitia, sive in judicando subditos, sive in distribuendis honoribus, et praemiis; sive in commutationibus, et contractibus. Potest etiam latius hic locus explicari, ut sensus sit, avertebam oculos ab omni spectaculo vitioso, a ludis illicitis, a choreis impudicis, ab omni aspectu rerum quae mentem inquinare possunt. Codex hebraeus pro re injusta, habet, דבר בליעל *devar beliahal*, *verbum Belial*, ubi verbum pro re ponitur, et *Belial* significat absque jugo, quibus duabus vocibus significatur omne genus vitii. Dicuntur viri Belial homines indisciplinati, immorigerati, perversi. *Facientes praevaricationes odivi*, idest, non solum oculos averti a rebus illicitis, nec tantum praevaricationem legum operari nolui; sed odio habui omnes praevaricationes facientes; ac per hoc ipsam praevaricationem maxime detestatus sum. In hebraeo clarius dicitur, עשה סטים שנאתי *haso setim sanethi, idest*, *facere praevaricationem odivi*, idest, ego rem injustam nec videre, nec facere volui.

5. *Non adhaesit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam.*

Docuit qualis esset apud se: docet nunc qualis esset apud alios; ac primum dicit talem se fuisse, ut perversi homines non auderent se illi adjungere. Magna virtus haec est, cum tanta est apud homines opinio de sanctitate alicujus, ut iniqui non audeant coram illo apparere: et tales omnino esse deberent principes, et praelati, qui sunt dati a Deo aliis in exemplum. *Non adhaesit mihi cor pravum*, idest, non adjunxit se mihi homo pravi cordis: sic interpretatur Theodoretus. Alii per cor pravum intelligunt affectum vitiosum: sed de cordis puritate, et innocentia supra dictum est, neque verisimile est idem hoc loco repeti: et sequentia verba melius cohaerent cum expositione Theodoreti; neque est inusitatum, ut homo valde perversus dicatur *cor pravum*, et homo scelestus dicatur *scelus*, et homo carnalis dicatur caro. *Declinantem a me malignum non cognoscebam*, idest, declinabant a me maligni etiam me ignorante, vel si declinabat a me malignus, non curabam, nihilique faciebam, vel declinantem a me malignum non cognoscebam, idest, non approbabam, neque amabam; ac per hoc non laborabam, ut rediret ad amicitiam meam. Sanctus Hieronymus aliter ex hebraeo distinguit, et vertit, *Cor pravum recedet a me: malum non cognovi*. Sed voces hebraicae utramque distinctionem, et versionem recipiunt, et sensus in eamdem sententiam recidit: tractatores autem graeci et latini editionem nostram communiter sequuntur.

6. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.*

Alia virtus plane regia hic aperitur, in qua mirifice lucent misericordia, et judicium, quoniam

http://www.obrascatolicas.com

enim reges potestatem habent puniendi iniquos: multi zelo justitiae, sed odio proximorum, deferunt ad reges, quasi noxios eos, quos perdere volunt, et falsis querelis, vel potius calumniis eos gravant: David rex sapiens, et justus, ejusmodi delatores iniquos gravissime puniebat; et eo modo misericordiam exercebat in injuste delatos, et judicium in delatores injustos. *Detrahentem*, inquit, *secreto proximo suo*, idest, eum, qui falsi criminis accusabat proximum suum, et secreto apud me detrahebat de fama ejus, eum, inquam, non modo audiebam, sed *graviter persequebar et puniebam*: in hebraeo pro voce, *persequebar*, est אצמית *atzmith*, quam s. Hieron. vertit, *interficiam*, proprie autem significat *exscindam*, sive *exscidebam*, et potest exponi variis modis pro varietate criminis delatorum, ut sensus sit, exscindam ab amicitia, vel ab aula, vel a civitate, vel a provincia, vel denique a vita: non enim omnis injusta delatio meretur mortem. Itaque prudenter septuaginta Interpretes posuerunt verbum generale, *persequebar*, quod potest exponi, usque ad exilium, vel usque ad necem, vel ad poenas mitiores pro gravitate, vel levitate criminis. Extat etiam apud Ethnicos laus imperatoris Trajani, quod delatoribus operam non daret: et contra, Maximini reprehensio, quod delatoribus nimium indulgeret.

7. *Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.*

Non solos detractores, sed etiam superbos, et cupidos David detestabatur; et merito: Nihil enim tristius accidere populis potest, quam si ministri regum superbi, aut avari sint; abutuntur enim ejusmodi ministri publica potestate ad explendas cupiditates proprias, non sine magno detrimento subditorum. Ait igitur, *superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc edebam*, idest, non convescebar quasi domestico, et familiari, homini superbo oculo, idest, homini, qui oculis, vel superciliis elatis superbiam ostendit, neque convescebar, homini insatiabili corde, cujus cupiditas nullis opibus saliatur. S. Hieronymus, et Euthymius per insatiabilem corde, avarum intelligi volunt. Alii cum s. Augustino, per *insatiabilem corde, et superbum oculo*, eumdem significari docent, hominem videlicet elatum, et tumidum. Vox hebraica utrumque sensum recipit: nam רחב לבב *urcab lebab*, proprie significat, *latum corde*: dicitur autem *latum cor* quod impleri non potest, sive id referatur ad honores. Pro, *non edebam*, s. Hieron. ex hebraeo vertit, *non potero*. Sed septuaginta Interpretes vocem, אוכל *ucal*, deduxerunt a verbo, אכל *achal*, quod significat comedere et legerunt, אוכל *ocal*, sanctus autem Hieronymus eamdem vocem deduxit a יכול *jacol*, quod significat posse. Quod autem solerent ministri principales comedere in eadem mensa cum rege apud hebraeos intelligi potest ex lib. 1. regum capit. 20. Ubi David qui tunc Dux militiae erat, sedere solitum se dicit de more in mensa juxta regem: et ibidem dicitur Abner, qui erat etiam princeps militiae, sedisse in mensa ad latus Saul regis.

8. *Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.*

Explosis detractoribus, superbis, et avaris a familiaritate, et ministerio suo; David adjungit, eligere se fuisse solitum fideles, et probos; haec enim duo praecipue requiruntur in bonis ministris, ut fideles sint Domino suo, et probi ad propriam, et aliorum salutem. Saepe a principibus ministri retinentur, et chari habentur qui fideles sunt; quamvis alioqui impuri, et scelesti, et se ipsi perdant propria culpa, et alios malo exemplo; sed sanctus David non solum fideles sibi ministros querebat, sed etiam omni ex parte innocentes, et probos, ac sibi per omnia similes. Ait igitur, *Oculi mei ad fideles terrae*, idest, oculi mei querebant, et investigabant fideles, qui erant in terra, sive, ad eos, quos tales noveram, benigne respiciebam, eosque eligebam, *ut sederent mecum in mensa*, ut domestici et familiares. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, idest, si quis erat in civitate, vel in regno meo non solum fidelis, sed etiam perfecte conversans, innocenter vivens, immaculatis moribus vitam decens, is mihi praecipuus minister erat.

9. *Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.*

Supra eos detestatus est, qui superbo oculo arrogantiam ostentabant: hic jam detestatur eos, qui manibus superbi sunt, idest, qui superbe alios opprimunt: sic etiam supra reprehendit eos, qui detrahebant secreto proximo suo; nunc reprehendit, et a suo consortio rejicit eos, qui loquuntur mendacia ad fallendos quoscumque homines. *Non habitabit in medio domus meae*, idest, non erit inter intimos familiares meos, *qui facit superbiam*, idest, qui facit opera superba; qui superbe insultat aliis, vel opprimit alios. *Qui loquitur iniqua*, idest, mendacia quibus injuste alios fallat, sive in commerciis, sive in aliis negotiis, *non direxit in conspectu oculorum meorum*, idest, non placuit oculis meis, sive non direxit cursum desiderii sui, non prosperatus est coram me; non enim invenit gratiam in oculis meis. In hebraeo pro *superbia*, *dolus* legitur. Sic enim vertit sanctus Hieronymus, *non habitabit in medio domus meae faciens dolum*. Sed Septuaginta viri non videntur legisse, רמיה *remia*, quae vox significat *dolum*, sed, רמה *rama*, quae significat, *alta*, sive excelsa, nisi forte ipsum, *remija*, deduxerint a verbo, רום *rum*, quod significat, exaltari, et ideo verterint superbiam.

10. *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Concludit psalmum demonstrans zelum suum in purganda civitate Domini, in qua purgatione faciebat misericordiam erga bonos cives, quos liberabat ab oppressionibus, et scandalis iniquorum, et judicium erga malos quos meritis poenis afficiebat, *in matutino*, idest, mature, celeriter, antequam mala radicarentur, *interficiebam omnes peccatores terrae*, eos videlicet, qui morte digni erant, et quibus vita concedi non poterat sine periculo innocentium. Id autem faciebam, *ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*, idest, ut civitati sanctae, et pacificae pacem suam, et tranquillitatem restituerem, exturbatis inde omnibus perturbatoribus. Haec omnia, quae dicta sunt in persona Davidis, aptius conveniunt Christo regi, ac praesertim hic ultimus versiculus: David enim conabatur disperdere de civitate Domini omnes operantes iniquitatem: sed non poterat, nec potuit unquam. Christus autem in matutino futuri saeculi vere, et proprie disperdet omnes operantes iniquitatem, et deinceps civitas sancta Jerusalem coelestis erit secundum nomen suum *visio pacis*.

PSALMUS CI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.

Hunc titulum habent omnes codices, hebraici, graeci et latini: ex quo titulo habetur argumentum psalmi. Est enim hic psalmus formula quaedam orandi, qua uti poterit unisquisque pauper, et afflictus, cum valde anxius fuerit et effundere voluerit precem suam ad Deum. S. August. et s. Gregor. per pauperem, hoc loco intelligunt Christum, qui partim in sua persona, partim in persona corporis sui loquatur, eo modo, quo caput loqui solet pro toto corpore. Theodoretus, et Euthymius per pauperem, intelligunt populum captivum in Babylone, et petentem liberationem a captivitate. Alii volunt, pauperem, qui in hoc titulo ponitur, fuisse sanctum aliquem virum: qui anxiabatur pro liberatione populi, qualis fuit Daniel. Et quidem ad hos omnes accomodari possunt verba psalmi: sed tamen Propheta generatim instruere voluisse videtur omnes oratores in afflictione positos: non enim ait, *oratio pauperis cujusdam cum anxiaretur*: sed, *oratio pauperis, cum anxiatus fuerit*. Et hoc videtur sensisse b. Hieronymus, qui in Commentario scribit, Prophetam loqui in persona peccatoris. Vere enim nullus est pauperior, et miserior eo, qui indiget gratia Dei. Unde et ecclesia hunc psalmum numerat inter septem poenitentiales. Hic igitur erit sensus tituli: oratio pauperis, cum anxius fuerit idest, hic psalmus docet formam orationis, qua uti poterit omnis pauper, ac praecipue is, qui ob admissa peccata debitor est decem millium talentorum, et non habens unde reddat, anxiatur stimulante conscientia, timens judicia Dei, anhelans ad reconciliationem. *Et in conspectu Domini effuderit precem suam*, idest, hac formula orandi uti debet pauper anxius, non quocumque tempore, neque apud quemcumque Judicem, sed cum in conspectu Domini Dei, supremi Judicis, et Patris omnium, effundere voluerit ex vase cordis contriti, et humiliati cum abundanti fletu preces suas, vel ut habetur in hebraeo, שיחו *sicho*, *eloquium suum*.

EXPLICATIO PSALMI CI.

1. *Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.*

Nunc versiculum assidue pronunciat Ecclesia, tamquam praeparationem ad reliquas petitiones: didicit enim ex Propheta, petendam esse a Deo audientiam, antequam petitiones particulares explicentur, non quod Deus quasi ad alia intentus egeat excitari ad audiendum; sed quia nos egemus, ut Deus det nobis spiritum precum, imo *spiritus ejus sit, qui postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut habetur Rom. 8. idest, faciat nos clamare, et postulare cum inenarrabili gemitu. *Domine*, inquit, *exaudi orationem meam*, idest, *fac me sic orare, ut dignus sim exaudiri*. Et rursum idem repetit ad indicandum affectum: *et clamor meus ad te veniat*, idest, fac me sic orare ut oratio mea sit vehemens clamor cordis, et ita vehemens, et accensus, ut non deficiat in via, sed ad te, qui in altissimo throno sedes, quamvis perfecta ex imo profundo, tandem perveniat. Multa sunt enim, quae impediunt, ne oratio nubes penetrat ut sunt defectus fidei, fiduciae, humilitatis, desiderii,

http://www.obrascatolicas.com

et similium. Itaque petit gratiam bene orandi, hoc est, apte ad impetrandum.

2. *Non avertas faciem tuam a me: in quocumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*
3. *In quocumque die invocavero te, velociter exaudi me.*

Haec est prima, et principalis petitio pauperis tribulati, sive peccatoris poenitentis: *nemo enim potest corrigere, quem Deus despexerit*, ut dicit Sapiens, eccl. 7. Et prima gratia, et fons gratiarum est respectus Dei; ideo iste primum omnium petit respici a Deo, quasi dicat, *non avertas faciem tuam a me*, quantumvis foedus, et turpis sim: et si non provocat te ad me respiciendum imago tua, quoniam foedavi eam; provocet misericordia tua, quia quo turpior sum, eo miserior, et miserabilior sum: et nisi me respexerit, numquam ego ad te respiciendum convertar: sed quotidie magis ac magis in peccatis tabescam, et semper foedior, ac turpior fiam. Itaque qui haec dicit, jam coepit respici a Deo, sed a Deo adhuc subirato, et subinde faciem avertente: ideo gustata utcumque gratia luminis, et respectus Dei, clamat, *non avertas faciem tuam a me, ne projicias me a facie tua*; perfice quod coepisti, convertens te ad me, ut ego perfecte convertar ad te. *In quocumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Haec est altera petitio, sed consequens ad primam: nam ex respectu vultus Dei incipit homo agnoscere turpitudinem, et nuditatem, ac per hoc veram paupertatem suam. Inde incipit affligi, et tribulari, et medicum supremum, qui dives est in misericordia, invocare: scit enim, a Deo cor contritum et spiritum contribulatum numquam despici. Ait igitur confidenter, *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*, idest, quantocumque ex respectu gratiae tuae spiritum contribulatum gero; et inde clamo ad te, peto ut benigne exaudias me. Et idipsum explicans addit, *In quocumque die invocavero te, velociter exaudi me*, idest, quandocumque tribulor, et ex tribulatione invoco te medicum omnipotentem, exaudi me, et quidem velociter, ne si forte tardaveris, non invenias quem sanes.

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.*

Reddit rationem, cur dixerit, *velociter axaudi me.* Ratio enim est, quia vita humana velocissime tendit ad interitum, et ideo nisi peccati vulnus velociter curetur, periculum est ne plaga incurabilis fiat. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei*, idest, tempus vitae meae hucusque transactum velocissime praeteriit instar fumi, qui quamvis in magnam molem intumescendo excrescat, tamen subito dispergitur, et evanescit in auras, et sine dubio sic transibit: id quod superest, *et ossa mea*, quae sunt quasi columnae totius corporis, brevissimo tempore *aruerunt*, ac per hoc debilitata sunt, ut brevi ruinam minentur. Per *cremium* intelligitur lignum, seu virgultum aridum, quod facile cremari potest, ut s. Hieron. docet in commentario ad cap. 10. Oseae: vel, ut alii volunt, lignum semiustum, ac fere crematum; utrumque autem fragile est, ac debile, ut pondus superpositum diu sustinere non possit. S. August. legit, *ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt*: quam lectionem invenimus in editione antiqua romana. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *ossa mea, quasi frixa contabuerunt.* Vox hebraica, מוקד *moked*, non habetur nisi hoc loco, ideo unusquisque pro suo arbitrio eam interpretatur. Septuaginta verterunt, ωισει φρυγιον συνεφρυγησαν, quae verba utrumque significare possunt, nimirum, *quasi cremium aruerunt, et quasi in frixorio confrixa sunt.* Possunt haec referri etiam ad deplorandum tempus in peccatis misere consumptum, ut sensus sit, *Dies mei*, in quibus videlicet voluntatem meam faciebam, et quos pro arbitrio, sine timore Dei in voluptatibus consumebam; illi inquam, *dies defecerunt sicut fumus*, quia tenebricosi, et brevissimi fuerunt, neque ullum sui vestigium reliquerunt. *Et ossa mea*, idest, fundamenta, et quasi columnae prosperitatis meae, *sicut cremium aruerunt*: citissime enim transit omnis mundana foelicitas, neque aliquid post se relinquit, nisi tetrum odorem quasi rei concrematae, aut frixae, malam videlicet famam, et nominis execrationem.

5. *Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Pergit deplorare statum suum praeteritum, ac dicit, *percussus sum ut foenum*, idest, a sole prosperitatis mundanae percussus sum *ut foenum*, quod facillime exarescit; *et aruit cor meum*, quia occupatus in curis hujus mundi oblitus sum comedere panem meum, panem videlicet veritatis coelestis, qui proprie panis noster est, non communis cum bestiis, nam cibus corporalis non est proprie panis noster. Verissima sententia, et ab iis, qui prosperitate fruuntur assidue consideranda; nisi enim qui in prosperitate sunt, sub umbra alarum Dei commorentur, vel imbre divinae gratiae continuo perfundantur, fieri non potest, quin ut foenum percutiantur, et cor eorum nauseans ad coelestem panem, non penitus exarescat. *Videte*, Dominus ait Luc. 21. *ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitae*: qui enim tales sunt, obliviscuntur comedere panem verum, et ab omni devotionis gratiae aridi fiunt.

6. *A voce gemitus mei, adhaesit os meum carni meae.*

Explicat nunc dolorem vitae praeteritae, et fructus dignos poenitentiae; quemadmodum enim antea virebat caro in deliciis, et arescebat cor oblitum comedere panem suum: ita nunc e contrario *a voce gemitus sui*, idest, a continuo fletu obliviscitur caro comedere panem suum, *et sic adhaerent ossa carni*, idest, pelli suae; accipitur enim hoc loco caro pelle, ut s. Hieronymus admonet. Itaque commentantur hoc loco fletus, et jejunia, quae vere poenitentiae fructus, et signa sunt.

7. *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax in domicilio.*
8. *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.*

Addit ad fletum, et jejunia solitudinem, et vigilias, quae propria sunt vere poenitentium; nisi enim quis a frequentia hominum ad tempus se subducat, et serio vigilans recogitet magnitudinem, et multitudinem peccatorum suorum, vix fieri potest, ut ea digne defleat. Tres aves commemorat Propheta, quibus poenitentem similem faciat; *pellicanus*, alias Onocrotalus, avis est in solitudine degens; *nicticorax*, alias noctua, sive bubo, degit in domibus dirutis, sive in parietibus tecto carentibus: et quod nos legimus, *in domicilio*, supplendum est diruto. Sic enim habetur in textu hebraico. S. Augustinus legit, *in parietinis*, et explicat, in aedificiis, ubi muri stant sine habitatore; *passer solitarius* habitat quidem in domibus, sed in parte domus suprema, ut magis supra domos, quam in domibus habitare dicendum sit. In graeco habetur επι δωματος: notat s. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam, in Palaestina, et in Aegypto non esse in usu tecta acuminata, sed plana, quae etiam solaria dicuntur, in quibus frequenter conveniunt homines ad fabulandum, apricandum, et convescendum, proinde idem esse in domate, et in tecto, quia quod Romanis est tectum, Palaestinis est *doma*: et quod dicitur Matth. 10. *Praedicate super tecta*, intelligendum esse de ejusmodi solariis, sive domatibus, ut etiam quod dicitur Act. 11. de s. Petro, *Ascendit in superiora domus, ut oraret.* Significat autem hae tres aves tria genera poenitentium: aliqui enim omnino loca deserta petunt, ut Maria Magdalena, Maria Aegyptiaca, Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, et alii plurimi, qui dicere possunt cum Propheta, psal. 54. *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine*; et quemadmodum Pellicanus cum venenatis animantibus, ac potissimum cum serpentibus bellum gerit, ut s. Hieronym. scribit, sic Anachoretae cum daemonibus assidue luctantur, et ex victoriis adversus daemones quasi pascuntur. Alii poenitentiam agunt intra civitates, sed in coenobiis, et exiguis cellulis, quasi in tuguriis, et a mundo separati quasi nycticoraces magnam noctis partem in divinis laudibus decantandis consumunt: nicticorax enim dicitur, quasi noctu clamans, et sicut nicticoraces ex timore clamant; ita poenitentiam agentes ex timore judiciorum divinorum in orationibus, et hymnis, et canticis spiritualibus clamant. Denique alii, qui vel alligati uxoribus, vel officio publico fungentes, non possunt corpore ab hominum frequentia separari, veluti passeres solitarii in tectis habitant, eminentes animo non solum super turbas, sed etiam super ipsas domos. Hi quidem in mundo sunt, sed de mundo non sunt, dum non subjiciuntur opibus, aut honoribus, aut saeculi negotiis; sed ea sibi subjiciunt, illis praesunt aeque disponunt, atque dispensant, et non sinunt se ita capi, aut illaqueari quin animus libere in solitudine degat, et in coelis subinde versetur. Horum est proprium vigilare, et praedicare super tecta; vigilare adversus tentationes, et pericula sua, et suorum; et verbo, atque exemplo praedicare iis, quibus praesunt. Estque hoc genus utilissimae poenitentiae, in sublimi loco humilitatem servare, in amplis opibus sobrio victu, et tenui vestitu contentum esse, ut abundanter tribui possit iis, qui necessitatem patiuntur; in magna peccandi licentia corpus castigare jejuniis, et vitae asperitate in servitutem redigere; denique proximis ex charitate servire, eorum infirmitatibus campati, eorum molestias, et scandala sustinere.

9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei; et qui laudabant me, adversus me jurabant.*

Semper vita eorum, qui serio poenitentiam agunt, displicet peccatoribus haerere volunt. *Gravis est nobis*, inquiunt impii, Sapient. 2. *etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae ejus*: quamvis enim haec dicantur de justo: tamen conveniunt etiam in peccatorem poenitentem, qui ad justitiam anhelat. Ait igitur, *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, idest, qui mihi erant amici ob communia studia iniquitatis, jam mihi in alterum hominem mutato, facti sunt inimici, et omni tempore exprobrabant mihi hanc mutationem, quasi insipienter agerem: et quia antea laudabant me, ut prudentem, et fortem socium eorum, quia laudatur impius cum male fecerit, postea *adversus me jurabant*, idest, juramento inter se praestito conspirabant. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, per me jurabant. Sed vox hebraica, ב *bi*, significat proprie, *in me*, ac per hoc recte habet nostra editio, *adversus me*: idem enim est, in me jurabant; et, adversus me jurabant.

10. *Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.*

Reddit causam cur exprobrarent ei inimici ipsius. *Quia*, inquit, *cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam*, id est, quoniam insipientiam esse arbitrabantur tantum asperitatem vitae sponte assumptam. Porro cinerem tamquam panem manducare, est vesci pane sordido, et cinere asperso, quod praecipue contingit, cum comeditur panis subcinericius non diligenter excusso cinere, quod solent poenitentes, vesci videlicet, cibis male praeparatis, pane hordaceo, vel furfureo, et admisto cinere, vel terra, quod de s. Francisco testatur s. Bonaventura cap. 5. vitae ipsius, cocta, inquit, cibaria, tempore sanitatis vix admittebat, admissa vero conficiebat cinere, etc. potum autem cum fletu miscere nil aliud est, nisi inter bibendum vinum, *quod laetificat cor hominis*, non laetari, sed flere ob me-

http://www.obrascatolicas.com

moriam admissae offensionis divinae. Posset etiam per cinerem, intelligi poenitentia ipsa, et sensus esset, *cinerem tamquam panem manducabam*, idest, actione poenitentiae reficiebam animam, ut pane refici solet corpus: *et potum meum cum fletu miscebam*, idest, lachrymarum effusione sitim internam reconciliationis temperabam, quomodo potu aquae, aut vini temperatur sitis corporalis. Denique quomodo dicitur in psal. 14. *fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte*; et Tren. 3. *Cibavit me cinere*: ita potest hic locus intelligi, ut sensus sit. Quotidie in amaritudine eram, et ipsa amaritudo, quae per cinerem significatur, erat mihi panis quotidianus; et assiduus fletus erat mihi quotidianus potus: sustentabar amaritudine, reficiebar lachrymis doloris, et desiderii.

11. *A facie irae, et indignationis tuae quia elevans allisisti me.*

Ecce cur verus poenitens cinere suturari, et lachrymis refici eligat, non ex insipientia, non ex inopia, sed quia recogitat indignationem Altissimi, cui per hanc humiliationem, et verae poenitentiae signa aliquo modo satisfacere cupit. *Manducabam*, inquit, *cinerem tamquam panem, et potum cum fletu miscebam a facie irae et indignationis tuae*, idest, quia conspiciebam iram, et indignationem tuam adversus me succensam ob admissa peccata. Cernebam autem iram, et indignationem tuam, *quia elevans allisisti me*, idest, quia elevans ex gratia tua ad maximam dignitatem amicitiae, et filiationis tuae, postea merito peccati mei allisisti me ad terram, deturbans de dignitate amici, et filii ad sortem inimici, et servi rebellis, et fugitivi. Ne putarent homines peccatores modicam esse jacturam gratiae, quam peccando faciunt, utitur Scriptura verbo allisionis: vas enim, quod ex alto loco in terram alliditur, non solum amittit dignitatem loci, sed omni ex parte confrigitur, ut nihil sani, nihil boni remanet. Sic homo peccator quamvis amore carnali caecatus non videat detrimentum animae suae; vere tamen totum amittit, cum et corpus, et anima ejus deputata sit ad gehennam ab eo, cui nemo resistere potest.

12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut foenum arui.*

Signum, et pars quaedam allisionis est haec ipsa nostra mortalitas: nam cum primus homo elevatus esset ad gloriam magnam, ut posset in aeternum vivere: per peccatum tamen allisus est cum tota posteritate, et mortalis effectus, declinantibus diebus ejus velut umbra, ipse quoque sicut foenum aruit. Ait igitur Propheta in persona poenitentis, non solum ego ab ira tua allisus sum in terram ob mala merita mea propria, sed etiam ex antiqua, et communi allisione *dies mei sicut umbra declinaverunt*, idest, velociter, et sine quiete ulla insensibiliter transierunt, quomodo umbra insensibiliter, et continuo movetur, donec occidente sole, penitus evanescat, et in tenebras noctis quodammodo transeat. *Et ego sicut foenum arui*, idest, qui creatus eram, ut semper sicut palma viverem; nunc allisus in mortalitatem, sicut foenum, quod facillime siccatur, exarui.

13. *Tu autem Domine in aeternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.*

Haec est altera pars psalmi, in qua Propheta in persona pauperis poenitentis, post explicatam miseriam suam, spem reconciliationis concipit, et spiritu divino illustratus praedicit reparationem, et renovationem ecclesiae futuram per Christum, et verba sua ad ipsum Christum dirigit, ut Apostolus exponit ad hebr. 1. volens enim Apostolus eo loco demonstrare Christi divinitatem, allegat primo loco verba psal. 44. *Thronus tuus Deus in saeculum saeculi*. Deinde psalm. 95. *Adorent eum omnes angeli Dei*. Postremo psalmi hujus 101. *tu Domine initio terram fundasti*, etc. quae verba ad eumdem dicuntur, ad quem dicuntur ista, *tu autem Domine in aeternum permanes*. Proinde si illa dicuntur ad filium Dei, ista quoque dicuntur ad filium Dei. Neque videntur satisfacere huic rationi, qui dicunt, haec verba dici ad Deum simpliciter; sed posse tribui filio, quia filius Dei Deus est: si enim ita esset, Apostolus non probaret, sed poneret ut concessum, Christum Deum esse. Igitur sensus erit, ego quidem ut foenum arui; tu autem Domine, quem expectamus Messiam, in aeternum permanes; et nostra quidem memoria cum sonitu perit, memoriale autem tuum, idest, memoria tua propagabitur semper in generationem, et generationem, quia semper erunt per temporum successiones qui recordentur mirabilium operum tuorum.

14. *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.*

Ideo memoriale tuum propagabitur in generationem, et generationem, quia tu quoque non obliviscaris misereri populi tui: sed *exurgens* quasi a longo somno *misereberis Sion*, et misertus advenies, et salvabis nos: quia per spiritum video, *quia tempus miserendi jam venit*, idest, jam prope est ut veniat, jam propinquat, imo in mente mea jam venit. Quoniam rem futuram ex certitudine luminis Prophetici cerno ut praesentem. Hoc est tempus de quo Apostolus ad Galat. 4. *Cum venit plenitudo tempore misit Deus Filium suum*. Et de quo Isaias cap. 49. *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*. Quod explicans Apostol. 2. ad Corinth. 6. ait, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*.

15. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.*

Praevidit, et praedixit Propheta renovationem sanctae Sion, ex eo quod praevidit, servos Dei jam desiderio accensos ad ecclesiae aedificationem, praevidit videlicet, sanctos Apostolos, qui antea piscationi, et rebus vilissimis intentebat, postea a Christo edoctos, et Spiritu sancto repletos relictis omnibus aliis curis, totos se dedisse ecclesiae aedificationi. *Quoniam*, inquit, *placuerunt servis tuis*, idest, iis, quos tibi in servos elegisti, et praedestinasti, placuerunt *lapides ejus*, idest, placuit aedificatio novae Jerusalem, placuit colligere, et congregare lapides vivos, qui super fundamentum jam positum superaedificantur; *et terrae ejus miserebuntur*. Et terram ipsam novae Jerusalem fovebunt, et amabunt, ut mater fovet, et diligit infantem uteri sui: nam in Scriptura verbum miserendi, significat paterno vel materno affectu diligere. Isaiae 49. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Per lapides intelliguntur viri constantes, et perfecti; per terram sive pulverem, ut sonat vox hebraica, עפר *haphar*, intelliguntur infirmi, et instabiles, de quibus Apostolus Rom. 14. *Infirmum in fide assumite*, et Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*, et 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, et ego non infirmor*.

16. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.*

Ex hoc loco intelligimus, minus recte exponi hunc psalmum ab iis, qui docent in versiculis praecedentibus praedici reversionem Judeorum ex captivitate Babylonica, et reaedificationem Jerusalem eversae a rege Nabuchodonosor; non enim tunc omnes gentes terrae timuerunt nomen Dei, neque omnes reges gloriam ejus. Siquidem haec adventui, et glorificationi Messiae reservabantur, et ut praedictum fuit, sic et adimpletum fuisse constat. Ait igitur, *et timebunt gentes*, idest, et tunc cum aedificabitur nova Sion, Gentiles convertentur, et timebunt timore sancto, piaque veneratione *nomen tuum Domine*, Jesu Christe, *et omnes reges terrae pariter convertentur, et timebunt gloriam tuam*, idest, Majestatem tuam, ut regis regum, et principis regum terrae sedentis ad dexteram Patris donec subjiciantur sub scabellum pedum tuorum omnes inimici tui; et postea venturi Judicis omnium vivorum, et mortuorum, et reddituri singulis secundum opera ipsorum.

17. *Quia aedificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.*

Ecce cur timebunt omnes gentes, et omnes reges gloriam Christi. *Quoniam aedificavit Sion*, idest, in praesenti, invitis licet, et repugnantibus gentibus, et regibus, aedificavit ecclesiam suam, *adversus quam portae inferi non praevalebunt*, Matth. 16. *et in futuro videbitur in gloria sua*, quando veniet cum omnibus angelis, in nubibus coeli, cum potestate magna judicare saeculum. Quando coepit aedificare Sion, visus est in humilitate sua, dicente Isaia cap. 53. *Vidimus eum, et non erat ei species*: sed quando veniet judicare, tum plane videbitur in gloria sua.

18. *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.*

Haec refertur ab aliquibus ad preces sanctorum Prophetarum, et piorum virorum testamenti veteris, qui expectabant adventum Messiae, sed fortasse rectius sentiunt, qui referunt ad preces sanctorum martyrum, qui dicunt in Apocal. cap. 6. *usquequo Domine non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his, qui sunt in terra?* Videbitur ergo filius Dei in gloria sua, quia respexit in orationem humilium martyrum, aliorumque piorum servorum suorum; et non sprevit preces eorum, et ideo veniet judicaturus, et vindicaturus sanguinem eorum de his, qui sunt in terra. Haec expositio melius connectit verba psalmi: nam secundum priorem expositionem, praesens versiculus reddit rationem verborum illorum, *tu exurgens misereberis Sion*. Quae habetur in versic. 14. at secundum expositionem posteriorem reddit rationem verborum, quae habetur in versiculo proxime praecedenti, imo in secunda parte versiculi, videlicet, *Et videbitur in gloria sua*.

19. *Scribantur haec in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum.*

Ne Judaei sibi tribuerunt hanc prophetiam, et ne forte intelligerentur, quae supradicta sunt de solutione captivitatis Babylonicae, et aedificatione Jerusalem terrenae; placuit Spiritui sancto disertis verbis admonere, quod postea scripsit s. Petrus in epist. priore cap. 1. *Prophetae de futura in vobis gratia Prophetaverunt*; et infra, *quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nunciata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis*. Ait igitur Spiritus sanctus per os David, *scribantur haec in generatione altera*, idest, notentur haec mysteria pro generatione olim futura: dicitur enim, *in generatione altera*, pro, in generationem alteram, εις γενεαν ετεραν, ut habetur in graeco: vel pro, generationi alteri; sive ad generationem alteram, ut verti potest ex hebraeo. Neque multum refert, quod in hebraeo, et graeco habetur in numero singulari, *scribatur hoc*: nam idem omnino est sensus. *Et populus, qui creabitur*, idest, populus, qui erit futuris temporibus, *laudabit Dominum*, cum viderit impleta, quae tanto antea praedicta sunt. Fortasse etiam, ut notat s. August. insinuatur per populum, qui creabitur, nova creatura, de qua dicit Apostolus ad Gal. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura*; et ad Ephes. 2. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*.

20. *Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.*

Haec est ratio, cur populus novi testamenti laudabit Dominum, quia Dominus de excelso sanctuario suo dignatus est aspicere vallem nostrae miseriae, idest, de coelo in terram aspexit, non o-

http://www.obrascatolicas.com

tioso intuitu, sed ut de excelso fieret humilis, et in terris videretur, et cum hominibus versaretur.

21. *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.*

Cur autem Dominus excelsus usque ad terram humiliaretur, ea causa fuit, ut de proximo *audiret gemitus compeditorum*, quos Princeps hujus mundi captivos fecerat, et compeditos retinebat: et ut audito gemitu solveret eos, liberosque dimitteret. Quod impletum fuisse in suo adventu Dominus testatus est Luc. 4. in hebraeo pro, *compeditorum*, habetur, *vincti*, *ut audiret gemitus vincti*, sed idem est sensus. Pro, *Filius interemptorum*, habetur in hebraeo, בני תמותה *bene themutha*, *filios mortis*, idest, homines ad mortem damnatos quomodo etiam habetur in psalm. 78. ubi non legimus, *filios mortificatorum*, sed, ut eo loco diximus, septuaginta Interpretes per *filios mortis*, intellexerunt in his locis filios parentum occisorum. Potest etiam fieri, ut Septuaginta in hebraico suo textu habuerint *interemptorum*, quod per unius literae mutationem fieri potuit. Porro per compeditos, hoc loco intelligimus homines opera diaboli alligatos propriis concupiscentiis, et gementes sub jugo passionum suarum. Per, *filios interemptorum*, intelligimus filios veteres Adami, et Hevae, qui fuerunt primi occisi ab astutia serpentis: nam ut dicitur Sap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*; et Dominus in Evangelio de diabolo dicit, Joan. 8. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.*

22. *Ut annuncient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.*

Venit Dominus solvere compeditos, et eruere de potestate tenebrarum, ut *annuncient in Sion nomen Domini*, idest, ut conversi ad Deum vivum, et verum, glorificent nomen Domini in spirituali Sion, quae est ecclesia, quod idem repetit dicens, *et laudem ejus*, supple annuncient, *In Jerusalem*, laudantes et benedicentes Deum, gratiasque agentes pro tam insigni beneficio in ecclesia catholica, quae est nova Jerusalem. Exponit hoc s. Petrus in priore epist. cap. 2. ubi dicit, *vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.*

23. *In conveniendo populos in unum, et Reges, ut serviant Domino.*

Explicat tempus, quo liberati a potestate tenebrarum laudare debeant nomen Domini. *In conveniendo*, inquit, *populos in unum*, idest, quando populi nationum, qui antea divisi erant ambulantes post varios Deos, convenient in unum, et efficientur unum corpus, et erit eis unus spiritus, unus Deus, una fides, unum baptisma, imo etiam per charitatem erunt cor unum, et anima una: quando non solum populi, sed etiam reges eorum convenient in unum corpus ecclesiae, ut et ipsi serviant Domino. In hebraeo habetur, *regna*, et sic legit etiam s. Augustinus: tamen in graeco habetur, *Reges*, et sic legunt in commentario s. Hieronymus, et s. Gregorius, et alii. Sensus est idem: nam cum dicitur, *regna serviant Domino*, sensus est, reges cum populis serviant Domino. Fortasse etiam Septuaginta legerunt, מלכים *melachim*, reges non ממלכות *mamlachoth*, regna.

24. *Respondit ei in via virtutis suae, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

Hic versiculus obscurissimus est, quoad verba, et quoad sensum. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *Afflixit in via fortitudinem meam.* Sed facile est videre rationem diversitatis: nam vox hebraea ענה *hinnah*, deducitur a verbo, ענה *hanah*, quod et *respondere*, et *affligi*, significat; ac per hoc si legatur cum puncto in secunda litera, ut legit s. Hieron. significabit, *afflixit*: si legatur sine puncto, ut legerunt septuaginta Interpretes, significabit, *respondit*. Sic etiam illud, כחי *cochi*, si legatur cum Jod, ut legit s. Hieron. *significat fortitudo mea*: si legatur cum Vau, כחו *cocho*, ut legerunt septuaginta, significat, *fortitudo ejus*, sive *virtutis ejus*. Neque refert, si vertas, *In via virtutis ejus*, sive, *In via virtutem ejus*, quia nomina hebraeorum non declinantur per casus. Itaque recta est nostra lectio, *respondit ei in via virtutis suae*; sed difficile est judicare, cum quo nomine conjungatur verbum, *respondit*. S. Hieron. in Commentario scribit sensum esse, respondit Dominus ad Jerusalem. S. Aug. contra vult sensum esse, respondit Jerusalem ad Dominum, Euthymius dicit respondisse pauperem, de quo in titulo psalmi. Quid si addamus quartam expositionem, et dicamus respondisse Prophetam ad eum, qui imperavit illi, ut scriberet haec in generationem alteram? Videtur enim haec esse contextio horum versiculorum. Dixit Dominus Prophetae, *scribantur haec in generationem alteram*; *et populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, etc. *Respondit ei Propheta, in via virtutis suae*, idest, in flore aetatis suae: cum esset in via vitae suae robustissimae: *paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, id est, fac, ut intelligam et serio mihi persuadeam, paucos fore dies vitae meae, ne forte deceptus hoc flore aetatis, arbritrer me longissimam vitam habiturum, et rapiar hinc, quando minus cogito, immaturus, et imparatus, et non pertineam ad populum, qui creabitur, et qui perpetuo te laudabit in coelesti Jerusalem.

25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, et generationem anni tui.*

Dimidia pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem: quia enim dixerat, *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, addit orans: *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*, idest, ne revoces me de curriculo vitae in medio cursu, quando minus expecto mortem, quando nihil minus cogito, quando paratum me non invenies. In

hebraeo distinguuntur aliter isti versiculi, ideo sanctus Hieronymus vertit, *Dicam, Deus meus, ne rapias me in dimidio dierum meorum.* Sed illud, אמר אלי *Dicam Deus meus*, mutatis punctis potest legi, אמר אלי *dic ad me*, et sic legerunt Septuaginta, et conjungentes cum superiore versiculo verterunt, *nuncia mihi*; neque ulla ratio est, cur non sequamur distinctionem, et lectionem graecam, et latinam, cum eam optime ferant verba hebraica, demptis punctis, quae a Rabbinis addita fuerunt. Quod sequitur, *In generationem, et generationem anni tui*, ratio est, cur aequum sit, ut Deus hominem permittat tamdiu vivere, quamdiu necesse est, ut bene, et sancte moriatur, quasi dicat, anni tui, Domine, aeterni sunt, et generationi, ac generationi coexistunt sine ullo fine: aequum igitur est, ut imagini tuae spatium vivendi indulgeas amplum, et commodum, ut requiritur ad salutem aeternam acquirendam.

26. *Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.*
27. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.*
28. *Et sicut opertorium mutabis eos, mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Probat Deum solum esse aeternum ex eo quod solus ipse est immutabilis: quae et ratio plane theologica, et a priori, ut scholae loquuntur. Deum autem solum esse immutabilem, probat ex eo quod ipse idem semper manens mutavit coelos de non esse ad esse, et rursum mutabit de esse ad non esse: et quod de coelo dicitur, de toto mundo intelligitur, cujus maxima et nobilissima pars est coelum. *Initio tu Domine terram fundasti*, idest, a principio antequam mundus esset, ut Domine eras, et terram, quae est inferior mundi pars, a fundamentis fecisti, non super fundamentum aliquod praeexistens posuisti. *Et opera manuum tuarum sunt coeli*, idest, non solum terram, sed etiam coelos, qui sunt mundi pars superior, tu solus non per angelos, aut alios quoscumque opifices, sed manibus propriis, idest, propria potentia, et sapientia condidisti. Itaque mundum universum ex non esse perduxisti. *Ipsi*, coeli videlicet, *peribunt*; *tu autem permanes*. Duobus modis haec intelligi possunt. Primum ex hypothesi hoc modo, etiamsi coeli veterascerent, mutarentur et perirent: tu idem semper maneres. Sic in evangelio quod dicitur Matth. 5. *donec transeat coelum, et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant*; exponitur Luc. 16. *facilius est coelum, et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* Deinde absolute, sed de mutatione non quoad substantiam, sed quoad modum. Peribunt enim coeli, veterascent, et mutabuntur, quoad motum stellarum, quoad influxum caloris, quoad generationes rerum inferiorum: quomodo etiam terra peribit, quoad productionem herbarum, et animalium, et mundus totus consumabitur quoad figuram, et statum, quem nunc habet; scribit enim Apostolus, *praeteriit figura hujus mundi*, 1. Corinth. 7. et, *Quae videntur temporalia sunt, quae non videntur aeterna sunt*, 2. Corinth. 4. Ubi omnia, quae videntur, temporalia esse dicit, quia ipsa etiam elementa, et coeli secundum eum modum qui nunc a nobis conspicitur, finem habitura sunt. Videmus enim terram vestitam arboribus, plenam pecudibus, ornatam aedificiis: videmus aquas fluentes, et saepe turbatas: videmus aerem nunc serenum, nunc nubilum: videmus sydera in perpetuo motu: quae omnia temporalia sunt, et finem habitura; *novos autem coelos, et novam terram secundum promissionem ejus expectamus*, ut b. Petrus scribit in epist. posteriore cap. 2. *Et omnes sicut vestimentum veterascent*, idest, omnes coeli, quoad externam figuram, et modum consumentur. *Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur*, idest, sicut pallium aliquod vetus, removebis a coelis externum istum habitum coelorum, et novo indues: sic mutabuntur coeli, quomodo mutatur homo cum vestimenta mutat, quoad externam faciem, non quoad internam substantiam. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, idest, tu ullo modo mutaberis quantavis longitudine annorum. Cur autem Deus nulla ratione mutari possit, ratio manifesta est, quoniam omne quod mutari potest, est in potentia ad aliquid aliud acquirendum: Deus autem actus est purus, et perfectissimus, imo infinitae perfectionis; proinde nihil acquirere potest, cum nihil ei desit.

29. *Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in saeculum dirigetur.*

Descripta aeternitate Dei, et mundi consumatione, ac renovatione, praedicit in mundo renovato participes fore aeternitatis ejus servos ipsius, et filios ac filios servorum usque in sempiternum: non quod in futuro saeculo sit futura propagatio filiorum, sed quod ad beatam illam requiem perventuri sint omnes fideles servi Dei cum omnibus posteris, qui eorum pietatem imitati fuerint: atque haec est promissio facta olim ad Abraham, Gen. 17. *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te foedere sempiterno.* Per servos Dei, intelligimus Patriarchas; per filios eorum Apostolos: per filios Apostolorum reliquos pios Christianos. *Filii servorum tuorum habitabunt*, idest, Apostoli, cum parentibus eorum Patriarchis habitabunt in regno tuo, in renovatis coelis, in coelesti Jerusalem: *et semen eorum in saeculum dirigetur*, idest, neque illi solum, sed etiam quotquot illi per evangelium genuerint, si in fide, et in dilectione permanserint, *in saeculum dirigentur*, idest, in aeternum recti et stabiles in omni prosperitate permanebunt. In hebraeo habetur, *et semen eorum ante faciem tuam perseverabit*: Sic enim vertit s. Hieronymus. Sed vox hebraica יכון *liccon*, amplissimae significationis est, ut dirigi, stabiliri, permanere, et perseverare, significare possit. Illud autem לפניך *lephanecha*, proprie non significat, in aeternum, sed, *coram te*, sive, *ad faciem tuam*. Sensus tamen est idem: nam permanere ante Deum, est permanere quamdiu manebit Deus, quod erit sine fine. Similis habetur lo-

http://www.obrascatolicas.com

quutio in psal. 71. *Permanet cum sole, et ante lunam*, idest, quamdiu manebunt sol et luna. En lector, quo perducat vera poenitentia, quae initio psalmi descripta est: perducit enim ad aeternam foelicitatem cum Deo, sine qua peccator in aeternis suppliciis mansisset cum Diabolo.

PSALMUS CII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David.

Titulus significat, psalmum hunc ipsi Davidi a spiritu sancto inspiratum, ut eum ad solatium timentium Deum in hac lachrymarum valle decantaret. Et sane necesse fuit nobis revelari, hunc psalmum de coelo allatum fuisse: alioqui nemo facile fidem habetur promissionibus divinis, quae in hoc psalmo declarantur; superant enim longissimo intervallo capacitatem animi nostri. Primum igitur exponit Propheta beneficia Dei erga electos suos, quae in hac vita inchoantur; et in alia perficiuntur: deinde ostendit, unde veniant ista beneficia, et ad quos pertineant: quod videlicet sint opera ineffabilis misericordiae divinae erga timentes Deum. Denique cum impar sibi esse videretur ad agendas gratias, invitat omnes angelos, imo omnes creaturas, ut benedicant Dominum, eique pro nobis gratias agant. Psalmus dulcissimus est, et ad fiduciam in Deum erigendam, et collogandam aptissimus; modo post actam de peccatis quantumvis gravibus poenitentiam, Deum vere, et ex corde timeamus.

EXPLICATIO PSALMI CII.

1. *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.*

David pie credens unum se esse de numero electorum ad benedicendum Dominum. *Benedic*, inquit, *anima mea Dnmino*, cogita beneficia, lauda benefactorem tu potissimum anima mea, quae non solum beneficia recipere, sed etiam ea cognoscere ex dono Dei meruisti. Neque tu sola anima mea laudes Dominum, sed *omnia quae intra me sunt*, vertantur in linguas, et *benedicant nomen sanctum Dei*. Per ea quae intus sunt, s. Augustinus animam ipsam intelligit, ut sit repetitio, vel expositio ejusdem sententiae, et quod dictum est, *benedic anima mea Domino*, repetatur, et explicetur per sequentia, *et omnia interiora mea*, idest, omnes cogitationes, et affectiones, quae in imo corde latent, benedicant nomen sanctum ejus. Recte haec dicuntur; sed non est absurdum, si per interiora intelligamus totum quod est in homine, et exteriore hac nostra pelle contegitur: nam et alibi dicitur, ps. 83. *cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum*: et alibi, psal. 45. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* tribuitur autem laus Dei rebus inanimis, et non sentientibus Deum, vel eo modo, quo omnia opera opificem laudare dicuntur; vel ex affectu animae, quae si fieri posset, optaret, ut omnia Deum cognoscerent, et laudarent.

2. *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

Iterum repetit, *benedic anima mea Domino*, tum ut vehementiam affectus ostendat; tum quia novit infirmitatem cordis humani, quod facillime frigescit in iis, quae per sensus corporis non percipiuntur, qualis in primis est Deus, *qui lucem habitat inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. ideo adjungit, *Et noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Vocat autem beneficia Dei, *retributiones*, quoniam non sunt beneficia simplicia, sed (ut sic loquar) sunt omnia duplicia: nam et beneficium est, quod non tribuit nobis debitas poenas, ut peccata nostra quotidiana merentur; et rursus beneficium est, quod pro tot malis nostris tanta bona nobis retribuit. Qui numerare poterit peccata hominum, quibus assidue retribuimus Deo mala pro bonis; is fortasse aliquo modo intelliget, quanta sit pietas Dei, quae assidue nobis retribuit bona pro malis; juxta illud Domini Luc. 6. *Qui benignus est super ingratos et malos.*

3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

Incipit enumerare beneficia Dei, et ordine progreditur a primo usque ad ultimum. Primum est remissio peccatorum, qua nos de injustis justos, et de inimicis amicos, et de mancipiis filios facit.

Qui propitiatur, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis*, idest, gratis debita condonat, quantumvis multa: gratis ignoscit culpis quantumvis ingentibus, quantumvis innumerabilibus. Nec solum propitiatur iniquitatibus; sed *sanat omnes infirmitates*, ut abscindat radices peccatorum. *Radix enim peccatorum cupiditas est*, sive, ut s. Joannes loquitur 1. Joan. 2. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae*. Porro infirmitatem hanc, sive languorum ex peccato primi hominis in natura humana relictum curat Deus in nobis in hac vita, sed perfecta sanitas post hanc vitam erit. Attendat unusquisque, an hanc infirmitatem in se minui sentiat, et an manus Medici coelestis aequo animo ferat, qui enim Medici manus repellunt, et concupiscentiae languorem in se nutriunt, non possunt animae suae vere dicere, *qui sanat omnes infirmitates tuas*, et qui hoc dicere nequeunt, frustra ad sequentia Dei dona aspirant.

4. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, et miserationibus.*

Transit a beneficiis gratiae ad beneficia gloriae. *Qui redimit de interitu vitam tuam*, idest, qui per redemptionem, quae est in Christo, liberat vitam tuam a morte sempiterna, et transfert in regnum suum, coronans te corona gloriae in misericordia et miserationibus: nam ut coronam justitiae accipere merereris praevenit te misericordia gratis justificans, et miserationes plurimae dirigentes, et protegentes in via, sine quibus in accepta justitia non perseverares. Nonnulli, praesertim recentiores, per, *coronat te*, intelligunt protectionem circumdantem nos, ut sit misericordia Dei quasi clypeus undique nos tegens adversus tela inimicorum: sed nos sequuti sumus veteres expositores Hieronymum, Augustinum, Theodoretum, Euthymium, et alios, qui de corona gloriae hunc locum exponunt, quae corona redditur meritis, sed merita dona sunt miserentis Dei.

5. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilae juventus tua.*

Explicat quid in se contineat corona gloriae. Duo enim continet, satietatem desiderii, et corporis immortalitatem, sive plenam foelicitatem animi, et corporis: tunc enim desiderium animae conquiescet, et fames cordis satiabitur, cum fruetur summo bono, quod ita continet omnia bona, ut animus eo bono plenus non habeat quod appellat, vel requirat amplius. Accedet autem per gloriosam resurrectionem renovatio corporis in beatam, et numquam senescentem juventutem. Comparatur autem haec renovatio renovationi aquilarum, non quod aquila per renovationem vitam perpetuare possit, sed quod utcumque adumbrare soleat corporum beatorum resurrectionem, praesertim cum aquila altissime volet, acutissime videat, et diutissime vivat, quae erit beatorum hominum foelicitas, ut supra coelos conscendant, et ipsam lucem inaccessibilem cernat, et aevo sempiterno fruantur. Quomodo autem aquilae renoventur, incertum est. S. Hieronymus in cap. 40. Isaiae, scribit aquilas renovari crebra mutatione pennarum. S. Augustinus in hunc locum narrat, aquilas renovare rostrum, quod cum nimium creverit, impedit sumptionem cibi, et interitum adfert, nisi ad petram allidatur, et reformetur. Rabbini more suo fabellas texunt. Quod attinet ad verba, illud, *qui replet in bonis desiderium tuum*, a s. Hieronymo sic redditur, *Qui replet bonis ornamentum tuum*. Vox hebraica, עדיך *hediech*, ambigua est: nam et *ornamentum*, et *os*, significare potest. S. Hieron. priorem significationem sequutus est, et videtur ornamentum ad coronam retulisse, ut sensus sit, qui coronam tuam ornatissimam reddit, replens eam auro purissimo, et lapidibus pretiosissimis, et vere corona gloriae Beatorum incomparabili varietate decoratur. Tamen septuaginta interpretes posteriorem significationem magis probaverunt, et per os, sive buccam, non os corporis, sed animae intellexerunt: nimis enim abjecte et humiliter hunc locum exponunt, qui volunt sensum esse, *Qui replet optimis cibis os tuum corporale*. Ergo per os recte interpres noster vertit, *desiderium*, et nos per desiderium, famem cordis accipimus, quae tunc satiabitur bonis, cum apparuerit gloria Domini.

6. *Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.*

Declaravit Propheta bona, quae justis parata sunt: declarat nunc fontem horum bonorum esse misericordiam Dei; ne quis cum Pelagio haeresiarcha delirans sibi tribuat quae Dei sunt, et hoc ipso per superbiam amittat, quae humilis accepisset. *Faciens*, inquit, *misericordias Dominus*, idest, Dominus noster ipse est, qui benefacit, qui largitur munera, qui liberaliter tribuit bona sua: et idem ipse ex bonitate sua liberat omnes oppressos de manibus iniquorum. In hebraeo habetur ad litteram, *faciens justitias Dominus*: et sic etiam vertit s. Hieronymus. Sed justitia hoc loco accipitur pro opere bono, sive pro actu charitatis, quomodo Matth. 6. Dominus eleemosynam vocat justitiam, dicens, *attendite ne justitiam vestram facialis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est: cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te*. etc. quo sensu scripsit s. August. in lib. de natura, et gratia cap. ult. Inchoata charitas, inchoata justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est. Non ergo erraverunt a propria significatione, neque graecus, neque latinus Interpres, qui verterunt, *faciens misericordias Dominus*, id est, qui facit eleemosynas multas, et magnas Dominus est. Una vero ex praecipuis eleemosynis ejus est, quod, *facit judicium omnibus injuriam patientibus*: nam et ipsos patientes injurias liberat; et facientes injurias, non relinquit inpunitos.

7. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.*

Explicat quod dixit in versiculo superiore: nam Moysi singulari servo suo *notas fecit Deus vias*

http://www.obrascatolicas.com

suas, quae sunt *misericordia*, et veritas, juxta illud, *universae viae Domini misericordia, et veritas. Notas autem fecit vias suas*, quia dedit ei legem sanctissimam, per quam tum ipsi Moysi, tum omnibus filiis Israel declaravit voluntates suas: quae sunt ut sicut ipse misericors est, et justus, ita et nos simus: et haec ipsa fuit magna Dei misericordia, quod nos ita instruere dignatus sit. Sed praeterea *notas fecit Moysi vias suas, et filiis Israel voluntates suas*, quia liberavit populum suum de captivitate Pharaonis misericorditer, et Pharaonem cum exercitu suo interfecit juste: ita misericordiam, et justitiam suam evidenti facto demonstravit.

8. *Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors.*

Haec nomina Dei, quae veracissima scriptura nobis insinuat, mirum in modum consolari possunt homines bonae voluntatis. Dicitur Deus *miserator*, hebraice, רחום *rachum*, quia paternum affectum habet ad homines pios: siquidem רחם *racham*, significat *tenere, et ex visceribus diligere*. Dicitur quoque *misericors* hebraice, חנון *channun*, id est, *gratiae, et donorum largitor*: qui enim diligit affectu paterno, non potest non multa liberaliter donare. Sic igitur Deus qui ab aeterno complacuit sibi in electis suis, eosque praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui: in tempore plurima eis beneficia contulit tum naturae, tum gratiae. Dicitur tertio, *longanimis*, idest, tolerans, patiens, tardus ad iram: sustinet enim Deus infirmitatem, et imperfectionem nostram in hoc itinere ad patriam, quomodo parentes, ac matres potissimum tolerant insipientiam, et nugas, offensiones, et ingratitudinem infantiae, et pueritiae filiorum suorum. Quis enumeret evagationes nostras, dum cum Deo in oratione colloquimur? quis instabilitates cordis, appetitiones varias, ingratitudines, lapsus, delicta digne consideret; et tamen tolerat nos bonitas Dei: pro qua Dei longanimitate certe par esset, ut frequentissime, et intentissime gratias ageremus. In hebraeo habetur, ארך אפים *erech appaim*, quod proprie significat, *longus naribus*, sed nasus accipitur pro ira; ideo recte vertitur, *longanimis*, sive tardus ad iram. Dicitur ultimo, *Et multum misericors*, quod referendum videtur ad magnam illam, et ineffabilem misericordiam, qua nos Deus evehet ad aequalitatem angelorum, et similitudinem Dei, quam tunc accipiemus, cum videbimus eum sicuti est. Itaque quatuor ista nomina significant omnia beneficia Dei a primo usque ad ultimum. Primum est gratia praedestinationis, sive aeternus amor Dei: deinde sequuntur dona justificationis, et remissionis offensionum variarum; prostremo accedit corona gloriae.

9. *Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.*

Explicat per partes nomina illa Dei, quae in superiore versiculo posuit: ac primo loquitur de pio affectu Dei erga timentes se. *Non in perpetuum*, inquit, *irascetur*, idest, irascetur quidem interdum Deus peccantibus electis suis eosque flagellabit, sed brevi reconciliabitur eis. Manet enim in corde patris paterna pietas, unde et ipsa flagella procedunt. Idipsum aliis verbis repetit, dicens, *neque in aeternum comminabitur*, idest, non semper iratus minas intentabit, sed vicissim eos blande consolabitur. Haec autem promissio non favet ullo modo errori illorum, qui damnatorum poenas aliquando finem habituras existimant: non enim ad omnes pertinet, sed restringitur ad electos timentes Deum timore filiali, ut non semel in hoc psalmo explicatur. In hebraeo sunt alia verba, sed idem est sensus: sic enim ad verbum sonat hebraicus textus, *non usque in finem litigabit, neque in perpetuum servabit*, idest, non semper contendet nobiscum objurgans, et reprehendens facta nostra, neque in perpetuum reservabit iram semel conceptam.

10. *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Transit ad secundum nomen, ac dicit, Deum ex infinita misericordia sua non reddidisse nobis poenas, quas merebamur, sed dona multiplicasse, quae non merebamur: quid enim meretur iniquus, et peccator nisi mortem? nam *Stipendium peccati mors*, rom. 6. Deus autem non solum non retribuit mortem, sed vitam gratiae tribuit, et vitam aeternam promisit, et interim adjecit abundanter omnia, quibus in hac peregrinatione indigemus.

11. *Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.*
12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.*

Haec pertinent ad idem nomen secundum: probat enim Propheta Deum non retribuisse electis secundum peccata ipsorum: quoniam corroboravit misericordiam suam in beneficiis cumulandis, et in iniquitatibus longissime removendis. Utitur autem comparationibus distantiae coeli a terra, et ortus ab occasu, sive maximae altitudinis, et maximae longitudinis, ut ostendat remissionem peccati, et infusionem justitiae esse verissimam, et maximam, non autem (ut Luterani somniant) esse solam non imputationem peccati, et imputationem justitiae. *Secundum altitudinem*, inquit, *coeli a terra*, idest, secundum mensuram distantiae coeli a terra, quae est maxima, et verissima, *Deus confirmavit, et stabilivit misericordiam verae summaeque justificationis*, et gratiae super timentes se; et, *quantum distat ortus ab occidente*, idest, secundum mensuram distantiae ortus ab occasu, quae est verissima, et maxima, *longe fecit Deus a nobis* timentibus eum *omnia peccata nostra*, vere ac proprie illa delens, et remittens, ac si numquam commissa fuissent.

13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

Explicat Propheta hoc versiculo, et duobus sequentibus tertium nomen, videlicet, *longanimis*, et utitur aptissima comparatione: nulli enim hominum magis patientes et longanimes sunt, quam parentes in tolerandis ineptiis, et levitatibus infantium filiorum. Siquidem amor paternus, vel maternus cogit parentes assiduo et incredibili labore servire parvulis filiis, atque eorum ingratitudinem, atque injurias invicto animo tolerare. *Quomodo*, inquit, *miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, idest, quomodo parentes carnis nostrae intimo, et invicto quodam affectu, miserentur miseriarum infantium suorum, eorumque infirmitates, et insipientiam tolerant: sic Dominus noster *miseretur timentium se*, dum eorum errata quotidiana non ut injurias suas respicit, sed ut aegritudines filiorum considerat. *Ipse enim novit figmentum nostrum*, idest, quia probe novit, nos ex terra plasmatos, carnem mortalem, et concupiscentiis variis obnoxiam gerere, ac per hoc valde miserabilem esse.

14. *Recordatus est, quoniam pulvis sumus; homo sicut foenum dies ejus tamquam flos agri sic efflorebit.*
15. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.*

Declarat quod dixit, non esse figmentum, ac dicit, *recordatus est quoniam pulvis sumus*, idest, consideravit, misericordia nos dignos esse, quoniam ex pulvere compositi, et plasmati sumus, et per hoc pulvis sumus, quantum ad materiam, ex qua ipse nos finxit: et cum pulvis simus, instabiles, et fragiles sumus. Dicitur autem Deus recordari, non quod unquam oblivisci possit, sed quod aliquando ita se gerat; ac si oblitus esset. Addit ad majorem fragilitatis nostrae declarationem, aliam similitudinem, dicens, *homo sicut foenum dies ejus*, idest, hominis dies brevissimi sunt, ac persimiles diebus, quibus foenum in agro perseverat, numquam enim foenum integrum annum permanet: nascitur enim in vere, et mox in estate proxima metitur, et colligitur: et sicut foenum non in toto illo tempore, quo est in agro, floret, sed mane floret, et vespere arescit: sic etiam homo brevi tempore vivit, sed multo breviore durat in flore adolescentiae, et mox arescit in senectute. Verba textus servant phrasim hebraicam, sed hoc modo supplenda sunt, *homo sicut foenum dies ejus*, idest, homo sic se habet, ut dies ejus sint veluti dies foeni, vel duratio vitae ejus similis sit durationi viriditatis foeni. *Tamquam flos agri sic efflorebit*, idest, et idem homo florebit flore adolescentiae, sicut floret flos foeni in agro, idest, tempore brevissimo. Quod additur de spiritu transeunte, significat vitam hominis non solum esse brevissimam, sed etiam semper mutari, donec extinguatur: hic igitur est sensus, *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet*, idest, spiritus vitalis sive ipsa vita corporalis non permanebit in homine, sed transiens in eo erit, et numquam subsistet in eodem statu, quia semper mutabitur de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, de adolescentia ad juventutem, de juventute ad maturitatem, de maturitate ad senectutem, de senectute ad mortem. *Et non cognoscet amplius locum suum* idest, non redibit ad locum unde discessit, nec videbit amplius aetatem, quam semel dimisit. In quo multum distant corruptibilia ab incorruptibilibus, coelestia a terrenis: si quidem sol et luna, et stellae oriuntur mane in oriente et occidunt vespere in occidente: sed iterum revertuntur in circulos suos, et nihil immutatae vident locum, unde discesserunt: quae vero oriuntur ex terra, cursum suum peragunt, sed currendo mutantur, et non redeunt unquam ad locum, unde cursum inchoarunt, sed senescunt, et pereunt. Itaque per spiritum hoc loco non intelligo animam rationalem, quae immortalis est, et in die novissimo redibit ad corpus, sed spiritum vitalem, sive ut dixi, vitam corporalem. Quod si quis velit per spiritum hic significari animam rationalem: dicere debebit, ejusmodi spiritum non rediturum ad locum suum, idest, ad corpus vi sua, sed omnipotentia Dei: nec cognosciturum amplius locum suum, quia immutatum inveniet, videlicet corpus immortale reperiet, cum mortale reliquerit: sic Euthymius. Ex hebraeo s. Hieronymus sic vertit, *quia spiritus pertransivit eum, et non subsistet, et non cognoscet eum ultra locus ejus*. Quam sententiam Rabbini sic exponunt, spiritus, idest, ventus prentransivit eum, idest, florem foeni, et non subsistet flos foeni, sed mox vento flante siccabitur, et non cognoscet eum ultra locus ejus, idest, non apparebit ubi foenum floruerit: flos enim arescens nullum vestigium pulchritudinis suae relinquit. At nos sequimur septuaginta Interpretes, qui verba hebraica, quae ambigua sunt, et utrumque sensum recipere possunt, non de vento, et flore, sed de spiritu vitali, et corpore humano intellexerunt. Ad quam sententiam corroborandam multum valet similis locus ex psalm. 77. *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens*. Ubi per spiritum non potest intelligi ventus, sed vita humana.

16. *Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.*

Hic tandem explicatur quartum nomen versiculi octavi, *et multum misericors*: pertinet autem quartum hoc nomen ad beneficium glorificationis, quod est postremum et maximum. Igitur *misericordia Domini*, quae fuit ab aeterno super timentes eum in praedestinatione, durabit *usque in aeternum* in glorificatione: atque ita erit Deus multum misericors, sive multitudinem beneficiorum, sive magnitudinem, sive durationem consideremus. Quis autem digne recogitet quid sit, quod Dominus universorum, qui bonorum nostrorum non eget; jam inde ab aeterno misereri decreverit pulveris hujus, id est, hominis, eumque coelestibus spiritibus coequare, atque in aeternum sibi summo bono foelicissime

http://www.obrascatolicas.com

inhaerere voluerit; certe par esset, ut tantae misericordiae ne ad momentum quidem oblivisceremur, et perpetuas ei gratias ageremus.

17. *Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus.*
18. *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.*

Haec est quasi appendix magnae illius misericordiae, quam exercet Deus erga timentes se. Addit enim Propheta non solum timentes Deum exaltandos et protegendos ab aeterna misericordia Dei: sed etiam eam misericordiam extendendam esse ad posteritatetem timentium Deum, modo ipsi parentum, et majorum suorum pietatem imitentur. *Et justitia illius*, idest, veracitas, et fidelitas Dei, qui semper reddit quod promittit, conservabitur *in filiis filiorum his, qui servant testamentum ejus*, idest, qui observant pactum cum Deo initum, ut sint ipsi populus Dei, et Deus sit eorum Deus. *Et memorum mandatorum ejus*, non ut solum ea mente, et cogitatione revolvant, *sed ut ea diligenter adimpleant.* Sanctus Augustinus per filios timentium Deum intelligit opera bona ipsorum, et per filios filiorum, mercedem, quae debetur operibus bonis. Justi enim pariunt opera justa, et opera justa pariunt coronam justitiae.

19. *Dominus in coelo paravit sedem suam, et Regnum ipsius omnibus dominabitur.*

Demonstrat Propheta posse Deum facere, quae promisit timentibus se, et filiis filiorum ipsorum, quoniam Deus judex est omnium, *et ideo paravit* et stabilivit (utrumque significat vox hebraica) *sedem suam*, idest, thronum suum judiciarium in altissimo loco, idest, in summo coelo, unde omnes prospicere et judicare possit: et ne forte suspicemur, Deum esse judicem ab aliquo rege constitutum, addit, *Et regnum ipsius omnibus dominabitur*, idest, sedem habetur in coelo, non ut Judex sub rege, sed ut Judex supremus, et rex super omnes reges: regnum enim ipsius, idest, regia ejus potestas, omnibus omnino rebus creatis dominabitur.

20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.*

In extrema parte psalmi invitat Propheta omnes alias creaturas ad benedicendum Domino, et praedicandas laudes ejus, quoniam videbat, se non esse ullo modo parem ad agendas gratias tanto benefactori: ac primum invitat angelos, qui sunt nobilissimae creaturae, et idonei maxime ad Deum laudandum. Nos enim minus idonei sumus, tum quia debiles, ac fragiles sumus, tum quia frequenter peccamus, *et non est speciosa laus in ore peccatoris.* Angeli vero fortissimi sunt, neque unquam fatigantur; et semper obediunt Deo, ac per hoc numquam peccant, semper grati, et amici sunt. *Benedicite Domino omnes angeli ejus*, idest, laudate communem Dominum vos angeli, qui propius assistitis, et magnitudinem ejus perfectius nostis: et non unus aut duo, sed omnes omnino quotquot estis, qui prope innumerabiles estis, convenite ad laudandum: omnes, inquam, qui angeli ejus estis, qui ab illo non solum conditi fuistis, sed etiam cum illo, caeteris cadentibus, permansistis, illique in aeternum foelicissimi inhaeretis. *Potentes virtute*, id est, praediti robore maximo ad exequenda omnia mandata Dei, quique casum nullum timetis, neque est, qui vos a laudibus Dei prohibere possit. *Facientes verbum illius*, idest, qui Dei mandata semper accurate perficitis. *Ad audiendam vocem sermonum ejus.* Haec ultima particula duobus modis potest intelligi. Uno modo, ut sensus sit, *facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, idest, mox ut audierint vocem sermonum ejus, ita ut significetur celeritas obediendi, ac si dictum esset, *facientes verbum illius in audiendo vocem sermonum ejus.* Altero modo, ut significetur causa finalis executionis mandatorum Dei, quae est desiderium obediendi Deo; et sensus sit, *facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, idest, exequentes mandata Dei ad hunc finem, ut obediant voci ejus, et se fideles servos probent; non ob aliquam suam utilitatem, vel necessitatem. Atque haec videtur expositio litteralis; nam textus hebraeus et graecus non facile admittunt illum sensum, *Ad audiendam vocem*, idest, in audiendo vocem.

21. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

Ne forte per angelos, qui invitantur ad benedicendum Deum, intelligeremus solos angelos ultimi chori; addit Propheta in hoc versiculo, *omnes virtutes Domini*, idest, omnes exercitus coelestes, videlicet archangelos, principatus, dominationes, et caeteros ordines superiores: nam in hebraeo habetur, *omnes exercitus ejus*, et quod angeli sint militia coelestis exercitus, docet s. Lucas cap. 2. Sunt quidem milites, et ministri Dei omnes res creatae: sed in scriptura, ut plurimum per virtutes, intelliguntur angeli; ac praesertim in psalm. 148. *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*; et hunc locum ita exponunt Theodoretus, Euthymius et alii. Nam de aliis rebus creatis agitur in sequenti versiculo. Ait igitur, *benedicite Dominum omnes virtutes ejus*, id est, non solum angeli proprie dicti, sed omnis militia coelestis exercitus: qui omnes ministri Dei estis, impletis diligenter, et assidue, quicquid ille vobis mandat.

22. *Benedicite Dominum omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino.*

Posteaquam invitavit Propheta ad laudes Dei homines, et angelos, qui Dei notitiam habent, et eum proprie laudare possunt; invitat etiam omnes alias res creatas, quamvis mente, vel sensu, vel vita ca-

reant, ut etiam ipsae suo modo opificem suum laudent. Ac ne quis exciperet aliquid, et intelligeret Prophetam loqui de omnibus operibus, quae sunt in coelo, aut in terra, aut in mari, addit, *In omni loco dominationis ejus*, idest, *benedicite Dominum omnia opera ejus*, omnia omnino ubicumque sitis: nam omnia ipse fecit, et omnibus dominatur, et ipse cum eis ubique est: omnia replens, omnia portans, omnia conservans, omnia movens. Tu vero *anima mea*, quae omnia ad laudem invitasti, *benedic Dominum* in omni tempore, semper laus ejus in ore tuo sit.

PSALMUS CIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Ipsi David.

Hic psalmus apud hebraeos non habet titulum. Apud graecos invenitur hic titulus, *ipsi David pro mundi costitutione.* Sed ejusmodi titulum, neque s. Hieronym. neque s. August. neque Teodoretus, in suis codicibus invenerunt. Proinde a recentioribus additus videtur. In latinis codicibus habetur, *ipsi David*, vel *psalmus David.* Videtur autem hic psalmus recto ordine positus post psalmum praecedentem: in illo enim aguntur gratiae Deo pro beneficiis gratiae, in isto pro beneficiis naturae: ibi laudatur Dei misericordia, hic praedicatur Dei sapientia. Ac primum cantatur gloria Dei ex mirabilibus, quae sunt in coelo: deinde ex iis quae sunt in aere: tum ex iis quae sunt in terra: postremo ex iis quae sunt in mari.

EXPLICATIO PSALMI CIII.

1. *Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementur.*

Excitat Propheta animam suam ad benedicendum, idest, laudandum Deum, et mox anima excitata exurgit in admirationem, et laudem dicens, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, idest, ex operibus tuis magnus valde factus es in oculis omnium, qui quoquo modo gloriam tuam aspicere possunt: non enim Deus in se crescere potest, cum sit immensus, et infinitus, sed apud angelos, et homines tanto fieri potest major, quanto magis notitia ejus crescit ex contemplatione potentiae, et sapientiae, et bonitatis, quae lucet in operibus ejus.

2. *Confessionem, et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.*

Declarat quomodo Deus magnificatus sit, adhibita insigni similitudine vestimenti: quomodo enim ex gloriosa veste cognoscimus Pontificem, Regem, atque alias sublimes potestates, sic etiam ex gloria, qua Deus quasi circumdatus est, cognoscimus ejus potentiam, et sapientiam, et quidem *Deus in se lux est, et tenebrae apud eum non sunt ullae*, ut scribitur 1. Joan. 1. tamen *ea lux inaccessibilis est, et eam nullus hominum vidit, sed nec videre potest, ut dicitur* 1. Timoth. 6. Sed praeter eam lucem, est alia quaedam lux gloriae, idest, splendor, qui ex operibus ejus micat, et de hoc loquitur Propheta cum ait, *confessionem, et decorem induisti*, idest, confessionem laudis, quam assidue decantant opera tua, tibi quasi vestimentum undique circumdedisti: et quoniam nihil pulchris est luce, sive gloria; ideo induisti decorem, et pulchritudinem, dum amictus es lumine gloriae, quod ex operibus tuis emicat. Hic admonendi sumus mirum valde esse, quod oculi corporis nostri, etiamsi solem ipsum intueri nequeant; tamen ex lumine quo cinctus est sol, facillime et adesse, et pulcherrimum esse judicent: et oculi cordis nostri tam difficulter erigantur ad Deum, et ejus immensam pulchritudinem vix tenuiter sentiant, cum tamen undique cinctus sit splendore maximo, et pulcherrimo, qui ex admirandis ejus operibus lucet, et ipse sit *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Sed hujus rei nulla videtur esse alia ratio, nisi quia cor gerimus pulvere carnalium cogitationum, et affectionum quasi caecatum. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Certe enim si cor mundum haberemus, Deum in operibus suis, et gloriam ejus omnia replentem facile intueremur; et cum Abrahamo, Elia, et Elisaeo diceremus, *Deus in cujus conspectu sto.* Vide Genes. 24. 3. reg. 17. et 4. regum 3.

http://www.obrascatolicas.com

3. *Extendens coelum sicut pellem qui tegis aquis superiora ejus.*

Incipit demonstrare lumen potentiae, et sapientiae Dei, quod cernitur in creatione firmamenti, sive coeli; et duo quaedam valde admiranda in eo considerat, et a nobis consideranda proponit. Unum est, quod Deus tanta facilitate extenderit immensam molem firmamenti, et eo circumdederit omnia corpora inferiora, quanta solent homines extendere tabernaculum unum, sive tentorium ex pellibus confectum. Alterum est, quod Deus miro artificio posuerit aquas supra coelum, quasi aquas super ignem, et tamen neque aquae extinguant ignem, neque ignis consumat aquas. De his aquis multa Scholastici disputant: sed communis Patrum sententia esse videtur, aquas esse super aethereum coelum, quod firmamentum dicitur: non autem supra coelum aereum tantum, ubi sunt nubes. Vide inter caeteros Basilium homil. 3. Hexameron, Chrysostomum homil. 4. super Genesim, Ambrosium lib. 2. Hexameron cap. 3. et 4. Augustinum lib. 2. super Genesim cap. 4. et in hunc ps. 103. Eucherium lib. 1. in Genesim cap. 3. Procopium in 1. cap. Genes. Theodoretum quaest. 11. in Genesim, Bedam lib. de natura rerum cap. 7. et 8. Quod ad verba attinet, illud, *Extendens*, valde proprie dictum est, quoniam firmamentum hebraice dicitur, רקיע *rakiah*, idest, extensio, sive expansio. Illud, *qui tegis*, contendunt aliqui recentiores, legendum esse, *qui tegit*, ex textu hebraico et graeco: et mirantur, quod latini codices habeant, *qui tegis*. At hebraei, et graeci codices habent participium, המקרה במים *hamkareh bammaim*, *tegens aquis* quod ambiguum est; et potest referri tam ad secundam personam, quam ad tertiam. Congruentius autem est, ut ad secundam referatur, cum praecesserit, *confessionem, et decorem induisti*, ubi est expressa secunda persona, etiam in codicibus graecis, et hebraicis. Alloquitur ergo Propheta Deum, et illi dicit, Tu qui induisti confessionem et decorem; tu extendis coelum sicut pellem: tu tegis aquis superiorem partem coeli, etc. Adde quod s. Hieronym. vertit ex hebraeo, *Qui tegis*, et sic etiam legit in textu, quem exponit ex versione septuaginta Interpretum, et in Epist. ad Suniam, et Fretellam contendit, hunc locum, et sequentes esse legendos in secunda persona ut nos in editione latina vulgata legimus.

4. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.*

De coelo aethereo descendit Propheta ad coelum aereum et canit admirabilem Dei sapientiam in velocitate nubium, quae vi ventorum stupenda celeritate transeunt ab una parte mundi ad aliam. Aliquando enim serenum aerem conspicimus, et mox in ictu oculi flante austro cernimus eumdem aerem obductum nubibus: et contra, videmus interdum aerem nubibus undique coopertum, et mox flante aquilone cernimus nubes omnes in puncto temporis dissipari. Describit autem haec omnia more poetico, ac si Deus insideat nubibus, quasi in curru, et utatur ventis, quasi equis pennigeris. Sed haec metaphora nihil significatur aliud, nisi Deum esse principalem auctorem omnium rerum, et ejus nutu ventos moveri, et nubes adduci vel abduci. In hebraeo, et in graeco habetur in tertia persona, *Ascensum ejus* sive *currum ejus*. Sed s. Hieronymus ex hebraeo vertit. *Currum tuum*, ex quo apparet eum sic legisse in suo codice hebraico. Sic etiam legit in commentario; et si sic docet esse legendum in Epist. ad Suniam et Fretellam; proinde nostra lectio non est mutanda, cum a tanto doctore praeponatur caeteris.

5. *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.*

Nisi obstaret auctoritas Apostoli potuisset hic locus intelligi de procellis, et fulguribus, quae fiunt in aere, ut sensus esset, *qui facis ut spiritus procellarum sunt angeli tui*, idest, nuncii tui ad homines admonendos, et *ut ignis urens*, id est, coelestia fulgura, aut fulmina, *sint ministri tui*, ad homines puniendos. Sed quoniam Apostolus ad hebr. 1. exponit hunc locum de angelis spiritibus, et hinc argumentum ducit ad probandam Christi divinitatem, et praestantiam super angelos; dicendum est, Prophetam loqui de veris angelis, ac dicere voluisse, non solos ventos, ac nubes velocissime discurrere per aerem, ut Deo jubenti serviant; sed habere Deum ministros longe sublimiores, et potentiores, angelos videlicet, quos mittat ad homines, vel admonendos, vel puniendos. Potest autem duobus modis intelligi haec sententia. Uno modo sic, *qui facis angelos tuos spiritus*, idest, qui facis, ut spirituales creaturae, quae tibi in coelo semper assistunt. *fiant angeli tui*, idest, fiant nuncii tui ad homines instruendos, *et ministros tuos ignem urentem*, idest, qui facit ut eaedem illae spirituales creaturae, quae charitate semper ardent, fiant ministri tui ad efficienda celerrime et efficacissime quaecumque jusseris. Atque haec est expositio s. Augustini hoc loco, et santi Gregorii hom. 34. super evangelia. Altera expositio facilior, et fortasse magis litteralis est. Theodoreti in hunc locum, et s. Thomae in cap. 1. ad hebr. qui sic exponunt, *qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem*, idest, facis ut angeli ministri tui habeant velocitatem spirituum, idest, ventorum, et efficaciam ignis urentis: atque ita sunt veluti quidam venti spirituales in discurrendo, et veluti quidam ignes divini in operando. Comparat autem propheta sanctus angelos ventis et ignibus, non quod non sunt velociores ventis, et potentiores ignibus, sed quia nos nihil novimus inter haec corporalia, quibus aptius angelorum velocitas et efficacitas conferri possit. Favet hinc expositioni etiam s. Hieronymus in commentario hujus loci: et quod majus est, textus graecus tum in psalmo, tum in Apostolo ad hebr. 1. nam in utroque loco videmus articulum addi ad nomina, angelos et ministros, non autem ad nomina spiritus, et ignem. Una restat difficultas, quod apud Apostolum etiam in editione latina vulgata legitur in tertia persona, *qui facis angelos suos spiritus*, quomodo etiam

legitur in textu hebraeo. עשה מלאכיו רוחות *hoseh malacav ruchoth*, et graeco in libris quos nunc habemus. In editione autem latina vulgata legitur in hoc psalmo in secunda persona, *qui facis Angelos tuos spiritus*; quam lectionem probat s. Hieron. in epistola ad Suniam et Fretellam. Sed responderi potest, Apostolum non fuisse sollicitum de verbis, sed de sensu: sensus autem idem est, sive illum exprimamus alloquendo Deum sive narrando.

6. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.*

Ab aere descendit ad terram Propheta, et quoniam ea est sedes nostra, et nobis notior, quam sint aliae partes mundi, diutius in ea consideranda, et admirandis operibus Dei, quae in ea conspiciuntur, describendis immoratur: ac primum incipit ab ejus creatione, et considerat admirabilem Dei potentiam, quae terram, molem utique maximam, et gravissimam sine ullo fundamento posuit in medio mundi, ita ut ipsa non in fundamento aliquo, sed in sua stabilitate nitatur. *Qui fundasti*, inquit, *terram super stabilitatem suam*, id est, non erexisti terram super aliquod fundamentum, sed voluisti ut suo pondere niteretur. *Non inclinabitur in saeculum saeculi*, idest, praeceptum tuum solidius est omni fundamento; et ideo quia sic jussisti, sic fiet, ut videlicet terra suo pondere innixa aeterna stabilitate consistat.

7. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquae.*
8. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.*
9. *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis.*
10. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

Deinde considerat Propheta, qualis fuerit terra initio creationis suae, quod videlicet fuerit undique cincta aquis, quasi vestibus: et tamen solo imperio voluntatis suae Deus aquas concluserit in locis terrae humilioribus, et potentia, ac sapientia sua fecerit, ut magna ex parte terra emineret, et redderetur apta ad gignendas herbas, et fruges, et ad animantia sustentanda, et alenda. Id autem factum est ex condensatione aquarum: initio enim aquae non tam erant perfectae aquae, quam vapores aquei, qui condensati descenderunt ad concavitates terrae: et fortasse hoc significavit Sapientia apud ecclesiasticum cap. 24. cum ait, *et sicut nebula texi omnem terram*. Sed David more poetico haec describit. *Abyssus*, inquit, *sicut vestimentum amictus ejus*, idest, initio creationis terra erat cincta, et veluti amicta profunditate aquarum, quasi vestimento quodam undique cooperta. Abyssum enim vocat profunditatem aquarum, de qua dicitur Gen. 1. *Tenebrae erant super faciem abyssi*, et tunc *super montes stabant aquae*, idest, vapores aquei, sive nebula illa altissima ipsos etiam montes cooperiebat: dicit autem *stabunt*, pro, *stabant*. Haec enim vim habet futurum apud hebraeos, ut significet continuationem, qualis apud nos significatur per praeteritum imperfectum. *Ab increpatione tua fugient a voce tonitrui tui formidabunt*, idest, aquae, quae undique terram operiebant, solo Dei nutu condensatae descenderunt ad loca decliviora; fuit enim nutus divinus aquis instar terribilis increpationis, et quasi tonitruum rebus sentientibus. *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis*, idest, tunc coeperunt apparere montes in loco sublimi, quasi ascendissent: et simul coeperunt apparere campi in loco humili, quasi descendissent: omnia vero constituerunt in loco, quem constituisti eis; vel ascendunt montes aquarum, et descendunt campi aquarum dum ab increpatione Dei timentes aquae magno fremitu attollunt fluctus suos, et deponunt, donec ad locum sibi paratum perveniant: nam et poeta dixit, *quanti montes volvuntur aquarum. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram*, idest, aquis recedentibus, et in cavernis terrae conclusis terminum posuisti, quem transgredientur, neque convertentur ex se, aut vi sua, cooperire terram. Nam quod tempore diluvii conversae sint, et terram cooperuerint, id factum est divino jussu, et virtute. Porro terminus, quem Deus posuit aquis, est arena, ex Job c. 39. et ex Hierem. cap. 5. arena videlicet littoris altioris: tunc autem Deus hunc terminum posuit, quando instituit naturas elementorum: aquae siquidem, cum sint naturaliter graviores aere, semper descendunt ad loca decliviora, et relinquunt aeri loca sublimiora.

11. *Qui emittis fontes in convallibus, inter mediam montium pertransibunt aquae.*
12. *Potabunt omnes bestiae agri, expectabunt Onagri in siti sua.*
13. *Super ea volucres coeli habitant, de medio petrarum dabunt voces.*

Tertio considerat Propheta mirabilem Dei sapientiam in productione fontium, et fluminum, nam si aquae recedentes a terra, aridam illam omnino dimisissent, animantia terrae siti consumerentur; ideo sapientia Dei produxit fontes aquarum dulcium, et ex fontibus fluvios qui ubique discurrant, et potui animantium omnium deserviant. Porro fontes in montibus originem habent; sed aquae fontium ad convalles defluunt, et hic videtur esse sensus verborum, *qui emittis fontes in cavallibus*, idest, qui facis, ut aquae fontium ad convalles defluant, et inter medios montes rivuli earum pertranseant. *Potabunt omnes bestiae agri*, et praesertim *onagri*, Asini videlicet sylvestres, qui in montibus degunt, et natura siticulosi sunt, anhelabunt ad ejusmodi aquas. Nec solum animalia quadrupedia de fontibus bibent, sed etiam volucres coeli juxta aquas in locis editioribus nidos suos ponent, ut iisdem aquis frui possint, et ex cavernulis suis voces dabunt, canentes quomodo possunt laudes Domino. Illud, *onagri expectabunt in siti sua*, ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *onager reficiat sitim suam*. S. Augustinus vero legit,

http://www.obrascatolicas.com

suscipient Onagri in sitim suam. Vox hebraica, ישברו *iscberu*, ut nunc legitur cum puncto in sinistro cornu significat, *frangent sitim*, idest, sedabunt, et reficient, sed septuaginta legerunt cum puncto in dextro cornu, ישברו quod significat, *sperabunt*, sive *expectabunt*, et sensus est, Onagri ad sitim suam sedandam expectabunt, hoc est, desiderabunt, sperabunt, quaerent aquas fontium. In graeco non legitur προσδεξονται, idest, suscipient; sed verimile est eos scripsisse προσδοκησονται, idest, *expectabunt*. Certe noster interpres ita omnino legisse videtur. Illud, *super ea*, refertur ad fontes, et aquas inter montes discurrentes. Illud, *de medio petrarum*, sanctus Hieronymus vertit, de medio nemorum. Vox hebraea עפאים *hophaim*, significat frondes, et ramos arborum; sed septuaginta Interpretes aut legerunt, כפאים *chephaim*, quod significat *petrarum*: aut quod verus censeo, sensum respexerunt, et verba: volucres enim inter frondes quidem, et ramos arborum, sed in rupibus, et petris montium nidulos ponunt: proinde utrumque est verum, et quod ex mediis frontibus, et quod ex mediis petris cantus suos edant.

14. *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra.*
15. *Producens foenum jumentis, et herbam servituti hominum.*
16. *Ut educas panem de terra, et vinum laetificet cor hominis.*
17. *Ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis corfirmet.*

Quarto considerat, et canit Propheta aliam admirabilem providentiam Dei, qui praeter fontes, et flumina, quae non possunt irrigare loca superiora montium et collium, neque ad omnes agros derivari, excogitavit pluvias quae ex nubibus, tamquam fontibus omnia omnino loca terrestria irrigare possunt, ut inde saliata terra possit herbas, et fruges producere in alimenta viventium super terram. *Rigans*, inquit, *montes de superioribus suis*, idest, Deus rigans est, sive irrigat montes, ad quos flumina non pertingunt, *de superioribus suis*, idest, de nubibus quae sunt in aere superiore. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*, idest, de aquis, quas tu ex nubibus tuis exprimis, terra arida, et sitibunda satiabitur. *Producens foenum jumentis, et herbam servituti hominum*, idest, per hanc providentiam tu Deus producens es, sive producis ex terra foenum in cibum jumentorum, et herbam, unde fruges et vites, et arbores existunt, in cibum hominum. *Ut educas panem de terra*, idest, ut hac ratione producas ex terra cibum. Panis enim saepe accipitur in scriptura pro cibo generatim sumpto: hoc autem loco dicimus accipi pro cibo, tum quia ita explicat Theodoretus, tum quia de pane proprie dicto paulo infra fit mentio: subjungit enim Propheta: *et vinum laetificet cor hominis*, idest, et vinum a te productum laetificet cor hominis. *Ut exhilaret faciem in oleo*, idest, ut homo exhilaret faciem suam in oleo a te producto; *et panis cor hominis confirmet*, idest, panis sustentet, et roboret vitam humanam. Hoc loco pauca quaedam annotanda sunt. Primum, Deum esse auctorem omnium bonorum, quae ad vitam corporalem sustentandam, et delectandam pertinent: quamvis enim laborent homines fodiendo terram, seminando fruges, plantando arbores, poniendo, ac putando vites; tamen nisi Deus solem suum oriri faceret, et nisi de coelo plueret, et nisi foecunditatem terrae praeberet, et nisi vires hominibus suppeditaret, et cum iis cooperaretur, nihil omnino fieret; et quoniam potest Deus sine causis secundis omnia facere, ut fecit initio mundi, et secundae causae nihil sine Deo possunt efficere; verissime dicit Apostolus, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*, 1. Corinth. 3. *et non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et laetitia corda nostra*, Auctor. 14. et rursum, *Ipse dat omnibus vitam, et inspirationem, et omnia*; et, *in ipso vivimus, movemur, et sumus*, Act. 17. Verissime quoque canit hoc loco psalmographus, Deum esse, qui producit foenum jumentis, vinum, et oleum hominibus. Ex quo apparet incredibilis multorum hominum ingratitudo, qui etsi tanta bona, imo omnia bona a Deo recipiant, numquam tamen erigunt oculos mentis in coelum, ut agnoscant Patrem amantissimum, a quo tamquam filii ex paternis bonis aluntur, et sustentantur. Secundo notandum est Deum, ut parentem vere pium, et amantem filiorum, non solum nobis dedisse quae necessaria sunt ad vitam sustentandam, panem videlicet, et aquam; sed etiam addidisse quae jucundiorem, et suaviorem potum et cibum facere poterant, ut solatium aliquod in laboribus haberemus: dedit enim vinum ad cor laetificandum, juxta illud Proverb. 31. *Date vinum in his, qui amaro sunt animo*: dedit et oleum, vel ad ungendam, et illustrandam faciem, vel etiam ad cibum, ut Theodoretus docet: ut videlicet admixtum herbis, et leguminibus suaviorem cibum efficiat, et homo exhilaret faciem suam in eo cibo percipiendo; vel, ut Deus exhilaret faciem hominis in oleo, dum ei cibum oleo conditum porrigit, facies enim nitidior apparet cum homo nutritur iis, quae sapiunt. Hinc monachi veteres apud Cassianum in collationibus, ut hospitibus lautiorem cibum apponerent, olera, vel legumina oleo condiebant. Tertio notandum est, hinc admoneri homines, frugali victu, et potu sobrio contentos esse debere: moderata enim jucunditas a Deo est, supervacaneae deliciae, et varia irritamenta gulae, ac multo magis crapula, et hebrietas a Diabolo sunt.

18. *Saturabuntur ligna campi, et Cedri Libani, quas plantavit: illic passeres nidificabunt.*
19. *Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.*

Quinto, considerat Propheta divinam providentiam in eo, quod Deus ipse sine ulla opera hominum producit, et nutrit arbores valde proceras, quales sunt cedri Libani: quae arbores deserviunt habitationi, et latibulo avium quarumdam, quemadmodum montes refugium praestant cervis, et petrae herinaciis. *Saturabuntur*, inquit, *ligna campi*, idest, ex pluviis humorem sibi debitum sument arbores sylvestres, et praecipue cedri Libani, quas Deus ipse plantavit. In hebraeo legitur, עצי יהוה *hatze Adonai, ligna Domini.* Sed septuaginta Interpretes explicare voluerunt, cur dicantur ligna Domini, et ideo posuerunt, *ligna campi*: dicuntur enim *ligna Domini*, quia non plantantur, nec irrigantur ab hominibus, sed jubente Domino sponte nascuntur in campis, et irrigantur pluviis de coelo cadentibus. *Et cedri libani, quas plantavit.* In hebraeo et graeco textu non habetur, *et*, sed explicatur, quae sint illa ligna campi, sive Domini et dicitur, *cedri libani, quas plantavit*, idest, ligna illa Domini, sunt cedri libani, quas Dominus ipse plantavit in campis; quare vel in textu latino irrepsit, *et*, vitio scriptorum, vel explicandum est, ut nos diximus, ligna campi, et praecipue cedri libani, quas Dominus plantavit, idest, sponte nasci voluit absque hominum industria. *Illic passeres nidificabunt*, idest, in his agrestibus arboribus nidos suos ponent aves ut tutiores sint ab aucupibus. Nam apud hebraeos nomine passerum intelliguntur omnes aviculae. *Herodii domus dux est eorum*, idest, milvi, aut fulicae, aut ardeae, aut ciconiae nidus praeeminet nidulis aliarum volucrum, tum magnitudine, tum altitudine. Vox hebraea, חסידה *chasida*, et graeca *Herodius* significat milvum apud Hieronymum: *fulicam* apud Augustinum; *ciconiam*, apud Svidam; *ardeam*, apud Plinium. Certe magna avis significatur, quae nidum majorem et altiorem habeat, quam aves caeterae. In hebraeo habetur, *Herodio abietes domus ipsius*, idest, Herodius in abiete nidum ponit. Caeterum septuaginta interpretes non videntur legisse, ברושים *beroscim*, idest, *abietes*, sed, בראשם *beroscam*, idest, *dux eorum*, sive in ducem eorum: sed res non est magni momenti, *montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis*, idest, sicut magna arbores praebent refugium volucribus, sic montes cervis, et lapideae cavernae herinaciis. In graeco habetur leporibus pro, *herinaciis*, et sic legit sanctus Augustinus: sed sanctus Hieronymus in Epist. ad Suniam et Fretellam dicit, voce hebraica, לשפנים *lascephannim*, significari animal quoddam simile muri et urso, non majus hericio, quod in Palaestina frequens est, et in cavernis petrarum habitat.

20. *Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum.*
21. *Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae.*
22. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi.*
23. *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.*
24. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.*

Sexto considerat, et laudat Propheta divinam providentiam, quae divisit tempora operibus hominum, et ferarum. Si quidem feris attribuit noctem, ut quaerant sibi praedam in cibum; hominibus attribuit diem, ut operando victum sibi parent. *Fecit*, inquit, *lunam in tempora, sol cognovit occasum suum*, idest, Dominus Deus ad usum hominum, et animantium caeterorum fecit lunam in tempora, idest, ut tempore opportuno luceret, per noctem videlicet: nam vox hebraica, מועדים *mohadim*, et graeca καιρος non significant quaelibet tempora, sed tempora opportuna, et apta ad opera facienda. *Sol cognovit occasum suum*, idest, sol quoque non semper est super terram novit suo tempore occumbere, ut det locum nocti, quemadmodum divina providentia disposuit. *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae*, idest, ex vicissitudine solis et lunae tu Domine fecisti, ut suo tempore occumbente sole existerent tenebrae; et sic fieret nox: et ipsam dedisti sylvestribus animantibus, ut per sylvas discurrerent, et potissimum *catuli leonum rugientes prae fame*, in rapinam incumbant, et hoc modo *quaerant a Deo escam sibi*, idest, quaerant sibi cibum eo modo quem divina providentia statuit. *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur*, idest, divina providentia facit, ut oriente sole ferae sylvestres per noctem dispersae ad praedam congregentur in speluncis suis, et suis quasi cubilibus collocentur. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam*, idest, exorto sole, et feras in antra sua cogente, surget homo, et in agrum exibit ad opus suum, ad agriculturam videlicet, *et operationem suam*, idest, ad laborem suum, sive ut habetur in hebraeo, לעבדתו *lahabodatho, ad servitutem suam usque ad vesperam.* Hinc admonemur, bestiis, quae ratione, et manibus carent, datum esse a Deo, ut per insidias nocturnas ex raptu vivant: hominibus vero, qui ratione, et manibus ornati sunt, prohibitas esse rapinas, et insidias, cum possint ex justo labore manuum suarum terram exercendo, vel mercaturam faciendo vivere. Proinde fures, et latrones, et quicumque insidiando, decipiendo, mentiendo, rapiendo vitam ducunt, ordinem divinae providentiae, quantum in se est, perturbant, et de illis recti dici potest, *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis;* psalm. 48.

25. *Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.*

Haec est exclamatio ex admiratione operum Dei circa terram, et quasi conclusio sex considerationum praecedentium; miratur autem Propheta excellentiam, rationem, et numerum operum Dei. De excellentia dicit, *quam magnificata sunt opera tua Domine!* idest, quam sunt eximia, praestantia, et laude, ac praedicatione digna. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *quam multiplicata sunt*: sed vox hebraica, רבו *rabbu*, utrumque significat, *multi-*

http://www.obrascatolicas.com

plicata sunt, et etiam *magna, sive magnificata sunt*, quasi multae excellentiae. Quomodo nomen, *Rabbi*, significat Magistrum, quasi multae scientiae, sive magnum in scientia. Recte autem septuaginta Interpretes, quos latinus sequutus est, verterunt, *magnificata sunt*, non, *multiplicata sunt*; quoniam de multitudine agitur in fine versiculi. De ratione dicit, *Omnia in sapientia fecisti*, idest, nihil in operibus Dei factum est temere, aut casu, sed omnia facta sunt maxima ratione, et judicio, nihil deest, nihil abundat, nihil denique est, cujus non sit ratio in sapientia Dei. Demonstravit hoc Galenus in libro de partibus, ubi stupore maximo admiratur artificium auctoris naturae in frabricatione manus, et aliorum membrorum corporis humani: de numero dicit, *Impleta est terra possessione tua*, idest, haec opera, tam eximia, et tam sapienti artificio condita non pauca sunt, sed fere innumerabilia, ita ut terram universam repleverint; vocat autem Propheta res creatas, quibus plena est terra, *possessionem Dei*, quoniam Deus est Dominus omnium rerum, et ideo Dominus, quia omnia fecit; hanc enim vim habet vox hebr. קניניך *kinianecha*: derivatur enim a verbo קנה *kana*, quod significat *possidere* ex productione, ut Gen. 4. *Possedi hominem per Deum*, idest, genui filium et sic possedi illum. Impleta est ergo terra possessione Dei, quia plena est rebus, quas Deus possidet, et possidet quia fecit.

26. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus.*
27. *Animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt.*
28. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.*

Laudavit Propheta Dei sapientiam ex operibus ejus in coelo, in aere, et in terra; nunc tandem descendit a mare, et decantat sapientiam Dei ex amplitudine maris, ex multitudine, et varietate piscium; ex utilitate, quam adfert navigatio, et ex inusitata magnitudine ceti, qui in eo degit; et concludit, omnia illa animalia, quin etiam omnia omnino animalia, quamvis innumerabilia a Deo nutriri, et conservari. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus*, idest, spectandum praeterea se offert in operibus mirabilibus Dei, *hoc mare*, quod est magnum profunditate, et extensum latitudine: illud enim, *spatiosum manibus*, metaphoricum est; et metaphora sumpta est a similitudine hominis, cujus latitudo sumitur ab extensione brachiorum, et distantia unius manus ab altera; quemadmodum longitudo sumitur a distantia verticis a planta pedis. Declaraverunt hanc metaphoram, septuaginta Interpretes, qui verterunt, ευρυχωρος, idest, amplas habens regiones: dicitur igitur *mare spatiosum manibus*, quia est latissimum, et maximum spatium intercedit inter ejus extremas regiones. Quod alii volunt per manus maris, intelligi sinus angustiores, qui multi inveniuntur in medio terrae, ut mare Ligusticum, mare Adriaticum mare Rubrum, mare Ponticum, et alia, quae sunt veluti brachia, vel manus maris Oceani; non improbo, sed verius existimo quod supra dixi: haec enim est ratio, cur in textu graeco desit vox, *manibus*, quae expresse habetur in hebraico: omiserunt enim illam vocem Septuaginta interpretes, quia intellexerunt per eam non significari aliud, nisi magnam extensionem. *Illic reptilia, quorum non est numerus*: hoc est alterum Dei opus valde mirabile, quod in mari, ubi nullus homo dat operam conservandis piscibus, sed potius dat operam capiendis, inveniatur, et perpetuo conservetur tanta multitudo piscium, ut a nullo hominum numerari possint. Hanc faecunditatem significavit benedictio illa conditoris, de qua dicitur Genes. 1. *Benedixit illis Deus, et ait, crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris*. Nec solum vivit in mari infinita multitudo, sed etiam prope infinita varietas piscium, quod significatur in verbis sequentibus, *Animalia pusilla cum magnis*. Addit tertio Propheta, *Illic naves pertransibunt*: est enim admirandum opus Dei, quod per elementum liquidum deferantur naves onustae gravissimis rebus, et inde afferantur humano generi maxima commoda, dum summa celeritate transmutantur merces: tribuitur autem Deo adinventio navium, tum quia ipse primus docuit Noe aedificationem arcae: tum quia ipse dedit aquis eam naturam, ut naves ferre possint, et hominis ingenium, quo naves apte componeret. Adjungit quarto, *draco, iste, quem formasti ad illudendum ei*, quasi dicat, non solum naves quantumvis magnae, et onustae, per liquidum elementum maris transibunt; sed etiam *draco*, idest, piscis quidam major, et gravior omni navi non solum pertransibit per aquas maris, sed etiam in illis ludet, huc, atque illuc se circumvolvens. Hunc piscem, quem graecus et latinus interpres vocat draconem, hebraica lectio vocat *leviathan*: esse autem *leviathan* piscem maximum et horrendum valde scribit Job cap. 40. et inde hoc nomen tribuit diabolo Isai. cap. 27. vocans eum *leviathan, serpentem tortuosum*. Significantur igitur hoc nomine cete grandia, sive balenae, quae magnitudinem tam immoderatam habent, ut Olaus magnus scribat, balenam quamdam, insulam fuisse creditam. Illud autem, *illudendum ei*, variis modis exponitur, tum a Rabbinis, tum a nostris: sed simplicissima expositio videtur, ut sensus sit, ad ludendum in eo, idest, in mari: nam in hebraeo sic habetur ad verbum, *Leviathan, quem formasti, ad illudendum in eo*, et sic exponit Theodor. et Euthym. verba graeca εμπαιξειν αυτω, et notat Theodoretus mare apud graecos esse generis femini; tamen interpretem vertisse αυτω, quia sic invenit in hebraeo, ubi tam nomen maris, quam pronomen ibi positum, est generis masculini: adde quod expositio eorum, qui volunt sensum esse, Leviathan formatum esse a Deo ut illudatur ei ab hominibus, dum eum capiunt, et inter se dividunt, videtur repugnare Sripturae in lib. Job cap. 40. ubi Deus ipse describit magnitudinem Leviathan, et ostendit difficillimum esse illum capere, aut ex aquis extrahere: et formatum potius esse, ut potentia Dei per eum agnoscatur, quam ut ei illudatur ab homine. Addit postremo Propheta, ista omnia animalia, quae vivunt in mari, non solum a Deo condita fuisse, sed etiam a Deo nutriri. *Omnia* inquit, *a te expectant, ut des illis escam in tempore*: Deus enim tempore congruo admirabili ratione, et modo cibum procurat, unde animalia ista vivant.

29. *Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.*
30. *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.*

Declarat Propheta paulo fusius vitam omnium animalium ita pendere a Deo, ut si Deus aperiat manus, et cibos distribuat, omnia vivant: si Deus avertat faciem, et alimenta dare renuat, omnia intereant. Et quamvis proprie loquatur de aquatilibus; tamen ad omnia omnino animalia haec verba pertinent, cum sit eadem omnium ratio. *Dante te illis, colligent*, idest, si tu cooperando cum secundis causis, vel potius movendo secundas causas, illaque in omnibus adjuvando dederis animalibus cibum ipsis congruentem, *colligent*, et inde vivent: *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*. Idipsum repetit aliis verbis, quae plane demonstrant, omnium bonorum auctorem esse Deum, sine quo nihil valeret terrae foecunditas, et humana industria. Illud, *replebuntur bonitate*, significat replebuntur bono, sive bonis, ut aperte est in hebraeo, ישבעון טוב *isbehun tob*. Itaque bonitas, hoc loco non significat probitatem, sed substantiam, unde homines, et animalia caetera sustentantur. Vox graeca χρηστοτης ambigua est: nam et utilitatem, et benignitatem significat: hoc autem loco ad priorem significationem referenda est, si cum voce hebraica convenire debeat. *Avertente autem te faciem, turbabuntur*. Contra vero, inquit, si tu avertas faciem, et quasi iratus desinas ea respicere favore tuo, et subtrahas auxilium, continuo turbabuntur, et quasi languebuntur, *et mox deficient; auferes enim spiritum tuum*, idest, spiritum vitalem, quem eis dedisti, *et illa in pulverem suum revertentur*, idest, redibunt in pulverem aridum et inanimem, ut antea erant.

31. *Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*

Ostendit potentiam Domini inde etiam valde laudandam, et praedicandam esse, quod potest etiam restituere spiritum vitae iis rebus, quibus abstulerat, et quamvis possit Deus restituere spiritum in individuo, ut vere restituet hominibus in resurrectione mortuorum: tamen hoc loco loquitur Propheta ad litteram de restitutione in specie. Deus enim aufert spiritum vitalem ab animantibus, cum ea variis modis interire sinit: et rursum emittit spiritum vitalem in animantia per novam generationem, et sic renovat faciem terrae, cum terra iterum repletur animalibus omnium generum. Vox illa, *et creabuntur*, non est accipienda proprie pro eductione ex nihilo, sed pro formatione, sive productione in genere. Quamvis autem haec sit expositio litteralis, non repugnat tamen veritati, ut hic versiculus exponatur mystice, vel pro resurrectione corporum humanorum, vel pro inspiratione Spiritus sancti, ut qui mortui fuerant peccato, vivere incipiant Deo per gratiam.

32. *Sit gloria Domini in saeculum: laetabitur Dominus in operibus suis.*

Explicatis admirandis operibus Dei in coelo, in aere, in terra, et in mari concludit psalmum oratione, ac primum petit, ut *sanctificetur nomen Domini*, quae est etiam prima petitio in oratione Dominica. *Sit*, inquit, *gloria Domini in saeculum*, idest, semper laudetur Dominus, non solum voce, sed etiam vita, et moribus servorum suorum. *Laetabitur Dominus in operibus suis*, idest, et inde fiet, ut Deus semper laetetur in operibus suis, et non habeat occasionem dolendi, et poenitendi quod fecerit ea: dicitur enim Gen. 6. *Videns Deus malitiam hominum, tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem creavi a facie terrae, ab homine usque ad animalia, a reptili usque ad volucres coeli: poenitet enim me fecisse eos*. Et quidem in Deum neque dolor, neque poenitentia, neque nova laetitia cadere potest: sed haec dicuntur more humano ad significandum, Deum in poenam peccatorum destruere opera sua; quod faciunt ii, quos poenitet ea fecisse, et contra fovere, et augere opera sua in praemium justorum, quod faciunt ii, qui ea se fecisse laetantur.

33. *Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant.*

Quia dixerat, res creatas esse opera Domini: id breviter probat ex eo quod tanta est potentia Dei in res creatas, ut solo aspectu minaci terram concutiat, et solo contactu montes ardere faciat. Alludit David ad caput decimum nonum Exodi, ubi describitur mons Sinai terribilis, et fumigans, descendente Domino.

34. *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.*
35. *Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.*

Haec est altera petitio, ut placeat Deo laus ejus. *Ego*, inquit, quemadmodum opto, ut ab omnibus Deus laudetur; sic ipse *cantabo Domino dum vixero*, et non sola voce, sed etiam psalterii sonitu celebrabo laudes ejus. Hoc autem oro, et peto, *ut jucundum sit ei eloquium meum*, idest, hymnus, quem in ejus laudem assidue decanto, gratus sit majestati ejus, et ego quoque delectabor in amore Dei, et deliciae meae erunt meditatio assidua bonitatis ejus.

36. *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint. Benedic anima mea Domino.*

Haec est ultima petitio, ut peccatores, qui Deum

http://www.obrascatolicas.com

laudare nesciunt, deficiant de terra, ita ut vel conversi ad Dominum non sint amplius peccatores, vel si converti noluerint, dejiciantur infra terram, et ultra non compareant.

PSALMUS CIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus hujus psalmi est *alleluja*. Quamvis enim non habeatur apud hebraeos *alleluja* in principio psalmi: habetur tamen in fine psalmi superioris: sed Septuaginta Interpretes posuerunt *alleluja* in principio hujus psalmi, non in fine superioris. et idem fecerunt in psalmis 106. 113. 114. 116. 117. 135. et 146. semper enim posuerunt in titulo *alleluja*, cum in hebraeo habeatur in fine psalmi superioris: credibile autem est, septuaginta Interpretes ita invenisse in suis codicibus hebraicis. Certe sanctus Augustinus monet in praefatione psalmi sequentis, celeberrimam ecclesiae consuetudinem habere, ut *alleluja* ponatur in titulo psalmorum potius quam in fine. Rectissime autem convenit *alleluja* in titulo hujus psalmi, et duorum sequentium: quoniam *alleluja*, significat, *laudate Dominum*, et his psalmis narrantur beneficia praestita populo Dei, ob quae omni laude dignus est. Habentur primi quindecim versiculi hujus psalmi in lib. 1. Paralipomenon capit. 16. deinde subnectuntur eo loco duodecim versiculi ex psalm. 95. et rursum tres alii versiculi adduntur in fine ex psal. 105. Hic autem post quindecim versiculos, qui habentur in lib. Paralipomenon subjiciuntur alii viginti octo versiculi.

EXPLICATIO PSALMI CIV.

1. *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: annunciate inter gentes opera ejus.*

Invitat Propheta spiritu serviens populum Dei ad laudandum, et invocandum Deum, et ad annuncianda caeteris gentibus mirabilia opera ejus, ut per hoc multiplicetur laus, et invocatio Dei: non enim contentus est verus amator, si solus ipse cognoscat, et laudet dilectum: sed cupit a multis, vel ab omnibus omnino cognosci, et laudari. Ait igitur, *confitemini* confessionem laudis vos populi Dei, et invocate nomen ejus, ut recte laudare possitis: neque enim sine auxilio gratiae ejus id praestare sufficitis. *Annuntiate inter gentes*, idest, spargite inter alias gentes sermonem *de mirabilibus operibus Dei*, ut illae quoque ex operibus incipiant cognoscere, laudare, et invocare factorem.

2. *Cantate ei, et psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus.*

Explicat, quod supra dixit, *confitemini*, dicens, *cantate, et psallite*, idest, confitemini laudes Dei cantando vocibus, et psallendo instrumentis musicis, sive laudando verbo, et opere, benedicendo, et bene vivendo: explicat quoque, quod supra dixit, *annunciate inter gentes opera ejus*; dicens, *narrate omnia mirabilia ejus*, idest, annunciate gentibus opera Dei, quae sunt omnia valde admirabilia, et laude dignissima.

3. *Laudamini in nomine sancto ejus: laetetur cor quaerentium Dominum.*

Invitat ad laudem, et cantum exteriorem: nunc invitat ad laetitiam, et exultationem interiorem. ac primum dicit, *laudamini in nomine sancto ejus*, idest, gloriamini in corde vestro, quod Deum noveritis auctorem omnis boni. Vox hebraea, התהללו *hithallelu*, ad verbum reddi potest, *laudate vos ipsos*, sed quia sequitur, *in nomine sancto ejus*, sensus est, *laudate vos ipsos*, et bene fortunatos vos dicite, sive, quod est idem, gloriamini non in vobis, non ex virtute vestra, sed ob nomen sanctum Dei, vobis manifestatum; juxta illud Apostoli. 2. Cor. 11. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Potest etiam vox illa accipi pro laetitia, et exultatione; ut idem sit, *laudamini*, quod laetamini: sic enim vertit s. Hieron. *Exultate in nomine sancto ejus*: per nomen Dei significatur notitia Dei, sive etiam ipse Deus. *Laetetur cor quaerentium Dominum*, idest, cum laetitia, et exultatione, non cum taedio et moerore quaerite Dominum; quia tantum bonum est Dominus, ut melius sit illum quaerere, quam caetera omnia possidere; vel, *laetetur cor quaerentium Dominum*, idest, laetabitur valde cor quaerentium Dominum, quia desinet anxie quaerere quae sunt mundi, et per hoc liberabitur a mor-

dacibus curis, et sollicitudinibus multis: deponet quinque juga boum, *et tollet jugum suave, et onus leve, et inveniet requiem animae suae*, ut legitur Matth. 11.

4. *Quaerite Dominum, et confirmamini: quaerite faciem ejus semper.*

Id ipsum urget, ut serio, et assidue quaeratur Deus: illud enim, *confirmamini*, significat proprie, roboramini, idest, non defatigemini in quaerendo Domino; sed confirmate vires animi, et infatigabiliter quaerite. Sanctus Hieronymus vertit, *quaerite Dominum, et virtutem ejus*; quia legit, עזו *huzo*, quod significat, *robur, sive virtutem ejus*: sed septuaginta Interpretes, quos latinus interpres secutus est, legerunt, עזו *huzzu*, cum iisdem literis, mutatis tantum punctis; et ideo recte verterunt *confirmamini*, sive *roboramini*. Quod sequitur, *quaerite faciem ejus semper*, duobus modis exponi potest. Si respiciamus ad homines testamenti veteris, sensus erit, Quaerite praesentiam Domini per gratiam et favorem, idest, procurate, ut Deus vos placido vultu semper aspiciat, benefaciat vobis de coelo, non avertat faciem a vobis, neque vos iratus despiciat, et affligat. Sed si ad homines testamenti novi referantur haec verba, ut praecipue referri debent, sensus erit, *quaerite faciem ejus semper*, idest, ascendite semper corde, amando, et desiderando faciem Domini; donec ad eam videndam aliquando perveniatis, et quia nemo quaerit quod non novit, et quod aliquo modo per notitiam non invenit; recte dicit s. Augustinus, eos qui quaerunt faciem Domini, jam invenisse per fidem, et adhuc quaerere per spem, et desiderium. Ex quo intelligimus ab illis non quaeri faciem Domini, qui fidem vel non habent, vel non exercent; proinde initium quaerendi faciem Domini, sumendum esse ab exercitatione fidei, cogitando, et meditando eminentiam summi boni, sibique firmiter persuadendo ex divinis litteris, veram foelicitatem, in qua sola quiescere possit desiderium nostrum, non esse nisi in visione infinitae pulchritudinis Dei: et ad hanc visionem posse hominem pertingere, si quaerat, sicut oportet, faciem Dei. Porro quaerere, sicut oportet in duabus rebus positum est, videlicet in removendis impedimentis, et adhibendis mediis: quod Apostolus docuit ad Titum secundo. *Abnegantes impietatem, et saecularia desideria; sobrie juste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem*. Impedimenta ergo sunt, pravae cupiditates, affectusque rerum terrenarum: quantum enim minuitur cupiditas, tantum crescit charitas. Itaque qui cupiunt diviles fieri, ac ut opes cumulent, non tribuunt necessitatem patienti, quique serviunt gulae, aut luxuriae, ii non ascendunt ad faciem Domini quaerendam, sed descendunt, et elongantur ab ea, quia non removent, sed multiplicant impedimenta. Medium ad faciem Domini inveniendam, est vera justitia, sive divinae legis impletio; dicente Domino Matth. 5. *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus*; illud, ut finem; istam, ut medium: et. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Quare ille quaerit faciem Domini semper, qui fidem cogitando, et meditando exercet, quique mortificat membra sua, qnae sunt super terram; et saecularibus desideriis abnegatis, corde puro et conscientia bona semper juste vivit, et ad faciem Domini videndam semper anhelat.

5. *Mementote mirabilium ejus, quae fecit: prodigia ejus, et judicia oris ejus.*

Docet nunc Propheta materiam laudis Dei, et quasi scalam ad ascendendum ad amorem, et desiderium Dei; ad quae duo nos invitaverat in tribus versiculis praecedentibus. Materia laudis sunt opera Dei mirabilia, quae nobis indicant omnipotentiam, et summam sapientiam, et suavissimam bonitatem Dei: quae eadem si, ut par est, pie fideliterque cogitentur, evehunt mentem ad amorem, et desiderium Dei. *Mementote*, inquit, *mirabilium ejus, quae fecit*, idest, revocate ad memoriam, et recogitate mirabilia opera, quae a Deo facta fuisse cognovistis. *Prodigia ejus, et judicia oris ejus*, idest, mementote mirabilium quae fecit, quae mirabilia sunt prodigia, et judicia ejus. Per prodigia intelliguntur miracula, quae fecit Deus per Mosem, et Josue, et Samuelem, et alios, quae naturae viribus fieri nequeunt. Per judicia oris ejus, possunt intelligi horrenda flagella, quibus Deus justo judicio punivit Pharaonem, et alios persecutores populi Dei, ut sint eadem prodigia, et judicia, quia prodigia illa facta sunt, ut per ea judicaretur, et puniretur superbia, et injustitia Pharaonis: sic enim exponit Theodoretus. Possunt etiam per *judicia oris ejus*, intelligi sanctissimae leges, quas Deus populo suo dedit, juxta illud psalm. 147. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias, et judicia sua Israel*, ut prodigia pertineant ad potentiam Dei manifestandam, judicia ad sapientiam. Sic videtur exponere s. Augustinus, et sic exponunt aliqui recentiores.

6. *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus.*

Declarat quibus dixerit, *mementote mirabilium ejus*: quasi dicat, vobis loquor hebraei, qui estis *semen Abrahae, et filii Jacob*, idest, qui propagati estis ab Abraham per Jacob, ac per hoc etiam per Isaac, non per Esau, aut Ismaelem. Vos enim estis *servi ejus et electi ejus*, quia vos elegit Deus in proprios, et peculiares servos, quibus legem daret, et quos doceret, quo ritu coli vellet. Recte autem admonet s. Augustinus haec non pertinere solum ad filios carnis Abrahae, et Jacob; sed potissimum pertinere ad filios fidei Abrahae, et Jacob: dicit enim Apostolus, ad Rom. 4. *Signum accepit* (Abraham) *circumcisionis singnaculum justitiae fidei, quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad justitiam: et sit Pater circumcisionis non iis tantum, qui sunt ex circumcisione; sed et iis, qui sectantur vestigia fidei quae est in praeputio Patris nostri Abrahae*; et ad roman. 9. *Non omnes, qui ex Israel, ii sunt Israelitae; neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii; sed in Isaac vocabitur*

http://www.obrascatolicas.com

tibi semen, idest, non qui filii carnis, ii filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine; et ad Galat. 3. *Cognoscite*, inquit, *quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae;* et infra, *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenunciavit Abrahae. Quia benedicentur in te omnes gentes: igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*; et infra, *Si autem vos Christi estis, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes.* Quod attinet ad verba, illud, *servi ejus*, in hebraeo est genitivus singularis, et sensus est, *semen Abrahae servi ejus*, idest, qui Abraham est servus ejus; sed in graeco est, ὅσλοι nominativus numeri multitudinis, et refertur ad filios Abrahae, qui sunt servi Dei, et haec est verior lectio: nam quod sequitur, *electi ejus*, tam in graeco, quam in hebraeo, est numeri multitudinis. Quod igitur nunc est in hebraeo, עבדו *habdo*, quod significat, *servi ejus*, in genitivo singulari, legerunt Septuaginta interpretes, עבדיו *habdau*, *servi ejus*, in numero multudinis.

7. *Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.*
8. *Memor fuit in saeculum testamenti sui: verbi, quod mandavit in mille generationes.*

Incipit narrare mirabilia opera Dei, ac primo loco ponit, quod Deus universae terrae imperans, elegerit Abrahamum, et cum eo foedus aeternum percusserit de terra promissionis in perpetuum tradenda semini ejus, quae promissio in Christo impleta est, cujus regnum nullum habebit finem: terrena enim possessio Palaestinae non semper apud filios Abrahami permansit. *Ipse*, inquit, *Dominus Deus noster, in universa terra judicia ejus*, idest, Deus, cujus judicia sunt in omni terra, quique omnem terram, ut summus rex, et monarcha judicat, ipse, inquit, Deus tam magnus *memor fuit in saeculum testamenti sui*. idest, memor fuit foederis sui, ut illud impleret, quod aeternum esse voluit. *Verbi sui*, idest, promissionis suae, *quam mandavit*, idest, jussit, et voluit habile esse *in mille generationes*, idest, in aeternum: ponitur enim numerus millenarius qui longe excedit numerum omnium generationum, quae fuerunt ab initio mundi pro quadam perfecta duratione, quae non habet finem. Sic sanctus Augustinus hoc loco, et s. Gregorius lib 9. moral. cap. 3. et perspicuum est, tum et praecedentibus, et sequentibus, ubi dicitur, *Testamentum in saeculum, et aeternum*: tum ex eo quod quocumque modo accipiatur generatio, etiamsi solum pro quindecim annis, in qua aetate homo incipit posse generare, quae est minima duratio, credibile est, mundum a prima conditione, usque ad ultimam consummationem non duraturum mille generationibus, idest, quindecim millibus annorum. Siquidem s. Joannes in prima epist. cap. 2. dicit, *novissimam horam nunc esse*, et tamen nondum effluxerunt sex millia annorum.

9. *Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac.*
10. *Et statuit illud Jacob in praeceptum, et Israel in testamentum aeternum.*
11. *Dicens, tibi dabo terram Chanaam, funiculum haereditatis vestrae.*
12. *Cum essent numero brevi, paucissimi et incolae ejus.*

Id ipsum repetit, et declarat pluribus verbis, ad confirmationem veritatis. *Quod disposuit ad Abraham*, idest, memor fuit ejusdem pacti, quod disposuit ad Abraham; et memor fuit ejusdem pacti, quod cum juramento confirmavit Isaac filio Abrahae: *et statuit illud* pactum, sive promissum juratum ipsi *Jacob in praeceptum*, idest, in decretum, et statutum; *et in testamentum aeternum*, hoc est, foedus in aeternum duraturum. Verba autem promissionis, in pacto, sive decreto divino inclusae, fuerunt, *tibi dabo terram Chanaam*, quae dicitur terra promissionis, in qua Chananaei tunc habitabant. *Funiculum haereditatis vestrae*, idest, quam possidebunt filii tui, tamquam haereditatem funiculo illis divisam. Pro illo verbo, *in praeceptum*, in hebraeo habetur, לחק *lechok*, quod proprie *statutum, et decretum*, significat. Porro haec promissio Dei ad Abraham habetur Gen. 17. ad Isaac habetur Gen. 26. ad Jacob, qui et Israel dicebatur, habetur Gen. 28. Facta est autem haec promissio hebraeis, *cum essent numero brevi*, idest, paucissimi; et cum essent *incolae*, idest, peregrini, et advenae in ipsa terra Chanaam. Quo magis admirandum est consilium Dei, et potentia, ac sapientia ejus, et dignatio erga patriarchas; quod elegerit ex toto mundo familiam unam, eamque exiguam, cui promitteret, et postea re ipsa traderet regionem amplissimam, in qua multi reges solium suum habebant. Sed multo magis admirandum est, quod pusillum gregem electorum ex universo genere humano idem Deus elegerit, cui daret regnum coelorum in aeternam haereditatem, cujus regni sempiterni figura erat terra promissionis. Pro verbo, *incolae*, in hebraeo est *garim*, quod proprie *peregrinos*, et *advenas* significat.

13. *Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum.*
14. *Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges.*
15. *Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari.*

Hic recenset Propheta alterum beneficium Dei, quod videlicet Patriarchas singulari providentia custodierit, atque protexerit. Attingit autem historiam Gen. cap. 12. et 20. ubi Abraham bis in periculo fuit propter pulchritudinem uxoris suae, et capit. 26. ubi Isaac simile periculum adiit, et cap. 31. et 32. ubi Jacob parum abfuit, quin multa pateretur, primum a Laban, deinde ab Esau, Sed ab omnibus periculis eruit eos providentia Dei. *Et pertransierunt*, Patriarchae videlicet, Abraham, Isaac, et Jacob cum familia sua, *de gente in gentem*, de una provincia in aliam: *et de Regno uno ad populum* Regni alterius, ut de Regno Palaestinae ad populum Regni Aegypti. *Non reliquit*, idest, non permisit Deus, *hominem ullum nocere eis*; imo etiam *corripuit pro eis reges*, Pharaonem videlicet Regem Aegypti, et Abimelech regem Gerarae: dixit enim Deus Regibus istis: *Nolite tangere Christos meos*, Abraham videlicet, Isaac, et Jacob: *et in Prophetis meis nolite malignari*, idest, et in eosdem istos, qui Prophetae mei sunt, ac per hoc uncti mihique consecrati, nolite aliquid mali perpetrare, nolite eis nocere, nolite illos vexare. Prophetas fuisse sanctos Patriarchas non dubium est: nam Abraham praevidit captivitatem populi Israelitici in Aegypto, et quamdiu duratura, et quem exitum habitura esset, ut constat ex cap. 15. Genesis. Isaac paulo ante mortem praedixit Esau filio suo, quod serviturus esset Jacob fratri suo, et quod aliquando excussurus esset jugum illud servitutis; quae omnia praedicebantur de posteris eorum, non de personis ipsorum: vide cap. 27. Genesis quae impleta esse testantur libri regum. Denique Jacob plurima praedixit, quae eventura erant singulis filiis, ac praesertim Judae, ex cujus tribu Messiam venturum prophetavit: vide cap. 49. Genesis. Itaque Patriarchae illi recte Prophetae dicti sunt, et ea de causa dicti sunt Christi, idest, uncti, non quod uncti fuerint oleo visibili, quomodo postea sacerdotes, reges, et aliqui Prophetae ungi coeperunt, sed quod spiritali, atque interna unctione spiritus delibuti fuerint, de qua unctione dicitur Isai. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.*

16. *Et vocavit famen super terram, et omne firmamentum panis contrivit.*
17. *Misit ante eos virum, in servum venumdatus est Joseph.*
18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum petransiit animam ejus, docet veniret verbum ejus.*
19. *Eloquium Domini inflammavit eum; misit rex, et solvit eum; princeps populorum et dimisit eum.*
20. *Constituit eum Dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae.*
21. *Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.*
22. *Et intravit Israel in Aegyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.*

Hoc est tertium beneficium Dei erga populum suum, in quo est ingens materia laudis propter admirabilem Dei sapientiam qui ex magnis malis eruere novit maxima bona. Narrat igitur Propheta famen gravissimam, quae orta est super terram tempore Jacob: cujus occasione idem Jacob transmigravit in Aegyptum, ubi vixit cum tota familia sua tempore illius famis. Historia nota est ex lib. Gen. cap. 37. et seq. Ait igitur Propheta, *et vocavit famem super terram*, id est, Deus auctor fuit providentiam suam, ut gravissima fames ex penuria frumenti opprimeret terram: loquitur autem more poetico, cum ait, *vocavit famen super terram*, quasi fames esset exercitus aliquis armatus, qui de uno loco ad alium vocari possel; sed haec metaphora significat, omnia Deo servire ad nutum, et quae videntur nobis fortuita, ex decreto Dei justissimo provenire. Idipsum repetit, et declarat addens, *et omne firmamentum panis contrivit*, idest, fames illa exorta est super terram, quia Deus contrivit firmamentum panis, stabilimentum videlicet victus humani, qui in pane consistit. Fecit enim, ut annis septem, nec arari, nec feri, nec meti posset, ut dicitur in Gen. cap. 45. In hebraeo pro firmamentum panis, est, מטה לחם *mate lechem*, idest, *baculum panis*. Sed septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram baculi; dicitur enim baculus panis, sustentatio vitae ex pane, *Misit ante eos virum*, idest, occasione illius famis venturae praemisit Deus in Aegyptum ante filios Israel, *virum* magnum, idest, Josephum, qui liberaret ab ea fame Israelem cum omni familia sua. Historia Genesis testatur cap. 37. S. Josephum venditum fuisse a fratribus ex invidia mercatoribus pergentibus in Aegyptum: sed David recte dicit, cum missum fuisse a Deo, quia Dei providentia permisit eum vendi, et asportari in Aegyptum, ut per eum mirabili ratione, et modo introduceretur Jacob cum filiis in Aegyptum. Explicat autem idem Propheta, quo modo Joseph missus fuerit in Aegyptum, subdens, *In servum venumdatus est Joseph*, idest, venditus a fratribus Joseph, mercatoribus euntibus in Aegyptum, sic in Aegyptum ipse quoque pervenit. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*, idest, in Aegypto positus Joseph, et accusatus falsi criminis ab uxore Domini sui, conjectus fuit in carcerem, pedes compedibus ferreis alligatus. *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*, idest, ferrum compedum dolore afflixit animam Joseph, et quodammodo eam pertransivit per multos dies, donec impleretur vaticinium ejus, quo praedixit pincernae Regis Pharaonis, liberationem ex carcere: nam ex adimpletione vaticinii processit liberatio ipsius etiam Joseph, ut patet ex Genes. cap. 40. Illud, *ferrum petransiit animam ejus*, in graeco legitur, σιδηρον διηλιθεν η ψυχη αυτs. *ferrum petransiit anima ejus*, in hebraeo utroque modo legi potest: nam verbum, נפשׁ *naphscio*, significare potest, *animam ejus, et anima ejus*, et quamvis sensus idem sit, tamen clarior est oratio: *ferrum pertransiit animam ejus*, et similis illi Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, et sic legerunt s. Hieronymus, et Augustinus in commentario, et alii latini; proinde non recte aliqui recentiores legere maluerunt, *ferrum petransiit anima ejus*, corrigentes sine causa latinum textum ex graeco. Illud, *donec veniret verbum ejus*, s. Hieronymus in commentario refert ad verbum Domini, quo Josephum liberare constituit: sed planior sensus est, si referatur ad verbum ipsius Joseph, qui praedixit liberationem pincernae Pharaonis, quae expositio est S. Augustini, et communior. *Eloquium Domini inflammavit eum*, idest, verbum illius Joseph, quo praedicebat futura, non oriebatur ex ejus ingenii sagacitate, sed ex virtute Dei, qui eloquium ignitum, et lucidum, et efficax illi tribuebat. *Eloquium enim Domini*, idest, a Domino immissum, et inspiratum, cum esset *quasi facula*

http://www.obrascatolicas.com

ardens, ut dicitur de eloquio Eliae Prophetae, Eccl. 48. et *ut lingua ignea, quae sedit super Apostolos*, Act. 2. *inflammavit pectus ejus*, ut libere loqueretur, quae per spiritum Domini praevidebat. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *eloquium Domini probavit eum*. Et quidem vox Hebraica, צרפתהו *tzeraphatheu*, significat, probare; sed Septuaginta Interpretes legerunt, שרפתהו *seraphatheu*, per ש sin, quod significat *inflammare*, et hanc existimamus veram esse lectionem, quae postea incuria librariorum mutata sit. *Misit Rex, et solvit eum; Princeps populorum, et dimisit eum*, idest, Rex Pharao princeps omnium populorum terrae Aegypti, audita sapientia Joseph per pincernam suum, misit qui eum liberaret de carcere, et auctoritate sua solvit eum compedibus, et liberum dimisit. *Constituit eum Dominum domus suae*, et principem omnis possessionis suae, idest, non solum liberavit eum de carcere, sed constituit eum praepositum domus suae, et totius regni sui, ut omnia, quasi princeps, et Dominus administraret. *Ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret*, idest, ea de causa praeposuit rex Pharao Josephum domui suae, non solum ut corporibus alendis tempore famis operam daret; sed etiam ut erudiret principes regni, et seniores consiliarios, qui cum rege negotia regni tractare solebant, ea sapientia, et prudentia, qua ipse pollebat. Illud, *sicut semetipsum*, s. Hieronym. vertit ex hebraeo, *secundum voluntatem suam*. Vox hebraica, בנפשו *benaphscio*, ad verbum significat, *in anima sua*; et potest sensus esse, in voluntate sua, sed septuaginta videntur legisse per caph, כנפשו *chenaphscio*, non per beth; et tunc sensus est, *secundum animam suam*, idest, ad similitudinem sapientiae, quae erat in anima sua; quod proprie dictum est, *sicut semetipsum*. *Et intravit Israel in Aegyptum*, idest, hac occasione ingressus est Patriarcha Jacob *cum omni familia* sua in Aegyptum; vocavit enim eum Joseph, ut habetur Genes. 45. Et Jacob accola *fuit in terra Cham*, idest, hoc modo Jacob, idest, populus congregatus ex filiis, et nepotibus Jacob, coepit habitare in terra Aegypti, quae dicitur terra Cham, quia Mizraim filius Cham filii Noe primus fuit, qui habitavit in terra Aegypti.

23. *Et auxit populum suum vehementer: et firmavit eum super inimicos ejus.*
24. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.*
25. *Misit Moysem servum suum, et Aaron quem elegit ipsum.*
26. *Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.*

Sequitur quartum beneficium Dei erga populum suum, quem divina providentia crescere fecit, et multiplicari valde in Aegypto: et cum a rege Pharaone opprimeretur idem populus Dei, misit Deus Moysem, et Aaronem cum potestate magna in signis, et prodigiis faciendis; ob quae tandem populus Dei, gloriose discessit ex Aegypto. Ait igitur Propheta, *Et auxit populum suum vehementer et firmavit eum super inimicos ejus*. Quid hoc significet, potest intelligi ex cap. 1. Exod. ubi sic legitur, *filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Surrexit interea Rex novus in Aegypto, qui non noverat Joseph, et ait ad populum suum, Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est*. Ubi illud, germinaverunt, in hebraeo est, ישרצו *iscretzu*, quod significat, *producere reptilia in maxima copia*: proinde comparatur hebraeorum multiplicatio in Aegypto multitudini formicarum, aut vermium, qui ita ebulliunt ex aliquo loco, ut numerari non possint. *Convertit cor eorum*, idest, Deus convertit cor Aegyptiorum inimicorum Israelitarum, *ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus*, idest, ut astute, et fraudulenter illos opprimerent. Porro Deus dicitur convertisse cor Aegyptiorum in odium, et ruinam hebraeorum; non inserendo in cordibus eorum malam voluntatem (Deus enim non est causa peccati) sed benefaciendo populo suo, et foecunditatem insolitam illi donando, occasionem quodammodo praebuit perversis cordibus Aegyptiorum, ut inviderent alienae foelicitati, et inde illos opprimere desiderarent: benefecit autem Deus populo suo, praesciens invidiam, et odium in Aegyptiis ea occasione nascitura, quia poterat, et volebat mala eorum voluntate, quam ipse non fecerat, bene uti ad punienda peccata Aegyptiorum, et ad populum suum de captivitate liberandum. Sic exponit s. Augustinus. Si cupiat lector plenius explicari, quomodo Deus convertat corde aliquorum, ut alios odio prosequantur, et tamen non sit causa peccati, videat, quae scripsimus lib. 2. cap. 13. de amissione gratiae, et statu peccati, tom. 4. controversiarum. *Misit Moysem servum suum, et Aaron, quem elegit ipsum*; idest, occasione afflictionis populi sui misit Deus in Aegyptum Moysem, et fratrem ejus Aaronem legatos ad Pharaonem. Illud, *quem elegit ipsum*, in graeco habetur, ον εξελεξατο εαυτω, *quem elegit sibi*; ex hebraeo verti posset, *quem elegit ei*, id est, Moysi, ut sensus sit, misit Deus Moysem servum suum, et Aaronem, quem elegit ei, socium, et adjutorem. Potest tamen vox hebraica, בו *bo*, quae proprie significat, *in eo*, sive, *in ipso*, verti, *ipsum*, ut legunt hoc loco s. August. s. Hieron. in commentario, et alii: et ut habent omnes codices vulgatae editionis, ac ut recte monet s. August. apud latinos redundat illud, *ipsum*, quod apud hebraeos eleganter additur. Similis est locus in psalmo sequenti vers. 5. *ad videndum in bonitate electorum tuorum*: ubi in hebraeo est eadem propositio, *in*, ut etiam in graeco et latino, et s. Hieronymus vertit: *ut videam bona electorum tuorum. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham*. idest, mittens Deus ad liberandos filios Israel, Moysem, et Aaron, posuit in eis verba signorum, potestatem videlicet edendorum miraculorum in terra Aegypti, ut tum filii Israel, tum etiam Aegyptii crederent, Moysem, et Aaron missos esse a Deo; et illis obedirent, ut nuncii veri, atque omnipotentis Dei. Vox illa *verba*, apud

hebraeos latissime patet, ut non solum verba, sed etiam res quascumque significare possit. Itaque hoc loco, *verba signorum*, sunt vel ipsa signa, vel, ut dixi, potestas signorum faciendorum.

27. *Misit tenebras, et obscuravit, et non exacerbavit sermones suos.*

In hoc versiculo et sequentibus octo describit in particulari prodigia edita in Aegypto, quibus Deus Pharaonem, et Aegyptios flagellavit, ubi notandum est, prophetam non recensere omnes plagas, neque eodem ordine, ut habentur in Exodo: quoniam non historiam texit, sed carmen scribit, ad laudandum Deum, quod etiam observavimus in Psalmo septuagesimoseptimo. Incipit igitur a prodigio tenebrarum, quae tres integros dies occuparunt Aegyptum, quae plaga est una ex postremis in Exodo, cap. 10. *Misit*, inquit, *tenebras*, idest, immisit tenebras in Aegyptum, *et obscuravit* eam regionem. Fuerunt autem illae tenebrae tam horribiles, et crassae, ut nemo alterum agnosceret: et quod mirabilius est, nemo se moveret de loco in quo erat; quod sequitur, *et non exacerbavit sermones suos*, varie legitur in codicibus hebraicis, graecis, et latinis. In hebraeo sic habetur, ולא מרו דבריו *velo maru devarav et non exacerbaverunt sermones ejus*: vel, ut s. Hier. vertit, *et non fuerunt increduli verbis ejus*; idest, Moses, et Aaron audacter impleverunt mandata Domini, facientes signa, et prodigia; quorum unum fuit immissio tenebrarum; in graecis vero sic habetur, οτι παρεπικραναν της λογος αυτου *quoniam exacerbaverunt sermones ipsius*, idest, misit Deus tenebras, quoniam Aegyptii exacerbaverunt sermones ejus, obstinate resistentes mandatis ipsius. In latinis varia lectio erat tempore s. Augustini: nam, ut ipse dicit, plerique codices habebant, *exacerbaverunt*, nonnulli, *non exacerbaverunt*. S. Hieronymus in commentario psalmorum legit, *et exacerbavit sermones ejus*, idest, populus exacerbavit sermones Dei, illis non parendo. Nostra lectio, quae habet, *Non exacerbavit sermones suos*, videtur repugnare omnibus aliis codicibus; sed facile convenire potest cum hebraica, et graeca; nam in hebraica expresse habetur negatio. In graeca verisimile est; pro οτι legendum esse, οτε, quod est *neque*; et sic legisse videtur Theodoretus, et sic absque dubio noster interpres legit: non enim vertisset, *et non*, si legisse οτι; nisi imperitissimus fuisset. Quod autem latinus habeat in singulari, *non exacerbavit*, graecus et hebraeus in plurali, *non exacerbaverunt*, non mutat sensus; nam juxta latinam lectionem sensus est, *Non exacerbavit Moses, aut Aaron sermones suos*, idest, Dei. Confundit enim latinus interpres pronomen, *suum*, cum pronomine, *ejus*, quemadmodum in graeco, et hebraeo confunduntur; at juxta lectionem hebraicam et graecam sensus est, *non exacerbaverunt* Moses, et Aaron *sermones suos*, idest, *ejus*, Dei videlicet, qui jussit eos mirabilia signa facere. Cum igitur lectio quae nunc habetur in omnibus libris vulgatae editionis latinae, concordet cum graeca, et hebraica, nullo modo corrigenda, aut mutanda est, ut aliqui nimis audacter faciunt.

28. *Convertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum.*
29. *Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum.*
30. *Dixit, et venit coenomyia, et cinifes in omnibus finibus eorum.*
31. *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.*
32. *Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.*
33. *Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.*
34. *Et comedit omne foenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terrae eorum.*
35. *Et percussit omnem primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.*

Haec omnia quae ad plagas Aegypti pertinent, explicata sunt in explicatione psalmi septuagesimiseptimi, et versiculo quadragesimonono, et deinceps, et nota sunt ex lib. Exod. cap. 7. et sequentibus: neque est in his octo versiculis ulla dissensio inter codices.

36. *Et eduxit eos cum argento, et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.*

Hoc est beneficium quintum, quo Deus affecit populum suum, quia non solum liberavit eum de captivitate Pharaonis, sed etiam ditavit eum magnis opibus: jussit enim ut hebraei peterent a vicinis suis Aegyptiis, viri a viris, et mulieres a mulieribus vasa argentea, et aurea, et vestes pretiosas, et simul dedit gratiam populo suo coram Aegyptiis, ut facile illis crederent, et commodarent omnia, quae petebant, ut habetur Exod. 11. et 12. atque hoc est quod Propheta commemorat, dicens, *et eduxit eos*, de Aegypto videlicet, *cum argento, et auro*, idest, cum ingenti copia vasorum aureorum, et argenteorum, quae commodato acceperant ab Aegyptiis. Disputant Theologi, an dispensaverit Deus in praecepto, *non furaberis*, quando jussit hebraeis, ut per speciem mutui, vel commodati spoliarent Aegyptios, sed non opus erat dispensatione in praecepto naturali, cum Deus, ut Dominus absolutus rerum omnium, potuerit transferre bona illa Aegyptiorum in hebraeos: et etiam quia potuit ut summus judex, tradere bona illa Aegyptiorum hebraeis loco mercedis, quam illis debebant Aegyptii ob labores, in quibus eos servire coegerant. Sic s. Augustin. quaest. 39. in Exodum, et lib. 22. contra faustum, cap. 71. et videtur hoc ipsum affirmare liber Sap. capit. 10. in illis verbis, *Et reddit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili*. His accessit aliud beneficium, quod cum Aegyptii variis morbis affecti fuerint, et tandem primogenita omnia eorum occisa; apud filios Israel nulla plaga desaeviit, et hoc est, quod cantat hoc loco Propheta,

http://www.obrascatolicas.com

cum addit, *Et non erat in tribubus eorum infirmus.*

37. *Laetata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.*

Hoc pertinet ad cumulum beneficii superioris: quia non solum Aegyptii non retinuerunt Hebraeos propter vasa aurea, et argentea, quae illis commodaverant; sed laetati sunt in eorum discessu ob timorem majoris mali, ne videlicet omnes perirent, sicut jam periisse viderant omnia primogenita: sic enim legitur in Exod. cap. 12. *Urgebant Aegyptii populum de terra exire velociter, Omnes moriemur.* Itaque non est opus cum s. August. anxie quaerere cur laetata sit Aegyptus in profectione hebraeorum, cum antea semper restiterit eorum profectioni: et cur non saltem repetierit vasa, quae commodaverat: neque opus est hoc referre ad tempus illud, quod secutum est post demersionem Pharaonis in mari: nam tantus timor mortis incubuerat super Aegyptios, cum viderunt una nocte occisa fuisse omnia primogenita hominum, et jumentorum, ut existimaverint paulo post omnes Aegyptios occidendos, et delendam omnino Aegyptum, nisi hebraei subito dimitterentur.

38. *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.*

Sextum beneficium fuit columna nubis per diem, et columna ignis per noctem, quam angelorum ministerio erexit Deus populo suo, cum exisset de terra Aegypti. Quod autem hic dicitur, *expandit nubem in protectionem*, non videtur significare. nube tectos fuisse hebraeos, ne laederentur a sole per diem, ut multi existimant, et in eis Theodoretus: nam columna nubis praecedebat populum interdiu, et columna ignis noctu, non autem operiebat eos instar nubis super eos expansa, alioqui viam ostendere non potuisset, neque figuram columnae praetulisset. Sic autem legimus Exod. 13. *Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore; numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram pupulo.* Quid ergo sibi vult illud, *expandit nubem in protectionem?* explicatur hoc in Exodo, cap. 14. ubi cum Pharao, et exercitus ejus persequeretur hebraeos recedentes, angelus Domini cum columna nubis interposuit se inter exercitum Pharaonis et populum Israel, ut se ad invicem accedere non possent: et hoc modo expansa nubes illa inter utrumque populum protexit hebraeos ne laederentur ab Aegyptiis, itaque haec dicta sunt, si per nubem hoc loco intelligatur columna nubis, de qua fit sermo in Exodo, cap. 13. et 14. nam potest etiam dici, praeter illam nubis columna fuisse aliam nubem, quae expansa super hebraeos protegeret illos ab aestu in itinere; cujus nubis non fit mentio in Exodo. Atque hanc intelligentiam juvat lectio hebraica, quam sic vertit s. Hieron. *Expandit nubem in tentorium*, et liber Sap. capit. 10. *Et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.*

39. *Petierunt, et veniet coturnix, et pane coeli saturavit eos.*

Septimum hic recolitur beneficium, quo Deus pavit in deserto populum suum pane coeli, idest, manna, quod pluebat e coelo, et carnibus coturnicum, quas Deus ministerio venti in desertum adduxit. Ubi notandum est, bis Deum dedisse populo conturnices, semel Exod. 16. et iterum Num. 11. et prima vice non fuisse populum a Deo punitum, ob petitionem carnium; sed altera vice gravissime fuisse punitum. In hoc ergo psalmo, ubi sola beneficia commemorantur, mentio fit prioris tantum petitionis, quae habetur Exodi 16. non posterioris, quae habetur Num. 11.

40. *Dirupit petram, et fluxerunt aquae, abierunt in sicco flumina.*

Octavum beneficium hic adiungitur, quo Deus ex petra copiam aquarum eduxit in solitudine. ex qua rivi instar fluminum decurrebant. Vide cap. 17. Exodi, cap. 20. Numerum.

41. *Qoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.*

Ratio praecedentium, et futurorum beneficiorum tribuitur promissioni factae ad Patriarcham Abraham, singularem puerum, idest, servum Domini; quamvis enim haec non fuerint illi promissa in particulari: tamen continentur in genere illis verbis Gen. 15. dictis ad Abraham, *scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen suum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui serviturі sunt, ego judicabo; et post haec egredientur cum magna substantia.*

42. *Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia.*

Nonum est hoc beneficium quo Deus submerso Pharaone in mari rubro eduxit de servitute populum suum canentem cum exultatione, et laetitia magna, *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est*, Exod. 15.

43. *Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.*

Hoc est beneficium ultimum, introductio videlicet duce Josue hebraeorum in regiones gentium multarum, et in labores earum, idest, in urbes, quas aedificaverunt, et arva, quae coluerant gentes illae. Apostolus, Actor. 13. narrat fuisse gentes septem, quas Deus ejecit e terra promissionis, ut in eas introduceret populum suum.

44. *Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.*

Hoc est quasi tributum, quod Deus requirit a suis, pro tam multis bonis in eos collatis: nimirum, ut obedirent mandatis ejus; quae obedientia ipsis obedientibus utilissima est, quia perducit ad bona multo majora, quam sit terrae promissionis adeptio. Per, *justificationes*, intelliguntur hoc loco caeremoniae, et judicia, quae multa erant. Per *legem*, intelligitur lex moralis, quae reducitur ad unum praeceptum, quod est dilectio. In hebraeo habetur, ותורתיו ינצורו *vethorotau intzoru, et legem ejus servarent*, sed idem est sensus: nam legem requirere, nihil est aliud, nisi in omni actione legem consulere, eamque scrutari, ut juxta eam omnia fiant.

PSALMUS CV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus hujus psalmi est, *alleluja*, et juxta hunc titulum laudatur Deus; non ut in superiore, ob sola beneficia; sed etiam ob misericordiam praestitam erga ingratos, qui praeventi a Deo in benedictionibus tantae dulcedinis, Deo frequenter inobedientes, et rebelles fuerunt, et tamen per poenitentiam reconciliati in gratiam redierunt. Hujus quoque psalmi mentio fit in libro 1. Paralipomenon, cap. 16. ubi ponitur prima pars psalmi superioris: et in fine adduntur tres ultimi versiculi hujus psalmi.

EXPLICATIO PSALMI CV.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Loquitur Propheta in persona fidelis populi poenitentis, et gratias Deo agentis. Invitat autem omnes ad laudes Dei: tum quia bonus est, et praevenit homines, beneficia multa in illos conferens; tum quia misericordia ejus in recipiendis peccatoribus ad poenitentiam revertentibus semper invicta manet: vincit enim misericordia Dei miserias nostras, ad quas pertinent praecipue scelera nostra, et quidem miseriae nostrae, Deo propitio, brevi evanescunt, *sed misericordia ejus manet in saeculum saeculi.* ps. 100.

2. *Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus.*

Invitavit omnes ad confessionem laudis: nunc objicit sibi, vix inveniri qui sit idoneus ad praedicandas laudes Dei. *Quis*, inquit, *loquetur*, idest, loqui sufficiet, *potentias Domini*; idest, opera potentiae, sive potius omnipotentiae ejus; et mox idem repetit aliis verbis, *quis auditas faciet*, id est, quis loquendo faciet, ut audiantur *omnes laudes ejus?* Quae videlicet laudes ex cognitione operum potentiae ejus oriuntur. Nominat hoc loco Dei potentiam Propheta, cum de omnibus operibus Dei laude dignis loquitur, quia omnia opera Dei mirabilia ad potentiam revocari possunt. Nam de sapientia scriptum est, Sap. 8. *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, et vere fortissima est Dei sapientia, quae in sua dispositione impediri non potest; et quia impediri non potest, ideo nec falli potest. Pari ratione opera misericordiae ad potentiam revocantur, quoniam ideo Deus solus obsolute misericors est, quia solus potest omnes miserias tollere; ac per hoc ideo solus proprie misericors est, quia solus omnipotens est. Ergo qui loqui posset omnes potentias Domini, posset etiam auditas facere omnes laudes ejus. Sed quis ad haec idoneus erit. Vir justus in vita utcumque, et pro modulo suo: sed longe melius, et plenius qui beatus erit in vita futura. Ideo subjungit Propheta respondens interrogationi suae, ac dicit.

3. *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.*

Quasi dicat, soli illi beati sunt, ac per hoc loqui possunt potentias Domini, et auditas facere omnes laudes ejus, *qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, idest, qui semper re-

http://www.obrascatolicas.com

ete judicant de omnibus rebus, quas agunt, quia regulam divinae legis in omnibus sequuntur, et semper juste vivunt, declinantes a malo, et facientes bonum. Potest etiam hic versiculus ita exponi, ut idem bis repetatur, et idem sit custodire judicium, et facere justitiam: nam pro eodem accipiuntur in multis locis psalmorum, judicium, et justitia. Porro justi soli loqui possunt laudes Domini; tum quia ipsi non solum lingua, sed etiam vita laudant Dominum, ut scriptum est in psalm. 32. *Rectos decet collaudatio*, tum quia ipsi soli beati sunt, et habitant in domo Domini, vel in spe, dum hic vivunt, vel in re, cum ad patriam perveniunt, et talium officium est Deum laudare, juxta illud psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Quod autem hic dicitur, *beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, potest intelligi de utrisque, idest, tam de beatis in spe, quam de beatis in re: beati enim in spe custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore, pro modo fragilitatis humanae viventes sine crimine, et pro peccatis quotidianis veniam precantes: beati autem in re *custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, tanta perfectionis plenitudine, ut peccare nullo modo possint. Atque utrosque quidem decet collaudatio, sed pro modo perfectionis justitiae, et juxta differentiam beatitudinis.

4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.*
5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae, ut lauderis cum haereditate tua.*

Posteaquam Propheta dixit justorum, ac beatorum esse officium laudandi Deum; optat, et precatur sibi, et suis hanc felicissimam sortem, et breviter attingit praedestinationem, justificationem, et glorificationem, quae sunt initium, medium, et finis beatitudinis humanae. *Memento*, inquit, *nostri Domine in beneplacito populi tui*, idest, adimple Domine beneplacitum illud, quo tibi complacuisti in populo tuo, in coetu videlicet electorum, quos elegisti ante mundi constitutionem ex bona voluntate tua, in qua complacuit tibi dare pusillo gregi tuo regnum sempiternum. *Visita nos in salutari tuo*, idest, ut impleas beneplacitum aeternae praedestinationis: visita nos in Christo salvatore, justificans nos a peccatis per merita ejus, sive, *visita nos* per gratiam justificationis, quae est salus inchoata, et veluti semen salutis aeternae. Nam salutare utrumque significat, et Salvatorem, et salutem, et una significatio alteram includit. Vera enim salus sive inchoata per gratiam, sive consummata per gloriam, non potest haberi nisi per Salvatorem Jesum Christum Dominum nostrum: *non enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicit sanctus Petrus Act. 4. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, idest, ut praedestinati et justificati perveniamus ad videndum bonum electorum tuorum, quae est ipsa facies Domini conspicua: *tunc enim similes ei erimus, cum videbimus eum sicut est*, ut ait beatus Joannes, I Joan. 3. Per, *bonitatem electorum*, non intelligitur hoc loco probitas, sed ipsum bonum: et sanctus Hieronymus recte vertit. *Ut videam bona electorum*, id enim significat, טובת *tobath*. *Ad laetandum in laetitia gentis tuae*, id est, ad participandam inenarrabilem illam laetitiam, quae nascitur ex divisione divina, quae est laetitia propria gentis tuae populique tui electi, quam extranei gustare non possunt, de qua dicitur in evangelio Matth. 23. *intra in gaudium Domini tui. Ut lauderis cum haereditate tua*, idest, ut finis ultimus sit omnium beneficiorum tuorum, perpetua laus tua, et haereditatis tuae, ut sine fine lauderis tu, ut opifex; et haereditas tua, ut opificium; tu ut summus, potentissimus, sapientissimus, ut optimus artifex, cui nullus est similis; et haereditas tua, ut opus egregium, et incomparabile, cui nullum est simile. Per haereditatem autem intelligitur coetus justorum, quem sibi Deus elegit quasi propriam possessionem: haereditas enim, et possessio pro eodem accipiuntur in scripturis. Hic duae sunt difficultates; una, quod in hebraeo omnia sunt in numero singulari, *memento mei visita me, ut videam, ut laetor, ut lauder*: in graeco, et latino sunt omnia in numero multitudinis, *memento nostri, visita nos*, etc. sed facilis est concordia; quia in his verbis loquitur populus Dei, qui et unus est, ut possit loqui in numero singulari; et multitudinem continet, ut possit loqui in numero multitudinis. Praeterea non est improbabile, septuaginta interpretes legisse voces hebraicas in numero multitudinis, quae nunc habentur in numero singulari, sola enim differentia est inter hos numeros, quod in singulari est in fine litera *Jod*, in plurali est litera *Vau*, quae solum differunt, quod una est paulo brevior quam altera, sic enim scribitur Jod י, et sic scribitur Vau ו: itaque facile fuit librariis mutare unam in alteram. Altera difficultas est in illis verbis, *ut lauderis cum haereditate tua*: nam in hebraico, et graeco sunt tria verba modo infiniti, ad videre, ad laetari, ad laudari, quae nos latini efferimus per gerundia, ad ad videndum, ad laetandum, ad laudandum: noster autem interpres vertit per gerundia duo priora verba, et retulit ad nos, quasi diceret, *ad videndum*, idest, *ut videamus*; *ad laetandum*, idest, *ut laetemur*; et tertium variavit dicens, *ut lauderis*, cum debuisset vertere, *ad laudandum*, idest, *ut laudemur*, sive gloriemur. Hanc difficultatem notavit s. Augustin. et miratur valde, cur interpres latinus tertium membrum sententiae ita variavit. Ad hanc difficultatem respondemus, interpretem latinum variasse modum interpretationis, ut sententiam redderet clariorem: nam si vertisset, *ad laudandum cum haereditate tua*, ambiguum fuisset, quid significaret illud, ad laudandum, an ut laudemur, vel ut lauderis: ut elegit hoc posterius, ut non solum clarior, sed etiam magis indubitata sententia esset. Caeterum quicquid sit de verbis, sensus semper est idem: nam si interpres vertisset, ut laudemur, vel ut magis sonat vox hebraica, להתהלל *lehithallel*, *ut laudemus nos ipsos*, sive ut gloriemur; oportet subintelligi, *in Domino*, juxta illud psalmi superioris, *laudamini in nomine sancto ejus*, et illud

Apostoli, qui gloriatur, in Domino glorietur: quare omnis laus tandem ad Dominum referenda est, et ideo recte vertit interpres, *ut lauderis cum haereditate tua*: ut omnis obscuritas, et ambiguitas tolleretur. Fateor, hos duos versiculos potuisse etiam exponi de bonis temporalibus, qualia promittebantur, et expectabantur in testamento veteri, sed malui persequi sensum altiorem, et magis intentum a Spiritu sancto, et ab ipso Propheta in quem sensum accipit haec verba sanctus Bernardus serm. 32. super Cantica.

6. *Peccavimus cum Patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.*
7. *Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae.*
8. *Et irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum.*
9. *Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.*
10. *Et increpuit mare rubrum, et exsiccatum est, et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.*
11. *Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.*
12. *Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.*
13. *Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.*

Hic jam incipit Propheta in persona aliorum fidelium minus perfectorum, sed vere poenitentium confiteri peccata sua, et peccata patrum ab egressu de Aegypto usque ad sua tempora, ut simul commemorat laudes misericordiae Dei, quae numquam suum poenitentibus claudit. Sunt autem hi octo versiculi satis noti ex historia libri Exodi, et ex psalmo septuagesimo septimo; neque est hic ulla dissensio inter codices latinos, graecos, et hebraicos. Illud, *peccavimus cum Patribus nostris*, significat, socii fuimus patrum nostrorum in peccatis, quia imitati sumus peccata eorum, et sic implevimus mensuram eorum. Illud, *non intellexerunt mirabilia*, refertur ad illud tempus, quo filii Israel egressi de Aegypto, cum vidissent exercitum Pharaonis post se venientem, adeo desponderunt animum, ut etiam quererentur de Mose, qui eos eduxerat de Aegypto: vide cap. 14. Exodi. Nam si intellexissent mirabilia Dei tam multa, quae processerant, omnino confisi fuissent de potentia, et auxilio Domini. Illud, *et irritaverunt*, significat filios Israel in angustiis illis constitutos, cum ante se cerneret mare rubrum, post se Pharaonis exercitum, irritasse Deum diffidentia, et incredulitate sua. Illud, *ascendentes in mare, mare rubrum*, difficile est; nam mare est inferius terra, ac per hoc descenditur. S. Augustinus respondet, illud, *ascendentes*, referri ad Aegyptum, ut sensus sit, ascendentes ex Aegypto, et in mari rubro, id est, ad littus maris rubri costitutos, ibi irritasse iram Dei; itaque notandam esse virgulam post vocem, *ascendentes*. Sed quia in textu latino non habetur *in mari*, sed *in mare*, et additur mare rubrum, dicendum est, illud, *in mare*, positum esse pro *ad mare*, ut sensus sit, hebraei ascendentes de Aegypto irritaverunt Deum ad mare rubrum, sive ad littus maris rubri. In hebraeo clarior est sensus, ubi sic legitur ad verbum, *Irritaverunt super mare, mare rubrum*, idest, irritaverunt Deum, cum esset super mare rubrum, idest, proximi mari rubro. Illud, *increpuit mare*, metaphoricum est: significatur autem, mare recessisse ad nutum Dei, quomodo recedit velociter, qui timet indignationem, et minas viri potentis. Illud, *in abyssis, sicut in deserto*, est locutio similis illi, Matt. 11. *Caeci vident, surdi audiunt*, idest, qui erant caeci, nunc vident; et qui erant surdi, nunc audiunt. Abyssus enim significat profunditatem aquarum, quae contraria est locis desertis, et arentibus. Itaque sensus est, *deduxit eos in abyssis*, idest, in locis ubi solebant esse aquae profundissimae, ac si eos deduceret per desertum, ubi nullae sunt aquae. Illud, *laudaverunt laudem ejus*, in hebraeo est, *cantaverunt laudem ejus*: proinde *laudaverunt*, quod nos habemus, significat celebraverunt concinentes laudem ejus: quid autem cantaverint, habetur Exod. 15. ubi ponitur canticum illud, *cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*, etc.

14. *Cite fecerunt, obliti sunt operum ejus, et non sustinuerunt consilium ejus.*
15. *Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso.*
16. *Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum.*

Pergit Propheta in enarranda ingratitudine populi, qui cum vidisset miraculum tam insolitum in mari rubro, et Deum tam eximie inde laudasset, mox occurrente penuria panis, et aquae, obliti sunt omnipotentiae, et providentiae Dei, et in verba impatientiae, et infidelitatis proruperunt. *Cito fecerunt*, idest, festinarunt, sive acceleraverunt, ut clarius habetur in textu hebraico et graeco. Quid autem cito fecerint, et in quo festinaverint, explicat dicens, *obliti sunt operum ejus*, idest, festinaverunt oblivisci operum Dei mirabilium, quae viderant. *Et non sustinuerunt consilium Dei*, idest, non patienter expectaverunt finem divino consilio constitutum. Deus enim permittens illos ad tempus affligi, tentabat fidem, et spem, et dilectionem ipsorum: sed ipsi non intelligentes consilium Dei, murmurabant, quasi Deus curam illorum non gereret, aut eos juvare non posset. Explicat deinde in particulari, in qua re impatientes fuerint, dicens, *et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso*, idest, non potuerunt vel ad modicum tempus tolerare famem, et sitim in deserto inaquoso, ubi deerant panis et aqua. *Illud concupierunt concupiscentiam*, est phrasis non omnino inusitata etiam apud latinos; sic enim dicimus, vivere vitam, et servire servitutem. Sed apud hebraeos frequens est ponere concupiscentiam pro re concupita, desiderium pro re desiderata, et petitionem pro re petita, unde sunt illa, *Desiderium eorum attulit eis*, psal. 77. *et dabit tibi petitiones cordis*

http://www.obrascatolicas.com

tui, psal. 36. et in hoc ipso psalmo, versiculo sequenti, *et dedit eis petitionem ipsorum*, id est, panes, carnes, et aquam, quae petierant, *et misit saturitatem in animas eorum*, idest, satiavit appetitum ipsorum abundatia panum et carnium, et aquarum copia, ut perspicuum est ex cap. 16. et 17. Exodi, et ex cap. 11. et 20. Numeri. In hebraeo pro, *saturitatem*, habetur, *tenuitatem*, sive *maciem*. Sed septuaginta interpretes non legerunt, רזון *razon*, quod significat, *maciem*, sed רצון *raizon*, quod significat *complacentiam*, quod recte positum est pro saturitate: quia illis cibis satiamur, qui nobis valde placent, et hanc esse veram lectionem perspicuum est, quia est conformis scripturae; sic enim legimus Exod. 12. *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus*, et in Psalm. 77. legimus, *Comederunt, et saturati sunt nimis: desiderium eorum attulit eis, et non sunt fraudati a desiderio suo.*

17. *Et irritaverunt Moysem in castris, Aaron sanctum Domini*
18. *Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron.*
19. *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma cumbussit peccatores.*

Attingit hoc loco Propheta historiam Dathan, et Abiron: quae habetur capit. 16. libri Numeri. *Et irritaverunt Moysem in castris*, idest, Core, Dathan et Abiron irritaverunt Moysem, objicientes ei, quod imperium sibi usurpasset super filios Israel. *Aaron sanctum Domini*, idest, non solum Mosem, sed etiam Aaron fratrem ejus irritaverunt, quem Deus sibi santificaverat, ut sacerdotio fungeretur. *Aperta est terra, et deglutivit Dathan*, cum sociis ejus Core, et Abiron, et omni familia et substantia eorum. *Et operuit super congregationem Abiron*, idest, terra disrupta pasteaquam deglutivit schismaticos, iterum clausa est, et cooperuit omnem congregationem Abiron, et sociorum ejus. Illud, *super*, redundat, quamvis enim habeatur in hebraeo, tamen s. Hier. vertit, *et operuit synagogam Abiron*: sed latinus interpres imitari voluit phrasim hebraicam, quod etiam fecerunt septuaginta interpretes. *Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores*: nam, ut narratur in eodem cap. 16. Numeri, cum declutisset terra Core, Dathan, et Abiron cum tabernaculis ipsorum, divino jussu excitatus est ignis, qui combussit ducentos quadraginta viros, qui praesumpserant incensum offerre Deo; quod ad eorum officium non pertinebat: et paulo post cum murmuraret populus contra Mosem, quasi ipse viros illos occidisset, iterum exarsit ignis immissus a Deo, qui cremavit quatuordecim millia, et septingentos viros. Pro voce, *peccatores*, in hebraeo est, רשעים *resciahim*, quod *impios* significat. Itaque non significantur hoc loco quicumque peccatores, sed gravissimi, schismatici videlicet, et eorum fautores.

20. *Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile.*
21. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.*
22. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.*
23. *Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.*
24. *Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos: et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Detestatur nunc Propheta idololatriam populi, qui vitulum aureum fieri jussit, eumque tamquam Deum adoravit: et simul laudat misericordiam Dei, qui ad preces Mosis placatus, tam immane peccatum populo condonavit. Habetur haec historia in libro Exodi cap. 32. *Et fecerunt vitulum in Horeb*, idest, vitulum aureum ad similitudinem idoli Aegyptiaci, fieri curaverunt ab Aarone qui metu compulsus obtemperavit vocibus populi. Fecerunt autem illud idolum in Horeb, idest, in regione adjacente monti, qui vocatur Horeb, et idem est cum monte Sinai, ut Theodoretus docet, et notum est ex Deuter. cap. 4. vers. 15. et Exod. cap. 19. v. 20. *Et adoraverunt sculptile*, vitulum videlicet aureum: quamvis enim vitulus ille opere potius conflatoris, quam sculptoris factus fuerit, ut habetur in textu hebraico: tamen sculptile dictum est significatione generali, ut comprehendit omnes imagines solidas, sive ligneas, et marmoreas, quae proprie sculpuntur, sive aureas, et argenteas, quae proprie conflantur. Meminit autem David montis Horeb, et sculptilis, cum notat idololatriam populi, quia in monte Horeb non multo antea Deus apparens initio divinae legis dixerat, *non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles*. Itaque multum auget crimen hebraeorum, quod in ipso loco fecerint, et adoraverint sculptile, sive conflatile, ubi hoc ipsum praecise vetitum fuerat. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.* Exaggerat Propheta stultitiam hebraeorum, quod substituentes idolum in forma vituli Deo vero, commutaverint gloriam suam, idest, Deum verum, qui erat gloria ipsorum, in imaginem animantis bruti: nec dicit, Deum in vitulum, sed quod vilius est, in imaginem vituli, idest, rem pretiosissimam in rem vilissimam. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Hoc etiam pertinet ad augendam stultitiam Hebraeorum, qui obliti sunt Dei qui eos salvaverat de captivitate Pharaonis, ut colerent Deum, qui neque se, neque alios salvare poterat: nam Moses contrivit vitulum aureum, et redegit in pulverem; ipso vitulo non se defendente, ac ne sentiente quidem. Item obliti sunt hebraei Dei omnipotentis, *qui fecit magnalia in Aegypto*, idest, mirabilia signa, et prodigia in tota terra Aegypti, quae etiam dicitur terra Cham, *et terribilia in mari rubro*, siccans mare illud, ut transirent filii Israel, et iterum aquis replens, ut suffocarentur Aegyptii, et coluerunt Deum inanem, et imbellem, simulacrum videlicet mutum, et inutile. Hic notanda est temeritas Joan. Calvini haeresiarchae, qui scripsit, hebraeos in vitulo aureo coluisse Deum verum; cum David aperte dicat, *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos*. Et paulo ante: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum*. Vide quae scripsimus in libro de reliquiis, et imaginibus cap. 13. *Et dixit, ut disperdet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*, idest, tunc Deus dixit, ac pronunciavit voluntatem suam esse, ut disperdet populum hebraeorum, et fecisset, nisi Moses electus famulus ejus, intercessione sua obstitisset, *ut averteret iram ejus, ne disperdet eos.* Illud, *in confractione*, in Hebraeo est, בפרץ *bapperets*, quod significat *in divisione*, sive in disruptione. Sanctus Hieronymus secutus priorem significationem vertit, *nisi Moyses stetisset medius contra faciem illius*, idest, nisi opponens se medium divisisset Deum a populo, et eo modo fecisset, ne gladius irae Dei ad populum perveniret: sed Septuaginta Interpretes secuti posteriorem significationem, verterunt, εν τῇ τραυσει, *nisi stetisset in fractura*, et disruptione, hoc est, nisi opposuisset se ruinae imminenti: vel nisi disrupto jam muro stetisset in medio, ut impediret irruptionem irae Dei. Itaque metaphora sumpta est vel ab eo, qui sustinet ruentem fabricam, et impedit, ne penitus ruat: vel ab eo, qui disrupto jam muro opponit se loco muri, ut arceat ingressum hostium: summa est, magnam vim habere intercessionem sanctorum apud Deum, ut hoc loco sanctus Augustinus annotavit. Et certe si non essent preces assiduae servorum, et amicorum Dei, quibus Deus placari se patitur, Mundus, qui *totus in maligno positus est*, ut scribit B. Joan. 1. epist. cap. 5. non tamdiu subsisteret.

25. *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*
26. *Non crediderunt verbis ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.*
27. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.*
28. *Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperderet eos in regionibus.*

In parte versiculi vigesimiquarti, in qua novum versum incipiunt hebraei, et tribus sequentibus versiculis, commemorat Propheta peccatum illud populi hebraei, quo spreverunt terram promissionis, quam Deus esse dixerat fluentem lacte, et melle. Habetur haec historia in lib. Num. cap. 13. et 14. et clarius Deuter. 1. *Et pro nihilo*, inquit, *habuerunt terram desiderabilem*, idest, terram promissionis, quam uti foelicissimam desiderare debuissent, ipsi contempserunt et pro nihilo habuerunt, dicentes, *terra haec devorat habitatores suos*. S. Hieron. vertit, *Et despexerunt terram desiderabilem. Non crediderunt verbis ejus*, idest, Dei, qui toties dixerat, terram esse optimam: et murmuraverunt in tabernaculis suis adversus Dominum, qui de Aegypto illos eduxerat, ut in terram promissionis induceret. *Non exaudierunt vocem Domini*, idest, non obediverunt praeceptis ejus. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto: Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperget eos in regionibus*, idest, levavit manum suam gladio justitiae armatam super peccatorem populum suum, et eos qui tunc murmuraverant, occideret in deserto: et filios eorum dejectos, et abjectos dispergeret inter gentes, ut non essent amplius populus, aut resp. Et quidem illud prius executioni mandavit Deus: omnes enim, qui murmuraverant, mortui sunt in solitudine, ut Scriptura refert Num. 14. Illud autem posterius, non mandavit tunc executioni propter preces Mosis: sed postea iratus majoribus sceleribus omnino implevit, tum sub rege Babylonis, tum praecipue sub Tito, et Vespasiano, ut nos videmus. Quo loco notandum est, quam graviter irascatur Deus in eos, qui spernunt regnum coelorum nobis a Dei filio praedicatum, et promissum: si tam graviter iratus est hebraeis, quod spreverint terram promissionis praedicatam a Mose, quae nihil aliud nisi terra erat, et figura regni coelorum.

28. *Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.*
29. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.*
30. *Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio.*
31. *Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.*

Attingit hoc loco David aliud peccatum populi, cujus historia habetur Num. 25. Nam, ut ibi legimus, filii Israel decepti a filiabus Moab coeperunt fornicari cum eis, et colere Idolum earum dictum Beelphegor: ex quo iratus Dominus jussit suspendi in patibulis omnes principes populi. Sed cum Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis Sacerdotis zelo Dei ductus occidisset unum de filiis Israel una cum muliere Madianitide, in ipso actu fornicationis, placatus fuit Deus, ob meritum zeli ipsius toti populo. *Et initiati sunt Beelphegor*, idest, et addiderunt filii Israel ad alia peccata, ut initiarentur, sive consecrarentur in honorem Idoli Moabitarum, quod vocabatur Beelphegor. Dicebatur autem idolum Moabitarum Beelphegor a monte Phegor, cujus montis mentio fit Num. 23. quasi diceretur *Dominus Phegor*. בעל *Bahal* enim Dominum significat. *Bahal*, et *Behel* idem sunt: sed hebraei dicunt, *Bahal Phegor*, graeci, *Behel Phegor*. *Et comederunt sacrificia mortuorum*; id est, comederunt sacrificia oblata Diis mortuis, non Deo vivo, qui unus verus est Deus: dicuntur autem Dii mortui, vel ipsa idola, quae veluti mortua oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt: vel homines mortui, qui a paganis referebantur in Deos, quales erint in Aegypto Apis, et Serapis, apud graecos Jupiter et Apollo; apud romanos Romulus, et alii, *et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina*, idest, irritaverunt Deum in cultu novorum Deorum, quem ipsi excogitaverunt; non quod ipsi primi fuerint inventores idoli Beelphegor, sed quod fuerint primi, qui cultum illius idoli a Moabitis acceptum introduxe-

http://www.obrascatolicas.com

runt in populum Israeliticum. *Et multiplicata est in eis ruina*, idest, propter hoc peccatum multiplex ruina facta est in populo, plurimis videlicet misere interemptis. *Et stetit Phinees et placavit, et cessavit quassatio*, idest, Phinees zelo divini honoris accensus stetit intrepidus adversus impios desertores antiquae regionis, et placavit zelo suo Deum, et sic cessavit inchoata strages in populo Dei: vox hebraica, פלל *palal*, ambigua est: nam et judicare, et orare, atque oratione placare significat. S. Hieronymus primam significationem sequutus vertit, *stetit Phinees, et dijudicavit*. Septuaginta interpretes secuti terram significationem verterunt, *stetit Phinees, et placavit*: uterque sensus est verus. Phinees enim diudicando, et damnando, ac puniendo impios, hoc facto quasi sacrificio Deo gratissimo Deum placavit. *Et reputatum est ei ad justitiam*, idest, a Deo qui scrutatur corda, et qui probe novit optimam intentionem Phinees, reputatum est hoc factum non injusta caedes, sed justa punitio; quae non poenam mereretur; sed laudem, et praemium: *idque in generationem, et generationem usque in sempiternum*. Hoc dicit Propheta, quia propter meritum illius facti, ut habetur Num. 25. stabilivit Deus dignitatem summi sacerdotii ipsi Phinees, et posteris ejus in aeternum, idest, toto tempore, quo duraret resp. Judaica.

32. *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis: et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.*

Transit propheta ad aliud peccatum Judaeorum, quod habetur in lib. Num. cap. 20. ubi populus altercari coepit cum Mose propter aquae penuriam: Moses autem perturbatus nonnihil haesitasse videtur dicens, *num de petra hac aquam vobis poterimus elicere?* percussit tamen bis virga petram, et egressae sunt aquae in maxima copia. Sed Deus subiratus Mosi propter haesitationem, punivit illum ea poena, ut non introduceret ipse populum in terram promissionis, sed moreretur in itinere. *Et irritaverunt eum*, idest, hebraei Deum, *ad aquas contradictionis*, idest, in eo loco, ubi propter aquae penuriam contradixerunt Mosi, et jurgati sunt adversus eum. *Et vexatus est Moyses propter eos*, idest, et anxiatus est, atque afflictus Moses propter jurgia populi, *quia exacerbaverunt spiritum ejus*, idest, quia jurgando, et murmurando adversus Mosem, ad amaritudinem, et tristitiam adduxerunt spiritum ejus, qui alias alacer, et promptus esse solebat ad omnia Dei mandata sine ulla haesitatione complenda.

33. *Et distinxit in labiis suis; non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.*
34. *Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.*

Aliqui conjungunt primam partem versiculi trigesimitertii, cum versiculo superiore, ut sensus sit, Moses non plena fide imperavit petrae, ut aquas funderet, quemadmodum jusserat Deus dicens Mosi, et Aaroni *loquimini ad petram, et ipsa dabit aquas*: sed cum distinctione, et dubitatione dixit, *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Itaque illud, *distinxit in labiis suis*, significare volunt, Mosem non absolute imperasse petrae, sed distinguendo et videndo verba haesitasse; sic enim hunc locum intellexit s. Augustinus, et auctores graeci Theodoretus, et Euthymius. Caeterum adversus hanc expositionem duo pugnant. Unum quod verba sic exposita non coaerent cum sequentibus, *non disperdiderunt gentes*, etc. Alterum, quod verbum tum graecum, tum hebraicum, tum etiam latinum, *distinguere labiis*, in aliis locis Scripturae, non significat dubitare, vel haesitare, sed absolute pronunciare: ps. 65. *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea*, ubi habetur idem verbum graecum, διαςελλειν quod habetur hoc loco: ut etiam habetur Num. 30. et Levit. 5. ubi agitur de promissione voti, vel juramenti. Sic etiam vox hebraica, בטא *bata*, quae habetur hoc loco, significat loqui, promittere, pronunciare, ut patet ex cap. 5. Levit. et Num. 30. supra citatis: nusquam autem dubitare, vel haesitare. Denique vox latina, distinguere labiis, et distincte loqui, non videtur ad ambiguitatem, sed ad perspicuitatem potius pertinere. Existimo igitur, salvo meliore judicio, in hoc versiculo inchoari aliam historiam, quae habetur in libro Judicum, ubi legimus, hebraeos non disperdidisse omnes gentes idololatras ex terra promissionis, quemadmodum Dominus jusserat, sed habitasse cum illis et didicisse superstitiones, et sacrilegia eorum. Ait igitur David, *et distinxit in labiis suis*, idest, Deus aperte pronunciavit, et reprehendit hebraeos, quod non exterminaverint gentes, *quas dixit Dominus illis*, idest, quas ipse idem Dominus jusserat exterminari, Deut. 7. Videtur David alludere ad verba angeli, qui in persona Domini sic loquitur in cap. 2. Judicum: *Eduxi vos de Aegypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat, ut non feriretis foedus cum habitatoribus terrae hujus, et aras eorum subverteretis; et noluistis audire vocem meam. Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum.* Id notum est ex toto libro Judicum. *Et factum est illis in scandalum*, idest, in ruinam: ea enim causa fuit, ut traderentur a Deo in potestatem diversorum regum idololatrarum, ut patet ex cap. 2. Judicum, vel potius ex toto libro. Justum enim fuit, ut qui Diabolum pro Deo elegerant, traderentur in servitutem eorum, quibus Diabolus dominabatur.

35. *Et immolaverunt filios suos, et filias suas Daemoniis.*
36. *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.*
37. *Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis.*

Haec non habentur in libro Judicum: tamen vera esse necesse est, cum a Spiritu sancto per Prophetam dicantur et credibile est ea per traditionem a majoribus ad Davidem pervenisse. Semel Deus verus imperavit Abraham, ut filium immolaret; quod tamen perfici noluit, contentus praeparatione mentis ad obedientiam: Dii vero falsi, doemones videlicet, inimici crudelissimi generis humani, invidentes Deo tantam servi sui Abrahami obedientiam, non contenti promptitudine voluntatis, re ipsa filios, et filias sibi sacrificari a propriis parentibus voluerunt. Et tanta erat caecitas hominum, ut non agnoscerent tyrannidem doemoniorum, et quantum interesset inter jugum suave conditoris, et compedes ferreas et durissimas destructoris. Illud, *infecta est terra in sanguinibus*, in graeco est εφονοητονηθη, id est, *interfecta est terra*. Sed in hebraeo est, תחנף *thechenaph*, idest, *infecta, sive polluta*; sensus autem idem est: dicitur enim terra interfecta, idest, destructa in sanguinibus, quando ob multitudinem interfectorum, et copiam sanguinis effusi desoletur: sive autem dicatur terra destructa, sive polluta sanguine, significatur caedes facta filiorum, et filiarum in sacrificium doemoniorum; sed per verbum, destructa, sive desolata, significatur major caedes, quam per verbum infecta. Illud vero, *et fornicati sunt in adinventionibus suis*, significat spiritualem fornicationem, quam committebat synagoga Judaeorum, quae Deo desponsata fuerat, cum adorabat idola, illisque tamquam adulteris viris se subjiciebat. Dicitur vero cultus idolorum, propria ipsorum adinventio, quia non eam didicerant a Mose legislatore, sed ipsi per se cogitaverant bonum esse imitari gentes idololatras.

38. *Et iratus est furore Dominus in populum suum, et abominatus est haereditatem suam.*
39. *Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum, qui oderunt eos.*
40. *Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum; saepe liberavit eos.*
41. *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: et humiliati sunt iniquitatibus suis.*
42. *Et vidit, cum tribularentur, et audivit orationem eorum.*
43. *Et memor fuit testamenti sui, et poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae.*
44. *Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium, qui ceperant eos.*

In his septem versiculis decantat Propheta historiam libri judicum, in qua narratur, hebraeos ob peccata sua, quibus Deum ad iracundiam provocabant, traditos fuisse a Deo frequenter in potestatem hostium, Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, et aliorum: sed cum ad poenitentiam redirent, solitum quoque fuisse Deum excitare virum aliquem strenuum, per quem liberarentur, ut Jephte, Gedeonem, Sampsonem et alios. Versiculus 41. ubi dicitur, *exacerbaverunt eum in consilio suo*, non significat in consilio Dei de liberandis Hebraeis, ut multi existimant, sed in consilio ipsorum Judaeorum, qui saepe consilium inibant recedendi a Deo: nam in hebraeo habetur expresse, *In consilio ipsorum*; proinde illud, *suo*, quod apud latinos est ambiguum, explicandum est per textum hebraicum, ubi nulla est ambiguitas. Ultimus versiculus, *et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos*, duobus modis exponi potest. Primum, ut sensus sit, fecit Deus per providentiam suam, ut qui captivos duxerant hebraeos, eorum misererentur, et vel relaxarent, ut fecit Cyrus, et Darius: vel benigne tractarent, ut fecit Nabuchodonosor cum multis hebraeis. Ita exponit Theodoretus, sed exempla hujus misericordiae non facile invenientur, nisi post tempora Davidis, et praeterea David dicit, in conspectu omnium, qui ceperant eos: non est autem verum, omnes qui ceperant hebraeos, habuisse erga eos misericordiam, neque ante tempora Davidis neque postea. Videtur igitur probabilior sententia s. August. quam etiam attingit Euthymius, ut sensus sit, *dedit eos in misericordias*, idest, fecit cum eis Deus misericordiam, sive posuit eos in sinu misericordiae suae; *in conspectu omnium, qui ceperant eos*, idest, videntibus, et mirantibus iis, qui eos ceperant: semper enim Deus tam evidenti signo misericordiae suae liberavit populum suum, sive de Aegypto sive de potestate Moabitarum, vel Philistinorum, vel aliorum, ut ne hostes quidem negare possent Deum pugnare pro populo suo: reliqui versiculi nullam habent difficultatem.

45. *Salvos nos fac Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus.*
46. *Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.*
47. *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum: et dicet omnis populus, fiat, fiat.*

Haec est conclusio psalmi, qua precatur Deum Propheta, ut omnem populum fidelem congreget de nationibus, idest, reducat omnes dispersos ad coetum piorum, ut omnes simul gratias agant Deo, eumque laudent, et glorientur in laude ipsius. Existimant quidem aliqui, Davidem loqui de dispersione, et captivitate Babylonica, quam per spiritum praevidebat futuram; sed credibilius est, eum loqui de dispersione inter gentes, quae adhuc supererant in terra promissionis initio regni Davidis, adversus quas gentes multa ipse bella gessit, ut perspicuum est ex lib. 1. et 2. regum. Concludit postremo David Deum laudans, et dicens, *benedictus sit Dominus Deus Israel* omni tempore, vel potius in aeternum, et omnis populus confirmet benedictionem dicens, *fiat, fiat*, sive *amen, amen*. Atque hic est finis libri quarti secundum hebraeos.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus est, *alleluja*, quam vocem codices hebraici nunc habent in fine psalmi superioris: sed septuaginta interpretes ponunt eam initio hujus psalmi, quoniam ita in suis codicibus hebraicis invenerunt. Recte autem titulus psalmi est, *alleluja*, idest, *laudate Dominum*, quoniam in hoc psalmo laudantur primo misericordia Dei, quae liberat homines a quatuor communibus miseriis, quas paulo post enumerabimus, et ideo quater repetuntur duo versiculi: *clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos, et confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Deinde in altera parte psalmi laudatur omnipotentia Dei, quae solo nutu mutat rerum naturas. Dissensio quidem est inter Expositores de quatuor illis miseriis; alii enim volunt eas esse corporales, et ad populum hebraeorum proprie pertinere. Alii existimant corporales esse, sed pertinere ad humanum genus universum: non ad solos judeos. Alii spirituales esse censent, et liberationem ab illis esse propriam electorum. Alii denique spirituales esse dicunt, et liberationem ad omnes pertinere. Sed videntur sententiae istae facile posse ad concordiam redigi, si dicamus ad litteram de miseriis corporalibus agi, mystice de spiritualibus, et ad genus humanum universum pertinere; sed exempla poni in iis rebus, quae populo hebraeorum proprie contigerunt: liberationem vero perfectam ad solos electos, imperfectam ad omnes pertinere.

EXPLICATIO PSALMI CVI.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus.*
2. *Dicant, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos.*
3. *A solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari.*

Haec est praefatio totius psalmi, in qua David hortatur omnes, qui experti sunt misericordias Domini, ut confiteantur laudes Domini; ac potissimum confiteantur ipsi Domino, quod ipse sit vere bonus, et misericors, et misericordia ejus numquam deficiat. Et quidem maxime proprie invitat fideles, quos redemit sanguine unigeniti sui, de manu inimici potentissimi, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem, idest, Principis tenebrarum: quosque congregavit in unum, populum in unam Ecclesiam, in unum regnum filii dilectionis suae, non ex Aegypto vel Babylone, ut olim hebraeos, sed *ab ortu solis, et occasu, ab aquilone, et mari*, idest, a quatuor Mundi partibus, sive ex toto orbe terrarum, juxta illud Joan. 10. *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illa oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor*, et Joan. 11. *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non solum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Quamvis autem maxime proprie invitentur fideles, sive ex hebraeis, sive ex gentibus, tamen invitantur etiam generatim omnes homines, quos quocumque loco, et tempore liberavit Dominus de quacumque vexatione: nam redemptio in scripturis accipitur passim pro liberatione, etiamsi non fiat pretio interveniente: item quos liberavit de manu, idest, potestate cujuscumque inimici: denique quos liberavit de quocumque exilio, de quacumque dispersione, de quacumque extremitate terrae, et revocavit in patriam, atque ad populum suum congregavit. Porro illa descriptio a solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari, continet, ut notum est, longitudinem, et latitudinem terrae: nam longitudo incipit ab ea regione, unde oritur sol; et desinit in eam, ubi sol occidit: latitudo incipit ab ea parte unde fiat ventus, qui dicitur Aquilo, et desinit in eam, quae alluitur mari magno, quod Oceanus vocatur, quae pars Australis etiam dici solet, quia ventus Auster, Aquiloni oppositus, inde oritur.

4. *Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.*
5. *Esurientes, et sitientes: anima eorum in ipsis defecit.*
6. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.*

7. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.*
8. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*
9. *Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem satiavit bonis.*

Haec est prima pars psalmi, in qua explicatur liberatio a prima miseria. Quatuor sunt miseriae communes corporales, et quatuor etiam spirituales. Corporales miseriae sunt primo fames et sitis, quae oriuntur a sterilitate terrae, vel penuria pluviae coelestis, idest, a principio extrinseco naturali: secundo captivitas, quae oritur ab aliena violentia, idest, a principio extrinseco voluntario: tertio morbus, sive aegrotatio, quae oritur ab interna mala constitutione, idest, a principio interno naturali: quarto, periculum naufragii quod oritur a principio externo naturali, idest, ab impulsu ventorum, idest, a curiositate hominum, qui non contenti solido elemento terrae per liquidum etiam iter facere voluerunt. Miseriae quatuor spirituales eae sunt, quae a Theologis dicuntur vulnera naturae, relicta in nobis ex peccato originali, ignorantia in mente, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in appetitu irascibili, et malitia in voluntate: quorum vulnerum contraria sunt, prudentia in mente, temperantia in appetitu concupiscibili, fortitudo in irascibili, justitia in voluntate, quae dicuntur virtutes quatuor Cardinales. Vide s. Thom. in part. 2. q. 85. art. 3. Igitur in hac prima parte psalmi cantatur a Propheta misericordia Dei liberans a prima miseria tam corporali, quam spirituali. Videtur autem alludere ad famem, et sitim, quam passi sunt hebraei in deserto: sed tamen doctrina comunis est, atque ad omnes pertinens, ut supra diximus. Sic igitur ait, *erraverunt in solitudine, in inaquoso*, idest, multi homines quaerentes patriam suam erraverunt aliquamdiu per inviam, et inaquosam solitudinem, quod Judaeis contingit per annos quadraginta, *et viam civitatis habitaculi non invenerunt*, idest, longo tempore vacantes non inveniebant viam, quae ducit ad civitatem propriae habitationis, ubi tuto habitare, et requiescere possent. *Esurientes, et sitientes, anima eorum in ipsis defecit*. idest, erraverunt in solitudine esurientes, et sitientes, quia neque panis ibi reperitur, neque aqua: et ideo anima, idest, vita eorum in ipsis prae fame, et siti deficiebat. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, idest, deficiente omni humano auxilio conversi sunt ad implorandum adjutorium Dei: *et de necessitatibus eorum eripuit eos*, idest, non defuit invocatus Deus, sed pro innata sibi misericordia liberavit eos. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis*, idest, hoc modo eripuit eos de necessitatibus suis, quoniam ostendit eis viam rectam, imo in eam eos deduxit, ut per eam brevi itinere pervenirent ad civitatem suae habitationis. *Confiteantur Domino misericordiae ejus*, idest, justum est igitur, ut tanta beneficia misericorditer praestita hominibus, confiteantur Deo laudem, sive agnoscantur ab omnibus, ut vere beneficia Dei: *et mirabilia ejus filiis hominum*, idest, mirabilia opera Dei exhibita filiis hominum ad eorum liberationem, confiteantur Deo auctori laudem suam, in textu hebraeo clarius habetur, *Confiteantur Domino misericordiam ejus*, idest, homines liberati confiteantur Domino misericordiam ejus. Textus graecus utroque modo intelligi potest, cum vox, ελεη possit esse tam in casu nominandi quam accusandi: sed res non est magni momenti. *Quia satiavit animam inanem*, idest, quia mirabili modo alimoniam paravit in solitudine, et inde replevit animam inanem, homines videlicet jejunos et esurientes saturavit bonis, idest, et eosdem homines valde esurientes non solum pavit, sed etiam satiavit optimis cibis, pane de coelo Angelorum manibus allato. Haec omnia, ut dixi, de cibo corporali Judaeis praestito, possunt satis commode exponi; sed non dubium est quin hoc exemplo docere velit Propheta omnes alios, qui de errore viae, et a miseria famis, et sitis liberantur, a Deo liberari, et misericordiae ejus gratias debere. Neque dubium esse potest, quin Propheta respexerit praecipue ad ignorantiam salutis, qua plurimi laborant, et quasi extra viam in deserto vagantur, esurientes, et sitientes veritatis cognitionem, fontem sapientiae, et prudentiae. Omnes enim naturaliter bonum appetunt; neque ullus est, qui non optet beatitudinem, ac per hoc etiam notitiam viae, quae ad illam ducit: sed tamen plurimi praeoccupati cogitatione, et concupiscentia temporalium bonorum, beatitudinem quaerunt ubi non est, imo etiam beatitudinem esse opinantur eam, quae vere non est, et ignorantes finem, viam quoque ad eum ignorare coguntur. Ita vagantes, et errantes civitatem verae habitationis non inveniunt, et semper esuriunt: quia bona terrena, exigua, et temporalia cum sint, desiderium animae immortalis, et capacis infiniti boni satiare nullo modo possunt. Sed ii, quos Deus redemit de manu inimici, et de variis regionibus congregavit, ex magno misericordiae divinae munere agnoscere incipientes caecitatem suam, clamant ad Dominum, et exaudiuntur ab eo: diriguntur in viam rectam, quae ducit ad civitatem; intelligunt finem ultimum esse regnum Dei; et medium ad finem, esse justitiam ejus; inde esurientes, et sitientes justitiam, ad fontem gratiae currunt, eoque fonte interim refecti ad civitatem coelestem perveniunt, ubi replentur, et satiantur bonis omnibus, ut numquam amplius esuriant, neque sitiant in aeternum.

10. *Sedentes in tenebris, et umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro.*
11. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.*
12. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.*
13. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.*
14. *Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis: et vincula eorum disrupit.*
15. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*

http://www.obrascatolicas.com

16. *Quia contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit.*

Haec est altera pars, in qua proponitur liberatio a secunda miseria tam corporali, quam spirituali. Secunda miseria corporalis est captivitas, per quam miseri homines clauduntur in obscuris carceribus alligati vinculis, et onerati ferro. Et videtur Propheta alludere ad captivitatem hebraeorum sub diversis persecutoribus tempore Judicum, vel etiam tempore Pharaonis. David enim in psalmis non multum laborat, ut historias ordinem temporum commemoret, sed tamen haec eadem transferri, et compedibus constitutis, quos misericordia Domini postea liberavit. Explicemus verba. *Sedentes in tenebris, et umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro*, idest, novi alios, qui capti ab ostibus, et tetris carceribus inclusi sedebant in tenebris, et tenebris valde densis, quales significantur in scripturis per umbram mortis, ut diximus in explicatione psalmi 22. vers. 4. et psalm. 43. vers. 21. qui simul erant alligati vinculis, redacti ad mendicitatem, et onerati ferreis catenis, et compedibus. Illud, *sedentes*, cum sit accusativi casus, non habet, unde regatur. Ideo supplendum, *novi*, aut aliquid simile: nam quod alii dicunt, jungi posse cum verbo praecedente, *satiavit bonis*, vel cum sequente, *liberavit*, nimis durum mihi esse videtur. Illud, *vinctos in mendicitate, et ferro*, existimo legendum cum distinctione, ut tria sunt membra, et sensus sit, *sedentes vinctos, sedentes in mendicitate, et sedentes in ferro*, idest, in compedibus ferreis. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt*, idest, merito traditi fuerant in captivitatem, et afflicti carcere, tenebris, vinculis, mendicitate, et compedibus, quoniam non obtemperaverunt praeceptis Dei, et consilium ejus contempserunt. *Exacerbare eloquia Dei*, significat hoc loco, ad iram provocare Deum loquentem, sive praecipientem, quod facit qui praecepta ejus non servat. Potest etiam dici exacerbare eloquia Dei, qui provocat ad iram ipsa Dei praecepta; quemadmodum enim praecepta Dei coronant observantes, ita puniunt praevaricantes; ac per hoc qui praecepta praevaricantur, provocant adversus se ipsa praecepta. Itaque in his verbis figura quaedam necessario admittenda est, vel in verbis, *eloquia Dei*, quae accipiantur pro Deo loquente, et praecipiente; vel in verbo, *exacerbaverunt*, quasi eloquia idest, praecepta Dei dicantur provocari ad iram, dum praevaricantes puniunt: similis est figura in verbis sequentibus, *et consilium Altissimi irritaverunt*: nam vel consilium Altissimi accipiendum est pro ipso Deo altissimo bene consulente, quem irritaverunt, idest, ad iram concitaverunt, qui consilio ejus adversati sunt: vel, *irritaverunt*, positum est pro contempserunt, sive spreverunt qui enim aliquem contemnit, hoc ipso cum irritat, idest, provocat ad iram. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum*, idest, superbia cordis eorum humiliata est ob labores captivitatis, vinculorum, et compedum. Captivi enim, velint, nolint, humiles esse coguntur. *Infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret*, idest, debiles facti sunt, ut non possent resistere adversariis. *Neque fuit qui eos juvaret*, ne ab hostibus caperentur, captivi adducerentur, et in ipsa captivitate duriter haberentur. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, etc.* Hic jam ponitur imploratio divini auxilii, et liberatio tum a carcere tenebroso, tum a vinculis, et compedibus. Ac ut ostendat magnitudinem beneficii, addit, *contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit.* Qua metaphora significatur liberatio a captivitate tali, qualis est eorum, qui clausi sunt intra portas aereas, quarum vectes ferrei sunt, ita ut non nisi maxima vi reserari possint. In summa describitur liberatio a captivitate durissima, et maxima. Porro secunda spiritualis miseria est concupiscentia rerum terrenarum, idest, honorum, opum, voluptatum, quae concupiscentia instar catenae, et vinculorum, ac compedum hominem ita constringit, ut quamvis non ignoret veram foelicitatem esse quaerendam in Deo, et mortificanda esse membra, quae sunt super terram: tamen captivus maneat, et progredi non possit, nisi gratia Dei vincula illa disrumpat. Initium liberationis ducendum est ab humilitate, ut homo intelligens captivitatem suam, et debilitatem virium suarum, humiliatum habens cor in laboribus, et videns non esse alium qui adjuvet, praeter unum coelestem Patrem, corde contrito, et humiliato cum intimo gemitu dicat, *Domine vim patior: respice et miserere. Infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ut clamat Apost. rom. 12. Aderit enim sine dubio misericordia patris, et educet victum de carcere, et vincula disrumpet, ut homo per gratiam Dei liberatus cum laetitia dicat, *dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, Psal. 115. Vide exemplum hujus liberationis, maxime a concupiscentia carnalium voluptatum, ex s. August. in fine libri octavi, et in principio libri noni Confessionum.

17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.*
18. *Omnem escam abominata est anima eorum: et appropinquaverunt usque ad portas mortis.*
19. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.*
20. *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.*
21. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*
22. *Et sacrificent sacrificium laudis, et annuncient opera ejus in exultatione*

Haec est pars tertia psalmi, in qua narratur tertia miseria corporalis, quae est morbus, et languor gravissimus, qualis fuit filiorum Israel, cum percussit eos Dominus plaga magna per serpentes ignotos, ita ut plurimi continuo morerentur; sed cum clamarent ad Dominum, liberati sunt: et eodem modo quicumque a morbis, et plagis variis cruciantur, si Dominum serio ex corde, firma fide, et cum aliis requisitis invocaverint, sine dubio liberabuntur. Sed verba consideremus, atque ea praecipue, quae

non sunt antea explicata. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Hic aliquid necessario subintelligendum est, ut, *vidit Deus quosdam prostratos jacere, et suscepit eos*, idest, erexit de via iniquitatis eorum, in qua miseri jacebant: *nam propter injustitias suas humiliati sunt usque ad terram.* In hebraico textu legitur secundum versionem s. Hieronymi, *stultos propter viam sceleris eorum*, pro eo quod nos habemus, *suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Sed vox, אוילים *avilim*, vel, אויליים *evilim*, quae *stultos* significat, non videtur fuisse in libris antiquis, quos habuerunt septuaginta interpretes, sed vox, אילם *ajalem*, quod est, *suscepit eos*, quamvis enim a radice, איל *ajal*, in dictionariis deducatur, *fortitudo, aries, cervus*, et alia id genus: tamen apud septuaginta interpretes ea vox etiam *suscipere* significat. Hinc enim in titulo psalm. 21. posuerunt, *pro susceptione*, quod est in hebraeo, אילת *ajeleth*: et sane major fides habenda est septuaginta interpretibus, quam omnibus dictionariis. *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Hoc demonstrat gravissimum morbum, qui cum cibum non admittat, quo vita sustentatur, mors imminet necesse est. *Misit verbum suum, et sanavit eos*, explicat modum quo sanavit aegrotos illos dicens, eos sanatos verbo, idest, jussu Domini, sive Dei voluntate, non a serpente aeneo, vel aliqua alia re creata: non quod res creatae, ut pharmaca, et medicamenta caetera nullam vim habeant, sed quia vim suam a Deo habent, et sine Dei cooperatione nihil efficere possunt: Deus autem sine illis solo verbo, et imperio suo omnia sanare potest, et hoc modo intelligimus illud Sap. 16. *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo qui sanat omnia.* Et paulo ante loquens de iis, qui per aspectum serpentis aenei curabantur a morsibus serpentium ignitorum: *qui enim*, inquit, *conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.* Utitur autem David figurata locutione cum ait, *misit verbum suum, et sanavit eos*, quasi verbum, sive imperium Dei sit persona aliqua de coelo missa ad sanandos aegrotos. Nisi forte praedicere voluerit missionem Verbi incarnati ad homines, per quod plurimi sanati sunt a corporali morbo: et a morbo spirituali, idest, a peccato, nemo sanatur, nisi per ipsum: *non enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicitur Act. 3. Tertia vero miseria spiritualis est infirmitas, sive debilitas, et fragilitas humanae naturae per peccatum corruptae. Multi sunt enim, qui satis intelligunt quod sit agendum, et cupiunt interdum illud perficere: sed vires non habent, vel infirmas habent, donec induantur virtute ex alto. Saepe etiam taedio, vel languore quodam affecti, omnem cibum renuit anima eorum; quia quamvis jam eos neque error seducat, neque concupiscentia mala illiciat: tamen non delectat eos verbum Dei, neque ad coelestia suspirare norunt; et periculum est, ne fames eos non ex inopia, sed ex fastidio perimat: neque levis aut rara haec tentatio est. Ideo et isti clamare debent ad Deum, ut sanetur palatum cordis eorum, et assuescant hac divinae consolationis concupiscere: et cum inceperint sapere quae sursum sunt, et gustare quam dulcis sit Dominus, non sibi hoc tribuant; sed *confiteantur Domino misericordias ejus: et sacrificent ei sacrificium laudis, et annuncient opera ejus in exultatione.* Divinum enim plane opus est, non humanum, cum homo solis visibilibus, et terrenis assuetus incipit invisibilia, et coelestia dulciter sapere, et ardenter requirere.

23. *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.*
24. *Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.*
25. *Dixit, et stetit spiritus procellae: et exaltati sunt fluctus ejus.*
26. *Ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.*
27. *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.*
28. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.*
29. *Et statuit procellam ejus in auram; et siluerunt fluctus ejus.*
30. *Et laetati sunt, quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum.*
31. *Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*
32. *Et exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.*

Haec est pars quarta psalmi, in qua laudatur Deus ob liberationem periclitantium in mari. Hujus miseriae non occurrit exemplum in scripturis ante tempora Davidis, sed post illa tempora habemus exemplum in libro Jonae cap. 1. et in evangelio s. Matthaei cap. 8. et 14. et in Actis cap. 27. Explicemus verba, *qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis. ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo*, idest, qui navigant mare, ac per hoc operantur in aquis remigando, vel vela tendendo, vel contrahendo, experimento cognoscunt multa mirabilia opera Dei, quae aliis plurimis nota non sunt, nisi forte ex relatione aliorum, videlicet quanta sit vis procellae; quanta elevatio undarum et fluctuum, quanta vastitas et profunditas maris, quam ingentia et frequentia mortis pericula, quantus denique timor, et horror invadat pectora hominum, etiam fortissimorum. Proprie autem dictum est, *qui descendunt mare in navibus*: non enim, ut quidam interpres psalmorum hoc loco ait, ratione probatum est, altius esse mare, quam terram: sed contra, probatum est manifesta demonstratione, inferius esse mare, quam terram, quoniam alioqui terram operiret aqua, cum natura sua ad loca semper deceliora descendat. *Dixit, et stetit spiritus procellae*, idest, dixit Deus, et dicendo jussit, ut ventus procellae existeret, et continuo procella obediens creatori stetit, idest, extitit, exurrexit, exorta est: non enim, *stetit*, hoc loco significat quietem, sed exortum: et inde *exaltati sunt fluctus ejus*, idest,

http://www.obrascatolicas.com

maris, *et ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos*, poetica hyperbole est: quo modo etiam latinus Poeta dixit, *fluctusque ad sydera tollit. Anima eorum in malis tabescebat*, id est, iis visis anima navigantium, spiritus videlicet vitalis, vigor omnis in ipsis existens prae timore, et horrore tabescebat. *Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.* Aptissimis similitudinibus describit Propheta, quid animi gerant homines imminente naufragio: nam neque vires neque consilium suppetit. Vacillant pedes, nulat judicium, imo omnis sapientia, idest, ars et peritia navigandi a timore nimio, quasi absorpta videtur. *Et clamaverunt ad Dominum*, et sic est versus intercalaris, supra explicatus, et versiculi sequentes facillimi sunt, nisi forte aliquem moveat illud, *et statuit procellam in auram*, quod significat Deum convertisse ventum furiosum, in ventum placidum, sive tempestatem, in tranquillitatem, ut magis proprie sonat vox hebraica, דממה *demama*. Illud, *statuit*, ex voce hebraica, יקם *jakem*, significat proprie, *surgere fecit*, idest, fecit, ut procella surgeret in auram, hoc est, mutaretur in auram levem, sive ut paulo ante dixi, in tranquillitatem. Jam vero quarta miseria spiritualis est, ut supra diximus, malitia voluntatis, quae praecipue sita est in superbia, quae regina est vitiorum. Et vere cum ventus superbiae exagitare incipit mare cordis humani, tunc extolluntur fluctus desideriorum usque ad coelum: notae sunt voces illius, qui est Rex super omnes filios superbiae, *in coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, Isaiae 14. Ab illo didicerunt antiqui gigantes turrim Babel aedificare, quae coelum contingeret, Genes. 11. Horum nepotes sunt, qui regna regnis, et imperia imperiis adjungere satagunt, neque ullus est finis cupiditatis eorum: quod si illi ipsi intrarent in corda sua, et attente considerarent, quantis cogitationum, suspicionum, timorum, desideriorum praesumptionis quoque, et desperationis procellis continuo agitentur, et tandem demergantur in abyssum: sine dubio clamarent ad Dominum, et ipse misericors, et pius de tantis periculis liberaret eos: mitteret enim spiritum filii sui in corda eorum, ut doceret eos mansuetudinem, et humilitatem, et eo modo sedatis fluctibus desideriorum invenirent requiem animabus suis, et deducerentur in portum voluntatis suae, idest, in portum tranquillitatis, quem omnis homo naturaliter cupit. Et quoniam hoc est maximum beneficium misericordiae Dei, jure optimo cantarent, *confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et exaltent eum*, Deum videlicet, *in ecclesia plebis*, idest, in coetu populi totius congregati ad laudes Domini celebrandas, et non solum in coetu plebis, sed etiam *in cathedra seniorum*, idest, in consessu majorum principum videlicet populi, et sapientium Senatorum *laudent eum*.

33. *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim.*
34. *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.*

Haec est altera pars hujus psalmi, in qua post decantatas misericordias Domini in depulsione quatuor miseriarum, laudat Deum ab omnipotentia et providentia, qua naturas rerum aliquando permutat, qua mutatione manifeste indicat se verum et solum esse illarum conditorem, et gubernatorem. Ac primum dicit, Deum aliquando *posuisse flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim*, idest, quando illi placuit, siccasse flumina, et fecisse, ut ubi rivi aquarum abundanter decurrebant, ibi fieret desertum aridum, et siticulosum. *Terram quoque fructiferam vertisse in salsuginem*, idest, in terram sterilem qualis est terra operta sale, *a malitia inhabitantium in ea*, idest, in poenam peccati eorum, qui terram illam incolebant. Exemplum hujus mutationis habemus in Genes. cap. 13. ubi dicitur, *elevatis Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quae universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorram, sicut paradisus Domini*: hanc vere terram irriguam, et fructiferam, instar paradisi, Deus sulphure et igne de coelo demisso totam siccavit, et sempiterna sterilitate damnavit, ut legitur in eodem lib. cap. 19.

35. *Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.*
36. *Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis.*
37. *Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.*
38. *Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non minoravit.*

Haec est altera mutatio in contrarium, secundum quam Deus, quando voluit *posuit desertum in stagna aquarum*, idest, fecit, ut in locis desertis, et arentibus existerent flumina, et terra quae erat sine aqua, abundarent rivis aquarum. Et in iis locis alias incultis, et desertis fecit ut frequentes homines habitarent, civitates construerent, terram colerent, fructus inde perciperent, multiplicarentur denique valde, tum homines tum jumenta ipsorum, hoc enim significat illud, *non minoravit jumenta ipsorum*, idest, fecit ut non esset exiguus numerus jumentorum, sed plenus et copiosus. Ad quam historiam respiciat hoc loco Propheta, non est adeo certum: nam fecit quidem Deus in deserto propter filios Israel ex rupe saxea nasci flumina, ut habemus Num. 11. sed non collocavit illic populum suum, neque sunt illic urbes aedificatae, neque seminati agri, neque plantatae vineae. In terra vero promissionis collocavit quidem populum suum Deus, sed jam antea erant in ea terra flumina, urbes, agri culti et vineae. Existimo igitur Prophetam respicere ad antiquas historias, et primordia propagationis generis humani post diluvium, quemadmodum enim mutavit terram Sodomorum ex irrigua et fertili in aridam et desertam: sic etiam in aliis locis existere flumina, et aedificari civitates, et coli campos, et plantari vineas, et propagari homines et jumenta. Quia vero Isaias Propheta cap. 41. hunc locum psalmi notare videtur, cum ait, *Ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum*, et verba Isaiae a s. Hieron. et aliis intelliguntur de gentilitate, quae olim deserta, et inculta sine fide, sine lege, sine Prophetis, sine sacerdotio, futura erat per Christum irrigua spiritus sancti donis; ideo totum hunc locum recte s. Augustinus in sensu vel litterali, vel certe allegorico exponit de synagoga Judeorum, et ecclesia gentium; de synagoga enim, quae olim abundabat aquis verbi Dei, et veluti terra foecunda et culta proferebat prophetas et sacerdotes, et habebat altaria, sacrificia, miracula, visiones: nunc deserta et arida versa est in salsuginem; et his tribus caret: contra vero gentilitas, quae deserta et inaquosa erat, conversa est in stagna aquarum, et facta est foecunda, ac fructibus omnium generum refertissima, idest, coepit esse populus Domini, ecclesia Dei vivi, gens sancta, regnum sacerdotale, in quo solo verum est sacrificium, veri sacerdotes, vera miracula, vera sanctificatio, vera sapientia, denique Spiritus sancti charismata omnia.

39. *Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.*
40. *Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio, et non in via.*
41. *Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit sicut oves familias.*
42. *Videbunt recti, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.*

Docet nunc propheta, nihil in terris esse perpetuum aut stabile. Nam illi, quos Deus aliquando benedixit et benedicendo multiplicavit, paulo post exigentibus peccatis eorum imminuti sunt, et ad paucitatem redacti, et qui paulo ante florebant omnibus bonis, iidem coeperunt angustiis et persecutionibus premi: nec solum privatis hominibus hoc accidit, sed etiam principibus, quos Deus propter eorum peccata contemptibiles reddidit, quoniam sapientia, ac prudentia eos privatos permisit in multis, magnisque rebus errare. Sed eodem tempore non defuerunt viri probi, quos Deus sublevavit de inopia et pavit, ac rexit ut proprias oves. Ex quo factum est per divinam providentiam, ut tandem viri justi laetarentur, et iniqui confusi remanerent. Hoc autem, quod dictum est generatim de providentia Dei erga genus humanum, potest etiam dici de providentia Dei speciali erga ecclesiam, quae brevi tempore crevit, et paulo post per schismata, et haereses imminuta est, et vexata atque afflicta, et principes ejus, idest, Episcopi, et sacerdotes contemptibiles redditi, quia multi eorum longe recessissent a via majorum suorum, qui in omni sanctitate, et justitia populo suo praeluxerant. Caeterum non tam imminuta est ecclesia, quin muli etiam manserint, tum ex principibus, tum ex privatis, tum ex sacerdotibus, tum ex laicis, viri sancti, quos Deus bonis spiritualibus ditavit, et ut proprias oves ad optima pascua duxit et crescere fecit, sed verba consideremus. *Et pauci facti sunt*, idest, et postea cum multum crevissent, vicissim minui coeperunt: *Et vexati sunt a tribulatione malorum, et dolore*, idest, et cum aliquamdiu prosperitate vigente laeti fuissent, coeperunt vexari a tribulatione et dolore ob mala, quae illis advenerunt. Illud enim, *malorum*, non significat malorum hominum, sed malarum rerum, idest, calamitatum, aerumnarum, infortuniorum. *Effusa est contemptio super principes*. Recte editio vulgata correcta est loco: nam vitio librariorum legebatur *contentio* in omnibus fere latinis codicibus. Sed ex textibus graecis, et hebraicis, ex lectione veterum Hieronymi, Augustini, et aliorum, certum est legi debuisse, *effusa est contemptio*: accedit etiam, quod hic idem versiculus legitur apud Job cap. 12. vers. 21. *Effundit despectionem super principes*; et credibile est, Davidem ex Job hunc versiculum accepisse. Gravis haec poena est, tum populis, tum principibus, et magni criminis praecedentis indicium, quando Deus effundit contemptionem in Principes, idest, providentia sua facit, ut principes sive ecclesiastici, sive saeculares sint valde contemptibiles. Illud enim verbum *effundit*, significat abundantiam, sive magnitudinem contemptionis: tunc enim laxatur disciplina, et omnia in deterius ruunt. *Et errare fecit eos in invio, et non in via*: haec est causa contemptus, quia principes ob sua, et populi peccata deserti lumine sapientiae et gratiae per devia incedunt, et non per vias rectas, idest, vitiose vivunt, exemplo malo populum scandalizant, vel etiam leges iniquas constituunt, favent malis, vexant bonos. Dicitur autem Deus eos errare facere, quia in poenam peccati non eos illuminat, neque bonam voluntatem eis inspirat. S. August. in epist. 105. ad Sixtum, Non obdurat Deus infundendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam et tr. 52. in Joan. Sic excaecat, sic obdurat Deus deserendo, nec adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. Non ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogatur. Denique lib. de gratia, et libero arbitrio c. 23. Quando auditis dicentem Dominum, *ego Dominus seduxi Prophetam illum*; in eo quem seduci permittit, mala ejus merita credite. *Et adjuvit pauperem de inopia*, idest, sicut Deus superbos Principes errare permittit, et contemptibiles reddit: sic e contrario pauperes, et humiles adjuvat, et de inopia sive temporali, sive spirituali sublevat. *Et posuit sicut oves familias*, idest, posuit Deus familias pauperum justorum sicut oves, ita ut eas et multiplicaverit, et in unum congregaverit, et Pastorem eis dederit, et singulari providentia gubernaverit. *Videbunt justi, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum*, ex hac providentia Dei tandem fiet, ut justi laetentur, et ex laetitia exultent, et laudent Deum, *et omnis iniquitas*, idest, omnes iniqui obmutescant, nec audeant ullo modo contradicere. Id vero quamvis aliquando conspiciatur in particularibus judiciis: tamen absolute, et universe apparebit in judicio universali.

43. *Quis sapiens, et custodiet haec, et intelliget misericordias Domini?*

Haec est conclusio totius psalmi, in qua colligit Propheta ex dictis illum esse vere sapientem, qui

http://www.obrascatolicas.com

observabit, et custodiet in corde suo supra dictas vicissitudines rerum, et intelliget quemadmodum in omnibus appareat ineffabilis misericordia Domini erga pios homines, et timentes Deum; dicit autem, *quis sapiens*, quoniam paucorum est ista sapientia, et stultorum infinitus est numerus.

PSALMUS CVII.

PARATUM COR MEUM DEUS

Hic psalmus non eget explicatione: constat enim ex parte extrema psalmi quinquagesimi sexti, et quinquagesimi noni. Cur autem psalmus hic additus sit ad alios, cum nihil novi contineat, ratio videtur fuisse, ut compleretur numerus centum quinquaginta psalmorum: nisi forte subsit aliqua ratio magis recondita, quam mihi fateor notam non esse.

PSALMUS CVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem Psalmus David.

Non desunt ex recentioribus, qui hunc psalmum exponant ad litteram de persecutoribus David, qualis fuit Doeg Idumaeus, Achitophel, et alii: sed cum nulla fiat in titulo mentio persecutorum David; et veteres expositores, Chrysostomus, Hieron. Aug. Teodor. et Euth. simpliciter de Juda proditore, et Judaeis exponant, et sanctus Petrus in Actis Apostolorum cap. 1. de Juda proditore, psalmum hunc scriptum esse confirmet: nos quoque de Juda, et Judaeis psalmum totum simpliciter exponemus. Igitur argumentum psalmi est prophetia per modum imprecationis adversus Judam, et Judaeos Christi persecutores.

EXPLICATIO PSALMI CVIII.

1. *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.*

Verba Christi sunt similia illis, quae habentur in evangelio Joan. 17. *Clarifica me tu Pater.* Rogat igitur Christus homo Deum Patrem, ut laudem ejus, idest, innocentiam, charitatem, aliasque virtutes non taceat, quod impletum est per apostolos Spiritu sancto plenos, qui omnibus linguis toti mundo Christi laudes praedicaverunt; impletum quoque est per sequentes martyres, et confessores, et Doctores, qui vel sanguine, vel moribus, vel litteris, vel miraculis, vel praeconio vocis Christi encomia omnibus saeculis, et omnibus gentibus nunciaverunt. Reddit deinde causam, cur gloriam istam a Deo petat; quoniam non desunt, qui eam falsis criminationibus obscure conentur. *Quia*, inquit, *os peccatoris, et os dolosi*, Caiphae, videlicet et Judae, vel generatim populi Judaici, *super me apertum est*, dicit autem *peccatoris et dolosi*, quoniam persecutores Christi odio, et invidia pleni erant, et tamen dolo simulabant amicitiam, cum dicerent, *magister scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces*, etc. Matthaei 22. itaque peccatores erant, quia oderant quem diligere debuissent, et dolosi erant, quia fingentes amicitiam capere volebant in sermone, vel alii peccatores erant manifesti, qui aperte blasphemabant *eum seductorem esse, et in Beelzebub ejicere Daemonia*; alii dolosi erant, ac per hoc peccatores occulti, qui sub specie interrogationum, quasi discere cupientes, insidiabantur famae, et vitae ejus. Ex hebraeo nonnulli vertunt, *Deus laudis meae*, quia legunt in hebraeo, אלהי *elohe*, non אלהים *elohim*, sed falluntur: nam vox, *elohe*, non semper est in regimine, sed est unum ex nominibus Dei, ut s. Hier. docet in epistola ad Marcellam; adde quod nec septuaginta interpretes, nec s. Hieronymus agnoverunt istud regimen in nomine Dei, ut patet ex versionibus ipsorum. S. Hier. ex hebraeo vertit, *Deus laudabilis mihi ne*

taceas. Sed vox hebraea, תהלתי *thehillathi*, significat, *laus mea*, vel *laudem meam*: non enim hebraei declinant nomina per casus. Septuaginta interpretes intellexerunt ea voce significari, *laudem meam*. S. Hieron. autem significari credidit, *laus mea*, et ideo reddidit, *laudabilis mihi*: idem enim est, *Deus est laus mea*, et, *Deus est laudabilis mihi*. Latinus interpres graecam lectionem secutus est, quae reprehendi non potest, cum hebraicae lectioni aptissime conveniat. Illud, *ne tacueris*, opponitur illi, *os peccatoris apertum est*: aequum est, ut veritas non taceat, quando falsitas clamat.

2. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus et odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.*

Declarat quod dixit, *os peccatoris, et os dolosi apertum est super me. Apertum est*, inquit, *os dolosi*, quia locuti sunt adversum me lingua dolosa laudantes, ut magistrum bonum, et interim insidiantes mihi, ut caparent in sermone: apertum quoque est os peccatoris, quia *sermonibus odii circumdederunt me*, manifestantes verbis apertis odium quod gerebant in corde, dicentes, *non est hic homo a Deo: ecce homo vorax, et potator vini: tolle, tolle, crucifige eum*. Sed sive dolosa lingua, sive sermonibus odii me oppugnarent, *gratis me oppugnabant*, quia sine ulla justa causa, cum redderent mala pro nobis. Illud, *expugnaverunt*, positum est pro *oppugnaverunt*. Verbum enim hebraicum et graecum, bellare et pugnare significat. In eadem significatione ponitur hoc verbum in psalm. 128. *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi*, ubi illud, *non potuerunt mihi*, demonstrat, expugnaverunt, positum esse pro, pugnaverunt.

3. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.*

Explicat ultimam illam particulam, *gratis*, nam cum rependere deberent amorem amori, illi vice dilectionis detrahebant mihi; ego tamen non reddidi mala pro malis, sed orabam Deum pro illis. Id aperte fecit Dominus in cruce, cum ait, *pater ignosce illis*: sed credibile est, id eum occulte fecisse quotiescumque detractiones audiebat. Ex hebraeo s. Hier. vertit, *pro eo quod eos diligebam*, ubi nos habemus, *pro eo ut me diligerent*. Sed vox hebraica ambigua est: potest enim esse nomen, ut est in sequenti versiculo, et significare, *dilectio mea*, et potest esse verbum, et significare, *dilexi*, vel *diligebam*; nam a verbo, אהב *ahab*, quod est diligere, fit, אהבתי *ahabathi*, quod *dilexi*, et, *dilectio mea* significare potest. Graeca vox, αγαπαν με, quae significat, *diligere me*, est etiam ambigua, et potest accipi tam active, quam passive, pro *diligere me*, idest, pro dilectione, quam eis impendebam; et pro diligere me, idest, pro dilectione, quam mihi debebant: sed latinus interpres sustulit istam ambiguitatem, et vertit, *pro eo ut me diligerent*, et hanc intelligentiam sequuti sunt expositores veteres, tum graeci, ut Chrysostomus, et Theodoretus, tum latini, ut Hieronymus et Augustinus. Itaque veteres expositores vulgatam latinam versionem susi expositionibus probaverunt.

4. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.*

Idipsum clarius repetit, quasi dicat, rependerunt mihi maledictionem pro benedictione, odium pro amore, vulnera multa pro curationibus multis, mortem corporalem pro vita spirituali.

5. *Constitue super eum peccatorem, et Diabolus stet a dextris ejus.*

Transitum facit Propheta ad Judam, quem praevidebat *ducem futurum eorum, qui comprehenderunt Jesum*, ut loquitur s. Petrus Actorum 1. et per modum imprecantis praedicit, quae illi eventura prospiciebat. Ac primum, inquit, *constitue super eum peccatorem*, idest, noluit Judas super se Christum Dominum utique justissimum, et mitissimum, ideo constitues super eum spiritum avaritiae, cui serviet infoeliciter usque ad mortem. Judas enim servire voluit mammonae; ac per hoc servire non potuit Christo, *quia nemo potest duobus Dominis servire*. Matth. 7. Porro spiritus avaritiae iniquissimus est, cum honorem Deo debitum idolo tribuat, dicente Apostolo ad Ephes. 5. de avaritia, *quod est idolorum servitus. Et Diabolus stet a dextris ejus*, idest, et Diabolus erit dux ejus in operibus malis, et illi perpetuo assistet, vel potius tamquam canem allicatum vinculo cupiditatis illum trahet, et ad nocendum proprio etiam magistro incitabit. Sanctus Augustinus per peccatorem praepositum Judae, intelligit eumdem diabolum, qui tamquam ejus Dominus stabat a dextris ejus. Idem sanctus Augustinus recte monet, Judam gessisse personam totius synagogae: quemadmodum sanctus Petrus gerebat personam totius Ecclesiae; et ideo, quae hic dicuntur de Juda, illa quidem convenire, sed convenire etiam et illustrius toti synagogae, quae recusans habere Christum regem, habuit diabolum et Caesarem, et ejus loco Pilatum.

6. *Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.*

Praedicit nunc Propheta infoelicissimum exitum Judae, ad quam prophetiam respexisse videtur Dominus Joan 17. cum ait, *quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, ut scriptura impleatur. *Ergo*, inquit, *cum judicatur* a Deo in exitu de hac vita, *exeat*, idest, exibit condemnatus, et si forte oraverit Deum, oratio ejus non solum non impetrabit remissionem peccati, sed ipsa oratio fiet illi in peccatum. Cur oratio Judae facta sit illi in peccatum, rationem reddit s. Hieron. quia oravit sine spe indulgentiae, et desperans laqueo se suspendit. S. Augustinus dicit factam esse in peccatum, quia non est facta per Christum mediatorem. Euthymius addit factam esse in peccatum, quia Judas, et etiam caeteri persecutores Christi orabant Deum pro exterminatione nominis

http://www.obrascatolicas.com

Christiani. Posset etiam addi, Judae orationem factam esse in peccatum, quia Judas non a Deo, sed a diabolo auxilium petiit. Diabolus autem suspendium illi suasit. Quo loco admonendi sunt lectores, orationem peccatoris, non semper esse peccatum, sed saepe multum valere ad remissionem peccatorum, ut intelligi potest ex oratione publicani Luc. 18. tunc autem fieri in peccatum, et vere esse peccatum, cum is qui orat, vel non orat quem debet orare, id est, Deum verum sed idola, vel diabolum: vel non orat pro re bona, quam aequum est a Deo peti, sed pro re mala quae Deo displicet, ut pro ruina inimicorum: vel non orat per unicum Mediatorem, qui est Christus, sed per merita sua quae superbe se habere praesumit: vel denique non orat cum spe, aut fide, aut aliis necessariis bonae orationis comitibus: eadem quae hic dicuntur de Juda, conveniunt Judaeis, quorum ille typum gerebat. Judaei enim qui credere nolunt in Christum exeunt de hac vita condemnati ad mortem sempiternam, et oratio eorum, quam assidue fundunt in synagogis suis, sit illis in peccatum, quia non orant Patrem per Filium, cum nec Filium, nec Patrem norint, et quia postulant quae Deo non placent, excidium videlicet Christianorum, et celerem adventum Antichristi, hunc enim illi pro Christo recipient, ut dicitur Joan 5.

7. *Fiant dies ejus pauci, et Episcopatum ejus accipiat alter.*

Hic est locus, quem s. Petrus allegavit Actor. 1. ut ostenderet necessarium fuisse, ut in locum Judae aliquis substituetur; et cum omnes apostoli et discipuli judicio s. Petri acquieverint, ac per hoc unanimi consensu locum istum psalmi de Juda intellexerint, nemini licet aliter exponere. *Oportet*, inquit Apostolus Petrus Act. 1. *impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David, de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.* Videmus autem impletum fuisse hoc vaticinium in Juda perfectissime: nam facti sunt dies ejus pauci, sive cum s. Augustino intelligamus dies apostolatus, sive cum s. Hieronymo dies vitae, sive cum Euthymio dies ejus post peccatum commissum. *Et Episcopatum*, idest, apostolatum *ejus accipiat alter*, Matthias videlicet, qui omnibus modis erat alter, idest, non consanguineus, non familiaris, non amicus, non similis vitae, ac morum. Nomen episcopatus, in hebraeo est, פקדה *pekuda*, quod ab inspiciendo, et visitando deducitur. Debet enim episcopus assidue inspicere, et visitare oves suas, de quibus rationem Domino redditurus est. Id quod, qui longe absunt ab episcopatu suo certe praestare non possunt. Hoc idem impletum est in Judaeis: nam post Judae peccatum pauci fuerunt dies Judaeorum in Episcopatu, idest, in sacerdotio, sive pontificatu: et Episcopatum eorum accepit alter, quia translatum est sacerdotium Aaronicum ad sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, et nulli sunt hodie pontifices Judaeorum, et multi sunt pontifices Christianorum.

8. *Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.*

Ne quis forte existimaret, Judam condemnandum ad poenam aliquam, vita durante, et ut fierent dies ejus pauci in episcopatu, non in corpore, Propheta declarat dies ejus futuros etiam paucos, ob imminentem veram mortem, per quam filii ejus orphani, et uxor vidua remaneret. Quod impletum est, quia eadem die laqueo se suspendit, et non diu postea in excidio Hierosolymae omnes fere viri interierunt, et relicti sunt plurimi orphani, et plurimae viduae.

9. *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent; et ejiciantur de habitationibus suis.*

Explicat aerumnas filiorum Judae, ac dicit, eos instabiles vagaturos et mendicaturos in aliena regione, quoniam ab habitatione sua ejicientur. In hebraeo paulo aliter leguntur ultima verba hujus versiculi. Sic enim vertit s. Hieron. *Et quaerantur in parietinis suis.* Sed septuaginta Interpretes, quos latinus sequitur, non legerunt in hebraeo. דרשו *daresciu*, quod significat *quaerere*, sed, גרשו *garesciu*, quod significat *ejicere*. Et ut saepe diximus, lectio, quam habuerunt in suis codicibus septuaginta seniores, omnino praeferenda est lectioni Rabbinorum. Illud *in parietinis suis*, optime translatum est a septuaginta interpretibus εκ των οικοπεδων αυτων, idest, *ex ruinosis habitationibus suis.* Nam idem significant parietina, idest, domus dirutae, ubi soli remanent parietes. Particula *ex*, quam habent septuaginta interpretes, habetur satis aperte in hebraeo, quamvis s. Hieronymus verterit *in*: quoniam particula, מן *min*, utrumque significare potest, sed frequentius accipitur pro *ex*, vel *ab*. Itaque sensus nostrae lectionis est, quod Judae filii, et caeteri Judaei, non solum non permittentur habere integras domos, quia Hierusalem evertenda erat, sed ejicientur etiam de habitationibus dirutis, ut ne ruinas quidem domorum suarum possidere eis liceat, quod impletum esse res ipsa testatur.

10. *Scrutetur foenerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.*

Redditur hoc loco ratio cur filii Judae, et Judaei caeteri sunt futuri pauperrimi, ac plane mendici: quia videlicet creditores eorum quibus solvendo non erunt, diligentissime quaerent, et accipient substantiam eorum; et si quid superfuerint ex labore eorum quaesitum, diripient alieni, milites scilicet Titi Imperatoris, qui (ut scribit Josephus lib. 6. de bello Judaico cap. 15.) scrutabantur aurum etiam in visceribus hominum, ad hunc finem illos dissecantes. Et haec quidem olim passi sunt Judaei, sed nunc foeneratores effecti ex bonis pauperum christianorum ditescunt. Illud, *scrutetur*, nunc est in codice hebraico, יבקש *jenakkes*, quod *illaqueare*, vel *irretire*, significat. Sed septuaginta, et s. Hieronymus, qui verterunt *scrutetur*, videntur legisse, יבקש *jebakkes*, quod est, *diligenter quaerere*; proinde post tempora s. Hieronymi, locus hic vitio librariorum corruptus videtur.

11. *Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.*

Et hoc manifeste impletum est in Juda, et in Judaeis: Judas enim ad principes sacerdotum accessit, et pecunias retulit, ac se peccasse confessus, nihil auxilii vel consolationis accepit, responderunt enim: *quid ad nos? tu videris*, Matth. 27. Quare rejectus a sacerdotibus, et a Christo veniam non sperans, abiens laqueo se suspendit. Porro Judaei a romanis obsessi neminem habuerunt, qui eos juvare auderet.

12. *Fiant nati ejus in interitum in generatione una deleatur nomen ejus.*

Praedicit Propheta, filiis Judae mortuis delendum omnino nomen ejus in generatione una, quia videlicet non remanebunt filii filiorum, idest, secunda vel tertia generatio. Et hoc quidem de filiis carnis Judae impletum esse credimus: sed scimus etiam adimpletum in filiis spiritualibus. Nam aliorum apostolorum multi numerati sunt filii filiorum, quos illi per Evangelii praedicationem in Christo genuerunt: et posteritas eorum in aeternum manebit. Judae vero spiritualis posteritas nulla est: Judaei vero quamvis non omnino extincti sint, periit tamen in generatione una regnum, sive respublica eorum: nam post eversam Hierosolymam dispersi fuerunt in gentes, et nunc impletur in eis quod praedixit Osee Propheta cap. 3. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine Ephod, et sine Teraphim.* Itaque illud, *interitum*, significat interitum populi, sive regni, ut non sint amplius unus populus, sive regnum, sed homines dispersi per omnes populos et regna. Ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *fiat novissimum ejus interitus, in generatione altera deleatur nomen ejus.* Sed septuaginta non male verterunt, *fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus.* Nam vox hebraea, אחריתו *acharitho*, significat ad litteram, *reliquiae ejus*, sive, quod post eum remanet. Et quamvis possit hoc significare *novissimum ejus*, ut vertit sanctus Hieronymus, quia novissimum postea erit: tamen rectissime verterunt septuaginta interpretes, *nati ejus*, idest, reliquiae ejus, sive posteritas ejus. Illud quoque, *in generatione una*, recte interpretatum est, quoniam septuaginta non legerunt, אחר *acher*, idest, *altera*, ut legit s. Hieronymus, sed, אחד *echad*, idest, *una*; literae enim simillimae sunt, et facile fuit librariis unam literam pro alia ponere.

13. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus, et peccatum matris ejus non deleatur.*

Addit Propheta ad calamitates Judae et Judaeorum, et peccata parentum in eis puniantur. Vocat autem patres non solum patrem ejus naturalem, sed omnes eos hebraeos, qui peccaverunt in deserto, et postea in terra promissionis; vocat vero matrem, non tantum matrem propriam, sed integram Synagogam, sive ipsam civitatem Hierusalem, de qua dicitur Thren. 1. *Peccatum peccavit Hierusalem.* Quod autem hic dicit Propheta, significavit etiam Dominus, Matth. 23. cum ait, *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.* Et hoc ipsum imprecati sunt impii Judaei filiis suis, Matth. 27. *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Neque repugnat haec sententia verbis Ezechielis cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ezechiel enim loquitur de filiis, qui non imitantur peccata parentum; psalmus autem loquitur de filiis qui peccata parentum imitantur. Deus enim irritatus peccatis parentum, expectat quidem filios ad poenitentiam, sed si illi pergant parentum iniquitates imitari, et sic implere mensuram patrum suorum, tandem omnes exterminat non solum considerans peccata praesentium: sed etiam praeteritorum. Atque hoc est, quod Exod. 20. Deus dixit, cum legem populo daret: *ego sum Deus tuus fortis zelotes, visitans peccata parentum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Vide de concordia harum scripturarum s. Thomam in 1. 2. qu. 87. art. 8. et Theologos caeteros apud magistrum sententiarum lib. 2. dist. 23.

14. *Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.*

Repetit quod dixit de peccatis parentum, et eleganter opponit memoriae peccatorum memoriam gloriae Judae, et Judaeorum: quasi dicat, Vivet coram Deo memoriam peccatorum patris et matris ipsorum, ut poena semper maneat et contra dispereat de terra memoria gloriae, et foelicitatis ipsorum. Illud enim, *contra Dominum*, significat coram Domino, sive ex opposito oculorum Domini, ut semper videantur a Domino peccata illa: haec enim est vis vocis hebraicae, נגד *neghed*, et graecae, εναντιων. Illud autem, *memoria eorum*, non significat simplicem memoriam personarum, sed faustam commemorationem. Vigel enim commemoratio aliorum Apostolorum, quae quotannis renovatur cum honore, et laudibus ipsorum: Judae commemoratio nulla fit, et si quando nomen ejus pronunciandum est, cum execratione et horrore pronunciatur: sic etiam gentis Judaeorum nulla fit commemoratio nisi cum contemptu, ut gentis vilissimae, quae ubique servit. Addit Propheta causam toto calamitatum Judae, et Judaeorum. *Quoniam*, inquit, *non est recordatus facere misericordiam*: nam ut scribit b. Jacobus cap. 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Hoc enim fuit peccatum Judae, quod cum videret principes Judaeorum fuere adversus Christum, ipse nulla misericordia motus

http://www.obrascatolicas.com

erga innocentem magistrum, et Dominum suum, crudelissime illum tradidit capiendum, et occidendum.

15. *Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.*

Explicat Propheta in quo sita fuerit crudelitas Judae, et populi Judaeorum, quia videlicet persecutus est Christum, *hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare*, idest, ad eum morti tradendum. Sanctus Augustinus non audet haec de Christo exponere, quia Christus non potest dici *compunctus corde*, cum compunctio sit propria eorum, quorum est poenitentia. Ideo per hominem *compunctum corde*, intelligit Apostolos, et alios fideles, quos Judaei usque ad mortem persecuti sunt. Sed quia sanctus Hieronymus, Theodoretus, Euthymius et alii de Christo haec omnia intelligunt, et textus ipse quodammodo nos cogit, ut hunc versiculum de Christo potissimum exponamus; dicendum est Christum dici *hominem inopem*, quia cum esset dives, *propter nos egenus factus est*, ut nos inopia sua locupletaret, ut dicit Apostolus 2. Corinth. 8. Dici etiam *mendicum*, quia ex aliena misericordia in hoc mundo vivere voluit, ut verbo Dei praedicando, et orationi pro nobis faciendae totus incumberet; dici denique *compunctum corde*, non compunctione culpae, sed compunctione poenae, et anxietatis, ac sollicitudinis, quam pro salute generis humani assidue in corde gerebat. Notatur autem in his verbis summa crudelitas; nam qui hominem occidere quaerunt, vel moveri solent ab iracundia ob injuriam acceptam, vel a cupiditate spoliandi divitem, vel ab invidia alienae foelicitatis; Christus autem mitis, et humilis corde, nemini faciebat injuriam; et cum esset adeo contemptor bonorum hujus mundi, ut voluntarie mendicus factus esset, non habebat unde oculos cupidorum provocaret. Denique cum assidue hominum peccata deflerent, et ad poenitentiam agendam, ad foelicitatem mundi spernendam, ad bona coelestia desideranda hortaretur, nulla erat causa, cur eum ad mortem ullus quaeret.

16. *Et dilexit maledictionem, et veniet ei, et noluit benedictionem et elongabitur ab eo.*

Nemo est qui diligere possit maledictionem, vel odio habere benedictionem, si sub ratione maledictionis et benedictionis voluntati proponantur: sed dicitur homo diligere maledictionem, et nolle benedictionem, quando ipse sibi causa est, malis suis operibus, cur maledicatur, et non benedicatur. Sic Judas tradendo Christum Judaeis ob cupiditatem modicae pecuniae, dilexit maledictionem, quia ipse sibi causa fuit cur malediceretur a Deo: et ipse idem deserendo Christum, in qua benedicendae erant omnes generationes; noluit benedictionem, quia ipse sibi causa fuit, cur non benediceretur a Deo; quod idem de populo Judaeorum dici potest. Venit enim filius Dei de coelo, ut benediceret populum suum; sed illi Christum occidendo, sibi ipsi in causa fuerunt, cur pro benedictione maledictionem acciperent, et benedictio ad gentes transferretur. Porro benedictio Dei cumulum bonorum omnium significat, quemadmodum et maledictio cumulum omnium malorum. Videmus autem haec impleta fuisse primum in Juda, qui continuo et pecunias, quas acceperat, et vitam temporalem et sempiternam amisit, deinde in populo Judaeorum, qui regnum et sacerdotium perdidit, et excaecatus atque obstinatus in incredulitate vivit, docet ad tenebras exteriores, quae sunt in gehenna, descendat.

17. *Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.*

Declarat Propheta pulcherrimis similitudinibus, maledictionem divinam esse cumulum omnium malorum, tum externorum, ita ut homo maledictus a Deo cunctis malis ita repleatur, ut nulli bono relinquatur locus. Primum comparat maledictionem divinam vestimento, quod totum corpus undique tegit: et quia vestimentum non intrat ad viscera, comparat etiam aquae, quae hominem demersum in mari, non solum exterius abluit, sed etiam intrat ad stomachum, ad ventrem, ad pectus, ad omnia interna corporis humani: et quoniam aqua non penetrat ossa, imo neque carnes, venas, nervos; addit comparationem olei, quod subtilissimum est, et non solum carnes et venas, et nervos, sed ipsa etiam ossa pervadit. Sic igitur divina maledictio, non solum Judae et Judaeorum, sed omnium illorum, quibus dicetur, *Ite maledicti*, replebit malis corpus, et omnia ejus membra; replebit animam, et omnes ejus sensus; replebit et mentem, et usque ad intima intelligentiae, et voluntatis penetrabit. Quae certe si homines mortales serio cogitarent, non sine magno horrore viverent.

18. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, et sicut zona, quae semper praecingitur.*

Addit Propheta maledictionem illam non solum ubique penetraturam, sed etiam sempiternam futuram. *Fiat*, inquit, *ei*, Judae videlicet et populo Judaeorum, ea maledictio *sicut vestimentum, quo operitur*, idest, semper illi adhaereat, quemadmodum vestis semper adhaeret homini, ne turpitudo ejus appareat. *Et sicut zona, qua semper praecingitur*, idest, non solum maledictio illi adhaereat, sed etiam firmissime adhaereat, quo modo cingulum firmissimis, et multiplicibus nodis adstringi solet. Quis digne cogitare valeat, qualis sit nodus, quam firmus, quam insolubilis, decretum immutabile omnipotentis voluntatis Dei?

19. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum; et qui loquuntur mala adversus animam meam.*

Concludit propheta praedictionem miseriarum Judae, dicens, *Hoc opus eorum*, idest, haec erit merces operis eorum. Accipitur enim in scriptura opus

pro mercede operis, ut Levit. 19. *non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Qui detrahunt mihi*, idest, qui me seductorem vocant, qui filium Dei esse negant, etc. *apud Dominum*, idest, haec erit merces eorum apud Dominum, sive a Domino, ut clarius habetur in textu hebraico, quem s. Hieronymus sic reddidit, *haec est retributio a Domino, his qui mihi adversantur, et qui loquuntur mala adversus animam meam*, idest, qui obloquuntur de me mala. Est enim haec pars posterior versiculi, repetitio, et explicatio prioris.

20. *Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.*

In ultima parte psalmi precatur Christus pro se, et pro corpore suo quod est ecclesia; praedicando praedicit multa bona, quemadmodum in superioribus partibus, per modum imprecationis praedixit multa mala Judae et Judaeis. Primum igitur orat Dominum, ut sibi semper adsit, seque et corpus suum adjuvet propter gloriam nominis sui. *Et tu*, inquit, *Domine, Domine*. אדני יהוה Prima vox continet nomen quatuor literarum, quod est proprium Dei, et deducitur ab esse, quia Deus est fons essendi: secunda continet aliud nomen, quod proprie Dominum significat. Itaque sensus est, *tu fons essendi*, qui es Dominus omnium rerum, *fac mecum*, idest, mecum operare, mihi te adjunge, *propter nomen tuum*, idest, ad gloriam tuam. *Quia suavis est misericordia tua*, idest, quia misericordia tua benigna est, et facile inclinatur ad succurrendum miseris. Ubi loquitur tum pro se, tum pro corpore suo, quod est ecclesia, et poscit auxilium Dei adversus persecutores ex tribus capitibus: primo, quia Deus est Dominus omnium rerum, ac per hoc potest, si velit, hostes reprimere: secundo quia hoc postulatur propter nomen Dei extollendum: tertio, quia Dei misericordia benigna est: ac per hoc Deus, non solum potest, sed etiam vult misereri. Et quoniam, ut dixi, haec est praedictio per modum precationis, vel simul precatio, et praedictio: ideo certi sumus, ecclesiam Christi semper a Deo protegendam et juvandam esse, *ut portae inferi non praevaleant adversus eam*, juxta id quod dictum est Matth. 16.

21. *Libera me, quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me.*

Pergit in oratione propheta in persona Christi, et videtur respicere tempus illud, quo Christus dixit Joan. 12. *nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora*: vel cum in horto precatus est patrem, et apostolis dixit: *tristis est anima mea usque ad mortem. Libera*, inquit, *me ab imminente morte, quoniam egenus, et pauper ego sum* idest, omni humano auxilio destitutus, non habeo, qui pugnet pro me, et anima mea turbata est intra me, idest, tristitia et horror ex consideratione mortis futurae turbavit me. Haec autem Christus dicebat, ut ostenderet, se vere esse hominem, qui mortem absolute consideratam, ut naturae contrariam exhorrebat: cum tamen eamdem mortem, ut pretium redemptionis a patre decretum, et ordinatum maxime desideraret. Quare Joan. 12. cum dixisset *salvifica me ex hac hora*, subjunxit, *sed propterea veni in hanc horam*, et Matth. 26. cum dixisset, *transeat a me calix iste:* continuo addit, *se non sicut ego volo, sed sicut tu.* Porro quod attinet ad corpus Christi, quod est ecclesia, petitur liberatio a persecutionibus, et tentationibus, quia coetus Ecclesiae egenus, et pauper est, idest, non nititur viribus, aut meritis suis, sed tamquam vere mendicus, in solo Deo confidit.

22. *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut locustae.*

Haec pertinent ad comprehensionem Domini, quae facta est post orationem in horto. Comparat vero Propheta comprehensionem, umbrae deficienti, quoniam umbra sine ullo strepitu deficit, et maximo cum silentio. Sic enim et Dominus avulsus est a discipulis, et captivus ductus, imo etiam ad varia tribunalia, et ad ipsam crucem adductus sine murmure, sine resistentia, sine defensione. *Sicut umbra*, inquit, *cum declinat ablatus sum*, idest, ablatus sum a comitatu discipulorum ad tribunal Caiphae, Pilati, et Herodis eo silentio, quo declinans umbra deficere solet. *Et excussus sum*, idest, jactatus ab uno tribunali ad aliud, *sicut locustae*, vilissima scilicet animalia, a vento jactari solent ab uno loco ad alium. S. Augustinus priorem partem versiculi refert ad Christum in persona propria, posteriorem ad Christum in persona discipulorum. Ille enim ablatus est sicut umbra, illi excussi velut locustae.

23. *Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum.*

Hic videtur describi debilitas Christi ex jejunio, adjuncta vigilia, et labore illius noctis, et sequentis diei, quo passio peracta est. Quamvis etiam toto vitae tempore Dominum frequentissime jejunasse credendum sit. *Genua mea*, inquit, *infirmata*, idest, debilitata sunt *a jejunio, et caro mea immutata*, idest, macie, et pallore confecta apparuit *propter oleum*, idest, propter pinguedinem suam amissam. In hebraeo clarius habetur, *Caro mea immutata est*, משמן *misciamen*, idest, *a pinguedine*, idest, ex pingui macilenta reddita est. Varie hic locus ab aliis explicatur; sed haec nobis explicatio litteralis maxime visa est.

24. *Et ego factus sum opprobrium illis; viderunt me, et moverunt capita sua.*

Hic concludit passionem: nam post illam summam debilitatem factus est Dominus opprobrium Judaeis cum cum in medio latronum crucifixum viderunt, et viso eo moverunt capita sua stantes ante crucem, et dicentes, *vah qui destruis templum Dei*, etc. Matth. 27.

http://www.obrascatolicas.com

25. *Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.*

Precatur Dominus de corpore exiens auxilium patris ad celerem resurrectionem, ut diximus in explicatione psalm. 21. et 68. et simul precatur corpori suo mystico, idest, ecclesiae, veram salutem corporis et animae.

26. *Et scient quia manus tua haec, et tu Domine fecisti eam.*

Ne putarent homines, Christum ad passionem, et mortem ignominiae plenam invitum pervenisse, et ne jactarent Judaei, se potentia sua in Christum praevaluisse; admonet Propheta in persona Christi, hoc totum a Deo factum esse juxta illud s. Petri Act. 3. *Deus qui pronunciavit per os omnium prophetarum implevit sic.* Ait igitur, *et sciant* homines omnes, ac praesertim Judaei, *quia manus tua haec*, idest, quia, haec res, haec passio, haec mors mea, a manu tua, hoc est, voluntate, et potestate tua processit: *Et tu Domine fecisti eam.* Neque enim potuissent Judaei, aut gentes Christo praevalere, eumque affligere et occidere, nisi Deus voluisset. Neque tamen excusantur a gravissima culpa, qui Christum occiderunt, quasi voluntatem Dei adimpleverint; ipsi enim non voluntatem Dei, sed odium cordis sui implere voluerunt: Deus autem mala eorum voluntate, quam ipse non fecerat, usus est ad mundum redimendum per obedientiam et charitatem, patientiam, et humilitatem unici sui. S. Augustinus per manum Dei, hoc loco intelligit Christum, quem Deus fecisse dicitur, quia humanitatem ejus fecit. Alii per manum Dei intelligunt potentiam Dei, sed per particulas illas, haec et eam intelligunt salutem. Sed nos Theodoretum seculi sumus, cujus expositio maxime litteralis nobis visa est.

27. *Maledicent illi, et tu benedices: qui insurgunt in me confundantur; servus autem tuus laetabitur.*

Persecutores ignorantes haec, quae dicta sunt, *maledicent mihi*, et ecclesiae meae: ut revera usque ad hanc diem Judaei blasphemare, et maledicere pergunt: *sed tu benedices*, non solum mihi, me glorificando, et exaltando ad dexteram tuam, sed etiam propter me benedices omnes gentes, eas per fidem, et baptismum in filios adoptando. Ex quo fiet ut illi, qui me persequuntur, et mihi maledicunt, tandem *confundantur, servus autem tuus*, ego et fratres mei laetitia sempiterna fruamur.

28. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.*

Confirmat quod dixit, et per modum imprecationis praedicit, omnes Christi et ecclesiae adversarios tandem cooperiendos confusione, et pudore instar vestimenti duplicis undique hominem operientis. Quod quidem in die judicii omnino implebitur. Vox hebraica, מעיל *mehil*, significat vestem amplam, et honorificam, qualis erat tunica sacerdotalis, quae describitur Exod. 28. Sed septuaginta Interpretes verterunt διπλοιδα: vel quia vestis erat tam ampla, et longa, ut duplicari posset; vel quia revera ea vox significat vestem suffultam alia veste, ac per hoc duplicem, ut sunt apud nos vestes permultae. Sensus autem est, confusionem damnatorum in novissimo die fore maximam, ita ut pleni sint futuri erubescentia et pudore. Et certe, quae major confusio cogitari potest, quam ingratitudinem, insipientiam, aliaque vitia damnatorum in theatro mundi totius, coram angelis et hominibus, qui ab initio saeculi fuerunt, apertissime detegi?

29. *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.*

Hoc opponitur confusioni impiorum. Illi enim prae confusione obmutescent: Christus autem, et electi ejus *confitebuntur laudes Deo nimis in ore suo*, idest, magno clamore, magnoque jubilationis affectu, idque in medio multorum, in theatro orbis terrarum, in die judicii, et postea in theatro coelestis Jerusalem in aeternum.

30. *Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.*

Haec est ratio tantae confessionis, et laudis, quoniam Deus auxilio suo, *astitit a dextris pauperis Christi*, et populi ejus, *ut salvaret a persequentibus Judaeis* vitam temporalem Christi, quod factum est per celerem resurrectionem, et a persequentibus tum hominibus, tum daemonibus vitam aeternam electorum ejus. In hebraco est, משפטי *misciophete*, idest, *a judicibus*, pro eo quod nos habemus, *a persequentibus*; et quidem quod attinet ad Christum, praecipui persecutores Christi fuerunt Caiphas, et Pilatus, qui Christum morti adjudicaverunt. Sed sapientia Dei astitit Christo, tamquam optimus patronus, et sententiam iniquam revocare fecit a divina potentia, quae Christum ad vitam revocavit. Quod vero attinet ad ecclesiam, judices qui persequebantur ecclesiam, erunt tum Imperatores, et reges ac magistratus paganorum, qui multa millia sanctorum martyrum morti adjudicaverunt, tum praecipue daemones, qui sententiam Dei in genus humanum latam proferebant, et ex illa genus humanum morti aeternae adjudicabant, sed astitit advocatus potentissimus Christus, *qui tulit de medio chirographum, quod erat contrarium nobis, illudque delevit, et affixit cruci*, et pauperum animas salvas fecit, ut scribit apostol. ad Coloss. 2. Hic illud annotandum est, Deum *assistere a dextris pauperum*, idest, eorum qui agnoscunt paupertatem suam, debilitatem videlicet virium suarum, et ideo assidue pulsant ad ostium Dei, qui dives est in misericordia. Item *a dextris pauperum*, idest, eorum, qui exuerunt affectum rerum omnium creatarum, et spiritu pauperes effecti in solo Deo divitias suas posuerunt.

PSALMUS CIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Hic psalmus celeberrimus est, tum magnitudine mysteriorum, tum obscuritate sententiarum. Sed quamvis excaecati Judaei multa fabulentur, tamen apud Christianos nulla dubitatio est, quin hic psalmus de Christi regno, et sacerdotio intelligatur, ita explicante Spiritu sancto in multis locis sanctarum scripturarum, *Matth.* 22. *Act.* 2. 1. *Corinth.* 15. *ad hebr.* 1. 5. 7. *et* 10.

EXPLICATIO PSALMI CIX.

1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.*

Vidit in spiritu David, messiam post mortem, et resurrectionem ascendentem in coelum, et refert ad nos verba Dei Patris ad Filium, quibus eum invitat ad consedendum, et conregnandum. *Dixit*, in hebraeo est, נאם *nehum*, quod proprie significat, *dictum*, et conjunctum cum nomine sequenti, verti potuisset, *Dictum Dominum ad Dominum meum*. Sed sensus est idem, et gratia claritatis verterunt Septuaginta, *Dixit Dominus*: quamvis autem, *dixit*, sit temporis praeteriti, et tempore Davidis id tempus nondum advenisset, tamen recte utitur David verbo temporis praeteriti, quia vidit rem futuram, tamquam praeteritam. Dominus in hebraeo est nomen quatuor literarum, quod proprie soli Deo vero convenit; quod quamvis a modernis pronuncietur, יהוה *Jehova*, tamen ab antiquis non solebat pronunciari; sed loco ejus pronunciabatur aliud nomen, quod Dominum significat. Ita septuaginta Interpretes ubicumque hoc nomen proprium Dei invenerunt, verterunt κυριος, idest, *Dominus*, de qua re scripsimus in exercitatione grammatica ad primum vers. ps. 33. *Domino meo*: in hebraeo est, לאדני *Laadoni* quod proprie, *Domino meo*, significat; quamvis autem Rabbini per Dominum hoc loco intelligant Abraham, ut s. Hier. refert in comment. ad cap. 22. Matth. vel Ezechiam, ut refert Justinus in Dialogo contra Triphonem, et Tertull. lib. 5. in Marcionem: tamen certum est, non alium hoc loco Dominum vocari, nisi Messiam, qui fuit filius David secundum carnem, et Dominus David secundum divinitatem: totus enim psalmus id clamat, cum neque Abraham, neque Ezechias sederint ad dexteram Dei, neque geniti sint ante luciferum, neque sacerdotes fuerint secundum ordinem Melchisedech. Quare Judaei interrogati a Christo Matth. 22. quomodo David in spiritu vocet Messiam Dominum suum; non sunt ausi negare psalmum intelligendum esse de Messia. Cur autem non repetatur hoc loco nomen proprium Dei, non est ratio, quia filius non sit verus Deus, ut est pater, ut Ariani docebant, sed quia hic non agitur de Filio Dei simpliciter, sed de filio Dei incarnato. Filius autem Dei incarnatus in scripturis passim Dominus appellatur, et pater Deus, cum simul nominantur, cujus rei ratio est, quia nomen Domini convenit filio secundum utramque naturam; nomen autem Dei non convenit ei, nisi ratione naturae divinae. Itaque si hoc loco idem nomen tributum fuisset patri, et filio, suspicari possemus, haec dici filio, tantum, ut Deus est: quod autem filius Dei incarnatus, qui etiam Christus dicitur, in scripturis passim appelletur Dominus, et pater Deus dicetur, perspicuum est ex illo 1. Cor. 8. *Unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus*. et 2. Cor. 1. *Gratia vobis, et pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo*, et ad Ephes. 6. *Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo*, et in ipsi evangeliis, atque actis apostolorum, et epistolis eorumdem apostolorum, cum ubique Christus dicatur Dominus, vix in uno, aut altero loco dicitur Deus quia videlicet, ut diximus, nomen Dei convenit Christo solum ratione divinae naturae, nomen Domini convenit secundum utramque naturam; unde etiam in symbolo dicimus, *credo in Deum. Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Sede a dextris meis.* Sessio quietem, et auctoritatem praecipue regiam denotat; haec autem Christi sessio, est ineffabilis quies et summa regia potestas. Illud autem *a dextris meis*, significat aequalitatem, et consortium regni Dei patris super omnes creaturas. Quam aequalitatem semper habuit filius Dei ratione divinae naturae, sed ad eam elevatus est ratione naturae humanae, post humiliationem usque ad mortem, mortem autem crucis. Sic enim loquitur Apost. Phil. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi*

http://www.obrascatolicas.com

nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. Idem enim est esse in dextera Dei, et in gloria Dei, hoc est in majestate Dei: haec autem gloria est, quod habeat nomen super omne nomen, et illi omne genu flectatur; sic etiam 1. Cor. 15. ait idem Apostolus, *oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, ubi explicat Apostolus illud, *sede a dextris meis*, ut idem sit quod regna mecum, donec ponam, etc. Idem quoque Apostolus ad Hebr. 1. *Cui dixit angelorum, sede a dextris meis, nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, etc. Ubi per sedere a dextris Dei significatur differentia inter Christum et angelos, quod isti sunt ministri, et servi, et ideo non sedeant, sed mittantur in ministerium: Christus autem ut rex, et Dominus sedeat cum patre, creaturis omnibus superior. Denique s. Pet. Act. 2. *Dextera*, inquit, *Dei exaltatus effudit hoc donum, quod vos videtis, et auditis; non enim David ascendit in coelum: dicit autem ipse, dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Ubi s. Petrus docet, sedere a dextris Dei, esse ascendisse in coelum, dominari, et regnare ubique, ut dominatur, et regnat Deus.

2. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Hic versiculus continuatur cum primo apud hebraeos, juxta Rabbinorum distinctiones, sed septuaginta Interpretes, qui Rabbinos omnes praecesserunt, novum versiculum esse debere judicarunt. Significat autem his verbis propheta, regnum Christi numquam finiendum, neque periculum esse, ut ab inimicis evertatur, cum Deus statuerit, paulatim omnes omnino inimicos illi subjicere, ut pacifice postea duret in aeternum. Itaque illud, *donec*, non significat, Christum non amplius sessurum, ubi fuerint omnes hostes debellati; sed significat, Christi regnum semper propagandum magis, donec nullus omnino supersit inimicus, qui illi genua non flectat, quasi dicat, perge regnare mecum, nec desistas propagare regnum, donec omnes hostes debellentur. Porro ista propagatio quotidie impletur, dum alii convertuntur ad fidem, et obedientiam, et sponte subjiciuntur pedibus Christi, ut in eis tamquam in scabello quiescat, et tandem finito exilio pergunt ad patriam, ubi foeliciter sub Deo requiescunt: alii vel pervertuntur, vel in perversitate perdurant, et tandem per mortem ad judicium rapiuntur, et damnati ad inferos detruduntur, ubi Christi pedibus perpetuo comprimuntur. In novissimo die propagatio complebitur, et tum Christo flectetur omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum. At cur dicit pater, *donec ponam*? nonne etiam filius ponit inimicos suos scabellum pedum suorum? Omnino quod pater operatur, etiam filius operatur: sed tribuitur haec actio patri, quia per eam redditur merces obedientiae filii, ut paulo ante apostolum dicentem audivimus, *propter quod et Deus exaltavit illum*. Praeterea omnis actio, quae ad potentiam pertinet, patri solet tribui, quamvis etiam filio sit communis, quoniam a patre filio communicatur, non patri a filio, et filio quidem, ut Deus est, communicatur per generationem; eidem filio, ut homo est, communicatur per gratiam, hypostaticae unionis. Quod autem filius patri cooperetur in hac actione subjiciendi communes hostes, dicitur in sequenti versiculo.

3. *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

Propheta David cum in spiritu audivisset Patrem loquentem ad filium, ac dicentem, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*, convertit se ad filium, et eodem spiritu revelante demonstrat, unde incipienda esset propagatio Regni Christi in terris. *Virgam*, inquit, *virtutis tuae emittet Dominus ex Sion*, idest, Dominus Pater, ut ponat inimicos tuos scabellum pedum tuorum, sceptrum regalis potentiae tuae ex civitate Jerusalem, et ex ipso monte Sion extendere incipiet, et propagabit usque ad ultimum terrae. Concordat cum hac Prophetia verbum Domini, Luc. 24. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolyma*, et Act. 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Virga hoc loco sceptrum significat, et per sceptrum intelligitur regalis potestas: per virtutem autem significatur robur, et fortitudo ut clarius habetur in textu originali. Itaque virga virtutis est sceptrum potentiae: dicitur autem haec virga emittenda ex Sion, quasi ex monte illo germinaverit, quoniam in Jerusalem coepit regnum Christi spirituale; ibi enim fuerunt primi credentes, et ibi coepit propagatio fidei per Apostolos. *Dominari in medio inimicorum tuorum*, est quasi fausta acclamatio, et exhortatio ad propagandum imperium per omnes gentes, quasi dicat, tu igitur perge foeliciter, infer vexillum crucis tuae in medium paganorum, et Judaeorum, ubi sunt confertissimi hostes tui, ibique in medio eorum dominare, idest, illis invitis, et repugnantibus regnum tuum constitue. Quod certe brevi factum videmus: nam intra paucos annos, frustra Judaeis, et Paganis reluctantibus, ecclesiae Christi in toto orbe terrarum constitutae fuerunt. Scribit enim apostolus ad Coloss. 1. *evangelium in universo mundo est, et crescit, et fructificat*, et S. Irenaeus vicinus apostolicis temporibus lib. 1. cap. 2. Ecclesia, inquit, per universum orbem usque ad fines terrae seminata est, et cap. 4. meminit ecclesiarum Germaniae, Iberorum, Lybiae, Aegypti, Galliarum, Orientis, et earum, quae in medio mundi erant, per quas intelligit ecclesias Graeciae, et Italiae. Recte autem dicit psalmus, *in medio inimicorum tuorum*, quia quantumlibet ecclesia propagetur et crescat, semper erit in medio inimicorum, idest, Judaeorum, Paganorum, Haereticorum, et falsorum Christianorum, dum in terris peregrinatur. Sed in consummatione saeculi fiet separatio bonorum a malis, et non erit amplius regnum Christi in medio inimicorum suorum, sed eminebit, et exaltabitur super omnes inimicos suos.

4. *Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.*

Dixerat, *dominare in medio inimicorum tuorum*, quod intelligitur in hoc tempore, dum regnum Christi ab inimicis oppugnatur: declarat nunc quid erit in novissimo die, quando omnes inimici subjecti erunt, ut scabellum pedibus ejus. *Tecum*, inquit, *principium in die virtutis tuae*, idest, tecum erit principatus manifestus, tunc apparebit omnibus tuum esse regnum, et apud te solum esse verum principatum. *In die virtutis tuae*, in die videlicet novissimo, quando potentia tua coelum movebit, solem obscurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, et omnes ad tribunal tuum adducet. *In splendoribus sanctorum*, id est, quando circumdatus eris sanctis tuis, qui omnes fulgebunt sicut Sol. *Ex utero ante luciferum genui te*, idest, ideo tecum erit tantus principatus, quia ego Deus pater omnipotens *genui te*, non ex nihilo, ut res creata, sed *ex utero* meo, ut Filium verum, naturalem, et substantialem; idque *ante luciferum*, idest, antequam stellas crearem, ante omnem creaturam, ante omnia saecula. Haec est communis expositio patrum, Hieronymi, Chrisostomi, August. Teodoreti, et Euthymii. Sed consideremus singula verba. *Tecum*, ex hebraeo s. Hieronymus vertit, *populus tuus*. Sed verbum hebraicum potest legi, עמך *hammecha*, et significat, *populus tuus*, potest etiam legi, עמך *himmecha*, et significat tecum, et sic legerunt septuaginta Interpretes, et recte verterunt, principium: in hebraeo est, נדבות *nedaboth*, quod proprie significat *principes*, sed septuaginta videntur legisse, נדבה *nedaba*, principatus, et sic exponit Chrysostomus hoc loco vocem graecam αρχη, quae et *principium* et *principatum* significare potest. Quod si placeat, non accipere principium pro principatu, sed simpliciter pro principio; exponere poterimus, *tecum principium*, idest, tecum est principium primum omnium rerum, quia tu es in patre, et pater in te. Sed prior expositio videtur praeferenda ut magis consentanea textui hebraico. *In die virtutis tuae*, in his verbis nulla est discrepantia inter codices, nisi quod in hebraico per virtutem significatur proprie fortitudo, et potentia. *In splendoribus sanctorum*, in hebraico legitur, *in montibus sanctitatis*. Sed videntur septuaginta Interpretes non legisse, הרי *harere*, per, ה, quod significat montes, sed אורי *hore*, per, א, quod significat splendores. Idem autem est, *in splendoribus sanctitatis*, et, *in splendoribus sanctorum*: dici siquidem possunt sancti homines *splendores sanctitatis*, quia sanctitas in eis resplendet. *Ex utero*: ex hoc verbo probant sancti patres efficacissime Christi divinitatem, nam si Christus creatura esset, non posset dici genitus ex utero: nemo enim dicit se genuisse ex utero domum, vel scamnum, vel aliud quidpiam ex arte factum: neque Deus unquam dixit, se genuisse ex utero coelum, aut terram. Porro per uterum intelligitur essentia Dei secreta, et intima; et quamvis uterus proprie ad matrem non ad patrem pertineat; recte tamen Deus pater dicitur ex utero genuisse, tum ut clarius ostendatur filius consubstantialis genitori; clarius enim filius est ex substantia matris, quam ex substantia patris; tum quia Deus non opus habuit uxore ad filium gignendum, et pariendum. Ipse enim genuit, ipse peperit, unde dicit Isaiae ult. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Ante luciferum*: hinc significatur aeternitas filii, qui genitus fuit ante Luciferi creationem, ac per hoc ante omnes creaturas. Sed posuit nomen Luciferi, quoniam ipse etiam filius Dei est quidam lucifer increatus. Est enim lux vera, quae illuminat omnem hominem, et omnem angelum. In hebraeo habetur, משחר *mischar*, quod s. Hieronymus vertit, *ex aurora*. Sed potest etiam verti, *prae aurora*, idest, ante auroram. Septuaginta Interpretes posuerunt luciferum pro aurora, sive quia cum aurora solet oriri lucifer, sive quia ipsa aurora etiam est lucifer; quare s. Hieronym. Job 11. vers. 12. vertit, *orieris ut lucifer*, cum tamen in hebraeo sit, *mane*. Itaque luciferum accepit pro mane, sive pro aurora. *Genui te*, in hebraeo nunc legitur, *Tibi ros nativitatis tuae*. Sed septuaginta non habuerunt illa duo vocabula, *Tibi ros*, et pro nativitatis tuae, legerunt, genui te; quia verba hebraica mutatis punctis utroque modo legi possunt: ילדתך *jalduthecha*, est, nativitatis tuae; ילדתיך *jeladthicha*, est *genui te*. Potest etiam fieri, ut septuaginta Interpretes legerunt, *tibi ros nativitatis tuae*; sed verba obscura declarare voluerint per suam versionem; et ideo dixerint, *genui te*. Id enim obscure significant illa verba, *ex utero ante luciferum tibi ros nativitatis tuae*, idest, ex utero ante luciferum fuit tibi nativitas ex me, ut est rori ex coelo. S. Augustinus addit aliam expositionem minus principalem, quod videlicet David Christo filio suo secundum carnem dicat, Ego genui te ex utero virginis Mariae, filiae meae, antequam lucifer oriretur, idest, media nocte. Tertullianus quoque lib. 5. in Marcionem exponit de partu Virginis, sed tribuit Deo illud, *genui te*, hoc modo, Ego Deus Pater genui te ex utero Virginis nocturno tempore antequam lucifer oriretur.

5. *Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

Transit nunc a dignitate regia ad sacerdotalem, atque ostendit, Christum esse sacerdotem aeternum, non succedentem Aaroni, sed immediate a Deo institutum, cujus figura fuerat sacerdotium Melchisedech. *Juravit Dominus et non poenitebit eum*. Juramentum Dei promissionis stabilimentum

http://www.obrascatolicas.com

est, id quod declaravit addens, *et non poenitebit eum*, idest, firmissime statuit, numquam mutaturus: significat enim David his verbis sacerdotium Aaronicum fuisse mutandum, sed sacerdotium Christi numquam esse mutandum. Poenitentia enim dicitur per metaphoram, cum Deus facit id quod faciunt homines, cum eos poenitet facti: mutant enim, quod eos fecisse poenitet; sic Genes. 6. dicit Deus, *Delebo hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia; poenitet enim me fecisse eos*; et 1. regum 15. *Poenitet me* (ait Deus) *quod constituerim regem Saul. Tu es sacerdos in aeternum*: dicuntur haec a Deo, non a Davide; Apostolus enim ad hebr. 5. non semel repetit, haec esse verba patris ad filium. Dicitur autem Christus sacerdos in aeternum, tum quia effectus unici sacrificii, quo corpus suum obtulit in cruce, manet in aeternum, juxta illud Apostoli ad hebr. 10. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: tum quia vivens ipse in aeternum, sacrificium quotidie offert per manus ministrorum sibi invicem in ecclesia succedentium, quod idem apostolus ad hebr. 7. confirmat, dicens, *et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Secundum ordinem Melchisedech*: per ordinem intelligitur ritus, lex, traditio, consuetudo; haec enim significat vox hebraica, דברתי *dibrathi*; opponitur autem ordo Melchisedech ordini Aaron secundum apostolum ad hebr. 7. Distinguitur vero ordo Melchisedech ab ordine Aaron in multis. Primo, Melchisedech non legitur successisse alteri, neque ei successisse alter legitur: nam ideo dicitur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens*, ut dicitur ad hebr. 7. in sacerdotio autem Aaronis unus alteri succedebat, quia singuli moriendo, sacerdotium filiis relinquebant: secundo, Melchisedech erat sacerdos, et rex; Aaron simplex sacerdos: tertio Melchisedech obtulit panem, et vinum; Aaron oves et boves: quarto, Melchisedech erat sacerdos universalis, non unius gentis tantum; Aaron erat sacerdos dumtaxat hebraeorum: quinto Melchisedech non egebat tabernaculo, vel templo ad sacrificandum; Aaron egebat, et ideo nunc apud hebraeos cessavit sacrificium, quia eversum est templum. Christus igitur sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, quia re vera nulli successit, neque alius ei successit in amplissima dignitate sempiterni sacerdotii: et ipse vere, ac proprie non habet patrem ut homo, neque matrem ut Deus: idem Christus rex est, et sacerdos et obtulit panem, et vinum in coena, idest, corpus suum sub specie panis, et sanguinem suum in specie vini, et non est sacerdos hebraeorum tantum, sed hebraeorum, et gentium, neque illigatur sacerdotium ejus uni templo, vel tabernaculo; sed ut praedixit Malachias cap. 1. *a solis ortu usque ad occasum in omni loco sacrificatur, et offertur oblatio mundo*. Ex his locis satis aperte convincitur haeresis Lutheranorum, qui negant sacrificium verum proprieque dictum extare in ecclesia Dei, vel ostendant Lutherani, si possunt, quo modo praedictio sit adimpleta de sacerdotio secundum ordinem Melchisedech instituendo, et numquam mutando.

6. *Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae Reges.*

Sanctus Joannes Chrysostomus, quem graeci sequuntur, per Dominum, hoc loco intelligit patrem, s. Augustinus intelligit filium, s. Hieronymus dicit quidem Dominum hoc loco nominatum esse patrem, tamen statim addit, illum, qui *confregit reges, judicabit in nationibus, implebit ruinas, et bibet de torrente*, esse filium. Videtur autem nobis sententia s. Augustini esse aptior, et facilior, non enim debet rationem reddere, quo modo Pater sit a dextris filii, cum paulo ante dictum sit; filium sedere a dextris patris, neque quomodo pater de torrente biberit, et caput exaltaverit. Denique melius continuatur contextus verborum prophetae, si expositionem s. Augustini sequamur. Igitur propheta posteaquam dixerat, filium a patre sacerdotem aeternum appellatum fuisse, convertit sermonem ad patrem, ac dicit Christum vere fore sacerdotem aeternum, quoniam etiamsi multi reges terrae conspirabunt, ut sacerdotium, totamque ejus religionem evertant; ipse tamen sedens a dextris patris confringet reges adversarios, et illis omnibus invitis sacerdotium, et sacra sua perpetuabit. *Dominus a dextris tuis*, id est, Christus a dextris tuis sedens, sicut illi dixisti, *sede a dextris meis, confregit in die irae suae reges*, idest, in die qua irascetur inimicis suis, regibus terrae, ecclesiam suam persequentibus, confringet eos, et jam in praenotione mea confregit; jam enim praevideo per spiritum prophetae Herodem ab Angelo percussum, Neronem destitutum sibi manus injecisse, Domitianum, Maximianum, Decium, et caeteros interfectos; Valerianum captivum in manus barbarorum devenisse; Diocletianum, et Maximianum prae desperatione imperium deposuisse; Julianum, Valentem, Hunericum, et omnes denique inimicos reges misere periisse, atque in gehennam detrusos meritas poenas dare.

7. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.*

Dixit, quid faciet Christus in praesente tempore adversus hostes suos, reges et principes terrae: nunc addit, quid faciet in die novissimo adversus omnes inimicos suos. *Judicabit*, inquit, *in nationibus*, idest, iis, qui hoc tempore confregit impetum regum, conservavit ecclesiam suam tempore persecutionum; postea in fine saeculi *judicabit omnes nationes*, sive judicium exercebit in nationibus; et condemnatis omnibus impiis, *implebit ruinas*, idest, consummabit ultimum exterminium complementum ruinae impiorum perficiet. Ex hebraeo s. Hieronymus legit, *implebit foveas*, quod etiam est verum, quia tunc implebuntur foveae inferorum, omnibus malis hominibus, et daemonibus eo detrusis: et hoc modo *conquassabit capita in terra multorum*, idest, humiliabit, et conteret omnes superbos, qui nunc erecto capite adversus eum incedunt: tunc enim conculcabit superbiam eorum, cum coram toto mundo ostendet infirmitatem eorum, et contemptibiles, atque confusos efficiet, et hoc erit conquassare, et conterere capita eorum. Dicit autem, *in terra multorum*, quia in terra paucissimi inveniuntur veri humiles, et pii, respectu superborum, et impiorum, qui prope infiniti sunt. In hebraeo habetur, *in terra multa*, idest, in magna parte terrae; sed idem est sensus, sive quis dicat, superbos multos inveniri in terra; sive, superbos occupare multum terrae. S. Augustinus, exponit haec omnia de praesenti tempore, et in bonam partem, ut implere ruinas, sit instaurare quod cecidit; et conquassare capita, sit humiliare ad salutem per contritionem, quae pia est, et utilis expositio, sed mystica: nam ad litteram exponunt de ultimo judicio Theodoretus, Euthymius et alii communiter.

8. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Hunc ultimum versiculum exponunt magno consensu omnes veteres de Christi humilitate in carne mortali, et exaltatione in gloria coelesti, tum illi, qui verba superiora exponunt de ipso Christo, tum qui exponunt de patre. Quare mirum est aliquos recentiores aliter sensisse. Reddit igitur David rationem cur tanta sit Christi potentia, ut reges confringere, rationes judicare, implere ruinas, et conquassare capita possit, et dicit, *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*, ac si diceret cum apostolo, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Torrentem appellat cursum rerum humanarum: quo modo enim torrens magno impetu, et sonitu fluit, et turbidus, ac turbatus incedit, et paulo post cessat, et ne vestigium quidem sui relinquit: sic sunt res humanae tempore hujus mortalitatis: transeunt enim omnia, et ut plurimum turbida, et turbata: audiuntur saepe maxima praelia, et turbationes gentium, et populorum, ut tempore Alexandri magni, et postea Caesaris, et aliorum similium. Sed paulo post finem accipiunt tum ipsi, tum posteri eorum, et vix inveniuntur vestigia potentiae ipsorum. Ad hunc torrentem descendit filius Dei per incarnationem suam, *et in via*, idest, in spatio vitae suae mortalis, et transeuntis, *bibit aquam* turbidam hujus *torrentis*, pertulit aerumnas nostrae mortalitatis; imo etiam in profundum torrentis descendit per passionem, ita ut non biberit aquam ad refrigerium, et delectationem, sed biberit molestissimam aquam, ut illi faciunt, qui demerguntur in aquis, juxta illud ps. 68. *Intraverunt aquae usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia: veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me*. Merito igitur hujus tantae humiliationis sponte susceptae pro gloria patris, et salute generis humani, *exaltavit postea caput* suum ascendens in coelum, et sedens addexteram patris, constitutus Judex vivorum, et mortuorum. Aliqui legunt in praeterito, *bibit*: sed textus hebraicus, et graecus habent in futuro, *bibet*: proinde nostra communis lectio cum textibus originalibus concordat.

PSALMUS CX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus, ut etiam multi sequentes, nihil habet in titulo, nisi Alleluja, quod significat, laudate Dominum: ex quo intelligimus, argumentum psalmi esse laudationem Dei. Notat s. Hieron. hunc esse primum psalmum perfecte alphabeticum: nam psalmus 24. 32. 33. et 35. alphabetici sunt, sed non perfecte, quia in eis aliqua litera deest, et ejus loco altera ponitur. Psalmus etiam trigesimus octavus alphabeticus est, sed non ita perfecte, ut hic qui nunc est in manibus: nam in illo sub una litera modo ponitur unus versiculus, modo duo, modo tres: in hoc autem psalmo tot sunt parvi versiculi, quot sunt literae alphabeti. Itaque psalmus continet viginti duos versiculos, quales sunt apud latinos versiculi jambici, et apud Italos versiculi septem syllabarum. Sed septuaginta Interpretes magis ad versiculi sententias, et ad similitudinem aliorum psalmorum, quam ad literas respicientes, partiti sunt psalmum in decem versus.

http://www.obrascatolicas.com

EXPLICATIO PSALMI CX.

Aleph. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*
Beth. *In consilio justorum et congregatione.*

David sanctus incipit hymnum ab invocatione,et simul explicat modum quo utiliter laudari debet Deus. *Confitebor tibi Domine*, idest, laudabo, sive confessionem laudis offeram tibi. *In toto corde meo*; haec est conditio bonae laudationis, ut non fiat solum voce, sed etiam corde: et non solum corde, sed toto corde, id est, toto affectu, nihil magis vel aeque diligendo,et laudando. Est etiam, *toto corde*, summa attentione, nihil aliud cogitando: indignum est enim versantem in laude omnipotentis Dei, quem Cherubim, et Seraphim cum tremore adorant, mentem ad inferiora deflectere. *In consilio justorum, et congregatione*, idest,laudabo te toto corde, tum inter paucos justos, tum in coetu multorum, et eorum promiscua multitudine:nam per consilium justorum videtur intelligendus locus secretus, ubi soli conveniunt sapientes ad consilium. Vox enim hebraica, סוד *sod, secretum* significat, sive *consilium*, quod secretum requirat. Vox autem, עדה *heda* , synagoga significat sive congregationem,ad quam totus populus venire solebat.

Ghimel. *Magna opera Domini.*
Daleth. *Exquisita in omnes voluntates ejus.*

Laudat primum ab operibus in commune, quod videlicet Deus laude dignus sit, quod omnia opera ejus magna sint, et quod sint ita perfecta, ut ad omnem usum Deo serviant. Magna laus, quod artifex non faciat alia opera magna, alia parva, alia pretiosa, alia vilia, sed quod omnia omnino, quae ab ejus ingenio, vel manu prodeunt, magna sint. Talia esse opera Dei certe cognoscet , qui cogitabit in omnibus,etiam si nobis prae multitudine viluerint, infinitam Dei potentiam,et sapientiam elucere, et nullum a nobis perfecte comprehendi.Vere enim scripsit Ecclesiastes, cap. 1. *Cunctae res difficiles,non valet homo eas explicare sermone*, et cap.8. *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem*.Neque solum magna sunt opera,sed *exquisita in omnes voluntates ejus*.idest,quaesita,et parata in omnem usum Deo placitum, ut Deus de illis faciat quicquid voluerit, juxta illud psal. 118. *Quoniam omnia serviunt tibi*: nam, ut s. Augustinus recte disputat, nihil est quod magis Dei voluntati repugnare videatur quam liberum arbitrium;quo fiunt peccata,quae Deus prohibet: et tamen de ipso libero arbitrio Deus faciat quod vult: vel enim reformat illud per gratiam, vel punit per justitiam; et nisi ipse permitteret, liberum arbitrium non peccaret. Praeclarissima laus, et soli Deo propria, facere opera quae in omnem usum quaeri, aptari et accomodari possint,de quibus Deus quicquid velit possit efficere.Vide commentarium sancti Joannis Chysostomi,qui haec omnia mira eloquentia tractat,descendens ad singula opera Dei. In hebraeo habetur in numero multitudinis, *exquisita in omnes voluntates eorum*: sed forlasse septuaginta aliter legerunt,vel certe ad insinuandam Trinitatatem divinarum personarum in una essentia divinitatis, positum est pronomen in numero multitudinis,cum nomine Domini, numeri singularis.

He. *Confessio, et magnificentia opus ejus.*
Vau. *Et justitia ejus manet in saeculum saeculi.*

Transit nunc Propheta ab opera creationis ad opus gubernationis, et ostendit hoc etiam opus omni laude esse dignissimum. *Confessio*, inquit, et *magnificentia opus ejus*, idest, operatio ejus, qua regit, et gubernat mundum a se creatum, est confessio, idest, materia confessionis laudis, et gratiarum actionis, et etiam materia magnificentiae suae omnibus declarandae. Simili modo loquitur Sapiens: cum ait, *gloria filiorum patres eorum*, Proverb. 17. *Et dedecus filii Pater sine honore*, Ecclesiastici 3. Hic enim accipitur *gloria*, vel dedecus pro materia gloriae, vel dedecoris. *Et justitia ejus manet in saeculum seculi*, idest, non solum Deus magnifice gubernando operatur, quia prospicit omnibus abundanter, sed etiam justissime, numquam magnificentia ejus justitia disjuncta inveniatur:semper enim Deus servat promissa, et nulli facit injuriam. Id quod videtur praecipue additum propter vulgarem illam querimoniam, cur Deus sinit impios exaltari, et pios aerumnis, et calamitatibus premi: Judicia enim Dei occulta esse possint, injusta esse non possunt. Quamtumvis igitur nobis aliter videatur; semper tamen opera Dei justa sunt, et omni laude digna.

Zain. *Memoriam fecit mirabilium suorum.*
Chet. *Misericors, et miserator Dominus.*

Descendit ad particulare quoddam opus providentiae divinae, quando videlicet pluit manna de coelo, quod fuit opus magnae misericordiae, non solum praesentibus, quos aluit in deserto, sed etiam posteris,quibus reliquit urnam manna plenam in memoriam miraculorum, quae patraverat in deserto. Sic enim habetur Exod. 16. et ad hebr. 9. Manna vero illud figura fuit sacramenti Eucharistiae, quod datum est populo Christiano in cibum spiritualem,et in memoriam mirabilium quae operatus est Christus in terris, quorum praestantissimum est gloriosa passio, quae mortem nostram moriendo destruxit, et de principe hujus mundi triumphavit.Ait igitur.*Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus*. Misericors,et miserator distingui videntur apud latinos, quod misericors ad habitum, miserator ad actum pertineat: sed hebraico textu differunt in eo,quod, חנון *channun* , significat simpliciter misericordem; רחום *rachun*, addit effectum paternum, ac tenerum, qualis est patris in filium. Itaque misericors, et miserator,hoc loco significant misericors, et paterne misericors.

Theth. *Escam dedit timentibus se.*
Jod. *Memor erit in saeculum testamenti sui.*

Haec esca est manna, *quod Deus pluit de coelo,et dedit timentibus se*,idest,cultoribus suis Hebraeis: quamvis enim plurimi in eo populo peccatores essent, tamen Deum verum colebant: nam timere Deum in scripturis colere significat. Et sicut Deus volebat ut populus memor esset mirabilium suorum,quae fecit quando eduxit populum de Aegypto, et per desertum in terram promissionis induxit: ita vicissim promittebat, se memorem futurum pacti sui , quod cum illis inierat : ideo addit, *memor erit in saeculum testamenti sui*, idest , ostendet continua providentia , et protectione se memorem esse foederis, et promissorum suorum.

Caph. *Virtutem operum suorum annunciabit populo suo.*
Lamed. *Ut det illis haereditatem gentium.*

Praecipuum caput foederis, quod cum Abraham pepigit Deus, fuit ut daret posteris ejus hebraeis terram Chananaeorum, quae ideo postea dicta est terra promissionis. Explicat igitur quomodo *memor erit testamenti sui*, dicens , *virtutem operum suorum annunciabit populo suo* , idest, memor pacti sui notam faciet populo suo virtutem hoc est potentiam, et fortitudinem operum suorum, convertendo Jordanem retrorsum,clangore tubarum evertendo muros Hierico, sistendo solem et lunam ad imperium Josue, lapides de coelo super hostes hebraeorum pluendo, et similia multa mirabilia operando. *Ut det illis haereditatem gentium*, idest, ut daret illis, fidelibus suis terram Palaestinae, quam gentiles Chananaei tamquam propriam haereditatem,et possessionem obtinebant.

Mem. *Opera manuum ejus veritas, et judicium.*
Nun. *Fidelia omnia mandata ejus.*
Samech. *Confirmata in saeculum saeculi.*
Hain. *Facta in veritate et aequitate.*

Ac ne quis injustitiam suspicaretur in eo, quod Deus terram Palaestinae abstulit Chananaeis,et donavit Judaeis: addit, *opera manuum ejus veritas, et judicium*, idest, omnia opera Domini, et in iis hoc particulare opus expulsionis Chananaeorum, et introductionis Judaeorum,facta sunt cum magna fidelitate, et justitia. Veritas enim hoc loco, ut etiam alibi passim fidelitatem significat servandi promissa. Quoniam igitur promiserat Deus Abrahae terram illam se daturum posteris ejus, hoc opus Dei factum est *in veritate* , et quoniam idem Deus non ante expulit Chananaeos, quam *impleta esset mensura peccatorum*, ob quae expelli mererentur; ideo hoc idem opus factum est *cum justitia*, quae hoc loco dicitur judicium,quod est justitiae actus.*Opera* ergo *manuum ejus veritas et judicium*, idest, fideliter et juste fiunt. Quod autem mererentur puniri Chananaei,et in poenam privari terra Palaestinae probat Propheta,quia non servaverunt praecepta Dei naturalia, quae sunt omnibus communia, et immutabilia, quia continent prima principia justitiae:nam Levit. 18.prohibet Deus incestum, adulterium, vitium contra naturam, idololatriam, et similia, et addit.*omnes execrationes istas fecerunt accolae terrae , qui fuerunt ante vos*,et polluerunt eam; cavete *ergo,ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis , sicut evomuit gentem, quae fuit ante vos*. Ait igitur, *fidelia omnia mandata ejus*. idest , omnia praecepta Dei praesertim naturalia fidelia sunt,quia neminem decipiunt, cum sint rectissima, et justissima , et per hoc poenam adferant praevaricatoribus , et praemia observatoribus. Nec solum fidelia sunt, sed etiam immutabilia, et indispensabilia, cum in nullo casu inveniri possint injusta; ideo addit, *confirmata in saeculum saeculi.facta in veritate,et aequitate*.idest,stabilita sunt aeterna firmitate,quia condita sunt *in veritate* , idest , in rectitudine , *et aequitate*, idest, justitia: nam ut diximus, et rectitudinem , et justitiam absolutam cotinent. Vide sanctum Thomam in 1. 2. quaest. 100. art. 8.

Tsade. *Redemptionem misit populo suo.*
Phe. *Mandavit in aeternum testamentum suum.*

Non desunt etiam ex veteribus,qui haec referant ad litteram ad liberationem populi de Aegypto;sed videtur omnino Propheta altiorem redemptionem intelligere,ut exponunt s. Augustin. et Euthymius: nam de Judaeis jam dixerat,datum illis fuisse manna de coelo, et haereditatem gentium; neque ulla erat ratio,cur reverteretur ad antiquiora.Igitur post decantata beneficia Dei erga patres testamenti veteris,transit ad beneficium longe excellentius testamenti novi,quo vera,atque aeterna redemptio continetur. *Redemptionem*, inquit, *misit populo suo*, quasi dicat,post haec misit redemptorem tam saepe promissum, et tamdiu expectatum, de quo prophetavit etiam Zacharias, cum ait Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae*. Redemit autem Christus populum suum de captivitate,et servitute peccati, et potestate tenebrarum pretio sanguinis sui. Et hoc modo vere, et proprie , *mandavit in aeternum testamentum suum*, idest , jussit (hoc enim significat vox hebraea , צוה *tzivvah*) et statuit, ut testamentum , sive pactum esset aeternum de vera et aeterna salute , et possessione coelestis patriae, nam testamentum vetus , quo promittebatur terra Palaestinae,non fuisse aeternum experientia docet. Quare et Hieremias cap. 31. ait,*ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum.non secundum pactum.quod pepigi cum patribus eorum, ut educerem eos de Aegypto. pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum , dicit Dominus: sed hoc erit pactum , quod feriam cum domo Israel post illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum. et in corde eorum scribam eam , et ero eis in Deum , et ipsi erunt mihi in populum.*

Coph. *Sanctum et terribile nomen ejus.*
Res. *Initium sapientiae timor Domini.*

Docet consequenter modum permanendi in testamento Domini , ut assequamur promissiones e-

http://www.obrascatolicas.com

jus, ac dicit, *Sanctum et terribile nomen ejus*, id est, is, qui mandavit in aeternum testamentum suum, sanctus, et terribilis est, et ideo odit pollutionem, et immunditiam peccati, quia sanctus est, et dicit, Levit. 11. *Sancti estote quia sanctus sum Dominus Deus vester*: et simul punit pollutos, et immundos, quia terribilis est, et *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, Heb. 10. et propterea *initium sapientiae timor Domini*, idest, illi vere incipiunt sapere, qui timent Dominum, et ex timore illo cavent a peccatis, observant legem, operantur bona, ut paulatim ex timore ad amorem perveniant, et incipiant odisse malum non timore poenae, sed amore justitiae. Potest etiam hic locus intelligi de timore sancto, quo timemus offensionem Dei, quia diligimus Deum, qui timor dicitur initium sapientiae, quia pertinet ad primam, et magis necessariam partem sapientiae. Sapientia enim perfecta duo requirit, et cognitionem, et amorem Dei; sed in hac vita priores partes tribuuntur amori, sive timori sancto filiali. Unde Ecclesiasticus cap. 1. ubi dicit, *Initium sapientiae timor Domini*, addit, *plenitudo sapientiae est timere Deum*: ut intelligamus timorem Domini sanctum dici initium, quia est quasi caput, idest, pars prima, et potissima, ut dici possit etiam tota sapientia.

Scin. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*
Tau. *Laudatio ejus manet in saeculum saeculi.*

Declarat quod dixit, initium sapientiae esse timorem Domini. Est enim, ac si dicat, *intelligentia quidem*, quae pars est sapientiae, *bona est*, sed facientibus eam, idest, ex timore sancto facientibus, quod scientia docet esse faciendum: alioqui intelligentia sine timore, inutilis, vel perniciosa est: *nam scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi*, Jacobi 4. Nomine intellectus, significatur hoc loco ipsa intelligentia, sive scientia, aut doctrina, ut voces hebraica, שכל *sechel*, et graeca συνεσις clarius sonant: pronomen, *eum*, cum dicitur, *facientibus eum*, refertur ad intellectum, ut referunt Chrysostomus, et Augustinus: in hebraeo habetur, *facientibus ea*, nimirum quae intelliguntur esse facienda. Itaque sensus in idem recidit. Quod autem sequitur, *laudatio ejus manet in saeculum saeculi*, aliqui referunt ad Deum, ut sensus sit, Laudatio ejus, cujus nomen est sanctum et terribile, semper manebit: ita s. Chrysostomus. Sed videtur melius continuare textum expositio s. Augustini, qui hunc versiculum refert ad alium, qui timet Dominum, et qui facit quod intelligit esse faciendum: illius enim praemium erit, ut inhabitet in domo domini omnibus diebus vitae suae, et sit unus ex illis qui laudabunt Deum in saeculum saeculi. *Quare laudatio ejus*, est laudatio, quia ipse homo timens Deum, perpetuo laudabit Dominum. Potest etiam satis commode intelligi versiculus de laude, qua ipse timens Deum, et faciens quod intelligit esse faciendum, laudabitur a Deo ut servus bonus, et fidelis, et consequenter laudabitur ab angelis, et aliis sanctis, et ejusmodi laus erit aeterna, quia ut dicitur in psal. 111. *In memoria aeterna erit justus, ab auditione mala non timebit.*

PSALMUS CXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja reversionis Aggaei, et Zachariae.

Hic psalmus recte conjungitur superiori, quia laudat virum justum, ut ille laudabat Deum, et est alphabeticus, continens viginti duos versiculos incipientes a literis alphabeti ordine positis. Eumdem quoque habet titulum, *alleluja*, apud hebraeos et graecos: sed apud latinos, teste Augustino, adduntur haec verba: *alleluja, reversionis Aggaei, et Zachariae*. Videtur enim David in spiritu praevidisse, Aggaeum, et Zachariam post expletum tempus captivitatis, rediisse ad populum eumque admonuisse, quanta sit foelicitas viri justi, et timentis Deum, ut hoc exemplo exortaretur alios ad probitatem, ut non incidant in similem captivitatem.

EXPLICATIO PSALMI CXI.

Aleph. *Beatus vir qui timet Dominum:*
Beth. *In mandatis ejus volet nimis.*

Haec est propositio, quam per totum psalmum variis argumentis probat, ut suadeat omnibus pietatem. *Beatus*, inquit, *est quicumque timet Dominum*. Sed quia non quicumque timor facit beatum, addit declarans, *in mandatis ejus volet nimis*. Ubi repetendum est, *qui*, ut hic sit sensus, beatus est vir ille, qui timet Dominum, qui ex eo timore in mandatis ejus libentissime implendis versabitur: nam in mandatis velle nimis, nihil est aliud, nisi

mandata valde diligere, et ad mandata multum esse affectum, sive in adimplendis mandatis magnam habere voluntatem. In summa ille dicitur foelix, qui et interius timet Deum timore sancto, et exterius promptus est ad implenda mandata, ac per hoc justus, et pius est.

Ghimel. *Potens in terra erit semen ejus.*
Daleth. *Generatio rectorum benedicetur.*

Haec est prima foelicitas hominis timentis Deum, quod multam prolem consequetur. *Potens*, inquit, *in terra erit semen ejus*, idest, robusta erit ejus posteritas ob multitudinem filiorum: et rationem reddit, cum addit, *generatio rectorum benedicetur*, quia videlicet generatio justorum ex divina benedictione foecundissima erit. Benedictio enim in testamento veteri, ut plurimum ad foecunditatem pertinet. Haec prima foelicitas non erat in viris justis perpetua, sed frequens. Scimus enim Abrahamum longo tempore in matrimonio sine liberis vixisse, ut etiam filium ejus Isaac, et postea non paucos alios. Sed si exponatur psalmus de fructu bonorum operum, ex semine gratiae coelestis prodeunte; foelicitas erit omnino perpetua: nemo enim est vere pius, et justus, qui non assidue serat opera bona, ex quibus magnam omnino messem tempore suo collectus sit.

He. *Gloria et divitiae in domo ejus.*
Vau. *Et justitia ejus manet in saeculum saeculi.*

Secunda foelicitas est honorum, et opum abundantia, quae tamen non inducant ad peccatum, neque justitiam corrumpant, saepe enim accidit, ut honores et divitiae superbiam gignant, vel carnalibus voluptatibus deserviant, et tum non foelicitati, sed calamitati potius deputandae sunt. Ait igitur, *gloria et divitiae in domo ejus*, idest, non solum multitudine filiorum, sed etiam honoribus, et divitiis abundabit justus, et tamen (quod est omnium foelicissimum) non corrumpetur animus ejus istis fortunae bonis, sed *justitia*, et probitas ejus *perseverabit usque in finem*. Haec etiam foelicitas non est perpetua, si agatur de gloria, et divitiis temporalibus: sed de gloria interna, de bonae conscientiae testimonio, et de divitiis fidei, ac de illo quaestu magno intelligatur, de quo apostolus. 1. Timoth. 6. *Quaestus magnus est pietas cum sufficientia*, idest, pietas sine sollicitudine temporalium, ita ut animus sit contentus iis, quae habet, perpetua foelicitas erit: nam, ut ille dixit, animus dives debet esse, non arca: tunc autem animus dives est, quando alimentis, et tegumentis contentus, nihil optat amplius, sed sibi ipse sufficit, quod apostolus dixit *pietas cum sufficientia*, et graece significantius αυταρκεια, quod declaravit idem apostolus Philip. 4. cum ait, *didici in quibus sum sufficiens esse: scio et abundare, et penuriam pati.*

Zain. *Exortum est in tenebris lumen rectis.*
Cheth. *Misericors, et miserator, et justus.*

Tertia foelicitas timentium Deum, est lumen prudentiae, et divinitus affulgens in tenebris dubitationum, quae passim occurrunt in rebus gerendis, item in discernendis fraudibus falsorum fratrum; denique lumen consolationis in omnibus calamitatibus, et aerumnis hujus vitae. *Exortum est in tenebris lumen rectis*, idest, affulsit rectis hominibus, quales sunt timentes Deum, lumen consilii, et consolationis in tenebris dubitationum, et tribulationum, quod lumen est ipse Deus *misericors, et miserator et justus*, qui misericordiam facit viris misericordibus, quia justum est, ut misericordes misericordiam consequantur.

Theth. *Jucundus homo, qui miseretur, et commodat.*
Jod. *Disponet sermones suos in judicio.*
Caph. *Quia in aeternum non commovebitur.*

Quarta foelicitas est laetitia spiritualis, quae residet in corde timentium Deum. Qui enim Deum timent, facile indulgent offensiones miserando fragilitates humanas, facile etiam commodant egentibus, et sic implent Dominicum praeceptum, Luc. 6. *Dimittite, et dimittemini; date, et dabitur vobis.* Haec autem bona opera maximam laetitiam pariunt; sicut et contrario, qui retinent offensiones, vel negant proximo beneficium, semper amaro sunt animo, tum quia conscientia pungit, tum quia cogitant se odio haberi. Illud, *miseretur*, a nunnullis refertur ad eleemosynas, quae dantur egentibus, sed quia de eleemosyna paulo post fit specialis mentio, cum dicitur, *dispersit dedit pauperibus*, ideo maluimus cum s. August. referre ad indulgentiam offensionum, quod est genus eleemosynae spiritualis. Quinta foelicitas est prudentia in loquendo, propter quam evitantur incommoda maxima, inimicitiae, rixae, detractiones, et similia. Qui enim timet Deum *disponet sermones suos in judicio*, idest, dispensabit verba sua cum maturitate judicii, ut neminem laedat, et inde plurima bona lucrabitur. Alii per sermones, intelligunt rationes, et negotia. Sed quamvis vox hebraea, et graeca id patiantur, tamen vox latina non patitur, et versimile est, Prophetam varia bona timentium Deum enumerare, non eadem saepius repetere. De prudentia in negotiis supra jam dixerat; de prudentia in loquendo nihil hactenus dixit. Reddit autem rationem, cur disponet sermones suos in judicio, cum addit, *quia in aeternum non commovebitur*, id est, quia vir est constans in propositis suis, et stabilis, et providet prudenter omnia, ut quicquid accidat, eum commovere non possit.

Lamed. *In memoria aeterna erit justus.*
Mem. *Ab auditione mala non timebit.*

Sexta foelicitas timentis Deum est, quod vivet semper in hominum memoria, et vivet non per memoriam insignis alicujus flagitii, quomodo vivunt Judas, et Cain, Herodes, et Pilatus, Annas, et Caiphas, sed vivet per memoriam gloriosam: nam laudes ejus enarrabit omnis ecclesia sanctorum; neque solum *In memoria aeterna* erit apud moriales, sed etiam nomen ejus scriptum erit in libro

http://www.obrascatolicas.com

vitae quod numquam delebitur,et eo modo vere ac proprie in memoria aeterna erit apud angelos in coelo:*et ab auditione mala non timebit*,idest,non timebit a detractionibus, et reprehensionibus hominum impiorum:neque etiam timebit a sententia illa formidolosa Judicis aeterni, videlicet. *Ite maledicti in ignem aeternum* etc. Matth. 25.

Num. *Paratum cor ejus sperare in Domino.*
Samech. *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur.*
Hain. *Donec despiciat inimicos suos.*

Septima foelicitas timentis Deum est, firma, atque stabilis divina protectio, qua fretus nihil unquam malorum timebit.*Paratum cor ejus sperare in Domino*, idest, in omni adversitate,sive periculo imminenti cor ejus paratum habet refugium ad Deum; quia semper est promptum,et paratum sperare in Domino, numquam obliviscitur adjutorium Dei, numquam diffidit,numquam haesitat. *Confirmatum est cor ejus* in hac fiducia,ut nullum ei sit periculum, ne ab illa forte deficiat. *Non commovebitur donec despiciat inimicos suos*,idest,numquam timebit, dum periculum ab inimicis durabit. Multum autem minus timebit, cum eos ut prostratos et devictos despiciet.In hebraeo pro,*non commovebitur*, habetur,*Non timebit*:sed idem est sensus: pro *despiciat*, habetur, *videat*, ex quo sequitur, ut despicere hoc loco non sit proprie contemnere, sed videre ex altiore loco, ut sit despicere, quasi deorsum inspicere, juxta illud Virgilii, *despiciens mare velivolum*.Sed quia respicere inimicos ex alto, contingit illis, qui vident inimicos dejectos, et prostratos, ac per hoc illos contemnunt; recte potest exponi, *Donec despiciat*, idest, donec contemnat , ut jam devictos, et proflicatos: quamvis vox illa immediate non contemnere, sed inspicere significet,si cum voce hebraica convenire debeat. Et quoniam durante hac vita mortali numquam cessabunt pericula ab hostibus pietatis, nec videbimus eos omnino prostratos, nisi cum in coelesti sede positi,longissime abjectos despiciemus; ideo illud,*donec*,tamdiu durabit quamdiu praesens vitae durabit.

Phe. *Dispersit, dedit pauperibus.*
Tsade. *Justitia ejus manet in saculum saeculi.*
Coph. *Cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Octava foelicitas est, gratia bene utendi divitiis: nam ex domo Dei habent amici Dei,ut intelligant, quanta sapientia sit per eleemosynas transferre thesauros suos in coelum, Matth. 6. *ubi nec tinea demolitur , nec fures effodiunt , nec furantur.Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus*, idest,iste homo timens Deum,opes suas non abscondit,neque augere studuit, sed sparsit in pauperes, id est, abundanter effudit, sed ea prudentia,ut dederit potius multis parum, quam multum, ut multis providerет necessaria,nullis daret superflua.Simile est, quod habetur Isai. 58. *Frange esurienti panem tuum*, et 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* Nec tamen negamus, quin aliquando melius sit multum uni dare, quam multis parum;ut cum virgo pauper tradenda est viro, vel ecclesia exaedificanda,vel captivus redimendus. Vide s. Thom. in 2. 2. quaest. 32. art. 10. et s. Gregorius de cura pastorali par.3. admonit. 21. Ex hac liberalitate duo bona lucratus est: unde vere beatus dici potest: primum, si pecunias diminuit, justitiam auxit, *et justitia ejus*,idest,bonum opus ejus *manet in saeculum saeculi*, conservandum apud Deum,ut suo tempore mercedem plenam accipiat: nam *qui miseretur pauperis,foeneratur Deo*, inquit Sapiens Proverb. 19. Deinde. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*,idest,non solum mercedem habebit in vita futura, sed etiam in hoc saeculo potentia,et gloria augebitur:cornu in scripturis potentiam et robur significat. Dicitur autem exaltari cornu alicujus, quando ille fit potentior,et fortior. *Exaltari autem cornu in gloria est*, hominem fieri non solum potentem,sed etiam gloriosum, quales sunt viri celebres, et honorati,quibus alii deferunt et cedunt.Significat igitur hic versiculus per eleemosynas non fieri homines tenuiores, et despectos,sed augeri divitiis, potentia,et gloria, cujus rei multa sunt exempla in divinis litteris, praesertim in libro Job, et in libro Tobiae: et non pauca legi possunt in vitis sanctorum,ac praecipue in vita sancti Joannis Eleemosynarii, et in Prato spirituali Sophronii.

Res. *Peccator videbit et irascetur.*
Scin. *Dentibus suis fremet, et tabescet.*
Tau. *Desiderium peccatorum peribit.*

Postrema foelicitas est , quod timens Deum omnem invidiam superabit. *Peccator videbit*,idest, considerabit bona opera timentis Deum,et ejus foelicitatem, et invidia torquebitur, *et irascetur* sorti ejus.Et instar rabidi canis *fremet adversus illum*, et prae dolore tabescet:sed interim *desiderium impii*, quo cupit perditionem justi, non adimplebitur; sed una cum ipso impio brevi *peribit*. Ergo beatus, et foelix est qui timet Dominum; miser et infoelix, qui non timet.

PSALMUS CXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David.

Hic psalmus brevis, et facilis hortatur cultores Dei ad ipsum Deum laudandum ob id potissimum, quod cum sit Altissimus tamen non dedignatur ad nos oculos inclinare, et multis nos beneficiis afficere.

EXPLICATIO PSALMI CXII.

1. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.*

Nomine puerorum intelliguntur servi Dei , qui eum pure colunt:quamvis enim vox graeca παιδεσ, et latina, *pueri*, sint communes ad servos, et ad parvulos significandos: tamen vox hebraica, עבדי *habde* nihil significat,nisi servum; et clarius etiam id apparet ex eo quod in hebraeo vox. *Domini*,est in casu gignendi, *laudate servi Dominum,laudate nomen Domini*.Magna tamen est affinitas servis cum parvulis,ut non immerito servi dicantur pueri et pueri servi;quoniam servi sinere debent se regi a Dominis, quo modo parvuli reguntur a majoribus; unde etiam b. Paulus ait ad Gal. 4. *Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo*. Admonemur igitur voce *puerorum*, servos Dei simplices, et puros esse debere,ad nutum Domini sine tergiversatione procedere.*Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*, idest, o vos omnes, qui servi estis Dei,in hoc praecipue illi servite,ut pura mente cogitetis magnitudinem Domini vestri,et toto cordis effectu laudetis nomen ejus, potentiam videlicet, et gloriam ejus infinitam. Similis exhortatio habetur in psalmo 133.*Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini*, et in psalmo 134.*Laudate nomen Domini,laudate servi Dominum.*

2. *Sit nomen Domini benedictum,ex hoc nunc,et usque in saeculum.*

Declarat modum, quo servi Dei laudare debent nomen Domini, ac dicit, affectu saltem, et desiderio laudandum esse,quandoquidem re ipsa nos humi repentes laudare, ut oportet nescimus. Dicite ergo, ait, intimo cordis affectu, *sit nomen Domini benedictum et nunc* a praesentibus, *et usque in aeternum* a futuris, ut ab ejus laudibus numquam cessetur, vel potius,*ex hoc nunc*,incipite laudare, *et usque in saeculum* laudate, idest, semper laudate, sive prospera, sive adversa contingant, sive in hac vita, sive in futura, semper laus ejus sit in ore vestro,et cum sancto Job semper dicite,*sit nomen Domini benedictum.*

3.*A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

Declarat hoc versu,et sequentibus materiam laudis Dei , ac dicit ubique inveniri materiam laudis Dei, cum omnia sint plena operibus ejus magnis, et mirabilibus, quae diligenter considerata laudabilem reddunt artificem.*A solis ortu usque ad occasum*,idest,per totam mundi amplitudinem a principio usque ad finem, *laudabile* est *nomen Domini*, propter opera ejus, quibus ab omni parte plenus est Mundus.

4.*Excelsus super omnes gentes Dominus,et super coelos gloria ejus.*

Nec solum per amplitudinem mundi, sed etiam per altitudinem ubique invenitur materia laudis Dei: nam etiamsi multi sint in terra magni principes et potentissimi reges;tamen super omnes longe eminet Deus:neque solum *super omnes gentes terrae*,sed etiam super omnes angelos coeli excelsus est Deus,et gloria ejus coelos omnes,et qui habitant in eo, transcendit. Sanctus Joannes Chrysostomus in his duobus versiculis vult contineri praedictionem ecclesiae Christianae:per quam sanctum est,*ut nomen Domini*,quod in sola fere Judaea notum erat, nunc *a solis ortu ad occasum* laudetur, et omnes gentes illi subjiciantur, et eo modo sit *excelsus Dominus super omnes gentes.*

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,et humilia respicit in coelo,et in terra?*

Laudat nunc Deum ab admirabili benignitate , quae cunjuncta cum tanta sublimitate mirabilior apparet. *Quis*, inquit, *est sicut Deus noster, qui*

http://www.obrascatolicas.com

in altis habitat, videlicet in summo coelo, *et tamen humilia respicit*, homines videlicet, qui jacent in terra. Nam sic explicandus videtur ad litteram hic versiculus juxta distinctionem hebraicam, et modum loquendi scripturae, ut illud, *in coelo*, referatur ad illa verba, *in altis habitat*, et illud, *in terra*, referatur ad illa, *humilia respicit*: praesertim cum in hebraeo sint duo participia contraria *Quis sicut Dominus Deus noster exaltans se ad sedendum, et humilians se ad respiciendum, in coelo, et in terra*, idest, ad sedendum in coelo, et ad respiciendum in terra. Similis est sententia illa in primo capite canticorum, *nigra sum, sed formosa, filiae Sion, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*: ubi, *sicut tabernacula Cedar*, conjungitur cum, *nigra sum*: et, *sicut pelles Salomonis*, conjungitur cum, *sed formosa*. Significatur autem hac phrasi, Deum per excellentiam naturae omnia sub se habere; et tamen per clementiam rebus omnibus quamvis humillimis adesse, ac praecipue hominibus mitibus, et corde humilibus se inclinare. Quod si non placeat haec distinctio, potest etiam recte exponi, quod Deus quamvis naturae sit excellentissimae, et sublimissimae, tamen a superbis, et tumidis oculis avertere; ad humiles, et mites libenter aspicere soleat; idque tam in coelo, quam in terra: nam et in coelo superbos angelos detestatus, humiles respexit, et ad gloriae suae participationem evexit: et in terra superbis Pharaonibus, Saulibus, aliisque similibus contemptis, ad Mosem, Davidem, aliosque mites, et humiles respexit. Sed altiore, et prophetico sensu significatur his verbis, Deum in coelo sedentem non neglexisse genus humanum in terra humiliter abjectum.

6. *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.*
7. *Ut collocet eum cum principibus, cum Principibus populi sui.*

Declarat cur Deus respiciat humiles, ac dicit, id eum facere, ut eos exaltet. Quamvis autem haec applicari possint singulis hominibus, quos ex infimo gradu Deus evexit ad summum, quales fuerunt Joseph Patriarcha, Moses, David, et similes: tamen aptissime conveniunt hi duo versiculi humano generi, idest, toto gregi pusillo electorum, quibus Salvator ait, Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*: nam genus humanum jacebat in terra, et in stercore peccati originalis, et consequentium miseriarum: tamen Deus sedens in coelo respexit in terram, et inde suscitavit inopem, hominem videlicet spoliatum a latronibus, et relictum semivum, et jacentem in stercore miseriarum, ut collocaret eum *cum principibus*, non quibuscumque, sed, *cum principibus populi sui*, possessoribus coelestis Jerusalem, et participibus regni coelorum. Nam exaltatio a paupertate temporali ad opes regni temporalis, etiamsi nobis magna esse videatur; vere tamen exigua, ac pene nulla exaltatio est, cum opes Regni caducae sint, et ad dispensandum traditae, et cum obligatione reddendae rationis in die judicii, et conjunctae cum magna afflictione spiritus, et periculo aeternae salutis amittendae. At exaltatio a statu peccati, et mortis ad statum gloriae, et beatae immortalitatis, ad aequalitatem angelorum, ad consortium boni illius, quod ipsum Deum beatum facit; haec vera, et vere magna, et appetenda maxime exaltatio est.

8. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.*

Quemadmodum infoelicitas virorum est status humilis, et despectus: ita infoelicitas mulierum est sterilitas. Sed quo modo Deus respicit viros humiles ut de statu infimo erigat ad regnum; ita respicit humiles foeminas, ut de sterilitate perducat ad foecunditatem. Potest autem hoc totum referri ad singulas foeminas, ut Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, et similes. Sed altiore sensu pertinet ad ecclesiam ex gentibus congregatam, quae longo tempore mansit sterilis, sed in senectute peperit plurimos, juxta illud Apostoli ad Gal. 4. ex cap. 54. Isaiae, *laetare sterilis, quae non paris, erumpe, et clama quae non parturis; quia multi filii desertae magis, quam ejus, quae habet virum*. Quod autem ad verba attinet, cum dicitur, *qui habitare facit sterilem in domo*; per domum intelligitur familia: sive abundantia filiorum, ut sensus sit, Qui facit ut sterilis, quae manebat solitaria, jam habitet inter multas proles, in magna familia. Id quod explicatur per verba sequentia, *matrem filiorum laetantem*, id enim est, *habitare in domo*, esse matrem filiorum, ac per hoc esse laetantem, ob filiorum multitudinem, quae erat moesta ob sterilitatem, et solitudinem.

PSALMUS CXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Decantat in hoc psalmo David mirabilia opera Dei, dum educeret filios Israel de Aegypto in terram promissionis: idque ad eum finem, ut hortetur populum ad permanendum in confessione unius veri Dei, et sperandum continuo in ejus protectione.

EXPLICATIO PSALMI CXIII.

1. *In exitu Israel de Aegypto: domus Jacob de populo barbaro.*
2. *Facta est Judaea sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.*

Narrat initio psalmi quemadmodum populus Hebraeorum in egressu de Aegypto coepit habere formam populi peculiariter Deo subjecti, et a Deo singulari providentia gubernati, ac si Deus esset proprius eorum Rex. Nam antequam ingrederetur Aegyptum, erant una familia, non unus populus: dum autem manserunt in Aegypto, multiplicati sunt valde, sed admixti erant Aegyptiis, et regi Pharaoni serviebant: sed egressi de Aegypto formam propriae reip. habere coeperunt, Mose, tamquam Dei Vicario, et interprete, summum Magistratum apud eos gerente. Hoc igitur est quod dicit, cum ait, *in exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro*, ubi cum dicitur, *Domus Jacob*, repetendum est, *in exitu*, hoc modo, *in exitu Israel de Aegypto, in exitu*, inquam, *domus Jacob de populo barbaro*: quae pars secundi versiculi est explicatio primae; declarat enim per nomen, Israel, se non intellexisse hominem illum, qui proprio nomine dicebatur Israel, sed totam familiam Jacob, idest, totam illam gentem, quae a Jacobo Patriarcha, qui etiam Israel vocabatur, per carnalem generationem originem ducebat. Per populum barbarum intelligitur Aegyptus: significat autem vox hebraea, לעץ *lohets*, loquentem lingua ignota, et barbarus dicitur, cujus lingua non intelligitur, juxta illud Apostol. 1. Cor. 14. *Si nesciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus, et qui loquitur mihi barbarus*. Dicitur igitur *populus barbarus*, populus Aegypti, quia alia lingua utebatur ab ea, qua utebantur hebraei. *Facta est Judaea sanctificatio ejus*, hoc est, tunc primum, cum egressi sunt filii Israel de Aegypto, Deus sanctificavit, sive dedicavit sibi in populum peculiarem, populum Judaicum, *Israel potestas ejus*: idem repetit aliis verbis, id est, tunc assumpsit peculiarem potestatem, ac dominium super filios Israel. Quod attinet ad verba per *Judaeam*, intelligi debet hoc loco non terra quae dicitur Judaea, sed gens Judaica: nam in hebraeo est, *Judas*, sicut paulo post, *Israel*. Solet autem scriptura populum hebraeum, nunc vocare Judam de nomine principalis filii Israel, nunc Israel, de nomine patris: unde etiam vocantur Judaei, vel Israelitae. Per illud autem, *significatio*, et *potestas*, intelligitur quasi materia sanctificationis, et potestatis, ut sensus sit, Facta est gens Judaica, sive Israelitica, gens significata Deo, et peculiariter subjecta potestati ejus. Pronomen relativum, *ejus*, refertur ad Deum, sive Dominum, qui nominatus est in titulo, *alleluja, laudate Dominum*: quasi dicat, Laudate Dominum, quia cum egrederentur filii Israel de Aegypto, tunc factus est populus Israel populus sanctificatus ei, et subjectus peculiariter potestati ejus.

3. *Mare vidit, et fugit, Jordanis conversus est retrorsum.*
4. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.*

Narrat mirabilia, quae acciderunt in egressu filiorum Israel de Aegypto, et commoratione in deserto, et ingressu in terram promissionis, ut hinc ostendat, Deum hebraeorum esse verum Deum omnipotentem, quem jure ipsi colere, et timere debeant: ac primum narrat miraculum, quo mare jubente Deo divisum est, ut populus transiret: ut habetur Exod. 14. sed narrat poetica venustate tribuens ipsi mari sensum, quasi videns majestatem Domini, ex timore et reverentia se subduxerit. Conjungit deinde aliud miraculum circa Jordanem, quoniam ad idem elementum pertinet, quamvis multo posterius, idest, post annos quadraginta contigerit. Jordanis enim fluvius divisus quoque est tempore Josue: ut populus per siccum alveum transi-

http://www.obrascatolicas.com

ret, ut habetur Josue 4. Deinde commemorat miracula, quae acciderunt in terra, quando acceperunt legem, descendente Deo in montem Sinai: tunc enim terra mota est, in tremore concussa a majestate Domini, quasi trepidare, et saltitare videbatur. Quod enim legimus Exod. 19. *Erat totus mons terribilis*, significat montem tremore suo terrorem aliis incussisse, ut ex textu hebraico, et Graeco clarius colligitur. Postremo addit aliud miraculum de aquis in magna copia ex petra eductis, *qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum*, sed veniamus ad verba. *Mare vidit, et fugit*, idest, ita recessit de loco suo pars illa maris rubri, ac si a conspectu Domini territa fugisset. *Jordanis conversus est retrorsum*. In libro Josue legitur, *quod steterit flumen, et in altum instar montis excreverit*; sed ex interpretatione Davidis intelligimus, non solum in altum crevisse, sed etiam ex parte refluxisse, et refluxus iste confirmari potest ex eo, quod longissimo spatio temporis cessaverit fluere, donec videlicet totus populus commode transiret, qui multa centena millia hominem complectebatur. Itaque si solum in altum crevisset, et non etiam simul ex parte refluxisset, non solum ad instar montis, sed in altitudinem multo majorem excrevisset. Simul igitur refluebat, ut David canit, et simul erigebatur, et stabat ne flueret in partem illam, per quam Israelitae transibant. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*, idest, montes Sinai, partes videlicet majores illius montis, et colles, partes minores ejusdem montis contremiscere, et subsilire visae sunt instar arietum, vel agnorum repentino terrore saltantium et fugientium: quamvis enim vox, *exultare*, significare soleat gestire prae laetitia: tamen hoc loco videtur omnino referendum ad tremorem; tum quia eadem est causa mari ut fugiat, et monti ut saliat: fugere autem timoris est, non laetitiae: tum quia paulo infra dicitur, *a facie Domini mota est terra*: quae verba terrorem indicant, et hunc locum exponunt.

5. *Quod est tibi mare, quod fugisti? et tu Jordanis quia conversus es retrorsum?*
6. *Montes exultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium.*
7. *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.*
8. *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.*

More poetico interrogat mare, quare fugerit, et Jordanem quare conversus sit retrorsum, et montes et colles, quare tremuerint: et respondet, id fecisse praesentiam virtutis Dei, qui non solum hoc fecit, ut mare fugeret, et terra tremeret, sed etiam, quod est mirabilius, unum elementum in alterum transmutavit: convertit enim terream rupem stantem, atque durissimam in aquas mollissimas, et velocissime discurrentes. *Quid est*, inquit, *tibi mare, quod fugisti: et tu Jordanis*, quid habes, *quod conversus es retrorsum? et vos montes quare exultastis ut arietes, et vos colles, quasi agni ovium? A facie Domini mota est terra*. Haec nimirum est causa, quia Dominus apparuit, et vim suam, et potentiam manifestavit, et ideo terra conspectum ejus non sustinens, tota contremuit. *Qui* Dominus *convertit petram in stagna aquarum*, quando Mose percutiente petram Numer. 20. egressae sunt aquae largissimae; quod factum est, quia petra, jubente Domino, *conversa est in stagna aquarum*, quod repetitur, et declaratur, cum additur, *et rupem in fontes aquarum*. Significatur enim his verbis, non parvam aliquam, et mollem petram, sed rupem saxeam, duramque instar silicis conversam fuisse in fontem aquarum.

9. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Hic incipit secundum hebraeos alius psalmus, sed nos sequimur distinctionem antiquam Septuaginta seniorum; quam etiam sequitur s. Hieronymus in sua versione ex hebraeo: quod est argumentum, non in omnibus hebraicis codicibus dividi hunc psalmum in duos. Igitur explicatis mirabilibus Dei, quae facta sunt in exitu Israel de Aegypto, precatur Propheta Deum nomine totius populi, ut non respiciat demerita populi, sed gloriam suam, et pergat protegere cultores suos, *Non nobis*, inquit, *non nobis*, idest, non meritis nostris, quae nulla sunt, gloriam, sive laudem petimus, *sed nomini tuo da gloriam*, idest propter gloriam nominis tui protege nos, non propter merita nostra.

10. *Super misericordia tua, et veritate tua: nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum.*

Indicat brevissime tres rationes, cur Deus debeat nominis sui gloriam quaerere in conservando populo suo: prima est, quia ipse misericors est: secunda, quia verax est, et fidelis in promissione servanda: tertia, ne detur occasio gentibus blasphemandi, si cultores Dei destitutos videant. Ait igitur, *super misericordia tua et veritate tua*, nimirum funda gloriam tuam, sive da gloriam nomini tuo; inde enim gloria tua demonstrabitur, si ostendes misericordiam erga populum tuum; et rursum, si implebis veritatem promissorum tuorum, quae fecisti patribus nostris. *Ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum*, idest, ne detur occasio gentibus incredulis detrahendi de potentia, vel etiam de existentia tua.

11. *Deus autem noster in coelo, omnia quaecumque voluit fecit.*
12. *Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum.*
13. *Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt.*
14. *Aures habent, et non audient, nares habent, et non odorabunt.*
15. *Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.*

Propter id, quod dixerat, *ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum*; adjungit pulcherrimam antithesim Dei veri, et falsorum Deorum. Quasi dicat non est danda occasio gentibus blaspemandi: sed tamen si forte dixerint, *ubi est Deus eorum?* nos respondebimus, *Deum nostrum esse in coelo*, idque testari mirabilia ejus, quia fecit quidquid voluit, sed contra Dii eorum jacent in terra, et usque adeo nihil possunt facere, ut ne possint quidem exercere actiones membrorum, quae habere videntur: nam cum habeant figuram humanam, et videantur habere membra omnia, et sensus omnes; tamen nec vident, nec audiunt, nec olfacient, nec palpant, nec ambulant, nec loquuntur, ac ne vocem quidem ullam ex gutture emittunt, si non ut homines, saltem ut jumenta.

16. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.*

Haec praedictio est per modum imprecationis pronunciata, ut moris est Prophetarum. Vere enim qui faciunt idola; et qui confidunt in eis, similes illis fient in vita futura post resurrectionem: nam etiamsi habebunt sensus et membra, tamen sic habebunt, quasi non haberent; imo etiam cupient non habere; nihil enim videbunt, nihil audient, nihil olfacient, nihil palpabunt, nisi quod nollent: ligatis enim manibus, et pedibus, projecti in tenebras exteriores se commovere non poterunt. In hac etiam vita similes sunt idolis, quia videntur potius videre et audire, quam re vera videant, et audiant, cum non videant, neque audiant, quae ad salutem pertinent, et quae bona sunt, ut magis somniare, quam videre, vel audire dicendi sint, juxta illud Marci 8. *Oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis*. Quod si etiam placeat haec exponere per modum imprecationis, non poterunt pagani conqueri, quia non fit illis injuria, si eos fieri cupiamus similes Diis ipsorum. Monet autem sanctus Augustinus haec, quae supra dicta sunt, pertinere ad eos paganos, qui credunt ipsa idola esse Deos; quia vero nonnulli dicebant, non ipsa idola, sed numen in illis habitans esse colendum; ideo in alio psal. videlicet 95. dicit, *Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit*, et apud apostolum 1. Cor. 10. *Quae immolant gentes, daemonibus immolant, et non Deo*. Ex his autem colligimus, imagines sanctorum non esse idola, neque earum venerationem esse idololatriam: quoniam neque ipsas imagines Deos esse credimus, neque sanctos viros, quos repraesentant, pro Diis habemus.

17. *Domus Israel speravit in Domino, adjutor eorum, et protector eorum est.*
18. *Domus Aaron speravit in Domino, adiutor eorum, et protector eorum est.*
19. *Qui timent Dominum speraverunt in Domino, adjutor eorum, et protector eorum est.*

Quia dixerat, *similes illis fiant, qui confidunt in eis*; adjungit per antithesim, filios Israel confidisse in Domino, et ideo habuisse Deum protectorem: nominat autem primo domum Israelis, id est totam gentem hebraicam: deinde dominum Aaronis, idest, tribum sacerdotalem, quia sacerdotes cum levitis caeteris peculiaris portio Domini erant, et specialiter in Deo confidere debebant: addit postremo omnes timentes Deum, quoniam non deerant aliqui extra filios Israel, qui Deum colerent, et timerent, quamvis ii pauci essent: in iis numerari solent Job, et amici ejus, et postea Naaman Syrus, et alii.

20. *Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.*
21. *Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.*
22. *Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.*

Confirmat quod dixerat, Deum adjutorem, et protectorem esse sperantium in se. Ac se ipse constituit in numero confidentium in Deum, quippe qui praeter caeteros auxilium Dei, et protectionem expertus fuerat. Deinde eodem ordine confirmat Deum benedixisse domui Israel, domui Aaron, et omnibus timentibus Deum, sive magnis, sive parvis, quod intelligi potest de omni magnitudine, et parvitate, sive aetatis, sive potestatis, sive sapientiae, sive divitiarum. Memoria Dei significat hoc loco singularem providentiam erga cultores suos. *Memor*, inquit, *fuit nostri*, idest, singulari providentia demonstravit, se memorem esse nostri; *et benedixit nobis*, idest, benefecit nobis adjuvando, et protegendo. Explicat autem quid sit illud, *nobis*, cum addit *domui Israel, domui Aaron, et omnibus timentibus eum*.

23. *Adjiciat Dominus super vos, super vos, et super filios vestros.*
24. *Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum, et terram.*

Ex abundantia cordis os loquitur, ut ait d. Lucas cap. 6. quia pectus sancti prophetae ardebat desiderio gloriae Dei, et salutis proximorum; ideo multiplicat verba, nunc praedicendo, nunc exhortando, nunc bene praecando, ut hac ratione accendat homines ad Deum timendum timore sancto, et ad spem omnem in eo collocandam. Igitur conversus ad timentes Deum, quibus dixit, Deum benedixisse, ait, *adjiciat Dominus super vos*, nimirum benedictionem suam, idest, omnium bonorum copiam: nec solum, inquit, *super vos*, sed *etiam super filios vestros*. Et hoc modo sitis vox benedicti, plena, atque perfecta benedictione a Domino, *qui fecit coelum, et terram*, idest, ab eo, in cujus manu est ros coeli, et pinguedo terrae. Solebant enim sancti testamenti veteris precari suis a Domino rorem coeli, et pinguedinem terrae, quia omnes fructus terrae nascuntur ex foecunditate terrae, et ex pluvia coeli. Sed altiore sensu Deus benedicit de rore coeli, et de pinguedine terrae, quos bonis coelestibus, et terrenis cumulat, quod fecit erga Abrahamum, Isaacum, Josephum, Davidem, et similes.

http://www.obrascatolicas.com

25. *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*
26. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*
27. *Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Hi tres versiculi duplicem sensum habent: unum accomodatum hebraeis secundum vetus testamentum, alterum accomodatum Christianis secundum testamentum novum. Igitur priore sensu posteaquam dixerat, *benedicti vos a Domino, qui fecit coelum, et terram*; docet equum esse, ut ii, qui benedicti sunt a Domino, benedicant ipsi quoque Dominum, dum vivunt super terram, quam a Deo incolendam acceperunt, relinquentes angeli officium benedicendi in coelo, ubi est domicilium Dei, et ministrorum ejus, qui illi coram assistunt. *Coelum*, inquit, *coeli Domino*, idest, summum coelum, quod est super coelum aereum, Domino proprie dicatum est, et familiaribus ministris ejus angelis sanctis: *terram autem* cum elementis, quae illi conjuncta sunt, *dedit filiis hominum habitandam*; ac pro tam insigni parte mundi debent filii hominum Deo assidue gratias agere dum vivunt, et bonis terrae fruuntur. Nam *non mortui laudabunt te Domine*: mortui enim, cum sensibus corporis careant, neque fruantur amplius terrenis bonis, imo nec vivant secundum corpus; non laudant Dominum ore corporali, neque pro rebus terrenis gratias agunt. *Neque omnes, qui descendunt in infernum*, idest, non solum mortui, qui jacent in sepulchris non laudant Dominum, sed neque illi, *qui descendunt in infernum*, idest, spiritus mortuorum, qui descendunt in varias inferni regiones, Dominum benedicent pro terrenis bonis, quae ad illos jam non pertinent: *sed nos qui vivimus in terris*, et fruimur terrenis bonis, *benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum*, per generationes sibi invicem succedentes. At sensu Christianis accomodato secundum promissiones testamenti novi, dicendum est, per coelum coeli, intelligi supremam partem coeli, ubi est domus filiorum Dei, de qua dicit apostolus 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam aeternam in coelis*, vel cum sancto Augustino per coelum coeli, intelligere possumus mentes justorum angelorum, et hominum, in quibus Deus habitat per cognitionem, et amorem. Hanc domum sibi Deus elegit; *terram autem*, idest, mundum hunc visibilem dedit *filiis hominum*, prout distinguntur a filiis Dei: et ideo subjungitur, *non mortui laudabunt te Domine*, idest, qui mortui sunt morte peccati, etiamsi vivant vita naturae, non laudabunt te Domine, *neque omnes qui descendunt in infernum*, qui in morte peccati confirmati sunt, et ad poenas aeternas descenderunt: *sed nos qui vivimus* vita gratiae, qui per fidem, et charitatem tibi inhaeremus, et jam coelestis patriae cives sumus, quamvis interim ad tempus habitemus in terra, nos, inquam, *benedicimus tibi*, et benedicemus *usque in aeternum*. Vide Chrisostomum hanc expositionem eleganter persequentem.

PSALMUS CXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Psalmum hunc exponunt aliqui cum hebraeis de temporali aliqua pressura, vel morbo, a quo liberari cupiebat Propheta. Sed nos cum sanctis patribus Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, et Augustino, existimamus intelligendum psalmum esse de homine spirituali sitiente salutem aeternam, et gemente propter tentationes, et pericula.

EXPLICATIO PSALMI CXIV.

1. *Dilexi, quoniam axaudiet Dominus vocem orationis meae.*

Anima ardens desiderio Domini absolute dixit, *dilexi*, et non explicat, quem: quoniam existimat, omnes alios similiter amare rem undecumque amabilem, ac proinde scire quem dicere velit. Sic b. Maria Magdal. Joan. 20. interroganti, *quem quaeris?* respondit, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi*, et non declarat, quem quaerat, et quem sublatum doleat, quia putabat omnes amare quem ipsa amabat, et sollicitos de illo esse, de quo ipsa sollicita erat. Et vere cum omnia bonum appetant, ut dicitur initio Ethicorum, et in solo Deo sit omnis ratio boni, et absit ab eo omnis ratio mali, quod significavit b. Joannes cum ait in prima epistola cap. 1. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae*; deberent homines solum Deum absolute amare, et cum audiunt, *Dilexi*, intelligere deberent dilectionem summi boni significari. Sed tamen David ex ratione, quam reddit, satis indicat se de dilectione Dei esse loquutum: ait enim, *dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae*, id est, dilexi Dominum, quoniam benignus et misericors est, et ex naturali sua benignitate exaudiet vocem orationis meae. Magna causa diligendi, quod altissimus Dominus, et qui rerum nostrarum non indiget, tam facilis sit ad audiendas preces vilissimorum servorum, ut secure promittere nobis possimus audientiam, quod in psal. 85. clarius exprimitur, cum dicitur, *quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te*. Sensus igitur est, Dilexi Dominum, quoniam certus sum, quod exaudiet vocem orationis meae.

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.*

Declarat unde didicerit, Deum exauditurum preces suas dicens, inde scio, quia ipse praevenit me, ipse invitavit, dum *inclinavit ad me aures suas*: quorsum, enim inclinaret ad os meum aurem suam, nisi me audire paratus esset? Porro Deus inclinat aures ad nos, quod inspirat nobis orationem; neque enim nos oraremus, nisi Deus per gratiam praevenientem inspiraret desiderium orandi. Igitur David assuetus internis vocationibus, ex desiderio orandi sibi coelitus inspirato intellexit aurem Domini ad se inclinatam, et ideo etiam adjungit, *et in diebus meis invocabo*, idest, dum affulgent mihi dies gratiae Dei, et in hac luce video aurem Domini ad me inclinatam, non omittam occasionem, sed invocabo Dominum. Vocat enim dies suos, dies illos, quibus luce praevenientis gratiae fruebatur absente enim luce gratiae nox succedit diei, de qua dicitur, *veniet nox, in qua nemo potest operari*, Joan. 9. Sanctus Joannes Chrisostomus per illud, *in diebus meis*, intelligit omnibus diebus vitae meae. S. Augustinus per dies meos, intelligit dies hujus mortalitatis, qui nostri dies dicuntur, quia nos ipsi peccando nobis illos fecimus.

3. *Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me.*

Explicat nunc materiam suae orationis, quae sunt tentationes, et pericula salutis aeternae, quas solas tribulationes magni pendit anima vere Deum diligens: in psal. 17. similia verba exposuimus de periculis mortis corporalis. quoniam titulus psalmi ad id cogebat, sed hic psalmus, qui nihil habet in titulo, nisi *alleluja*, ad sublimiorem intelligentiam nos invitat. Ait igitur, *circumdederunt me dolores mortis*, idest, undique tentationes mortiferae me circumstant, ut compellar clamare cum apostolo ad rom. 7. *Quis me liberavit de corpore mortis hujus?* In hebraeo est vox ambigua, quae et funes sive laqueos, et dolores significare potest, et vere tentationes mortiferae funes sunt, sive laquei mortis, etiam dolores mortis, quia ex illis viri pii dolorem concipiunt, qualis est in illis, qui mortem sibi vident imminere; declarat paulo apertius, cum addit, *pericula inferni invenerunt me*: nam ex hoc periculo omnium periculorum maximo concipiunt dolores mortis, qui in illo adhuc se versari cogitant. Vox hebraica ומצרי שאול *umi sore sceol*, proprie *angustias inferni* significat, qua voce designatur locus angustus, per quem qui gradiuntur, in puriculo praecipitii versantur, nisi singulos gressus vigilantissime observent; et talis est via salutis, arcta, atque angusta, unde nullo negotio in praecipitium inferni ruunt, qui non caute ambulant. Unde monet Apostolus, *videto quomodo caute ambuletis*, ad Ephes. 5.

4. *Tribulationem, et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi.*

Multi sunt, qui circumdati sunt laqueis mortis, et periculis inferni, et non advertunt, occupati fortasse prosperitatibus saeculi, et quo magis circumdati sunt ejusmodi periculis, eo minus ea considerant, et ideo neque timent, neq; dolent: David autem ea considerabat, et considerando invenerat ubi esset, et ideo tremens, ac dolens dicebat, *tribulationem, et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi*, idest, *tribulationem, et dolorem inveni*, quia blandiente licet saeculi prosperitate, et foelicitate, tamen adverti me circumdatum esse funibus, et doloribus mortis, et periculis inferni expositum esse: ideo gemens nomen Domini invocavi, et dixi, *o Domine libera animam meam*. s. Basil. paulo aliter exponit, ut sensus sit, *circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me*, idest, peccatum mortale commisi, unde in mortem animae incidi, et inferno propinguavi: sed ego tribulationem, et dolorem poenitentiae salutaris inveni et hoc modo corde contrito, et animo contribulato nomen Domini invocavi dicens, *o Domine libera animam meam*.

5. *O Domine libera animam meam: misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur.*

Dixerat, *nomen Domini invocavi*: nunc subjicit ipsa verba invocationis. *O Domine libera animam meam*, nimirum de doloribus mortis, et periculis inferni. In hebraeo est particula non solum vocantis, sed etiam obsecrantis, nimirum אנה *annah*. Itaque potuisset verti, *obsecro Domine, libera animam meam*, sed idem est sensus. Deinde, ut ostendat se bona spe invocasse Dominum, addit quasi rationem, dicens, *misericors Dominus, et justus*, supple, est, *et Deus noster miseretur*, misericors Dominus est, quia praevenit peccatorem gratia sua, dum ei poenitentiam inspirat, et orationem. Ipse enim prior dilexit nos, ut dicit Apostolus Joannes, 1. Joan. 4. Justus etiam est, quia non sine flagello dimittit, *flagellat enim omnem filium quem recipit*, ut ait Paulus ad hebr. 9. et iis ignoscit, qui sibi ipsi non ignoscunt, et tantem *Deus noster mi-*

http://www.obrascatolicas.com

seretur, quia recipit quem flagellavit, et non solum peccata indulget, sed haeredem facit. S. Joan. Chrisost. scribit, Deum dici misericordem, et justum, quia semper admiscet misericordiam justitiae et justitiam misericordiae, et addit, *Deus noster miseretur*, quia Deus magis pronus est ad miserendum, quam ad puniendum.

6. *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me.*

Miseretur Dominus, ut paulo ante dictum est, sed praecipue parvulis timentibus eum: id enim in psalm. 102. clarius habetur, cum dicitur, *secundum altitudinem coeli a terra corroborat Dominus misericordiam suam super timentes se*; item, *sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*. Quod idem legimur in cantico virginis Deiparae, Luc. 1. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum*. Quoniam igitur verba illa ultima versiculi superioris, *et Deus noster miseretur*, intelliguntur de miseratione paterna, ut sonat vox hebraica, מרחם *merachem*, ideo nunc declarat, quos respiciat ista paterna miseratio, ac dicit respicere parvulos, idest, mites, et humiles, ac timentes Deum filiali timore. *Custodiens pervulos Dominus*, idest, Dominus ex paterna miseratione custodiens est parvulos suos, quasi teneros filios, quibus aeternam haereditatem paravit. Et quoniam David non ignorabat, testimonium reddente Spiritu sancto spiritus ejus, se unum ex illis esse, addit, *humiliatus sum*, idest, ex parvulis esse studui, et tandem conclusit, *liberavit me*, quod de liberatione in spe intelligi debet; praesertim cum in hebraeo sit in futuro, *et liberabit me*.

7. *Convertere anima mea in requiem tuam, quae Dominus benefecit tibi.*

Liberatus homo justus in spe, gratulatur sibi ipse tantum bonum dicens, *convertere anima mea in requiem tuam*, idest, festina passibus desiderii ad locum verae, ac sempiternae quietis, ad coelestem Hierusalem, ad sinum veri Abraham, *quoniam Dominus benefecit tibi*. In hebraeo habetur, *quoniam Dominus retribuit super te*, quo verbo significatur vita aeterna esse corona justititiae, et merces operum bonorum, ut hoc loco notavit s. Basil. Itaque textum vulgati interpretis ex hebraica proprietate explicare lucebit.

8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lachrymis, pedes meos a lapsu.*

Declarat, quid sit bonum illud magnum, sive magna illa retributio, de qua dictum est, *benefecit tibi*, sive, *retribuit tibi*, ac dicit esse vitam beatam, et sempiternam, *qui eripuit animam meam de morte*, idest, eripuit a morte, et donavit vitam: *oculos meos a lachrymis*, idest, dedit vitam non subjectam ulli malo, sed cumulatam omni bono; *absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, ut dicitur Apoc. 21. *Et pedes meos a lapsu*, idest, dabit vitam non solum foelicem, sed etiam securam, ac sempiternam, ut ab ea excidere numquam possim. Ita liberabit a doloribus mortis, et a periculis inferni, et in vitae foelicissimae aeternitate et securitate constituet.

9. *Placebo Domino in regione vivorum.*

Concludit psalmum dicens, quod quemadmodum ipse secure possidebit vitam optimam, et dulcissimam, quae vehementer ipsi placebit: ita etiam placebit ipso Domino vehementer, et secure *in regione vivorum*. Dicitur regio vivorum, ubi omnes ab omni parte vivunt, et ideo placent omnibus modis Deo viventi: nam in hac peregrinatione multi mortui sunt, *et qui vivunt, secundum spiritum vivunt, non secundum corpus, quod propter peccatum mortuum est*. Rom. 8. unde clamat Apostolus rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* In hebraeo habetur, *ambulabo coram Deo in terra viventium*. Sed idem est sensus: nam *ambulare coram Deo*, idest, placere oculis Dei recte, et juste vivendo. Sic legimus Gen. 5. *Ambulabit Henoc cum Deo*, et Gen. 6. *Noe fuit vir justus, atque perfectus. cum Deo ambulavit*. et Genes. 17. *Ambula coram me, et esto perfectus*, et Luc. 1. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi. in sanctitate, et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

PSALMUS CXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hunc psalmum hebraei partem esse volunt psalmi superioris: sed nos distinctionem Septuaginta seniorum sequimur: nec tamen negamus, hunc psalmum immediate subjungendum esse superiori, ut s. Basilius monet. Agit enim propheta gratias Deo, et vota se persoluturum pollicetur pro salute aeterna, quam bona spe jam possidere coepit.

EXPLICATIO PSALMI CXV.

1. *Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.*

Respicit ad illa verba, *placebo Domino in regione vivorum*, et quasi aliquis interrogasset, unde nosti regionem vivorum? respondet se novisse per spiritum fidei. *Credidi*, inquit, *esse regionem vivorum* quamdam, licet oculis ea non videatur, et propter hanc fidem dixi, *placebo Domino in regione vivorum*. Citavit hunc locum Apostolus 2. Cor. 4. *Habentes*, inquit, *eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur, scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum*. Ubi b. Paulus docet, ex spiritu fidei, non ex ulla humana demonstratione, cognosci resurrectionem corporum, et veram viventium regionem, in qua cum Domino Jesu constituendi sumus. Et quoniam haec fides requirit animam vere humilem, quae se spiritui sancto plene subjiciat ad obedientiam fidei, subjungit, *ego autem humiliatus sum nimis*, idest, ego vero ideo credidi, quia non ingenio meo nitor, sed valde humilem, ac docilem me Spiritui sancto praestiti. Sic enim et Dominus ait Matth. 5. *Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*; et in alio loco, *quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis?* Joan. 5.

2. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.*

Varie admodum hunc versiculum exponunt auctores, ut alii referant ad quamdam quasi desperationem regni obtinendi, quod Samuel Davidi promiserit, et in excessu quodam turbatus dixerit, *omnis homo mendax*, videlicet ut etiam Samuel mentitus videatur: alii referant ad populum in captivitate Babylonica constitutum, et desperantem de promissis Prophetarum, alii aliter exponunt. Sed non video, quomodo ista, et alia id genus cohaereant cum reliquis partibus hujus psalmi. Ideo magis probo sententiam Euthymii, qui haec refert ad excessum mentis, per quem propheta ascenderit ad notitiam regionis vivorum, et dixerit in comparatione ejus regionis mendacium esse quicquid homines loquuntur de foelicitate humana. *Ego*, inquit, qui humiliavi me valde, exaltatus a Domino ad mentis excessum, *in eo excessu*, videns, quam falsa et fallacia sint, quae videntur hominibus vera, et solida bona; *dixi, omnis homo mendax*, idest, omnis homo, qui humano affectu loquitur de foelicitate, et magni aestimat bona mortalia, et caduca, mendax est: vera enim est stabilia bona non inveniuntur nisi in regione vivorum. Ex hac expositione cessat objectio, quam nomine sophistarum sibi ipse proposuit magnus Basilius: Si omnis homo mendax, igitur et David, qui est homo, mendax est: ergo mentitur cum dicit, *omnis homo mendax*, ac per hoc sibi ipsi contradicit, et dictum suum ipse destruit: hoc, inquam, sophisma cessat, quia per hominem intelligitur hoc loco homo humano affectu loquens, non autem homo loquens spiritu divino afflatus. Posset etiam dici, aliud esse hominem semper mentiri, aliud esse mendacem: potest enim homo mendax aliquando vera loqui, presertim si non ex se, sed spiritu Dei loquatur: mendax enim dicitur homo, quoniam ex natura sua obnoxius est errori, et falsitati. Quoniam intelligitur, quod scribit Apost. ad rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, idest, solum Deus mentiri nequit; homines autem omnes mendacio sunt obnoxii: sed non continuo sequitur ut perpetuo mentiantur.

3. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi.*

Animadvertens tantis se bonis cumulatum, cum et regionem vivorum Dei beneficio agnoverit, et in eam se ingressurum sperare coeperit, imo ac si jam

http://www.obrascatolicas.com

ingressus esset, prae laetitia exultaverit; quaerit, quid Domino retribuere possit. *Quid*, inquit, *retribuam Domino pro his quae retribuit mihi?* Ille me de nihilo fecit, ille de iniquitate redemit, ille regionem viventium demonstravit; ille mihi etiam se daturum promisit, quid igitur ille retribuam? Quod autem dicit, *retribuit mihi*, potest simpliciter accipi, pro, *tribuit*; ut exponit Euthymius: vel cum s. Augustino, notari liberalitas, et misericordia Dei, qui tanta bona tribuit pro tantis malis.

4. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*

Non desunt, qui hunc calicem exponunt de sacrificio legis veteris, quod liquoribus, et libaminibus continebatur: vel de calice conviviali, quo in memoriam acceptae salutis utebantur; sed ista levia sunt, et sancti patres Basilius, Chrysostomus, in 2. expositione Hieronymus, Augustinus, et cum iis Theodoretus, et Euthymius magno consensu de calice patientiae, et passionis hunc locum intelligunt, de quo calice Dominus Matthaei 20. dixit, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* et Matth. 26. *Transeat a me calix iste*, et Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Nec solum in testamento novo, sed etiam apud Prophetas passim accipitur calix pro amara potione tribulationis, ut Psalmo 74. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto*, et Isaiae 51. *Elevare Jerusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae ejus*, et Hier. 25. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea*, et Ezech. 23. *Haec dicit Dominus Deus calicem sororis tuae bibes profundum, et lutum; erit in derisum, et in subsannationem, et bibes illum, et epotabis usque ad faeces*, et Habac. 2. *Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, et consopire, circumdabit te calix dexterae Domini, et vomitus ignominiae super gloriam tuam.* Dicit igitur vir justus, et amator Dei, cum nihil habeam praestantius, quod offeram Deo meo pro tam multis bonis, quae retribuit mihi, *calicem salutaris accipiam*, idest, bibam libenti animo calicem Domini, quamtumvis amarum, sive tribulationes, sive pericula mortem ipsam pro suo honore sustinere me velit: scio enim calicem hunc amarum quidem, sed salutarem futurum. Et quia de meis viribus non confido, sed in Domini adjutorio omnia possum, ideo *nomen Domini invocabo*, ut det mihi calicem suum intrepide haurire. Vocat Propheta, *calicem salutaris*, calicem salutis, idest, calicem salutiferum. Confirmat hanc expositionem consuetudo ecclesiae, quae hunc psalmum in martyrum solemnitatibus cantare solita est.

5. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.*

Paratus ad calicem passionis bibendum securus dicit, sacrificium laudis, et confessionis Domini, non in angulis solum, et in cubiculis, sed palam et publice coram omni populo ejus, inimicis etiam praesentibus immolabo. etiam si mortem inde mihi imminere intelligam. *Pretiosa enim est in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, idest, magni aestimat Dominus mortem sanctorum pro suo honore, et confessione susceptam; quo modo apud homines magni fiunt gemmae pretiosae, quibus regum diademata ornari solent, et quibus nihil clarius apud homines invenitur. Expendit hoc loco s. Basil. gloriam martyrum, quorum non solum animae mox coronantur in coelis: sed etiam reliquiae corporum in maximo pretio habentur in terris; antea siquidem qui tangebat cadaver hominis, immundus erat; nunc autem qui ossa Martyrum contingit, sanctificationem acquirit.

6. *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae.*

Non superbit vir sanctus, qui se totum Deo in sacrificium offert, sed agnoscit debitum servitutis, et juxta mandatum Domini dicit, servus inutilis sum; quod debui facere feci, *O Domine*, inquit, quid magnum feci, quod vota mea publice reddidi, neque ob timorem mortis confessionem tuam omisi? quod debui facere feci, *quia ego servus tuus sum*. redemptus de captivitate diaboli pretioso sanguine filii tui, *ego*, inquam, *servus tuus sum*, non solum redemptionis gratia, sed etiam dono creationis, *sed et filius* sum *ancillae tuae*, idest, non emptitius tantum, sed et vernaculus, quia et mater mea ancilla tua est, duplici illo nomine, creationis, et redemptionis. Dicit autem, filius ancillae tuae, non filius servi tui, quia servitus sequitur ventrem: nam si liber ex ancilla gignant filium, ille filius servus nascitur. Unde Sara Abrahamo dixit: *Ejicie ancillam et filium ejus: non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac.* Gen. 21. Itaque Ismael servus erat, quia matrem habuit ancillam, quamvis patrem habuerit liberum, videlicet Abrahamum. S. Augustinus per ancillam intelligit ecclesiam, quae est mater nostra, ancilla ex naturae debito, et libera ex gratiae munere.

7. *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.*

Docet servum se Domini esse, sed virtute bona, erutum autem a servitute mala. Quo modo Dominus in evangelio hortatur eos qui laborant, et onerati sunt, ut tollant jugum suum, *quia jugum ipsius suave est, et onus ejus leve*, Matt. 11. non liberat omnino a jugo, et onere, sed tollit jugum asperum, ut imponat jugum suave, et auferat onus grave, ut imponat onus leve. Ita omnino dirupit Deus vincula, quibus a Satana alligabamur, vincula peccatorum, et onera cupiditatum, quibus ad inferos deprimebamur: et alligat jugo suavi legis divinae, et onere levissimo charitatis, quo in altum evehimur, et exaltamur ad coelum. *Dirupisti*, inquit, *vincula mea*, idest, liberasti a servitute durissima, et servum tuum esse voluisti, cum servire, regnare est. Ideo *tibi sacrificabo hostiam* perpetuae *laudis*, et non amplius invocabo falsos Deos, mammonam videlicet, et ventrem, opes et honores: quibus antea

serviebam: *sed nomen Domini*, qui solus verus est Deus, assidue *invocabo*.

8. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini in medio tui Hierusalem.*

Haec repetitio est quinti versiculi. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*: additur autem in atriis domus Domini in medio tui Hierusalem, ad significandum, ut s. August. monet, debere servum Dei offerre vota sua, confessionem suam, et seipsum Deo, intra ecclesiam, quae per Hierusalem significatur: qui enim extra ecclesiam id faciunt, nihil faciunt: nam, ut scribit s. Cyprianus in libro de unitate ecclesiae, haeretici occidi possunt, coronari non possunt: et eorum mors non est fidei corona, sed poena perfidiae. Posset fortasse hic versiculus referri ad coelestem Hierusalem, ut sicut supra dictum est, *vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*, de confessione in terris: ita nunc in fine psalmi tale aliquid dicatur de confessione laudis, et votis gratiarum actionis, quae reddetur in coelis: ut hic sit sensus, *vota mea Domino reddam*, idest, et tandem diruptis vinculis omnibus, et ad perfectam libertatem filiorum Dei vocatus, sacrificium laudis, et gratiarum actionis, *immolabo in conspectu omnis populi ejus*, jam glorificati in coelis, *in atriis domus Domini*, idest, in ingressu domus Dei: de qua dicitur in psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*; nec solum in atriis, sed etiam in domo, quae domus in medio tui est, o superna gloriosa Hierusalem, quae patria nostra es, ad quam ex peregrinatione quotidie suspiramus.

PSALMUS CXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hunc psalmum omnium brevissimum declarat apostolus ad rom. 15. ubi dicit, *Christus fuisse ministrum circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum*, et allegat haec verba, *laudate Dominum omnes gentes, et magnificate eum omnes populi.* Ex quo intelligimus Prophetam hoc loco alloqui totam ecclesiam ex gentibus, et Judaeis congregatam, eamque hortari ad laudandum Deum, quod misericordiam, et veritatem erga eam ostenderit. Sed observandum est cum apostolus dicit, *gentes super misericordia debere honorare Deum*, ad Judaeos autem pertinere *veritatem*, quam Deus ostendit confirmando promissiones patrum, non esse sensum, ad Judaeos non pertinere misericordiam, sed ad gentes pertinere solam misericordiam, ad Judaeos autem misericordiam et veritatem: quia licet miserit Deus ad Judaeos Messiam, ut impleret promissiones patrum, tamen promissiones non ex meritis eorum, sed ex mera misericordia processerunt. Sic enim cecinit Zacharias Luc. 1. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti*, et hoc tractat, ac demonstrat apostolus ad rom 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei*, et persequitur hoc argumentum usque ad finem capitis undecimi, ubi dicit, *Conclusit Deus omnia in crudelitate, ut omnium misereatur*, et idem docet in tota epistola ad Galatas, et ad Ephes. 2. *Eramus et nos natura filii irae, sicut et caeteri.*

EXPLICATIO PSALMI CXVI.

1. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.*

Ecclesiam ut dixi, totam alloquitur, et ad laudandum Dominum cohortatur: intelligit autem per gentes, ut apostolus monuit, gentilitatem conversam ad fidem, quam primo loco posuit, quia videbat multo majorem partem Ecclesiae ex gentibus, quam ex Judaeis congregandam. Per *populos* autem intelligere videtur populos, sive tribus Judaeorum, similiter ad fidem conversorum, ut hoc loco notavit in commentario s. Hieronymus, et similia verba psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* exposuerunt Apostoli Act. per gentes, gentiles; et per populos, Judaeos intelligentes.

2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.*

Ratio laudandi Deum est, *quoniam misericordia Domini stabilita est* per adventum Messiae supe

http://www.obrascatolicas.com

gentes, et super Judaeos. Fundata enim est ecclesia, *adversus quam portae inferi non praevalebunt*, Matt. 26. et constitutum est regnum, cujus non erit finis. Nec solum misericordia confirmata est, sed etiam *veritas promissionum adimpleta*, in aeternum amplius non mutabitur.

PSALMUS CXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Psalmus hic de Davide exponi potest ad litteram, ut facit s. Joannes Chrysostomus, tamen convenit etiam toti populo Christiano, cujus figuram David gerebat, et hanc expositionem persequitur sanctus Augustinus. Canit autem tum David, tum populus Dei multa beneficia Dei; sed illud potissimum, quo Christum, lapidem angularem, extulit in summum aedificium, ut duos parietes connecteret et conti-neret, quod factum est in die resurrectionis, et ideo ecclesia canit hunc psalmum in Dominica die ad primam, et verba illa ex hoc psalmo, *haec dies, quam fecit Dominus, exultemus, et laetemur in ea*, resurrectioni applicat, et per octavam Paschae frequentissime cum jubilo canit.

EXPLICATIO PSALMI CXVII.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Invitat David omnes ad laudandum Deum, et rationem dedit, *quoniam bonus*, nihil brevius, nihil grandius dici potuit: nam solus Deus proprie, et simpliciter bonus est, et nihil jure laudari potest, nisi bonum; addit, *quoniam in saeculum misericordia ejus*, ut ostendat ab effectu Deum esse bonum, ac per hoc etiam laudabilem. Nam bonitas Dei nulla in re magis cognosci potest a miseris, quam in misericordia. Misericordia enim nos creavit, misericordia redemit, misericordia protegit, misericordia coronabit, ita usque in saeculum misericordia ejus.

2. *Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.*
3. *Dicat nunc domus Aaron, quoniam in saeculum misericordia ejus.*
4. *Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Explicat qui sint, quos invitaverat ad laudandum Deum, et nominat primo loco Israelem, idest, populum Israeliticum, quoniam inde fuerunt omnes apostoli, qui primi crediderunt, et ecclesiam inchoarunt. Secundo nominat domum Aaron, quia post apostolos, *magna turba sacerdotum obedire coepit fidei*, ut dicitur Actor. 6. denique addit, *omnes qui timent Dominum*, quales fuerunt omnes gentiles, qui crediderunt, et ecclesiae jam inchoatae se adjunxerunt. Itaque totam ecclesiam ex Judaeis, et gentibus collectam invitat ad laudandum Deum.

5. *De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.*

Incipit declarare materiam laudis divinae, quod in angustia positus cum esset, invocavit Dominum, et Dominus continuo exaudiens posuit illum in latitudinem; opponit enim pulcherrime angustias latitudini. *Ego*, inquit, *de tribulatione invocavi Dominum*, idest, cum essem *in tribulatione*, sive, *in angustia*, ut sonat vox hebraica, המצר *hammetsar*, *invocavi Dominum*, idest, non merita mea jactavi, non conquestus sum quod injuste paterer persecutionem, sed ad misericordiam Dei confugi, *et exaudivit me in latitudine Dominus*, idest, exaudivit me, et de angustiis in latitudinem transtulit. Sicut autem per angustias significatur tribulatio, ita per latitudinem significatur liberatio a tribulatione. Quod autem id possit David de persona sua merito dicere, notissimum est ex psalm. 17. et 53. et ex aliis multis. Quod idem etiam conveniat ecclesiae non minus est notum. Certe initio nascentis ecclesiae, cum Herodes s. Petrum ecclesiae totius pastorem et principem iclusisset in carcerem, *oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo*: Act. 12. et continuo exaudita est, et maximo miraculo de summis angustiis tribulationum in latitudinem magnae consolationis educta est, et quoties de angustiis variarum persecutionum Neronis, Decii, Diocletiani, et similium Tyrannorum ad latitudinem pacis, et quietis Deo miserante transivit, toties dicere potuit, *De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.*

6. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.*
7. *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos eorum.*

Experimento proprio doctus David, sive populus Dei, magna fiducia exultat, et non dicit, *Dominus mihi adjutor* est, nihil deinceps patiar: scit enim se adhuc peregrinum inter hostes multa passurum: sed dicit, *Dominus mihi adjutor*, supple, est, *non timebo quid faciat mihi homo*, idest, non turbabor propter mala quae mihi infert homo: quia Dominus omnia convertet in bonum. Sic enim Dominus monuit, *nolite timere eos qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant*, Matth. 10. *Nam capillus de capite vestro non peribit*, Luc. 21. et apostolus, *Momentaneum, et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, 2. Corinth. 4. Quare merito addit, *et ego despiciam inimicos meos*, quippe qui saeviendo in corpus gloriae meae deserviunt.

8. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.*
9. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.*

Deducit ex dictis utilem admonitionem de spe collocanda in Deo, non in hominibus quantumvis potentibus: Deus enim et potest, et vult confidentes in se juvare; homines autem saepe non possunt, saepe etiam variis passionibus acti nolunt. Quod expertus fuerat David, cui aliquando speravit in Saule rege suo, alias in Achis rege Cetheo, alias in Achitophel consiliario prudentissimo, alias in aliis, et in nullo fidem invenit: in Deo autem numquam sine prospero eventu speravit. Ait igitur monens omnes, *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, idest, magis quam confidere in homine. *Bonum est sperare in Domino*, magis *quam sperare in principibus*, terrenis videlicet. Haec comparatio accomodata est infirmitati humanae, cui nota est potentia hominum, et maxime principum; Dei autem potestas occulta est plurimis, qui neque vident, neque considerant: fortasse etiam non credunt magnitudinem Dei; alioqui dicendum fuisset, bonum est sperare in Domino, malum autem sperare in homine. Sic enim ait Hieremias cap. 17, *Maledictus homo, qui confidit in homine*. Neque tamen malum est spem aliquam collocare in adjutorio angelorum, vel hominum bonorum, quia haec spes ad Deum refertur, quia non solum per se, sed etiam per suos adjuvat confidentes in se.

10. *Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*
11. *Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*
12. *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*

Ostendit exemplo suo, quam sit bonum confidere in Domino, cum ipse non semel, sed saepius obsessus a magna multitudine hostium, Dei adjutorio ita liberatus fuerit, ut hostes suos prostratos viderit: notum est si de persona Davidis agatur, quam saepe a Saule cum magna manu obsessus fuerit, et mirabiliter liberatus: sed notius est, quam saepe populus Dei a Regibus potentissimis, et a populis innumerabilibus persecutiones gravissimas perpessus divinam ultionem viderit. Verba sunt paulo obscuriora, quoniam vulgatus interpres voluit omnes voces hebraicas exprimere, et phrasis hebraica phrasi latinae non respondet. Clarius reddidisset, ut graeci fecerunt, si omisisset illud, *quia*, et illud, *in*, ac dixisset, *omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini ultus sum in eas*. Illud enim, *quia*, et illud, *in*, redundant, et illud, *eos*, est masculini generis, quia vocabulum hebraicum גוים *goim*, quod gentes significat, est etiam generis masculini. Itaque interpres fideliter vertit, et quod in graeco deerat, addit ex hebraeo. Sensus autem hic est, *omnes gentes*, idest, tota fere multitudo gentium, *circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum in eas*, idest, in virtute Dei vidi ultionem. quia Deus ultus est innocentiam meam, dum hostes prostravit, ac delevit: addit autem, *circumdantes circumdederunt me*, ut ostendat non quomodocumque se fuisse circumdatum, sed ita arcte obsessum, ut nullum pateret effugium: addit etiam, *circumdederunt me sicut apes, et sicut ignis in spinis*, ut ostendat multitudinem, et vehementiam hostium; nam apes in tanta copia circumdant favum, ut numerari non possint: et ignis tanto impetu corripit spinas aridas, ut in puncto temporis eas consumat. In hebraeo habetur, דעכו *dohachu*, *Extinctae, vel consumptae sunt gentes*, videlicet *sicut ignis in spinis*. Sed non est verisimile septuaginta Interpretes, vel auctorem vulgatae editionis latinae reddidisse contrarium sensum, neque satisfaciunt qui dicunt, non esse contrarium sensum, exardescere ignem in spinis, et consumi ignem in spinis, quia utraque lectione significatur celeritas actionis ignis in spinas, qui mox ut exarserit extinguitur. Qui hoc dicunt, ideo non satisfaciunt, quoniam David subjungit, *et in nomine Domini ultus sum in eos*, quod non diceret, si inimici ejus antea fuissent extincti, sive consumpti. Existimo igitur septuaginta Interpretes vocem illam, דעכו *dohachu*, accepisse in significatione activa, qualem habet in conjugatione *Pihel*, et *Pahal*, non in passiva: et ideo non vertisse, *extinctae*, vel *consumptae sunt*, sed *consumere cupierunt*, sive exarserunt ad consumendum, sicut ignis in spinis.

13. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.*
14. *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.*

Amplificavit hactenus multitudinem; et atrocitatem inimicorum: nunc confitetur infirmitatem suam, quae tanto robori par esse non poterat, ut hinc magis agnoscatur gloria Domini. Ego inquit, tantae violentiae resistere non poteram; ideo ab hostibus im-

http://www.obrascatolicas.com

pulsus in ruinam jam eversus ruere coeperam, *sed Dominus* in tempore *occurrens sustentavit me.* Referri potest hoc ad pericula amittendae vitae corporalis, in quae saepe incidit David. Referri etiam potest ad pericula spiritualia gravissimarum tentationum, in quae incidebat populus Christianus tempore persecutionum, qui propterea agnoscens, et confidens non suis viribus, sed ex gratia Dei vicisse, dicit, *Fortitudo mea, et laus mea Dominus*, idest, Dominus est fortitudo mea, quia viribus ejus vinco, *et ipse idem est laus mea*, quia semper eum laudare debeo, *et ipse factus est mihi in salutem*, ipse Salvator meus fuit.

15. *Vox exultationis, et salutis in tabernaculis justorum.*

Ex liberatione Davidis gavisi sunt justi, qui eam liberationem scire potuerunt; sed multo magis ex liberatione populi Christiani de ingenti persecutione, orta *est vox exultationis, et vox salutis*, idest, *salutem annuncians in tabernaculis justorum*: ubique enim resonat vox latitiae, et nuncius salutis. Notat s. Chrysostomus, justos hic in terris non habere domos stabiles, sed tabernacula peregrinorum, vel militantium.

16. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.*

Haec est vox exultationis et salutis, quae resonat in tabernaculis justorum, quod *dextera Domini*, idest, virtus et potentia filii Dei *fecit virtutem*, idest, operata est fortiter, ac potenter: nam Filius Dei dicitur in scripturis brachium Domini, sive manus ejus dextera, quia pater per filium omnia fecit, et facit. *Omnia per ipsum facta sunt*, Joan. 1. *Per quem fecit et saecula*, ad hebr. 1. et Isaiae 53. *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est.* Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio suo, Dextera Domini exaltavit me*, idest, in hoc dextera Domini fecit virtutem, quod depressit inimicos meos, et me exaltavit: sive id de Davide, sive de populo Dei intelligatur. *Dextera Domini fecit virtutem*, id repetitur laetitiae causa. In hebraeo non habetur, *dextera Domini exaltavit me*, sed *Dextera Domini excelsa*, ut vertit s. Hieronym. vel *Dextera Domini exaltans*: utrumque enim significat vox, רוממה *romema*. Hanc secundam significationem secuti sunt septuaginta interpretes, et addiderunt, *me*, ut sensus sit; *dextera Domini exaltans me fuit*, quod est idem cum illo, *Exaltavit me.*

17. *Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.*
18. *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.*

Pergit idem, sive David, sive populus Domini commemorare beneficium Domini, qui persecutiones permittit, ut pater, non ut hostis, ad purgationem, non ad mortem, quasi diceret, quantumvis magnas persecutiones passus sim, et adhuc patiar; tamen non moriar, sed vivam, idest, non exterminabor, non deficiam omnino, ut adversarii vellent; sed permanebo, et narrabo opera Domini, *qui castigans castigavit me* paterno flagello, *sed morti non tradidit me.*

19. *Aperite mihi portas justitiae, ingressus in eas confitebor Domino. Haec porta Domini, justi intrabunt in eam.*

Ex acceptis beneficiis sumit animum aspirandi ad majora, ac petit introduci tandem in coelestem Hierusalem in qua nulli injusti habitant. *Aperite*, inquit, *mihi portas justitiae*, idest, portas regni coelorum, quae ex justitia constant: Porta enim gloriae justitia est. *Quaerite*, inquit Dominus Matth. 6. *Primum regnum Dei, et justitiam ejus. Ingressus in eas confitebor Domino*, quoniam, *qui habitant in domo Domini, in saecula saeculorum laudabunt te*, psalm. 83. *Haec porta Domini, justi intrabunt in eam.* Haec porta justitiae est vera porta, et unica quae ducit ad Dominum: et ideo justi soli intrabunt in eam. Alii aliter exponunt, videlicet de portis templi, vel civitatis Jerusalem. Sed nos secuti sumus Augustinum, Chrysostomum, et Hieronymum; neque verum est, quod per portas templi, vel civitatis terrenae Jerusalem, soli justi intrarent.

20. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.*

Declarat quod dixit, *ingressus in eas confitebor Domino.* Dicit enim, *confitebor tibi*, quando videlicet ingressus ero in coelestem Jerusalem per portas justitiae, *quoniam exaudisti me*: nam etiamsi multa, et varia justi petant in hoc mundo, tamen omnia tendunt ad unam petitionem, de qua dicitur in psal. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* De hac igitur petitione dicit, *confitebor tibi quoniam exaudisti me*, et clarius adhuc exponit dicens, *et factus est mihi in salutem*, idest, qui eras spes mea, factus es salus mea: qui eras viaticum, factus es praemium.

21. *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.*
22. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*

Hos versiculos aliqui recentiores de Davide exponunt ad litteram, quem dicunt *factum fuisse in caput anguli*, quando factus est rex super Israelem, et Judam: sed Davidem figuram gessisse Christi, qui factus est in caput anguli, cum factus est caput ecclesiae, ex Judaeis, et gentibus congregatae. Caeterum sancti patres absolute exponunt de Christo, nulla mentione facta Davidis. Imo s. Joannes Chrysostom. qui priores partes de Davide exponit ad litteram, hoc loco scribit. Prophetam de improviso mutasse argumentum, et de Christo prophetasse. Adde quod Christus ipse pubblice hunc locum tamquam ad se proprie spectantem allegavit Matth. 21. Marc. 12. et Luc. 21. neque ullus respondit, de Davide haec verba esse intelligenda. Sanctus etiam Petrus Act. 4. iterum coram omni populo hunc locum allegavit tamquam proprie de Christo scriptum, neque ullus contradixit. Sanctus etiam Paulus ad rom. 9. et s. Petrus 1. Epist. cap. 2. allegant Isaiam cap. 18. de hoc lapide angulari, summo, electo, probato, etc. Denique idem apostolus ad Ephes. 2. Vocat Christum *angularem lapidem summum.* Certe non auderem, scripturam ita celebrem, et decantatam a Christo et Apostolis explicatam, ullo modo cum Davidis persona communicare. Accedit quod David non fuit primus, neque solus rex super Israelem et Judam, ut ideo meruerit dici lapis angularis; nam ante ipsum fuit Saul rex super utrumque populum, et post eum Salomon: neque Israel, et Judas erant proprie duo populi, sive duae gentes diversae, ut sunt hebraei, et Gentiles. Igitur omissa illa expositione, dicendum est, quod cum David in persona sua, et populi Dei decantasset liberationem a temporalibus malis, et petiisset introitum in aeternam salutem, declarat nunc quomodo Deus aperuerit viam ad hanc aeternam salutem, et sine dubio auctus majore lumine prophetico hos versiculos scripsit. *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli*, idest, misit Deus lapidem vivum, pretiosum, electum in terras; sed Judaei, ad quos tunc pertinebat officium aedificandae ecclesiae, hunc lapidem reprobaverunt, dicentes de Christo, *non est hic homo a Deo, qui Sabbathum non custodit*; et, *non habemus regem nisi Caesarem*, et, *seductor ille dixit, post tres dies resurgam*, et similia. Sed hic idem lapis ab aedificantibus reprobatus quasi inutilis ad aedificium spirituale, a Deo principali architecto *factus est in caput anguli*, idest, constitutus est super duos parietes, ut eos conjungeret, et contineret, idest, factus est caput totius ecclesiae ex hebraeis, et gentibus congregatae, et tale caput ut qui sub eo non aedificatur, salvus esse non possit: et omnis, qui sub ipso tamquam lapis vivus aedificatur, omnino salvandus sit. Atque hoc *a Domino factus est*, idest, electione, et potestate divina, non consilio, vel ope humana, et ideo *mirabile est in oculis nostris.* Quis enim non miretur, hominem crucifixum, et mortuum, ac sepultum, post tres dies resurgere immortalem cum amplissima potestate, et caput, ac principem declarari omnium hominum et angelorum, et eum aditum patefieri hominibus mortalibus ad regnum coelorum, ad societatem angelorum, ad beatam immortalitatem.

23. *Haec est dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*

Haec dies, qua id factum est, est proprie dies, *quam fecit Dominus*, et ideo ob tantum beneficium, *exultemus et laetemur in ea.* Haec sine dubio est dies resurrectionis Dominicae; quamvis enim ab ipsa conceptione propter unionem hypostaticam Dominus Jesus fuerit Christus, et caput ecclesiae: unde pastoribus ab angelo dictum legimus, *annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David*: tamen debuit prius reprobari ab hominibus, et humiliari usque ad mortem crucis, et postea exaltari per resurrectionem, et tunc declarari summus angularis lapis, et praedicari per omnes gentes, *quod non esset in alio aliquo salus*, ut dicitur Act. 4. Unde ipse etiam dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Dicitur autem dies resurrectionis dies, quam fecit Dominus, vel quia Christus resurgens, ut Sol Justitiae, novo modo fecit eum diem, vel quia peculiariter Deus eam diem sibi consecravit: vel, *haec est dies, quam fecit Deus* ad hunc finem, *ut exultemus et laetemur in ea.*

24. *O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare; benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Has laudes Christo dixerunt turbae in die Palmarum, ut s. Hieronymus annotavit in commentario ad cap. 23. Matthaei. Quod enim illi dixerunt, *osanna, benedictus qui venit in nomine Domini*, in hoc versiculo nos habemus, הושיעה נא *hosciha na*, sed in evangelio relinquitur vox hebraica, *osanna*; hic explicatur per illa verba, *o Domine salvum me fac.* Itaque Dominus in die palmarum voluit visibiliter exhibere, et quasi praeoccupare triumphum quem acturus erat visibiliter in die resurrectionis. Non enim poterat illi juste objici, quod triumphum ageret ante victoriam, quoniam de victoria certissimus erat. Propheta autem sicut praevidit et praedixit, Christum ut lapidem reprobandum tempore passionis, et postea a Deo exaltandum in caput anguli tempore resurrectionis: ita praevidit et praedixit ipsa verba, quae turbae dicturae erant in die triumphi Christi in die palmarum, quo significaretur triumphus resurrectionis, et optime accidit, quod utraque dies et palmarum et resurrectionis esset dies Dominica. Ait igitur, *exultemus, et laetemur in hac die*, dicentes, *o Domine salvum me fac*: in hebraeo non est aliud, *me*, sed simpliciter, *Osanna*, idest *salva obsecro.* Graeci tamen addiderunt explicandi gratia. *O Domine bene prosperare*, nimirum in inchoato isto regno tuo, *benedictus qui venit in nomine Domini*, idest, benedicatur ab omnibus Messias, rex noster, *factus in caput anguli, qui venit in nomine Domini*, idest, non a seipso venit, non sibi regnum usurpavit, ut faciet Antichristus: sed venit missus a patre suo, Domino coeli, et terrae; sic enim explicavit Christus ipse, Joan. 5.

25. *Benedictus vobis de domo Domini Deus Dominus, et illuxit nobis.*
26. *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.*

Explicata tota prophetia adventus Christi, et triumphi ejus, convertitur Propheta ad populum, atque illum exhortatur ad celebrandum diem festum solemnem in gratiarum actionem. *Benedici-*

http://www.obrascatolicas.com

mus,inquit,*vobis de domo Domini*, idest, nos Prophetae benedicimus vobis populi fidelibus annunciantes mysteria divina in salutem vestram,*benedicimus autem de domo Domini*, idest, vobis qui estis de domo Domini, vel nos ex domo Domini,unde haec ex revelatione didicimus,*benediximus vobis*. Summa autem est , *Deus Dominus , et illuxit nobis*, idest, Dominus noster ipse est verus Deus, et ipse illuxit nobis ostendens nobis lucem miserationum suarum. Propterea *constituite diem solemnem*,idest,agite diem solemnem *in condensis*, idest, densos virides ramos adferentes,et ornantes templum *usque ad cornu altaris*. Ista varie exponuntur secundum ritus Judaeorum quae ad nos nihil pertinent.

27. *Deus meus es tu, et confitebor tibi,Deus meus es tu, et exaltabo te.*
28. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me,et factus es mihi in salutem.*
29. *Confitemini Domino,quoniam bonus,quoniam in saeculum misericordia ejus.*

Haec est repetitio dictorum, affectum Prophetae demonstrans.

PSALMUS CXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus tribus in rebus omnibus aliis antecellit.Primo utilitate:est enim totus moralis,et hortatorius ad vitam secundum legem Domini instituendam; et ea causa est, cur quotidie ab ecclesia frequentetur. Secundo longitudine; continet enim versus centum septuaginta sex , cum psalmus septuagesimus septimus, qui ex reliquis longissimus est,non ascendat ultra versus septuaginta octo.Causa hujus tantae longitudinis fortasse fuit, ut populus haberet in quo pie, et cum fructu occuparetur, dum ter in anno ex omni parte ad tabernaculum ascenderet : videtur enim psalmus compositus, ut in itinere caneretur , quo psalmo finito sequuntur psalmi graduales , qui in ascensione graduum tabernaculi canebantur. Tertio, elegantia,et artificio alphabetico: siquidem primi octo versus incipiunt singuli a prima litera alphabeti , sequentes octo a secunda,et sic deinceps,ita ut octies totum alphabetum repetatur. Hujus rei causam non aliam esse arbitror, nisi ad memoriam adjuvandam , cum hic psalmus memoriter recitandus , vel concinendus esset.Explicant hunc psalmum diligenter sancti patres, Hilarius,Ambrosius,Augustinus, Hieronymus, et innumerabiles alii,tum veteres,tum recentiores. Argumentum psalmi est encomium legis divinae,et exhortatio ad eam servendam , sed interim admiscentur varii affectus, et precationes ad Deum.

EXPLICATIO PSALMI CXVIII.

Aleph.

1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Rectissimo ordine primum argumetum ad suadendam praestantiam,et utilitatem divinae legis ducit propheta a beatitudine , quae est ultimus finis hominis: nam in scientia morali, id est finis quod sunt prima principia in scientia naturali.Est autem hic sensus primi versiculi,*beati* sunt qui in via hujus vitae non inquinantur luto,vel sordibus peccatorum, illi autem sunt, qui non inquinantur, ac per hoc beati sunt,*qui ambulant in lege Domini*,idest, qui dimissis aliis viis , eligunt viam legis Domini, quae sola mundissima, et nitidissima est. Sed singula verba expendamus. Illud,*beati*,significat tum foelicitatem aeternam, quae sola est perfecta beatitudo; tum foelicitatem temporalem, qualis in hac vita haberi potest.Itaque sensus est,Beati erunt aeterna foelicitate, et nunc etiam beati sunt, idest, laeti , atque quieti , nihil in hoc mundo cupientes qui vivunt sine macula peccati,eo quod *ambulant in lege Domini*.Quod enim recta via ad coelestem beatitudinem sit observantia legis Dei, docet Christus Matthaei cap.19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*.Quod etiam in hac vita nulli sint foeliciores iis, qui recte,ac pie vivunt,notum est tum experientia , tum ratione: nam beatus est, qui habet quicquid vult,et nihil mali vult.Viri iniqui multa mala volunt , et multa non habent eorum , quae volunt. Viri justi nihil mali volunt, et habent quicquid volunt, quia solum Deum volunt , et ejus voluntatem implere cupiunt. Illud, *immaculati*,non significat carentiam omnis peccati, etiam venialis. Sic enim nulli essent in hac vita immaculati , sed

significat carentiam omnis peccati lethalis , quod solum proprie inducit maculam. Videtur autem sumpta metaphora a maculis quae contrahunt inter ambulandum , cum iter facimus per vias lutosas, aut pulverulentas, aut alio modo sordidas. Illud,*in via*, significat in vita hac mortali, quae aptissime dicitur via, cum semper mutetur,et,ut ait Job cap. 10. *Numquam in eodem statu permaneat*,sed ab initio nascendi decurrat sine intermissione usque ad metam moriendi. Denique illud, *in lege Domini*,significat legem Domini esse quamdam viam rectam, et mundam, cum peccatum omne prohibeat. Opponitur autem lex Domini legi carnis,de qua apostolus ad rom. 8. *Quae est via cupiditatum*, et plena pulvere superbiae , coeno luxuriae , et aqua sordida avaritiae.

2. *Beati qui scrutantur testimonia ejus , in toto corde exquirunt eum.*

Declarat priorem versiculum, ac docet, non sufficere quamcumque legis observantiam ad beatitudinem acquirendam. Multi enim superficie tenus observant legem, dum non occidunt,non furantur, non moechantur,sed non vere ambulant ut oportet ad acquirendam foelicitatem in lege Domini , quia forte oderunt proximum suum , retinent opes superfluas, cum meretricibus fornicantur. Oportet igitur, si quis beatus esse velit,*ut scrutetur omnia testimonia Domini*,idest,consideret diligenter sensum totius legis , quae dicitur testimonium , quia testificatur nobis Dei voluntatem; qui enim scrutatur legem , invenit , non solum prohiberi homicidium, per legem *non occides*;sed prohiberi etiam odium , et iram, ut Dominus exposuit Matth.5.imo juberi amorem, quia finis omnis legis est dilectio, et qui dicit *non occides*, ideo dicit,ne laedatur dilectio,et hoc idem intelliget de aliis praeceptis,qui ea scrutabitur.Ille autem scrutatur testimonia ejus, *qui ex toto corde exquirit eum* : qui enim serio Deum quaerit, et toto corde desiderat ejus gratiam in hoc mundo, et ejus praesentiam in futuro;is sine dubio in omni opere suo diligenter scrutatur quae sit voluntas ejus,et secundum eam ambulare conatur. Exemplum habemus in viatoribus: qui enim ad aliquam civitatem quam citissime pervenire cupiunt,ii sollicite scrutantur et quaerunt a quibuscumque obviis, quae sit recta, et commoda via ad eam civitatem; qui vero deambulant animi gratia , neque propositum habent locum , quo ire cupiant, non multum laborant de via. Ait igitur propheta, *beati qui scrutantur testimonia ejus*,idest, dixi beatos qui ambulant in lege Domini : sed explico,me beatos dicere voluisse illos,qui ita ambulant in lege Domini , ut diligenter scrutentur sensum totius legis,et voluntatem legislatoris:id quod illi soli faciunt,*qui ex toto corde exquirunt Deum*, nihil creatum illi anteponentes, vel aequantes, neque amorem cordis inter Deum,et creaturam dividentes, sed solum Deum diligentes in se, et creaturas propter ipsum.

3. *Non enim qui operantur iniquitatem , in viis ejus ambulaverunt.*

Probat quod supra dixit, eos esse immaculatos, qui ambulant in lege Domini.Probat autem , quoniam nullus eorum,*qui operantur iniquitatem*,ac per hoc iniquitati inveniuntur in itinere, *in viis*,idest,legibus Domini ambulavit,id enim manifestum signum est, solam viam Domini cum omnes sancti ambulent in viis Domini , praestare immaculatos ambulantes in se.Erit igitur argumentum a contrario sensu , *qui operantur iniquitatem* , et consequenter maculati inveniuntur,non ambulaverunt in viis Domini:igitur qui ambulant in viis Domini non operantur iniquitatem,et proinde immaculati sunt. Movet hoc loco s. Augustinus quaestionem,ut ipse dicit, gravissimam, quomodo qui operantur iniquitatem , non ambulent in viis Domini , et tamen dicant cum sancto Joanne 1. Epist. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,ipsi nos seducimus*: et,*omne peccatum est iniquitas*,eodem Joanne teste 1. Epist.cap.3.Sed responderi potest, eos,qui operantur iniquitatem,non ambulare in viis Domini, quatenus operantur iniquitatem, qui enim operantur iniquitatem lethalem , ambulant contrariam viam viae Domini; qui operantur iniquitatem venialem , ambulant praeter viam Domini. Porro sancti viri ambulant in viis Domini , quia voluntatem habent in lege Domini , et in ea semper habitualiter manent, et si quando divertunt a via, quia operantur praeter legem Domini ; mox per poenitentiam, et confessionem redeunt in viam.

4. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*

Alterum argumentum ducit Propheta ab excellentia Legislatoris, quasi dicat, haec mandata non sunt mandata hominum, sed Dei, et Dei qui omnino vult a servis suis debitam obedientiam. Sed ut argumentum majorem vim habeat,alloquitur ipsum Deum, dicens,*tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, idest, tu Domine, qui libere potes servis imperare,et qui potes inobedientiam severissime ulcisci,et qui non potes ignorare,vel oblivisci praevaricatores, *tu*, inquam, *mandasti*, non consilium dando, sed plane imperando,*mandata tua custodiri*,non negligenter,et oscitanter,sed diligentissime, et summo zelo. Quis igitur erit,qui non continuo applicet animum ad parendum?

5. *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas.*

Ex auctoritate tanti legislatoris,et tam severe jubentis, motus propheta,optat quam diligentissime Dei mandata servare. Sed hoc proponit in persona sua,ut exemplo suo persuadeat omnibus aliis obedientiam exhibere Deo. Si enim ipse rex et princeps supremus , ita tremit ad mandata Domini , et tanto affectu cupit illa implere, quid facere debent homines privati? *Utinam*, inquit, *dirigantur viae meae*, id est, actiones meae, consilia mea, sermones mei,*dirigantur*,idest,conformentur rectitudini legis tuae. *Ad custodiendas justificationes tuas*,idest, ad observandas leges tuas: lex enim Domini

http://www.obrascatolicas.com

variis nominibus in scripturis, atque in hoc potissimum psalmo appellatur, ut quoniam saepissime mentio ejus facienda est, verborum varietate lectoris fastidium minuatur. Igitur nunc dicitur lex, nunc praeceptum, nunc mandatum, nunc sermo, nunc eloquium, nunc verbum, nunc alia, quae perspicua sunt: interdum dicitur testimonium, ut supra monuimus, quoniam lex testificatur voluntatem Dei: interdum Justificatio, ut hoc loco, quia justificat observatores suos, idest, justiores facit, juxta illud Apostoli rom. 2. *Factores legis justificabuntur*. Dixi autem justiores fieri, qui legem observant, quoniam prima justificatio, qua ex peccatoribus efficimur justi, non potest legi tribui, sed gratiae, dicente eodem Apostolo Gal. 2. *Si ex lege esset justitia, ergo Christus gratis mortuus est.*

6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

Colligit magnum fructum ex directione viarum suarum ad custodiendas justificationes Domini. Qui enim attendunt magnitudinem tanti legislatoris, si forte dum operantur, non respiciant ad regulam divinae legis, et inveniant postea opera sua distorta, et non conformia rectitudini legis Dei, miro modo confunduntur, et erubescunt, neque audent oculos ad Deum levare, dicentes intra se: *quis ego sum, qui opera mea, aut verba mea, aut cogitationes meas ausus sum non conformare rectitudini mandatorum summi Legislatoris?* qui ea tanto zelo custodiri jussit? David igitur magnum fructum existimat, ut vere est non habere causam tantae confusionis ideo dicit optavi dirigere vias meas ad custodiendas justificationes Domini, *quia tunc non confundar*, neque erit cur erubescam coram te Domine, *cum perspexero in omnibus mandatis tuis*, idest, cum respexero in omnibus actionibus meis ad regulam mandatorum tuorum, ut rectitudini ejus conformem omnes actiones meas. Porro phrasis est linguae hebraicae, *perspicere in mandatis*, pro eo quos nos dicimus, perspicere ad mandata. Ex his intelligimus quantum distent a spiritu, et pietate Davidis, qui tam multa faciunt opera distorta, et nullo modo conformia legibus Dei, et tamen confusionem illam internam non concipiunt, quia magnitudinem legislatoris non considerant.

7. *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiae tuae.*

Addit, quod non solum non confundentur, sed etiam gratias aget Deo, quod ejus gratia, et adjutorio didicerit observantiam legis divinae. *Confitebor*, inquit, *tibi*, idest, laudabo te, et gratias agam tibi, sive confitebor laudes tuas, et gratiam tuam: *in directione cordis*, idest, in rectitudine cordis, sive rectissimo corde; confitebor autem laudes tuas, *in eo quod didici*, id est, propterea quod gratia tua adjuvante didici, *judicia justitiae tuae*, idest, justissimas leges tuas. Est autem hoc loco observandum, illud, *didici*, non significare simplicem cognitionem, quae ad intellectum pertinet, sed certam persuasionem, et approbationem, quam illi soli habent, qui re ipsa legem observare firmissime apud se constituunt, quomodo accipitur vox discendi Joan. 6. ubi Dominus ait, *omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*: illi enim discunt a patre coelesti, qui intus in corde per infusionem Spiritus sancti certo persuadentur, bonum esse credere vel converti, vel legem servare, etc. nascitur autem haec persuasio ex rectitudine cordis; quia rectis corde optimus videtur Deus, juxta illud psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, quibus autem placet Deus, non possunt non placere omnes voluntates Dei, quae per praecepta manifestantur: quare et ipsa praecepta mirifice placent. Porro per, *judicia justitiae*, intelliguntur eadem praecepta legis divinae, quae nunc dicuntur judicia, nunc justitiae, nunc etiam judicia justitiae. Judicia dicuntur, quia sunt quaedam sententiae a Deo judicatae optimae, sive quaedam decreta, et statuta divina; dicuntur justitiae, quia sunt regulae justitiam continentes; dicuntur denique judicia justitiae, quia sunt judicia et decreta justissima. Itaque sensus versiculi est, laudabo te recto corde, ex eo quod persuasus sum leges tuas esse justissimas, et omnino custodiendas, quos totum non ex me, sed ex gratia tua me habere confiteor.

8. *Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.*

Haec est conclusio primi octonarii, quasi dicat: Igitur cum lex tua custodita faciat beatos, et a te summo legislatore sit proposita, et severissime observari mandata; ego *justificationes tuas custodiam*, idest, decrevi et statui omnibus custodire: sed tu quoque vicissim non me deseras auxilio, et gratia tua, sine qua nihil possum: et si forte justo tuo judicio ad modicum deseras me, ut intelligam infirmitatem meam, et ad te confugere, atque in te confidere discam, saltem *non me derelinquas usquequaque*, idest, omnino, et in perpetuum. In hebraeo habetur, עד מאד *had meod, usque nimis*, sive *usque valde*: quod in eamdem sententiam recidit. Sanctus enim David, bene noverat, nullum esse in hac peregrinatione, qui aliquando non sentiat gratiae subtractionem: ait enim in alio loco, *ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum*; *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus*, psal. 29. et in hoc ipso psal. 118. saepe David repetit, se didicisse mandata Domini, et non minus saepe rogat doceri eadem mandata.

Beth.

1. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*

Laudavit legem Dei a fine et ab auctore: nunc laudat ab utilitate, quam affert ei, cui datur; et quoniam nullus magis indiget lege, quam ingrediens iter vitae, idest, adolescens; ideo de illo peculiariter loquitur. Adolescens enim primo indiget lege Dei, quia in ipso maxime viget lex membrorum: secundo quia nondum acquisivit prudentiam proprio experimento: tertio, quia sicut viatori maxime prodest initio itineris invenire rectam viam, ne postea quam diu erraverit, cogatur majore labore, et dispendio reverti ad principium viae; sic etiam optimum est in adolescentia assuescere mandatis Domini, ut conservet innocentiam. *Bonum est viro*, inquit Hieremias Thren. 3. *cum portaverit jugum ab adolescentia sua*. Quaeritur hoc loco quid intelligendum sit per *adolescentiorem*. Non existimo Davidem loqui de adolescente lapso in varios errores, qualis erat filius prodigus de evangelio Luc. 25. nam ad corrigendos similes errores necessaria est gratia poenitentiae, neque sufficit notitia, vel custodia legis; neque videtur David loqui de juniore ut distingui potest, contra hominem veterem, idest, de homine renovato per gratiam; hic enim agitur de corrigendis erroribus, qui homine renovato correcti censentur. Existimo igitur Davidem simpliciter loqui de adolescente in ratione aetatis, qui indiget remedio contra naturales impetus naturae corruptae, *quae prona est ad malum ab adolescentia sua*, Genes. 8. Est igitur sensus, *in quo corrigit*, idest, qua arte, quo modo, quo remedio *corrigit adolescentior viam suam*, idest, actiones, sive vitam suam corruptam naturali depravatione ex peccato originis, et propensam ad malum? In hebraeo, et graeco habetur in futuro, *in quo corriget*? sed in sensu nulla dissensio est: nam illud, *in quo corrigit*, idem est ac si dictum esset, in quo corrigere potest, sive qui habet, unde corrigat errores, quos committet in adolescentia sua? Respondet, *in custodiendo sermones tuos*, qui enim ab adolescentia assuescit timere Deum, et ex eo sancto timore sermones Dei, divinas videlicet leges diligenter custodire; is haud dubie multos vitabit errores, cujus rei exemplum habemus in Tobia juniore, *quem pater ejus ab infantia Deum timere docuit et abstinere ab omni pecccato. Tob.* 1.

2. *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.*

Ex hac tanta utilitate motus David, petit a Deo gratiam servandi mandata, et proponit omnino illa servare et exemplo suo idem nos facere docet, ac primum ponit rationem, cur exaudiri debeat; quae est ratio evangelii, *quaerite, et invenietis*, et, *omnis qui quaerit, invenit*, Luc. 11. *In toto corde meo*, inquit, *exquisivi te*. Haec est ratio exauditionis, quia exquisivit Dominum toto corde, idest, quaesivit gratiam ejus, et cupivit illi placere, ejusque voluntatem adimplere. *Ne repellas me mandatis tuis*, haec est mira petitio, quasi Deus, qui *mandavit mandata sua custodiri nimis*, repellere velit aliquem a mandatis suis custodiendis. Sed hic modus loquendi significat necessitatem gratiae, quam illi soli cognoscunt, qui cupiunt mandata servare, et virium suarum imbecillitatem experiuntur. Igitur, *ne repellas me a mandatis tuis*, hunc habet sensum, Ne deseras me gratia tua, alioquin idem esset, ac si repelleres me ab impletione mandatorum tuorum, cum sine auxilio gratiae illa servari non possint.

3. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*
4. *Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas.*

Addit aliam rationem, cur exaudiri debeat, et rursum petit gratiam legis implendae. Ratio cur exaudiri debeat, est magnum desiderium non peccandi, ac per hoc legis custodiendae. *In corde meo*, inquit, *abscondi eloquia tua*, idest, in intimo recessu cordis posui legem tuam, sive, quod est idem, *eloquia tua*, ut numquam obliviscar eorum. Finis autem hujus absconsionis est, *ut non peccem tibi*. Itaque desiderium non peccandi, facit ut numquam oblivisci velim legis divinae, et ut numquam obliviscar, abscondi eam in intimo corde, ut nulla res inde mihi illam eripere possit. Praemissa ratione exauditionis, addit petitionem. *Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas*, ubi illud, *doce*, ut supra diximus, non significat simplicem notitiam: hanc enim se habere testatur cum dicit, *in corde se abscondisse eloquia Domini*, et supra dixit, *didici judicia justitiae*, sed significat gratiam implendae legis. Tunc enim Deus docet justificationes suas, cum per gratiam intus in animo inspirat delectationem legis, et facit, ut homo plane persuasus omnino velit legem servare. Illud autem, *benedictus es Domine*, additur ad confirmandam rationem exauditionis, quasi dicat, tu Domine doce me justificationes tuas, qui ab omnibus rebus creatis benediceris, quia imples omnia benedictione, et inde vivunt et florent, unde dicitur in psalm. 83. *Etenim benedictionem dabit legislator*. Itaque Deus benedicitur, et benedicit; benedicitur dum laudatur, benedicit dum beneficia praestat.

5. *In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui.*
6. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.*
7. *In mandatis tuis excercebor, et considerabo vias tuas.*
8. *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.*

In his quatuor reliquis versiculis declarat amorem suum erga legem Domini; fortasse mox benedictionem legislatoris acceperat, quam paulo ante petierat. Dicit enim se habere legem Dei in ore, in voluntate, in intelligentia, et memoria, ac per hoc in omnibus partibus animae. De ore dicit, *in labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui*, idest, assidue locutus sum, et praedico praecepta tua omnibus, qui audire volunt: per judicia enim praecepta intelligimus, et per id quod additur, *oris tui*, intelligimus praecepta illa non esse humana, sed divina, cum ore Domini manifestata sint. De voluntate, et affectu dicit, *in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis*, idest, delectatus sum ambulare in via testimoniorum tuorum, sicut delectantur avari in omni copia divitiarum. Magnus sane affectus, et rarus apud homines, cum e contrario soleant plerique pro tenui lucro contemnere omnia mandata Dei. De intelligen-

http://www.obrascatolicas.com

tia,sive cogitatione,dicit,*in mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas*: nam,*exercebor*,hoc loco,significat exercebor meditando,ut ex voce hebraica, אשתעשע *estahasciah*, manifestum est; unde etiam subditur idem aliis verbis, *et considerabo vias tuas*. Est igitur sensus,In mandatis tuis ruminandis, et saepe mecum submissa voce repetendis, et diligenter considerandis exercebor. De alio affectu cordis dicit, *in justificationibus tuis meditabor*. Illud enim meditabor, non est idem hoc loco cum exercebor, quod recte verti potuisset, *meditabor*, sed significat, delectabo meipsum ludendo in justificationibus tuis decantandis: vox enim hebraica, אשתעשע *estahasciah*,significat, *ludere et oblectare seipsum*. Supra dixerat, *delectatus sum in via testimoniorum, sicut in omnibus divitiis*, ubi mentionem facit delectationis ex re utili: nunc dicit, *oblectabo meipsum ludendo in mandatis tuis*,ut ostendat ex lege Domini sumi etiam delectationem tamquam ex re dulci et suavi. Quomodo etiam in psal.18. comparata est lex Domini auro et melli, rei utili, et dulci.Hic igitur est sensus hujus versiculi,*in justificationibus tuis meditabor*,id est,in praeceptis tuis decantandis exercebor,ut inde delectationem animo percipiam,qualis jucunde ludendo percipitur.Addit ultimo de memoria. *Non obliviscar sermones tuos*,idest,ex tam crebra meditatione et suavi decantatione fiet. *ut sermones tuos*, idest,legem tuam, *numquam obliviscar*. Hinc colligimus legem Domini habentibus benedictionem legislatoris, idest, spiritum veracharitatis, non esse gravem, neque difficilem, sed esse,ut Dominus ait in evangelio Matth.11. *Jugum suave, et onus leve*.

Ghimel.

1. *Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos.*

In hoc octonario enumerat impedimenta legis custodiendae, et orat, ut a se removeantur. Primum impedimendum est mors animae:non enim possunt homines mortui servare mandata vitae, eo modo, quo opertet ad vitam aeternam acquirendam.David autem etiamsi sperare poterat, se esse vivum, tamen *quia nemo scit utrum odio,vel amore dignus sit*, Eccles.9. et quia transfigurabat personas peccatorum in se, ideo vel pro se, vel pro illis orat,et dicit, *retribue servo tuo.vivifica me,et custodiam sermones tuos*, idest, restitue servo tuo,si forte in peccatis mortuus sit, vitam animae,et tunc sermones tuos custodire poterit. Illud, *retribue*, posset etiam explicari pro tribue:nam vox hebraica. גלום *ghemol*, id facile patitur: tamen hoc loco servare possumus propriam significationem latinam,si per *retribue* intelligamus *restitue*, vel redde illud: *vivifica me*, in hebraeo et graeco est,*vivam*,et tunc sensus est, *retribue ut vivam*, idest, restitue, vel redde vitam. Verba nostrae editionis sunt paulo obscuriora,sed in eumdem sensum explicanda sunt; nimirum sic,*retribue servo tuo*,idest,iterum tribue mihi servo tuo per gratiam,quod amisi per peccatum, et mox explicat dicens,*vivifica me*,hoc enim est, quod amisi; et vitae restitutus ambulare incipiam viam mandatorum tuorum, *et sic custodiam sermones tuos*.

2. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

Alterum impedimentum sunt passiones animi, amor, timor, desiderium, ira, et similes perturbationes,quae saepe faciunt,ut homo non recte judicet: et hoc dicit, *revela oculos meos*, id est, tolle per infusionem luminis tui velamen passionum ab oculis mentis meae, et tunc oculo interiore purificato, *considerabo mirabilia de lege tua*,idest,mirabilem aequitatem, mirabilem sapientiam,mirabilem utilitatem, et alia id genus mirabilia, quae de lege tua emicant.

3. *Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua.*

Tertium impedimentum est terrena peregrinatio.nam qua parte peregrinamur in terra,carnales, et terreni sumus:*lex autem tota spiritualis est*,ut dicitur roman.7. Quare nisi Deus per gratiam nos spirituales efficiat, legem spiritualem implere non possumus. *Incola*, inquit, *sum in terra*, idest,homo terrenus sum, animalis sum, in terra habito, dum peregrinor a patria:ideo peto,*ut non abscondas a me mandata tua*,idest,per gratiam efficias, ut capax fiam mandatorum tuorum. Potest etiam hoc referri ad ignorantiam viarum:vox enim hebraica,גר *gher* proprie *advenam,et peregrinum* significat; peregrini autem, et advenae ignorantes sunviarum,et facile decipiuntur a civibus regionis.Petit igitur advena et peregrinus Deus illi viam bonam ostendat, ac dicit,*non abscondas a me mandata tua*, idest, fac ut me non lateat via mandatorum tuorum, quae sola est recta via qua ducit ad vitam.

4. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.*

Quartum impedimentum est imperfectio. Pauci enim sunt viri perfecti qui toto corde diligant legem Dei,et ex amore justitiae operentur bona.Plurimi autem bonis desideriis languntur, sed ultra non proficiunt. In horum persona Propheta dicit, *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore*: non potuit dicere, *concupivit anima mea implere mandata tua*, sed imperfectionem suam confessus,ait: *concupivit desiderare*, et haec ipsa confessio imperfectionis est petitio perfectionis, quam Deus concedit, cum facit hominem ardenter desiderare custodiam mandatorum. Recte docet sanctus Augustinus, aliud esse concupiscentiam desiderii extra potentiam concupiscentem; aliud concupiscentiam desiderii intra eamdem potentiam:concupiscentia enim prior potest esse sine desiderio ejus rei, quae concupiscitur; posterior non potest: exempli gratia,aegrotus qui laborat inappetentia cibi, concupiscit desiderare cibum,et tamen non habet desiderium cibi,

quia concupiscentia desiderii est in voluntate rationali, desiderium cibi deberet esse in faucibus, et palato,ubi tamen non est,dum ibidem manet inappetentia cibi.At concupiscentia desiderii mandatorum Domini, in voluntate rationali est,et in eadem esse debet desiderium mandatorum: quare fieri non potest,ut homo concupiscat desiderare,et non desideret;quia ipsa cuncupiscentia est desiderium mandatorum. Intelligendum igitur est per concupiscentiam desiderii significari imperfectum desiderium, ut paulo ante diximus; qui enim imperfecte desiderat, vult,et non vult;cupit, et non cupit: et ejusmodi sunt plurimi,qui desiderant beatitudinem regni coelorum, sed ita frigide, ac tenuiter,ut nullus inde sequatur effectus:qui si ardore illo desiderarent, quo res tanta desideranda est,sine dubio non quiescerent, donec ad illam pervenirent: sed qui tales sunt,cum Davide impedimentum suum in oratione Domino manifestent ac dicant, *concupivi desiderare justificationes tuas*,adjuva ut perfecte, ardenterque desiderem, ut desiderium in opus transeat, et mandata tua custodiam in omni tempore.

5. *Increpasti superbos, maledicti qui declinat a mandatis tuis.*

Quintum impedimentum omnium maximum superbia est, quae non sinit collum jugo submittere, sed hoc impedimentum in se David non agnoscebat, neque in sui similibus,sed solum in hostibus Dei: ideo simpliciter illud execratur. *Increpasti*, inquit, *superbos*, qui videlicet ex contemptu mandata non servant.Talis fuit initio mundi lucifer,quem Deus increpatione sua ad inferos tanto impetu deturbavit, ut Dominus dicat, *videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem*, Luc. 10. Talis fuit et Adam,qui ex superbia,qua fieri voluit sicut Deus, Deo non obedivit,et a Domino increpatus tulit sententiam mortis pro se, et pro toto humano genere. Vide s. Augustinum tract. 4. in epist. Joannis, et in psal. 68. vers.6. et lib.14. de civit. Dei cap.13. Denique superbos omnes terribili increpatione Deus in judicio feriet:et ideo subjungit David, *maledicti qui declinant a mandatis tuis*,nimirum qui declinant potissimum ex superbia,et contemptu Legislatoris: illis enim praecipue dicetur,*ite maledicti in ignem aeternum*. Matth. 25.

6. *Aufer a me opprobrium, et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.*
7. *Etenim sederunt principes, et adversus me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in stificationibus tuis.*

Superbi non solum obedire Deo recusant,sed etiam contemnunt, et contumeliis afficiunt eos, qui obediunt: sed tandem contemptus, et opprobrium in eos recidet, ut hoc loco David praedicit:nam ut saepe ex Augustino monuimus; ea quae videtur in psalmis imprecationes,praedictiones sunt per modum imprecationis. Ait igitur, *aufer a me opprobrium, et contemptum*, idest, tempus erit, cum auferes a me opprobrium,et contemptum,et in superbos inobedientes rejicies: *quia ego testimonia tua exquisivi*,quae illi videlicet exquirere contempserunt.In hebraeo habetur, נצרתי *natsarti,quia testimonia tua custodivi*,sed septuaginta verterunt, *exquisivi*, quod exponi debet,exquisivi ut custodirem. Declarat autem sequenti versiculo, cur dixerit,*aufer a me opprobrium,et contemptum*, dicens *etenim sederunt principes,et adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis*. Principes enim superbi sederunt, vel congregati in concilium,vel in thronis suis judicantes, vel quiescentes in divitiis, et potentia sua, *et adversus me loquebantur*, exprobrantes obedientiam mandatorum Dei. *Ego autem servus tuus*, non respiciens ad minas, vel opprobria eorum, *exercebar in justificationibus tuis*, videlicet, considerandis, praedicandis, et adimplendis. De quibus principibus David loquatur ad litteram, incertum est: mystice autem haec referuntur a patribus ad principes infideles, qui Martyres persequebantur.

8. *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuae.*

Explicat quod dixit, *exercebar in justificationibus tuis*. Dicit enim, *testimonia Domini, et justificationes Domini*, hoc est,praecepta Domini,fuisse sibi loco dulcis consolationis,in rebus adversis; in dubiis autem loco fidelis consiliarii. In hebraeo habetur, *nam testimonia tua gaudium meum, viri consilii mei*, idest,lex tua mihi gaudium afferebat, et erat quasi vir consiliarius: nam in ea cogitanda oblectabar, et cum ea consultabam negotia mea. Ad hunc sensum reducenda sunt verba nostrae editionis, ut cohaereant cum textu originali. Hic igitur erit sensus: *nam et testimonia tua meditatio mea est*, idest,lex tua est mihi dulcis exercitatio, quasi ludi, vel cantici,unde consolationem accipio in rebus tristibus: *et consilium meum justificationes tuae*, idest, et consilium meum, et quasi senatus meus, quem consulo in rebus dubiis, sunt mihi *justificationes tuae*, idest, eadem lex tua.

Daleth.

1. *Adhaesit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.*

In hoc etiam octonario David induit personam hominis imperfecti, qui ex carnali concupiscentia retardatur a perfecta impletione mandatorum, et petit gratiam,et adjutorium ad servanda mandata. *Adhaesit*, inquit, *pavimento anima mea*; idest, adhaesit terrae, hoc est terrenae substantiae, per amoris affectum anima mea. *Vivifica me secundum verbum tuum*, idest,da mihi vitam conformem legi tuae: nam adhaerendo terrae factus sum terrenus, adhaerendo carni factus sum carnalis; sed si vixero secundum legem tuam, quae spiritualis est adhaerebo Deo, et unus spiritus fiam cum eo. In hebraeo habetur,*Adhaesi*, לעפר *leaphar pulveri*; sed idem est sensus: nam pavimentum est ter-

http://www.obrascatolicas.com

ra, vel ex terra. Itaque qui adhaeret pavimento, adhaeret terrae. Notat s. Augustin. nunc animam adhaerere carni, sive terrae, et ideo fieri carnalem et terrenam, et impediri ab observatione perfecta legis: sed post resurrectionem gloriosam, caro adhaerebit animae, et anima Deo, et ideo tunc caro fiet spiritualis, et anima quodammodo deificabitur, et sine ulla difficultate perfectissime legem observabit, imo non egebit lege, quia sine lege, ea quae sunt legis implebit.

2. *Vias meas annunciavi, et exaudisti me: doce me justificationes tuas.*

Pergit in confessione miseriae, et petitione gratiae. *Ego*, inquit, *vias meas annunciavi*, idest, actiones malas, quae proprie meae sunt, non erubui confiteri, sed palam enunciavi, *et tu exaudisti me* parcens mihi, solita misericordia tua. *Doce me justificationes tuas*, idest, nunc reconciliatus peto, ut diceas me justificationes tuas, idest, praecepta tua servare me facias. Illi enim, ut supra diximus, in hoc psalmo docere intelliguntur, qui ita persuadentur ut faciant.

3. *Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.*

Proficere cupit in via Domini, ideo magis, et magis precibus instar, ut doceatur a Deo, *viam*, inquit, *justificationum tuarum instrue me*, idest, diligentius doce me, quae sit via praeceptorum tuorum, quomodo videlicet ambulare debeam in lege tua. *Et exercebor in mirabilibus tuis*, idest, in schola tua edoctus exercebor in custodiendis illis etiam praeceptis, quae tam mirabilia sunt, ut prae altitudine vix per ea incedi posse videatur, qualia sunt, *diliges Deum ex toto corde*; et, *Non concupisces*; et, *Diliges inimicum tuum*, et similia.

4. *Dormitavit anima mea prae taedio, confirma me in verbis tuis.*

Iterum redit ad infirmitatem carnis confitendam, et misericordiam postulandam. Nam in hac peregrinatione vix invenitur, qui non aliquando laxetur et prae taedio continuae luctae, quam habet spiritus cum carne, dormitet, et tepidior fiat. *Dormitavit*, inquit, *anima mea prae taedio*, dum videlicet taedet ambulare viam laboriosam, carne cupiscente adversus spiritum. *Confirma me in verbis tuis*, idest, in praeceptis tuis sectandis confirma me, addito fervore gratiae tuae, quo excitatus ambulare non cessem. In hebraeo pro verbo *dormitavit*, est verbum, דלפה *dalepha*, *distillavit*. Non est improbabile septuaginta Interpretes vertisse εσταξεν, quod est, *distillavit*, et postea errore librariorum factum esse, ενυσταξεν, quod est, *dormitavit*. Certe s. Ambrosius utriusque lectionis meminit. In hebraeo autem nulla est similitudo literarum inter *dormitavit* et *distillavit*: nam distillavit scribitur, דלפה *dalepha*; *dormitavit* scribitur, ינום *janum*; sensus tamen in idem recidit: nam *distillavit anima mea*, significat, defecit anima mea instar earum rerum, quae liquefiunt, et distillant humorem suum. Qui autem deficiunt, et liquefiunt prae tristitia, solent etiam deficiendo dormitare. Luc. 22. *Invenit eos dormientes prae tristitia.* Vox *taedium*, graece est, ακιδια; accedia autem est tristitia de bono opere faciendo.

5. *Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.*

Declarat pluribus verbis, quod uno verbo dixerat, *Confirma me. Viam*, inquit, *iniquitatis amove a me*, idest, fac per gratiam tuam, ut longe recedam a via iniquitatis, idest, a lege peccati, quam ingredi incipiebam dormitando prae taedio: et contra, *de lege tua miserere mei*, idest, misericorditer operare, ut ambulem per legem tuam. In hebraeo habetur *viam mendacii amove a me*, et opponitur ei, quod dicitur in sequenti versiculo, *viam veritatis elegi*, sed sensus est idem: nam via iniquitatis est via mendacii, quia est via falsa, et fallax, et potius devium, quam via; et per eam ambulare, non est viam carpere, sed deviare. Illud autem, *de lege tua miserere mei*, est clarius in hebraeo, זתורתך חנני *vethoratheca chonneni*, *legem tuam dona mihi*, sed idem sensus: est enim ac si dixisset, miserere mei donando legem tuam.

6. *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.*

Hactenus confessus est miseriam, quam ex se habet: nunc in sequentibus versiculis declarat, quid possit ex misericordia Dei, quasi dicat, ex me viam mendacii elegi: sed ex misericordia tua, qua de lege tua misertus es mihi, *viam veritatis elegi*, idest, jam serio proposui veram viam, quae est via mandatorum tuorum ambulare: et ex misericordia tua, *judicia tua*, idest, legem tuam, *non sum oblitus*, quamvis caro adversus spiritum vehementer concupisceret.

7. *Adhaesi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.*

Ex me adhaesi pavimento; sed ex misericordia tua, *adhaesi testimoniis tuis*, et quamvis carne serviam legi peccati, tamen mente servio legi tuae, et ideo *noli me confundere*: quod fieret, si auxilio tuo me destitueres.

8. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum:*

Ex me dormitavi prae taedio, sed ex misericordia tua *viam mandatorum cucurri*, idest, alacriter, expedite, cum delectatione legem tuam servavi, *cum dilatasti cor meum* per infusionem charitatis, quae facit jugum suave, et onus leve.

He.

1. *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper.*

In hoc octonario petit ordine quodam primo desiderium observandae legis, deinde lumen ad eam intelligendam, tertio gratiam ad implendam: postea vero petit remotionem contrariorum: David enim in hoc longissimo psalmo rem eamdem saepius repetit, sed sub variis verborum formis, ad excitandum affectum, et tollendum fastidium. Primi versiculi hic sensus est, fac Domine, ut nullam aliam legem velim, nisi legem tuam. *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum*, idest, statue mihi pro lege viam justificationum tuarum, idest, pone mihi in corde desiderium solius legis tuae. In hebraeo clarius habetur, *Domine me viam praeceptorum tuorum.* Sed septuaginta Interpretes considerantes quod a verbo, ירה *jarah*, sit vocabulum, תורה *thorah*, quod legem significat, prudenter intellexerunt verbum, הורני *horeni*, quod hoc loco habetur, non solum docere, sed etiam legem ferre significare posse, et ideo verterunt, νομοθετησον, quod latinus uno verbo exprimere non potuit, et ideo sensum obscuriorem fecit. Hinc cessant quaestiones, cur dicatur, *legem pone*, cum jamdudum lex tradita sit, et cur justus roget, ut sibi lex ponatur cum Apostolus dicat 1. Tim. 1. *justo non est lex posita.* Hae quaestiones cessant, quia non petit Propheta sibi legem absolute poni, sed petit, ut per gratiam Dei fiat, ut sibi non placeat lex peccati vel mundi, vel carnis, sed sola lex Dei: illam solam sibi in corde, in desiderio, in affectu poni cupit, et ideo subdit, *et exquiram eam semper*, idest, si illam solam ex munere tuo desiderabo, fiet, ut in omni mea actione quaeram quid jubeat lex tua. S. Hieronymus vertit, *vestigium*, pro eo quod nos habemus, *semper*, sed vox hebraea, עקב *hekeb*, est ambigua, *et vestigium et finem*, significat, et utroque modo sensus est bonus, sive dicat, *exquiram vestigium*, nimirum legis, hoc est, sequar eam: sive, *exquiram usque in finem*, idest, semper.

2. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.*

Posteaquam petivit desiderium sive affectum legis, petit etiam intellectum, ut recte illam intelligat, et scrutari possit ejus utilitates, et praestantiam, ac caeteras ejus laudes, idque *ut custodiat illam in toto corde suo*: non enim cupit intelligere ad curiositatem, sed ad observantiam.

3. *Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.*

Nunc tertio postulat gratiam implendi legem. *Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum*, idest, fac me implere mandata tua, id enim est incidere per semitam mandatorum. Vocantur autem semitae, quia semitae sunt viae angustae, breves, rectae, mundae, per quas non solent incedere nisi homines pedites; non equi, non currus: et talis omnino est lex Domini, si comparetur ad leges carnis, et mundi, quae sunt viae latae, sordidae, obliquae, et per eas animalia expertia rationis, idest, homines animales, et carnales incedunt. Ratio autem cur debeat exaudiri, est in illis verbis, *quia ipsam volui*, idest, quia hanc semitam elegi, et per eam ambulare desideravi, ex munere Dei: docet enim, *ut qui dedit velle, det etiam perficere* juxta promissionem Apostoli, Philip. 2. *Qui operatur in nobis velle et perficere.*

4. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.*

Hic versiculus respondet primo: ibi enim oraverat pro affectu cordis erga legem Dei: hic orat pro remotione affectus avaritiae, qui maxime impedit affectum erga legem Dei *Inclina cor meum in testimonia tua*, idest, infunde cordi meo copiosam gratiam, per quam inclinetur in custodiam legis tuae, *et non in avaritiam*, idest, et non inclines cor meum in avaritiam. Dicitur autem Deus inclinare aliquem in malum, quando deserendo gratia sua, sinit illum inclinari in malum. Itaque isto modo loquendi scriptura sancta demonstrat potentiam gratiae; non autem quod Deus proprie inclinet aliquando ad malum: similia sunt illa roman. 1. *Tradidit illos in reprobum sensum*, et Isaiae 63. *Quare nos errare fecisti de via tua?*

5. *Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.*

Hic etiam versiculus recto ordine respondet secundo: nam ibi petiit domum intelligentiae ad considerandam legem: hic petit, ne oculi mentis avertantur a lege ad vanitates. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*, idest, ne occupentur in cogitandis temporalibus rebus, quae vanae sunt, sed potius effice, ut totus intendam legi tuae, et sic *in via tua vivifica me*, idest, in via tua ambulantem, hoc est legem tuam custodientem vivifica, refice, et conserva.

6. *Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.*

Nonnulli significari existimant per eloquium Domini prossima Domini, et volunt sensum esse, *statue eloquium tuum*, idest, imple promissa tua. Nos autem existimamus cum s. August. per eloquium, intelligi legem, et sensum esse, *statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, idest, fac ut per sanctum timorem tuum statuatur, confirmetur, solidetur, lex tua in servo tuo, ut immobiliter in illo haereat et perseveret. Itaque respondet hic versiculus tertio versiculo: ibi enim petitur gratia legis implendae; hic petitur remotio instabilitatis, et petitur gratia perseverantiae.

7. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum; quia judicia tua jucunda.*

Magnum erit opprobrium in die judicii, et nunc est etiam in conspectu angelorum, non perseveras-

http://www.obrascatolicas.com

se in lege servanda, cum lex Domini non solum utilis, sed etiam suavis sit, et jucunda. Ideo cum petiisset gratiam perseverantiae, addit quasi rationem, timorem videlicet opprobrii, quod sequetur non perseverantes. *Amputa*, inquit. *opprobrium meum, quod suspicatus sum*, idest, quod timui si non perseverarem in lege tua, cum tam bona sit: judicia enim in hoc psalmo praecepta significant.

8. *Ecce concupivi mandata tua, in aequitate tua vivifica me.*

Concludit petitiones hujus octonarii dicens, jam satis patere, quod ex corde cupiat mandata servare. *Ecce*, inquit, *concupivi mandata tua*, quasi dicat, ecce appareat quod serio cupiam mandata tua ideo *in aequitate tua*, idest, in ipsis mandatis tuis, idest, in observatione mandatorum *vivifica me*, idest, auge, et conserva mihi spiritualem vitam. Justus enim justificatur adhuc, dum mandata custodit.

Vau.

1. *Et eveniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.*

Illud, *et*, nihil continuat, sed additur ad initium librorum, vel capitulorum ornatus gratia apud hebraeos: sic enim incipit liber levitici, liber Ruth, liber Ezechielis, sic incipiunt multa capitula, ut Isaiae 7. *Et factum est*, et cap. 8. *Et dixit Dominus*, In hoc autem octonario ad singulos versus additur, *et*, quoniam debent omnes versus incipere per Vau, et per hanc literam nulla fere vocabula incipiunt expecta conjunctiva particula *et*. Petit autem propheta initio octonarii misericordiam Dei, ac deinde in reliquis versibus declarat effectus hujus misericordiae, qui potissimum pertinent ad legis divinae custodiam, quem finem, et quasi scopum totus psalmus respicit. Ait igitur, *veniat super me misericordia*, idest, descendat ex alto gratia tua, et misericordia. *super me*. Declarat autem quae sit haec misericordia, addens, *salutare tuum secundum eloquium tuum*, idest, salus tua, sive misericordia sanans animam *secundum eloquium tuum*, quo promisisti misericordiam, et salutem sperantibus in te.

2. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.*

Et cum venerit super me misericordia tua secundum promissionem tuam, non timebo adversarios exprobrantes mihi, quod frustra Deum timeam: nam *respondebo illis verbum verum*, cui non poterunt contradicere, quod videlicet *speraverim in sermonibus tuis*, qui promissa tua servare potes, quia es omnipotens, et servare vis, quia bonus es.

3. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi.*

Oro autem ut hoc verbum veritatis, quo glorior adversus exprobrantes mihi, *non auferas de ore meo*, idest non efficias, me destituendo gratia tua, ut non audeam hoc verbum loqui, non claudas ora de te confidentis, et promissa tua praedicantis: vel si auferas ad modicum, ut probes me; non auferas *usquequaque*, non auferas omnino, vel in aeternum. *Quia in judiciis tuis supersperavi*: idest, quia in tua justitia et fidelitate multum omnino speravi. S. Augustinus refert hoc ad electos martyres, qui si ad tempus permissi sunt negare veritatem; non tamen usquequaque negare permissi sunt, sed post negationem fleverunt, et post confessionem coronam meruerunt, quales fuerunt s. Petrus, s. Marcellinus, et alii permulti.

4. *Et custodiam legem tuam semper in saeculum, et in saeculum saeculi.*

Hic jam subjicit effectum misericordiae sanantis animam, qui est perpetua legis divinae custodia.

5. *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.*
6. *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum et non confundebar.*
7. *Et meditabar in mandatis tuis, quae dilexi.*
8. *Et levavi manus meas ad mandata tua quae dilexi; et exercebar in justificationibus tuis.*

His quatuor versiculis explicat per partes quae sit perpetua legis custodia, quam promisit in quarto versiculo, dicens, se corde, verbo, mente, et opere in lege Domini semper futurum, et quidem in hebraeo textu haec omnia habentur in futuro, *ambulabo, loquar, meditabor, levabo, exercebor*. Sed quia tempora variant significationes apud hebraeos, non debent reprehendi septuaginta et latinus Interpres, qui per praeteritum imperfectum ista reddiderunt. Videtur autem Propheta, ut mox exauditus mutasse modum loquendi. Dicit enim, *et ambulabam in latitudine*, idest, veniente misericordia Domini super me, jam ambulabam non in angustiis timoris, sed in latitudine dilectionis, idest, libenter, cum gaudio, magno affectu cordis legem servabam, quia *illam exquisivi*, ut rem valde desideratam et amatam, *et loquebar* libere, et sine timore de justitia sanctissimae legis, etiam *coram regibus iniquis, et non confundebar*, et assidue cum animo meo de ipsa lege cogitabam, et ejus mysteria meditando considerabam, *et levavi manus meas* ad implenda mandata sublimia, et excelsa, idest, valde perfecta et ardua; vel, ut exponit s. Augustinus, levavi manus meas ad opera legis, quia propter finem altissimum legem custodivi; qui enim propter mercedem temporalem legem custodiunt, non levant, sed deprimunt manus dum operantur, neque dicere possunt, *ad mandata tua quae dilexi*: non enim diligunt mandata, qui legislatorem non diligunt. Denique his omnibus modis idest, corde, mente, verbo, et opere *exercebar in justificationibus tuis*.

Zain.

1. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.*

In hoc octonario canit Propheta aeternam retributionem, quam Deus legem servantibus repromisit, ac propter eam spem dicit, se et legem servasse et in tribulatione consolationem accepisse, et de iniquorum praevaricatione doluisse. Non potest oblivisci Deus, nec voluntatem mutare, neque sententiam retractare: sed per figuram quamdam sermonis humani dicitur Deus oblivisci, quando differt implere quod promisit, quasi promissi sui esset oblitus. Differt autem aliquando Deus implere promissa sua, non oblivione, sed judicio: quamvis facturus sit omnino Deus quod facere decrevit, vult tamen rogari a fidelibus servis suis, et haec oratio est unum ex mediis, per quae Deus promissa sua adimplere decrevit. Orat igitur David id persona sua, et aliorum fidelium dicens, *memor esto verbi tui*, id est, promissi tui, *in quo mihi spem dedisti*, cum dixisti servo tuo Abraham Gen. 17. et in illo omnibus filiis ejus, *ambula coram me, et esto perfectus*, Gen. 15. *ego ero merces tua magna nimis.*

2. *Haec me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.*

Illud *haec*, non potest proprie referri ad spem, ut communiter exponitur, quoniam in textu hebraico, unde caeterae editiones translatae sunt non habetur nomen spei, sed verbum, et verti potuisset, *memor esto verbi tui, in quo me sperare fecisti*. Sensus igitur est. *haec res*, sive hoc me consolatione affecit in humilitate mea, idest, in afflictione, et despectione mea, quia *eloquium tuum*, idest, promissio tua, *vivificavit me*, idest, vitam et spiritum mihi tribuit, vel roboravit, et auxit.

3. *Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.*

Vita et vigor, quem mihi tribuit promissio tua, in causa fuit, ut non declinarem a lege tua, etiamsi *superbi irrisores inique agerent valde*, cum me irrisionibus suis a legis custodia avertere conarentur. In hebraeo pro, *inique agebant*, habetur, הליצני *helitsuni, irridebant me*. Sed idem est sensus.

4. *Memor fui judiciorum tuorum a saeculo Domine, et consolatus sum.*

In humilitate et irrisionibus *memor fui judiciorum tuorum a saeculo*, idest, judiciorum, quae ab initio saeculi exercuisti exaltans humiles, et superbos deprimens, reddens custodientibus legem tuam praemia magna, et praevaricatoribus magna supplicia, et hinc accepi in omni tribulatione mea solatium.

5. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

Eadem illa spes tantae mercedis fecit, ut miserer hominum peccatorum, qui derelinquentes legem tanto bono privantur. Vox hebraica, צלעפה *zalhaphah*, pro qua nos habemus *defectio*, significat horrorem, sive *tremorem*, ardorem, sive aestum. Sed noster interpres vertit, *defectionem*, ut significaret tantum esse horrorem, et aestum, de quo agit Propheta, ut defectionem inducat: magnae charitatis indicium est, contremiscere, ardere, deficere ex misericordia erga peccatores, vel ex dolore offensionis divinae: nam de utraque defectione versiculus iste potest exponi.

6. *Cantabiles mihi erant justificationes tuae in loco peregrinationis meae.*

Iniqui legem derelinquunt, quia insuavem esse judicant; mihi autem scienti, quanta merces reposita sit custodientibus legem tuam, *justificationes tuae*, idest, praecepta tua usque adeo dulcia et suavia erant, ut in hac peregrinatione, qua peregrinamur a patria, dulce canticum fuerint. In hebraeo legimus, *carmina mihi fuerunt praecepta tua*; quare illud, *cantabiles*, significat leges Domini non fuisse sibi graves, quae cum labore portandae essent; sed suaves, quae instar carminum oblectare possent.

7. *Memor fui nocte nominis tui Domine, et custodivi legem tuam.*

Illa beata spes tantae promissionis non solum interdiu, sed etiam *noctu mihi nomen tuum in memoriam revocabat*, et ex affectu nominis tui, idest, ex ardenti amore tuo perseveravi in custodia legis tuae.

8. *Haec facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.*

Quaerunt interpretes, quid sit illud, *haec*, an haec spes an haec lex, an haec promissio, an quid aliud. Sed apud hebraeos genus foemininum ponitur pro neutro quo illi carent. Itaque sensus est, *hoc*, totum mihi evenit, nimirum, ut promissiones Dei considerarem, et spem inde conciperem, et caetera bona, quae inde nata sunt; *quia justificationes tuas exquisivi*. Vult enim propheta in hoc psalmo, qui est encomium legis, omnia referre ad ipsam legem diligenter investigandam et amandam; ut hac ratione excitet homines ad considerationem et impletionem legis.

Cheth.

1. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.*

In hoc octonario ponitur initio haec propositio, *Dominus est portio mea*, inde deducitur desiderium legis diligenter custodiendae, et preces ad Deum pro gratia legis implendae non obstantibus quibuslibet impedimentis. *Portio mea Domine*, subintelligitur, *tu es*. Quamvis enim aliqui conjungant

http://www.obrascatolicas.com

cum sequentibus, ut sensus sit, *Portio mea* o *Domine, dixi*, erit *custodire legem tuam*, tamen multo verius est, sensum esse, *portio mea* tu es Domine, nam in graeco additur verbum, *es*, et in hebraeo ponitur distinctio post vocabulum, *Domine*, et posset etiam legi, *portio mea Dominus*, estque id conforme aliis locis, ut in psal. 15. *Dominus pars haereditatis meae*, et psal. 72. *Pars mea Deus in aeternum*, et Thren. 3. *Pars mea Dominus*, et sic exponunt hunc locum sancti Patres Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus. Foelix anima, quae ex corde dicere potest, *portio mea* tu es *Domine*, idest, omnibus rebus creatis abrenuncio, nihil juris in eis habere cupio, occupet ea quicumque voluerit, mihi tu Domine solus sufficis, neque aliud requiro, aut requiram in aeternum, et quia ut te aliquando possideam, tibi soli placere cupio, ideo *dixi, statui*, firmiter proposui *custodiri legem tuam*; scio enim, quia non dignaris esse portio eorum, qui legem tuam custodiunt.

2. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.*

Dixit, custodire legem Domini, sed quia sine adjutorio Dei vires humanae non sufficiunt, ideo *deprecatur faciem Domini in toto corde suo*, et dicit, *miserere mei secundum eloquium tuum*, idest, secundum promissionem tuam: *miserere mei* ut te adjuvante impleam, quod te inspirante decrevi.

3. *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua.*

Non satis est Deum orare, sed oportet etiam cooperari auxilio Dei, ideo Propheta posteaquam precatus est Deum, addit, *cogitavi vias meas*, rectene, an secus ambularem; item consideravi actiones meas, an legi Dei conformes essent, *et converti pedes meos in testimonia tua*, idest, et converti affectus meos a lege carnis, et peccati, ad legem tuam Domine, quae sola est via recta.

4. *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

Nec solum legem custodire decrevi, sed promptus fui statim aggredi opus justum; neque ulla perturbatio me retardare potuit a custodia legis tuae. In hebraeo legitur, *festinavi et non tardavi custodire mandata tua*. Sed idem est sensus: nam qui imparatus est, non potest festinare: et qui turbatur, haerere solet, et moram facere: Ideo illud, *paratus sum*, sic explicandum: Nullum tempus observandae legis me imparatum inveniet, ut festinare non possim, sed semper paratus sum, et expeditus ad opus celeriter implendum: et numquam turbatus sum, ut propterea moram facere me oporteat.

5. *Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.*

Non defuerunt tamen, qui me perturbare et retardare conarentur; nam *funes peccatorum*, id est, laquei, sive retia varia tentationum, quae peccatores homines, sive daemones tendere solent, *circumplexi sunt me, et tamen legem tuam non sum oblitus*, idest, facere non potuerunt tentationes illae, ut legis tuae obliviscerer, et ab ipsa implenda retardarer.

6. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuae.*

Quia tu es Domine portio mea; non solum interdiu, sed etiam noctu, imo etiam media nocte, quando summa quies est in terris, vocavi legi tuae considerandae; *surgebam* enim *media nocte ad confitendum tibi*, idest, ad te laudandum super *justissima et sapientissima praecepta tua*. S. Aug. interpretatur hunc versiculum de tempore persecutionis, quod per noctem significari solet. Sed ad litteram videtur omnino intelligendus Propheta de laudibus nocturnis, ut exponunt Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, et alii fere omnes. Atque hinc didicit Ecclesia surgendum esse media nocte ad nocturnam psalmodiam: hunc enim locum allegant auctores, qui de divinis Officiis scripserunt.

7. *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.*

Hoc etiam deducitur ex prima illa propositione, *portio mea Dominus*: omnes enim timentes Deum, et custodientes mandata ejus, colligantur tamquam membra viva in unum corpus, glutino charitatis, quae dicit, *portio mea Dominus*; et hoc modo *singuli sunt participes omnium*, quia charitas facit omnia communia: *et si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra*; *et si dolet unum membrum, condolent omnia membra*, ut ait Apostol. 1. Corinth. 12. S. August. exponit hunc versiculum de Christo, qui per assumptionem carnis humanae factus est particeps omnium timentium Deum, juxta illud Apostoli ad hebraeos 2. *Quia pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse participavit eisdem*; et paulo ante, *unde*, inquit, *non confunditur fratres eos vocare*; sed prior expositio est communis, et magis litteralis.

8. *Misericordia tua Domine plena est terra: justificationes tuas doce me.*

Ego quidem *particeps sum omnium timentium te*: sed misericordiae tuae participes sunt omnes qui habitant in terra, et boni et mali; et homines et jumenta, et animata, et inanimata. Proinde miserere mei, *ut doceas me justificationes tuas*; haec enim summa miseria est non scire legem tuam, ut sciunt qui illam implent. Hanc miseriam tollat a me misericordia tua; quia hoc unum ambio, hoc concupisco, cum tu sis *portio mea Domine*.

Theth.

1. *Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine secundum verbum tuum.*
2. *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.*

In hoc octonario petit a Deo Propheta tria dona necessaria ad custodienda praecepta Domini, et ostendit ex effectis horum donorum necessitatem. Primum igitur utitur quodam quasi prooemio dicens, *bonitatem fecisti cum servo tuo Domine*, idest, suavitatem, et benignitatem, sive mansuetudinem tuam exhibuisti servo tuo *secundum verbum tuum*, idest, juxta promissiones tuas; quamvis enim in hebraeo legatur, טוב *tob*, quod significat *bonum*, et verti possit, ut vertit sanctus Hieronymus, *benefecisti servo tuo*: tamen Septuaginta interpretes legerunt, טוב *tub*, *bonitatem*, ut etiam in sequenti versu: et utrobique verterunt, χρηστοτητα, idest, *bonitatem, sive suavitatem*; sequitur postea, *bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me*, idest, sicut Domine bonitatem, sive suavitatem erga servum tuum ostendisti; ita rogo ut doceas me eamdem bonitatem, sive suavitatem, quam exhibeam proximis meis, ita ut nulli nocere, nullum decipere, nullum fraudare velim; sed hoc addas et am, *ut doceas me disciplinam*, idest, prudentiam, ut caveam deceptores, et fraudulentos; et sic habeam suavitatem et bonitatem columbae, ut non desit mihi consilium, et prudentia serpentis. Intelligo autem per vocem, *disciplinam*, virtutem prudentiae, quia hoc requirit vox hebraica, טעם *taham*, quae significat proprie saporem; et *consilium*, neque vox graeca, et latina hanc significationem respuunt, cum sint vocabula generalia. Denique post bonitatem, et prudentiam, peto etiam scientiam, qua agnoscam mysteria legis tuae, quae scientia, sicut sine bonitate et prudentia inflat, ita habentibus bonitatem et prudentiam, utilissima est: sequitur, *quia mandatis tuis credidi*, idest, quia credidi mandatorum tuorum promissionibus, sive credidi mandata tua divina esse, et dignissima, quae diligentissime custodiantur. Observandum est hoc loco, plerosque homines scientiam quaerere, vel prudentiam, de bonitate parum laborare, sed prophetam a Spiritu sancto edoctum rectum ordinem esse secutum, ut primo bonitatem, deinde prudentiam, ultimo scientiam postularet.

3. *Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi.*
4. *Bonus es tu; et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

Declarat necessitatem trium illorum donorum; quasi dicat, non sine causa peto bonitatem, disciplinam, et scientiam: nam ex defectu horum donorum deliqui, et propter delicta humiliatus sum a Deo justo judice. Priusquam humiliarer per immissionem tribulationum, ego deliqui per ignorantiam, quia scientia carui: nam vox hebraica, שגג *sciagag*, quae hoc loco habetur, significat *ignorare*, sive delinquere ex ignorantia: sequitur, *propterea eloquium tuum custodivi*, idest, propterea deinceps attentius custodivi legem tuam: sed tu qui *bonus*, idest, suavis et benignus *es, in hac tua bonitate*, idest, juxta hanc mansuetudinem tuam, *doce me justificationes tuas*, ut non amplius delinquam.

5. *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.*
6. *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus sum.*

Hic significatur necessitas alterius doni, videlicet prudentiae. *Multiplicata est super me iniquitas superborum*, idest, superbi praevaricatores multiplicarunt super me mendacia sua, ut me ad transgressionem inducerent, unde prudentiae donum mihi necessarium fuit, quo dono adjutus *in toto corde meo scrutabor mandata tua*: in hebraeo pro vocabulo, *iniquitas*, habetur, שקר *sceker*, idest, *mendacium*, unde intelligimus per *iniquitatem*, ipsum mendacium, quod sine dubio quaedam iniquitas est, praecipue si mendacium sit perniciosum. *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, idest, superbi illi induratum cor habent, sicut induratur caseus ex lacte coagulato confectus; ideo illis dimissis, legi tuae meditandae vocavi. In hebraeo legitur, *adeps*, pro *lacte*: sed eaedem literae mutatis punctis utrumque significant: nam, חלב *chalab*, est *lac*, et חלב *cheleb*, est *adeps*.

7. *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.*
8. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, et argenti.*

Ex abundantia primi doni, quod jam consecutus erat, dicit, *bonum mihi quia humiliasti me*: neque enim hoc dicere potest nisi homo vere mitis, et humilis corde, ac per hoc vere bonus, qui per experientiam judicium de bono ferre potest. Existimat enim is, qui vere bonus est, magnum donum humiliationem ex tribulatione venientem, quoniam causa est custodiae legis, quae quantum sit bonum, explicatur in versiculo sequenti, *bonum mihi lex oris tui super millia auri, et argenti*; et vere ita est, quoniam per custodiam legis acquiritur vita aeterna, cui nulli thesauri comparari possunt.

Jod.

1. *Manus tuae fecerunt me, et psalmaverunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

In hoc octonario multis novis argumentis poscit gratiam legis custodiendae, ac primum ex eo, quod cum sit figmentum manuum Domini, debet illi summam obedientiam. *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me*, idest, potentia tua, et sapientia tua, quasi duae manus tuae fecerunt me, cum non essem, et plasmaverunt me, ordinantes membra, et potentias, cum essem initio quasi massa lu-

http://www.obrascatolicas.com

ti, vel fecerunt me, quoad animam, et plasmaverunt, quoad corpus. Ideo cum totus sim tuus, debeamque tibi summam obedientiam, peto ut des mihi intellectum, ut discam mandata tua, non ut solum sciam, sed etiam faciam. In hebraeo, pro, *plasmasti*, habetur, *parasti*, sive, *firmasti*, per quod intelligitur perfecta formatio et distinctio membrorum, unde fit, ut homo subsistat. Item pro, *da mihi intellectum*, in hebraeo, et graeco est una vox tantum, quae significat *intelligentem facere*. Itaque illud, *da mihi intellectum*, non significat, da mihi vim intelligendi, quasi sine ea formatus essem; sed da mihi lumen divinum, quo mens mea perfecte discat mandata tua, et sibi persuadeat optimum esse illa complere.

2. *Qui timent te, videbunt me, et laetabuntur, quia in verba tua supersperavi.*

Haec est secunda ratio, quae sumitur ab aedificatione proximorum. *Qui timent te*, videbunt me servantem mandata tua, *et laetabuntur*, quia videbunt me sperantem valde in verbis tuis, id est, in promissis, quae continentur in lege tua.

3. *Cognovi Domine quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.*

Tertia ratio a confessione propriae culpae. *Cognovi*, inquit, *quia aequitas judicia tua*, idest, quod judicia tua justissima sint, et si quando *me humiliasti*, destituens gratia tua; *in veritate*, idest, in justitia tua fecisti, quia ita commerui; ideo non conqueror de tua justitia, sed ad misericordiam tuam confugio, et dico.

4. *Fiat misericordia tua ut consoletur me secundum eloquium tuum servo tuo.*

Consolatio, quam petit, est gratia servandae legis: qui enim dolet se humiliatum, quia destitutus gratia in peccatum incidit, consolationem magnam accipiet, si copiosa gratia perfusus legem Domini perfecte integreque servabit.

5. *Veniant mihi miserationes tuae, et vivam, quia lex tua meditatio mea est.*

Petiit gratiam servandae legis, ut consolationem acciperet: explicat nunc, quae sit vera consolatio, quam desiderat. *Veniant mihi miserationes tuae, et vivam*, idest, miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum, ut acquiram veram vitam, quae sola est vita beata, et sempiterna. Recte enim monet s. Augustinus ubi sine addito ponitur nomen, *vitae*, ut plurimum intelligi *vitam aeternam*, quae sola est simpliciter vita, Joan. 1. *In ipso vita erat*. Joan. 5. *In resurrectionem vitae*. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. *Quia lex tua meditatio mea est*: haec est ratio, cur audeat petere misericordias Domini: docet enim, ut Deus misericorditer respiciat in eum, qui assidue meditatur in lege.

6. *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.*

Quarta ratio ad obtinendam gratiam servandae legis, sumitur a confusione iniquorum, sicut secunda sumebatur ab aedificatione piorum, *Confundantur superbi*, idest, da mihi gratiam, per quam perfecte leges tuas custodiam, ut hinc confundantur superbi praevaricatores, qui vexando, et persequendo injuste, efficere conantur, ut etiam alii praevaricantur. Interim autem dum alii confunduntur, et erubescunt, ego multo alacrius exercebor in mandatis tuis cogitandis ex implendis. Illud, *injuste*, significat, superbos iniquitatem fecisse scienter, studiose, non casu, non ex ignorantia, non ex inadvertentia, unde ab iniquitate immunes videri possent.

7. *Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.*

Hortatur pios, ut si qui sunt, qui a praevaricatoribus decepti ad illos respicere coeperint, ad se redeant, et cum ipso jungantur. *Convertantur mihi*, idest, convertantur ad me, et mecum juncti legem Dei custodiant, timentes te, et qui noverunt testimonia tua, idest, illi omnes qui timorem Dei, et scientiam legis habent. Ex graeco textu legunt nonnulli, *convertant me*; sed antiqua lectio id habebat, quod nos habemus, ut perspicuum est ex patribus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino; et sanctus Hieronymus vertit ex hebraeo, *revertantur ad me*.

8. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.*

Concludit petens gratiam saepe, ac saepius postulatam, qua corde perfecto mandata divina custodiat, ut neque in hoc saeculo, neque in futuro Judicio, confusionis opprobrium timeat.

Caph.

1. *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.*

In hoc octonario inducit David personam cupientis servare mandata, et tamen inter tentationes graviter laborantis, atque auxilium de coelo miserabiliter postulantis. S. Augustinus totum octonarium ecclesiae Christum expectanti, et sanctis martyribus accomodat. Pie omnino, vere: sed quia totum psalmum ad legis costodiam commendandam video pertinere, ideo hunc etiam octonarium ad literam de legis costodia explicare decrevi. *Defecit in salutare tuum anima mea*, idest, anima mea prae magnitudine desiderii salutis aeternae jam pene defecit. *Deficere enim in salutare*, nihil est aliud, nisi expectando, et desiderando salutem, laborare, languere, deficere. *Et in verbum tuum supersperavi*, idest, et ego tamen valde speravi in verbum promissionis tuae. Itaque dilectio salutis

deficere facit, sed spes firma promissionis erigit, et confortat.

2. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me?*

Mira Prophetae loquutio, quae oculis officium aurium et linguae tribuit. Sed oculi interiores; et aures interiores, et lingua interior idem sunt. Intellectus enim videt, audit, loquitur. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, idest, mens mea attendendo auxilium promissum, dum diutius differtur, deficit prae desiderio, quo modo deficiunt oculi corporales, cum nimis diu respiciunt ad locum unde persona desiderata ventura speratur, *dicentes, quando consolaberis me?* idest, oculi interiores defecerunt prae expectatione, et defectum suum explicant, dicentes, quando veniet consolatio illa perfecta, ut non amplius timeam casum, et legis sanctae praevaricationem? Possent etiam haec explicari de oculis exterioribus, qui coelo inhaerentes videntur quasi deficere, et dicere Domino, *quando veniet auxilium de coelo promissum?* sic enim s. Hieronymus in epist. ad Eustochium de servanda virginitate de se loquitur, *post multas lachrymas, post coelo inhaerentes oculos*, etc. Videtur dicere debuisse Propheta secundum leges grammaticae, *quando consolaberis nos*. Sed quia oculi sunt instrumenta animae, de qua dictum erat, *defecit anima mea*, ideo per oculos quaeritur consolatio non tam oculorum, quam animae, quae per illos respicit. Est igitur sensus, quando consolaberis meam animam, cujus oculi deficiunt attendendo, et expectando.

3. *Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.*

Non sine causa dico, *quando consolaberis me?* quia prae desolatione, et angustiis tentationum factus sum aridus, et destitutus humore gratiae consolantis; ut est uter tempore frigidissimo in medio pruinae constitutus. Similis est illa vox in psalmo 142. *Anima mea facta est sicut terra sine aqua tibi*. Sed quamquam tanta spiritus ariditate laborem, *tamen justificationes tuas*, idest, praecepta tua, *non sum oblitus*. S. Ambrosius, et s. Augustinus per *utrem in pruina*, intelligunt carnem mortificatam, et castigatam, et pruina coelesti respersam, ut spiritui subjiciatur, quasi dicat Propheta, carnem castigavi et legem tuam non sum oblitus: aequum igitur est, ut consoleris animam meam.

4. *Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium.*

Instat eidem petitioni optans consolationem et liberationem a tentationibus. *Quot sunt dies servi tui*, quibus afflictio durabit; quando finientur dies tentationis, et miseriae? *quando facies de persequentibus me judicium?* quando judicabis, et condemnabis persequentes, et tentantes me, ut iis condemnatis persecutio conquiescat. Non curiose quaerit, quot anni supersint, aut vitae suae, aut durationis mundi; sed explicat his verbis desiderium aeternae vitae, quando omnes impii ad inferos detrusi, cessabunt vexare pios, et pii summa atque aeterna pace fruentes, in sanctitate, et justitia Domino servient, sine ullo timore cadendi.

5. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

Haec est causa, cur maxime cupiat ab iniquorum consortio liberari; quoniam iniqui tentantes pios narrant delectationes mundi, quae sunt merae fabulae, idest, delectationes sordidae, fugaces, magis confictae quam verae; et nihil habent simile cum lege Domini, quae pie custodita delectationes stabiles et solidas adfert. Potest etiam *fabulatio* referri ad haereticorum colloquia, ut referunt Ambrosius, et alii. S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *foderunt mihi superbi foveas*; sed sciendum est vocem, שיחות *scichoth*, esse ambiguam, et posse significare *fabulationes*, a verbo, שיח *sciach*, et *foveas*, a nomine, שחת *sciachath*. Sanctus Hieronymus ut verteret consequenter ad verbum, *foderunt*, transtulit, *foveas*, non enim cohaerent *fabulationes* cum verbo *foderunt*. At septuaginta seniores, quia per nomen *scichot*, intellexerunt, *fabulationes*, noluerunt vertere, *foderunt*, ne nimis impropria, et obscura esset ratio, sed sequentes non verba, sed sensum, maluerunt vertere *narraverunt*, et vere sensum expresserunt: nam *fodere*, in hebraica lingua significat *emere*, acquirere, praeparare, eruere. Igitur sensus est, *foderunt mihi fabulationes*, idest, emerunt fabulationes, ut mihi eas venderent; vel paraverunt fabulationes, ut mihi eas narrarent; vel foderunt, et eruerunt ex fodina vanitatis, ut eas mihi praeberent. Sanctus Augustinus legit, *narraverunt mihi delectationes*. Sanctus Ambrosius, *exercitationes*, alii aliter, sed verbum hebraicum significat proprie *confabulationem*, et submurmurationem submissa voce editam, quae ad colloquia clandestina haereticorum, vel impudicorum hominum recta accomodari potest: vox graeca ἀδολεσχία, ab Ambrosio dicitur esse *superflua loquacitas*; ab Augustino, *delectabilis in sermone exercitatio*; ab Euthymio, *garrulitas*, et *nugacitas*.

6. *Omnia mandata tua veritas, inique persecuti sunt me, adjuva me.*

Quia dixerat, non sicut lex tua: dicit nunc, *Omnia mandata tua* sunt ipsa *veritas*, idest, verissimas promissiones continent; et inde verissimas delectationes observantibus legem tuam adferunt. Ideo injusti narrantes suas fabulationes inique persecuti sunt me, et tu Deus contra eorum insidias adjuva me.

7. *Paulo minus consummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.*

Tam gravis fuit persecutio istorum, qui per dulces sermones me subvertere nitebantur, ut pene

http://www.obrascatolicas.com

me perdiderint in terra, et ad coelum aspirare nequirem: tamen non obtinuerunt, quoniam *non dereliqui mandata tua.*

8. *Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.*

Redit ad primam petitionem, et concludit octonarium, dicens, *secundum misericordiam tuam magnam vivifica me.* vita beata, et sempiterna; et tunc demum perfectissime custodiam legem tuam: potest etiam hoc intelligi de vita gratiae, per quam mandata Dei custodiuntur.

Lamed.

1. *In aeternum Domine verbum tuum permanet in coelo.*
2. *In generationem, et generationem veritas tua, fundasti terram et permanet.*
3. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.*

In hoc octonario a firmitate promissionum divinarum sumit Propheta argumentum ad exhortandos homines ad legem servandam, quae habet promissiones vitae praesentis, et futurae. *In aeternum Domine verbum tuum*, idest, promissio tua, *permanet in coelo*: nam etiamsi in terris videatur non permanere, dum justi opprimuntur, et injusti exaltantur: tamen in coelo apud Deum omnino permanet. Deus enim quod promisit, implebit. Faciet enim, ut justis breves tribulationes vertantur in gaudium sempiternum; et brevis gloria impiorum vertatur in opprobrium, et supplicium sine fine duraturum. Idem autem repetit, vel explicat, dum addit, *in generationem, et generationem veritas tua*, supple permanet, idest, semper manet veritas promissionum, dum semper verbum promissionis impletur *in omni generatione, et generatione*, idest, ab initio usque in finem, quod est idem, quod *in aeternum*. Probat autem Propheta stabilitatem promissionum a stabilitate ordinationum divinarum duobus exemplis. *Fundasti terram, et permanet*, hoc est primum exemplum, quasi dicat, fundasti terram immobilem, et semper manet immobilis, ut ordinationi tuae obediat. *Ordinatione tua perseverat dies*, hoc est alterum exemplum. Ordinavit enim Deus, ut e contrario coelum, sive sol moveretur semper, et motu suo diem efficeret; et obtemperat, et sic semper ordinatione divina perseverat dies. In hebraeo conjungitur verbum numeri multitudinis cum nomine numeri singularis, hoc modo, *perseverant hic dies*, sive *hodie*; ad significandum, diem transeundo, et fluendo permanere, transeunt dies, et numquam stant, et tamen semper, *hodie*, permanet: ad quod alludens Apostolus, hebr. 3. *Adhortamini*, inquit, *vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur.* Ratio hujus tantae firmitatis est quod sequitur, *quoniam omnia serviunt tibi*: nihil enim est in rebus creatis, quod Deo creatori ad nutum non pareat.

4. *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.*

Nisi, inquit, in lege tua assidue meditatus fuissem, ubi veritatem promissionum tuarum didici, forte periissem in afflictione mea, tentationibus adversariorum superatus. Pro, *meditatio*, in hebraeo est, *delectatio*, ex quo intelligimus hic agi de jucunda et dulci meditatione, quae valde recreat animum hominis in tribulatione constituti, dum promissa divina ob oculos interiores ponit, et cordi intime infigit. Per *humilitatem* autem hoc loco non significatur virtus humilitatis, sed afflictio, sive pressura, ut s. Hieronym. ex hebraeo transtulit.

5. *In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*

Confortatus ex meditatione promissionum, quae in lege continentur confidenter jam dico, *in aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis*, idest, super eorum observationem, *vivificasti me*, vitam gratiae augendo, et vitam gloriae promittendo.

6. *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.*

Scriptum est in psalm. 23. *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo*: ego tamen proprie tuus sum, quia agnosco me tuum esse, et volo tuus esse, et nullius alterius Domini volo esse, et nulli cupiditati servire decreverim; ideo recte peto, ut me salvum facias, idest, rem tuam conserves, ne pereat. *Quoniam justificationes tuas exquisivi*, idest, quoniam tuus sum, et tamquam tui solius mancipium, nihil aliud quaero, nisi mandata tua ut illa perficiam. Vere pauci sunt, qui dicere possint, *tuus sum ego*, quia pauci sunt, qui per affectum nulli rei serviant, nisi Deo.

7. *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.*

Non sine causa dixi: *salvum me fac*, quoniam *peccatores* in loco opportuno ad capiendum, *me expectaverunt*, ut tentationi consentire me facerent, et sic *perderent me*: sed ego gratia tua adjutus *testimonia tua intellexi*, idest, intellexi, quid lex tua in tali articulo praeciperet, quia promitteret, quid minaretur.

8. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

Intelligens testimonia tua, ex eis cognovi, et *vidi finem consummationis* omnium rerum, judicium videlicet novissimum, in quo consummatis meritis, bonis, et malis, reddentur praemia bonis, et supplicia malis. Vere igitur *latum mandatum tuum nimis*, idest, vere amplum, et foecundum est

mandatum tuum, sive lex tua, cum in ea conspiciantur regulae, bene vivendi, et praemia custodientium legem, et contra regulae declinandi vitia, et supplicia praevaricatorum. Posset etiam sic exponi versiculus iste, *intelligens testimonia tua*, idest, legem tuam, *vidi finem omnis consummationis*, idest, omnis perfectionis vitae, esse *mandatum tuum*, idest, praeceptum dilectionis, quod est *latum nimis*, cum omnia mandata comprehendat, et cum ad Deum, et omnes Angelos, et omnes homines, etiam inimicos extendatur. Alii aliter exponunt, et unusquisque propriam expositionem adfert. Ambrosius, et Hieronymus, *finem omnis consummationis* dicunt esse Christum; Augustinus, *finem omnis consummationis*, dicit esse coronam Martyrii, quia consummata perfectio est mori pro Christo; Theodoretus dicit, omnia humana, opes, honores, et similia, quantumvis consummata et perfecta, habere finem. Euthymius, per *omnem consummationem*, intelligit omnem interitum tum bonorum, tum impiorum. Vidit enim Propheta finem mortis omnium, esse poenam, vel gloriam.

Mem.

1. *Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est.*

In hoc octonario iterum redit ad encomium legis eamque laudat a multiplici utilitate, et delectatione, quam secum adferi. Ac primum testatur amorem suum erga divinam legem, deinde reddit causam amoris, enumerans ejus utilitates. *Quomodo dilexi*, idest, quam vehementer dilexi legem tuam: signum amoris est continua conversatio cum re amata. *Tota die*, inquit, *meditatio mea est*, nihil aliud cogito, nihil aliud loquor, nihil aliud ago.

2. *Super inimicos tuos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est.*

Haec est prima utilitas legis; quia diligenter considerata, et factis adimpleta, prudentem facit hominem, ut faciat quid, et quomodo et quando, ut ubi debeat loqui, et agere, vel silere, et quiescere: quam prudentiam non habent praevaricatores, qui regulam hanc rectissimam inter loquendum et agendum non respiciunt. Ait igitur, *super inimicos meos*, praevaricatores videlicet legis prudentem me fecisti mandato tuo, id est, per mandatum tuum, dum illud assidue meditor, et adimpleo. *Quia in aeternum mihi est*, quia perpetuo mihi adest ante oculos mentis, neque unquam illius obliviscor.

3. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.*
4. *Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi.*

Haec est altera utilitas legis; quia non solum prudentiam, sed etiam sapientiam gignit. Sed tamen quoniam videtur David nimirum sibi tribuere, anteponendo sapientiam suam sapientiae omnium, qui illum praecesserunt, in quibus erat Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Samuel, et alii; sanctus Augustinus docet, haec dici in persona Christi, qui cum esset annorum duodecim, et videretur quasi discipulus audiens legis doctores, et seniores: tamen *super omnes docentes* se intelligebat. S. Ambros. in persona populi Christiani. Sed fortasse non erit necesse ad ista confugere: nam per *omnes docentes* intelligere possumus eos solos, qui Davidem puerum, vel adolescentem docuerunt, parentes videlicet, et paedagogos suos familiares. Quamvis enim non sit discipulus super magistrum, dum discipulus est: potest tamen is, qui discipulus fuit, diligentia et studio superare eum, qui magister ipsius aliquando fuerat. Sic David facile sapientia magistros suos vicit propter continua meditationem in lege Domini. Idem etiam intelligimus de senibus: non enim voluit David dicere, se sapientem fuisse *super* omnes *senes*, qui fuerant ab initio mundi, sed se adhuc juvenem sapientiorem fuisse multis senibus ob studium suum assiduum in lege Domini meditanda.

5. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.*
6. *A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.*

Haec est tertia utilitas legis Domini, quia facit multa vitare peccata. *Ab omni via mala prohibui pedes meos* idest, cavi ne ambularem per vias iniquorum, qui pro lege habent cupiditatem suam, quae est lex carnis, et peccati, idest, cavi ne aliqua in re delinquerem: idque, ut custodirem verba tua, idest, legem tuam, quae contrarium iter ostendebant. *A judiciis* enim *tuis*, id est, a justissimis mandatis tuis, *non declinavi, quia tu legem posuisti mihi*. idest, quia hanc factam legem tu Dominus meus mihi dedisti: sive ut exponit s. Augustinus, *quia tu legem in corde mihi posuisti*, tu fecisti per spiritum tuum, ut legem sanctam ex intimo corde meo diligerem.

7. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

Haec est quarta utilitas, quod summam adfert lex Domini se custodientibus voluptatem. Eloquia enim Domini, idest, mandata Domini, dulcia sunt faucibus animae, magis quam mel faucibus corporis: nihil jucundius bona conscientia, et spe supernae beatitudinis, quam parit observantia legis divinae.

8. *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

Probat, ex lege Domini magnam voluptatem se percepisse eo quod lex Domini bonam conscientiam pariat. Nam, inquit, *a mandatis tuis intellexi*, idest, a mandatis tuis eruditus, prudens, et sapiens factus sum: clarior est haec sententia in hebraeo et graeco textu. *Propterea odivi omnem*

http://www.obrascatolicas.com

viam iniquitatis, idest, ex hac sapientia, et prudentia acquisita ex assidua meditatione legis, non solum abstinui a peccatis, sed etiam magnum odium concepi adversus omnes iniquas actiones. Hoc autem odium mirifice conservat animi puritatem, et sanctitatem, et gignit magnam fiduciam in Domino, unde oritur ineffabile gaudium, pax et tranquillitas omnibus thesauris, et voluptatibus anteponenda.

Nun.

1. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*

In hoc octonario laudat legem divinam Propheta ab eximia quadam utilitate: deinde promittit se eam observaturum, non obstante qualibet tribulatione. Utilitas eximia est, quod lex Domini fit nobis in via vitae hujus, instar lucernae ambulantibus in tenebris. Lex enim peccati, idest, cupiditas, excaecat homines, sive maximas tenebras effundit, ut vera bona et vera mala non internoscantur; et hinc ii, qui hanc legem sequuntur, idest, qui passionibus animi rapi se sinunt, in varia praecipitia ruunt: sed lex Domini has tenebras dissipat et vera bona, ac vera mala demonstrat; et ideo, qui eam sequuntur non errant, neque caecutiunt, sed recto tramite ad patriam coelestem iter faciunt. Ait igitur, *lucerna pedibus meis verbum tuum*, idest, lex tua est lucerna pedibus meis. Et hoc ipsum repetens, et declarans addit, *et lumen semitis meis*. Lucerna enim dum illuminat semitas per quas incedendum est, dirigit pedes ambulantium: sermo est metaphoricus, sed facile intelligitur.

2. *Juravi, et statui custodire judicia justitiae tuae.*

Quia lex est lex, ac proinde res optima, et utilissima, Propheta jurat, et statuit, idest, firmissime apud se constituit custodire ipsam legem, quam vocat *judicia justitiae*, idest, judicia justissima.

3. *Humiliatus sum usquequaque Domine: vivifica me secundum verbum tuum.*

Humiliatus, idest, afflictus, et vexatus sum valde, occasione legis servandae: quia *omnes qui volunt pie vivere, persecutionem patiuntur*, ut dicit Apostolus 2. Timot. 3. sed tu Domine *vivifica me*. idest, veram vitam, quae a malis omnibus libera erit, mihi aliquando tribue, secundum promissum tuum. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Posset etiam hic locus exponi de virtute humilitatis. Qui enim humiliant se ipsos, et jugo legis se omnino subjiciant, illi secundum promissionem merentur exaltari ad vitam beatam, et sempiternam.

4. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, et judicia tua doce me.*

Quod juravi, et statui custodire legem, non obstante qualibet persecutione, est voluntarium sacrificium oris mei: hoc igitur voluntarium sacrificium oro, ut tibi sit beneplacitum, et quia ex se id non meretur, tu Domine fac illud beneplacitum, dum benigne ex gratia tua illud approbare dignaris, ac ut rite hoc sacrificium offeram, *doce me judicia tua*, idest, doce me perfecte legem tuam observare. Alii referunt haec *voluntaria* ad sacrificia votiva ovium, et hircorum; alii, ad sacrificia laudis, et confessionis: sed continuatio psalmi videtur requirere, ut per *voluntaria* intelligamus spontaneum juramentum legis custodiendae.

5. *Anima mea in manibus meis semper: et legem tuam non sum oblitus.*

Quam serio juraverim custodire legem tuam, et hoc tibi sacrificium sponte obtulerim, ex hoc intelligi potest, quod quotidie de vita periclitor propter legis tuae custodiam, et tamen ipsam *legem non sum oblitus*. S. Ambrosius, et s. Augustinus dicunt, in plerisque libris legi, *anima mea in manibus tuis*, et hanc veriorem lectionem esse judicant. Eodem modo legunt sanctus Hilarius, et sanctus Hieronymus in commentario psalmorum: et sensus optimus, et verissimus est. Animas nostras in manu Dei esse, a quo pendet vita nostra, et in cujus potestate est ut vivamus, vel moriamur. Sed in hebraeo textu aperte est, *in manibus meis*, ut nos in editione vulgata legimus. et s. Hieronymus non solum in sua versione posuit, *in manibus meis*, sed etiam in epistola ad Suniam, et Fretellam dicit, septuaginta Interpretes vertisse, *in manibus meis*, et omnes veteres graecos tractatores explicasse hoc modo, *anima mea in manibus meis est*, idest, in periculo vitae sum, Quod enim manibus tenetur, facile potest cadere, vel eripi, nisi fortiter custodiatur, et defendatur: et sic intelligitur illud Judic. 12. *Posui animam meam in manibus meis*; hoc enim dicit Jepte, dum ad praelium valde periculosum pergit, et illud 1. reg. 19. de Davide, *posuit animam suam in manu sua: et percussit Philisthaeum*. Itaque credibile est, septuaginta Interpretes vertisse, *in manibus meis*, sed postea a sciolo aliquo textu fuisse mutatum, quod videretur lectio clarior et facilior.

6 *Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.*

Non sine causa dixi, *animam meam in manibus meis semper* fuisse, quia *peccatores posuerunt laqueum mihi*, ut me caperent, et occiderent, et tamen ego *de mandatis tuis non erravi*, idest, non aberravi a mandatis tuis. Hoc impletum est cum David quaereretur a Saule ad mortem, et tamen ipse David semel, et iterum cum facile posset Saulem occidere, seque ab omni periculo liberare, noluit id facere, ne peccaret in Deum. Vide lib. 1. Reg. cap. 23. et 26.

7. *Haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum, quia exultatio cordis mei sunt.*

Cur de mandatis tuis non erraverim, et causa est, quia *haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum*, idest, elegi mihi in haereditatem aeternam ipsam legem tuam, quia jucundissima et dulcissima mihi est, et summae delectationis, et exultationis causa.

8. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.*

Porro causa tantae delectationis est merces copiosissima, quam secum adfert legis custodia. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, id est, cum ab una parte lex peccati traheret me, ab altera lex tua, ego inclinavi cor meum tamquam stateram, aut bilancem ad legem tuam faciendam, propter retributionem; quia videlicet consideravi stipendium legis tuae esse vitam sempiternam. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter aeternam retributionem*: textus hebraicus utramque lectionem admittit.

Samech.

1. *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.*

In hoc octonario Propheta detestatur praevaricatores legis divinae, et se contrarium eis esse demonstrat. Monet autem s. August. non dixisse Prophetam in primo versiculo, *iniquitatem odio habui, et legem tuam dilexi*, ut videbatur requirere ordo verborum; sed dixisse, *iniquos odio habui, et legem tuam dilexi*, ut ostenderet, se non solum iniquitatem, sed etiam iniquos odisse: et rursum non dixisse, *iniquos odio habui, et justos dilexi*; sed et legem tuam dilexi, ut indicaret, se non odisse iniquos, nisi quia contrarii sunt legi divinae, quam dilexit. Itaque odio habuit iniquos, non ratione naturae, sed ratione iniquitatis, sicut contra diligebat inimicos, ac per hoc iniquos, non ratione iniquitatis, sed ratione naturae.

2. *Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.*

Ut non timeam iniquos, quos odi, et legem adimpleam quam dilexi, *adjutor, et susceptor meus es tu*, adjutor, in lege custodienda; et susceptor, in evadenda persecutione iniquorum. Et ego vicissim in verbum promissionis tuae valde speravi.

3. *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.*

Una ex causis, cur odio habeat iniquos Propheta, est quia eorum consortium valde impedit meditationem Verbi Divini, quae quietem et pacem animi desiderat. Ideo cupit eos a se recedere, ut muscas molestissimas.

4. *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea.*

Ut cupio iniquos a me recedere; ita cupio ut tu Domine ad me accedas et in sinum tuum suscipias *secundum eloquium* promissionum tuarum, et tum verissime *vivam*, cum tibi, qui vita es, conjunctus ero. Et quia de benignitate tua, non de meritis meis, id expecto, *non confundas me ab expectatione mea.*

5. *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.*

Idem aliis verbis repetit: id enim est, *suscipe me, et vivam*, et, *adjuva me, et salvus ero*. Fructus autem hujus susceptionis erit, ut sine impedimento semper meditari valeat in lege Domini.

6. *Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.*

Ostendit nunc, quod si ipse odio habet iniquos, et a se recedere cupit, id facit exemplo Dei, qui iniquos justissime execratur. *Sprevisti*, inquit, tamquam rem nullius momenti, *omnes discedentes a judiciis tuis*, idest, omnes iniquos, qui discedunt a via legis divinae. *Quia injusta cogitatio eorum*, idest, quoniam ipsi cogitant, se non debere subdi legi Dei, nec ab ea pendere; qua cogitatione nihil iniquius esse potest, cum omnis creatura summo jure creatori subjici debeat. Haec fuit cogitatio luciferi, qui similis Altissimo, non autem subditus es, se ei voluit. Eadem fuit cogitatio primorum parentum, qui cupierunt esse *sicut Dii*. Eadem est cogitatio omnium superborum, qui dicunt in corde suo *quis noster Dominus est?* Hos igitur spernit Deus et non multum curat, si multa millia eorum pereant in aeternum, quia quanto pluris ipsi se aestimant, tanto minoris fiunt a Deo.

7. *Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae: ideo dilexi testimonia tua.*

Movet hoc loco magnam quaestionem s. August. Quomodo omnis peccator praevaricator dici possit, cum Apostolus dicat, *ubi non est lex, nec praevaricatio*, rom. 4. et rursum, *qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Rom. 2. respondet illud, *ubi non est lex, nec praevaricatio*, intelligi de lege in universum: illud autem, *qui sine lege peccaverunt*, intelligi de lege scripta tantum: proinde omnes peccatores dicendi sunt *praevaricatores*, quia omnes praevaricantur legem naturalem scriptam in cordibus. Sed cur Propheta hoc dicit? ut ostendat, peccatum, quod est maximum malorum, non aliunde nobis accidere, nisi ex praevaricatione legis. Subjungit, *ideo dilexi testimonia tua*, idest, ut tam magnum malum effugiam, dilexi legem tuam. S. Hieron. ex hebraeo vertit, *quasi scoriam reputasti omnes peccatores terrae*. Sed septuaginta interpretes, per vocem, סיגים *sighim* non intellexerunt *scoriam* a voce, סיג *sig*, sed *recedentes*, quod est idem cum, *praevaricantes*: nam verbum, סיג *sug*, significat *recedere*; inde סוגים *sughim*, significat *recedentes*. Jod autem et vau sunt literae

http://www.obrascatolicas.com

permutabiles: sic etiam non legerunt השבת *hisbatta*, quod est, *reputasti*, sed, השבתי *hisbatti*, quod est, *reputavi*.

8. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.*

Postulat in fine confirmationem in timore Dei, ut in custodia legis per eum timorem perseveret. *Confige*, inquit, quasi clavis *timore tuo carnes meas*, idest, cupiditates meas carnales, ut se commovere non possint, juxta illud Apostoli, *qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis*, Gal. 5. *A judiciis enim tuis timui*, idest, quoniam jam coepi timere a judiciis tuis poenas horribiles comminantibus, ideo cupio stabiliri in hoc sancto timore, ut ab eo numquam divellar. Ex hebraeo s. Hieron. vertit, *horripilavit caro mea*; sed sciendum, quod verbum סמר *samar*, non solum significat *horrere*, sed etiam *clavis configere*; nam ex hoc verbo deducitur nomen מסמר *masmer*; quod significat *clavium*. Parum autem refert, quod hic ponatur verbum praeteriti temporis, et modi indicativi: nam eaedem literae mutatis punctis faciunt imperativum: proinde recte septuaginta verterunt, *confige*, vel ut Patres legunt, *confige clavis*.

Hain.

1. *Feci judicium, et justitiam, non tradas me calumniantibus me.*

In hoc octonario petit gratiam liberationis a calumniatoribus, et auxilium ad legem perfecte adimplendam. *Feci*, inquit, *judicium et justitiam*, idest, reddidi unicuique suum, ideo aequum est *ut non tradas me calumniantibus* mihi. Calumniatores nostri perpetui, daemones sunt, quibus tradimur a Deo, quando permittimus tentari ab illis, vel potius quando Deo deferente superamur, et tentantibus consentimus.

2. *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.*

Feci, inquit, *justitiam*; sed ut semper faciam, et non deficiam, faciendo, *suscipe servum tuum in bonum*, illum dirigendo. Clarior est textus hebraicus, habetur, *dirige*, sive *ordina*, *et opta servum tuum ad bonum*, ut semper placeat illi bonum, et hinc fiet, ut non calumnientur mihi superbi, sive homines, sive daemones. Qui enim bene confirmatus est in bono, et bene aptatus, ut ubique, et semper bonum illi placeat, ita perseveranter bene se gerit, ut nihil sit, cur timeat calumniatores.

3. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, in eloquium justitiae tuae.*

Confirmat, se valde ardenter desiderare perfectam illam directionem ad bonum, quae in vita aeterna dabitur electis. *Oculi mei defecerunt*, prae desiderio respicientes assidue in salutem tuam, quae de coelo nobis adveniet, et *in eloquium justitiae tuae*, idest, in promissionem tuam fidelissimam. Vide quae dicta sunt ad versiculum primum, et secundum, literae Caph.

4. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.*

Pergit in oratione, ac petit, ut Dominus operetur secum non secundum merita ipsius, sed *secundum misericordiam* suam, quae in eo potissimum consistit, ut doceat *justificationes* suas, idest, intime persuadeat, bonum esse implere, et custodire legem Domini, atque hoc modo doceat non tam scire, quam facere. Quod fit, quando Deus infundit magnam charitatem, non quando solam donat scientiam, quae sine charitate inflat, non aedificat.

5. *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.*

Ista tam frequens petitio ejusdem rei, signum est magni desiderii. *Servus tuus sum ego*, ac per hoc teneor mandatis tuis obedire, *da mihi* igitur *intellectum*, idest, fac me intelligere testimonia tua, ut illa perfecte addiscam. Vide primum versiculum literae Jod, qui est huic similis.

6. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.*

Hic versiculus duobus modis exponi solet. Sancti patres Hilarius, Ambrosius, et Augustinus, exponunt de gratia Salvatoris, ut sensus sit, o Domine, *jam tempus est faciendi*, quia satis docuisti verbis, satis mandasti; nunc tempus est, ut facias, ut exemplo doceas, ut carnes sumas, ut obedientiam usque ad mortem crucis exhibeas, ut gratiam dones, qua justificatio legis impleri possit a nobis: nam *dissipaverunt legem tuam*, Judaei videlicet, quibus data erat. At graeci, Theodoretus, et Euthymius, quos plerique recentiorum sequuntur, exponunt de punitione sceleratorum, ut sensus sit, Tempus est, Domine, ut facias judicium adversus impios, eosque punias, quoniam *dissipaverunt legem tuam*, idest, non solum utcumque violaverunt, sed penitus dissipaverunt, cum nihil ejus observent. Utraque bona est expositio, sed videtur illa magis mystica, haec magis litteralis. S. August. legit, *tempus faciendi Domino*. S. Ambrosius, *tempus faciendi Domine*, ut habet editio nostra vulgata. S. Hilarius utroque modo hunc versiculum legit. In hebraico et graeco textu habetur, *Domino*: sed idem est sensus, dummodo illud *faciendi*, tribuatur Deo, non homini: et sensus sit, tempus est ut tu Domine facias.

7. *Ideo dilexi mandata tua super aurum, et topazion.*
8. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.*

Quia multi dissipaverunt legem tuam, et ob hoc video illis gravissimum imminere supplicium: ideo ego ex adverso magis incensus sum amore legis tuae, et pluris illam facio quam aurum, et lapides pretiosos: ideo etiam non solum legem diligebam, sed etiam custodire satagebam; *dirigebar enim ad omnia mandata tua*, idest, recte ambulabam per viam mandatorum tuorum, non declinans ad dexteram, vel sinistram, imo etiam *omnem viam iniquitatis*, idest, omnem legem carnis, et peccati *odio habui*, et declinavi. Porro per vocem, *topazion*, quod est in hebraeo, תז *paz*, significatur lapis pretiosus, quam dicunt aurei coloris esse, et valde lucidum: vide Strabonem lib. 6. Plin. lib. 37. cap. 8. eadem vocem habemus in psal. 18. ubi septuaginta Interpretes, et s. Hieronymus verterunt, *lapidem pretiosum*: quia videbant prophetam in una specie intellexisse genus ipsum lapidum pretiosorum.

Phe.

1. *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.*

In hoc octonario iterum Propheta revertitur ad laudandam legem, et ad petendam gratiam, ad eamdem legem perfecte servandam. Laudat igitur legem, quod admirabilis sit, et ideo eam scrutatus sit diligenter. Deuteronom. 30. ubi legimus, *mandatum hoc non supra te est*, in Hebraeo habetur, *Mandatum hoc non mirabile est*. Respondeo, leges Domini sive morales, sive judiciales, sive caeremoniales non esse mirabiles, quod attinet ad sensum litteralem; nam apertae sunt, et faciles; et qui eas non servant, non possunt excusari ab inorantia: et hoc affirmat Moses in Deuteronomio. At quod attinet ad mysticos sensus, praesertim legum caeremonialium, mirabiles, et obscurrissimae sunt, cum per illas figurentur omnia mysteria Christianae religionis: atque hoc significare videtur hoc loco Propheta. Praeterea Decalogus, quo lex Domini potissima continetur, hoc ipso valde mirabilis est, quod tam claris et apertis sententiis conscriptus sit, cum tamen in summa brevitate complectatur omnia principia justitiae, ad quae reducuntur omnes leges, quae factae sunt, et quae fient. Omnes enim aliae leges, quae sunt innumerabiles, et maxima volumina repleverunt, et deinceps replebunt; omnes, inquam, vel sunt conclusiones, vel determinationes legum decalogi. Itaque sicut parva semina mirabilia sunt, quia virtute continent magnas arbores: sic Decalogus mirabilis est, quia virtute continet omnes leges totius mundi.

2. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

Quia dixerat, mirabilia esse mandata divina; nunc addit, quod si declarentur vel ab ipso Deo per infusionem luminis divini, vel ab aliquo perito doctore, mirifice mentem illustrant. Declaretur autem lex, tum quando aperiuntur mysteria figurarum, quae in lege caeremoniali continentur: tum quando deducuntur conclusiones ex lege morali: tum denique quando decreta legis judicialis ad facta particularia applicantur. Ex hebraeo vertit s. Hieron. *Ostium sermonum tuorum*: sed vox, פתח *pethach*, non solum, *ostium*, sed etiam, *apertionem*, ac per hoc declarationem significat. Quod sequitur, *et intellectum dat parvulis*, significat, legis declarationem parvulis esse necessariam, idest, simplicibus, et ignorantibus. Fortasse etiam, ut s. Augustinus monet, per parvulos intelligere debemus humiles: isti enim facilius res divinas addiscunt, juxta illud Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, iis videlicet, qui non sunt in oculis suis sapientes, nec prudentes.

3. *Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.*

Et ego, ut unus ex parvulis, os meum interius aperui orando, et petendo, *et attraxi spiritum* bonum, spiritum scientiae, et pietatis, quo mandata intelligere, et implere possem. Nam ipsa mandata tua intelligere, et implere desiderabam. Sumpta est metaphora a respiratione corporali: cum enim gravamur aliquo magno labore, ac pene suffocamur; tum aperientes os, anhelantes, respiramus, et melius habemus.

4. *Aspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.*

Aperiendo autem os ad orandum ita dixi, *aspice in me, et miserere mei*, idest, aspice in me oculis pietatis, et miserere mei laborantis sub onere praeceptorum, quae meis viribus implere non possum: *miserere*, inquam, *mei secundum judicium diligentium nomen tuum*, idest, juxta consuetudinem, quia uteris erga amicos tuos, qui te in veritate diligunt, vox enim hebraica, משפט *mispat*, significat, *judicium*, morem, consuetudinem, modum, habitum, et alia. Sed quia septuaginta Interpretes verterunt, κρίμα, et noster Interpres *judicium*, in eumdem sensum exponere debemus hoc modo, *miserere mei secundum judicium*, quo uteris in judicandis amicis tuis, qui te diligunt.

5. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.*

In hoc misereberis mei *secundum judicium diligentium nomen tuum*, si direxeris gressus meos *secundum eloquium tuum*, idest, si per gratiam tuam feceris, ut ego rectam viam ingrediar ambulans secundum directionem legis tuae, et sic *non dominetur mei omnis injustitia*, idest, nullam injustitiam committam, quae me captivum teneat: nam, ut Dominus dicit Joann. 8. *Qui facit peccatum servus est peccati.*

6. *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.*

Gressus meos dirige tunc potissimum, cum pe-

http://www.obrascatolicas.com

riculum est, ne perturbatus calumniis declinem a recta via, *calumnia enim perturbat sapientem, et perdit robur cordis illius*, ut dicit Ecclesiast. cap. 7. *Redime me a calumniis hominum*, idest, libera me a calumniis hominum, ut animo tranquillo custodiam mandata tua. Non est facienda vis in verbo, *redime*: nam apud hebraeos passim accipitur pro, *libera*.

7. *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.*

Quod supra dixerat, *aspice in me*, idem aliis verbis repetit, dicens, *Faciem tuam illumina super servum tuum*. Sicut enim Sol cum interpositione nubium obscuratur, privat nos calore, et lumine: ita Deus cum nos gratia sua non adjuvat, videtur abscondere faciem suam, vel tenebris cooperire; et contra, cum nos gratiae suae lumine collustrat, videtur nubium obstacula dissipare, et nobis serenam faciem ostendere. Ait igitur, *Faciem tuam illumina super servum tuum*, idest, sereno me vultu respice, *et* lumine ad me transfuso, *doce me justificationes tuas*, idest, legem tuam intelligere, et servare.

8. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

Quam vehementer David legem Dei dilexerit, ostendit, hactenus tot precibus toties repetitis pro gratia servandae legis: nunc demonstrat ex magno dolore, quem concepit ex praevaricatione; non enim dicit, se unam vel alteram lachrymam fudisse, sed rivos aquarum, idest, lachrymarum, ex oculis, quasi ex fontibus produxisse, *quia non custodierunt legem Domini*. Tametsi enim peccatum, idest, transgressio legis, procedat a voluntate, sive a corde; tamen instrumenta peccati nunc sunt oculi, nunc lingua, nunc manus. Peccati autem gravissimi, quod David aliquando commisit, et pro quo *lavabat per singulas noctes lectum suum*, instrumenta fuerunt oculi. Vi it enim nimis curiose mulierem nudam, dum se lavaret; inde exarsit in concupiscentiam, inde processit ad adulterium, et homicidium. Theodoretus, et Euthymius, quos aliqui recentiores sequuntur, dicunt, Davidem flevisse peccata aliorum, et sic exponunt illud, *quia non custodierunt legem tuam*. Sed sancti patres nostri Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus constanter affirmant, Davidem loqui de peccato suo, non de alieno.

Tsade.

1. *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.*

In hoc octonario laudatur lex Domini a summa rectitudine, et justitia: ac primum demonstrat David esse justissimam legem, quoniam auctorem habet justissimum, in quem injustitia cadere non potest. Ait igitur, *justus es Domine*, id est, justus, per antonomasiam, et solus justus ea justitia, cum qua admisceri injustitia nequeat, juxta illud 1. Joan. 1. *Deus lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae*. *Et rectum judicium tuum*, idest, et consequenter rectum, ac justum est judicium, decretum, mandatum tuum. Nam in hoc psalmo per *judicium*, fere semper ipsa lex intelligitur. Quamquam etiam illud verum est judicium Dei, quo distribuit poenas, et praemia, semper esse justum, licet interdum non appareat ejus justitia.

2. *Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.*

Ostendit, legem Dei non solum esse justam, quia procedit a Deo justo, sed etiam, quia continet ipsam justitiam. *Mandasti*, inquit, *justitiam testimonia tua*, idest, praecepisti nobis testimonia tua, quae sunt ipsa justitia, *et veritatem tuam nimis*, idest, et sunt ipsa veritas omnino. S. Thomas 1. 2. quaest. 100. art. 8. ex hoc principio colligit, legem Decalogi esse omnino indispensabilem, quia continet ipsum ordinem justitiae, quo modo si quis juberet, ut nullus peccet; vel ut nemo sit iniquus, lex esset omnino indispensabilis, quia non potest dari casus, in quo liceat peccare, vel iniquum esse.

3. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Propter hanc tantam aequitatem legis tuae, dolore afficiebar, ita ut etiam tabescerem, et languerem prae zelo, cum viderem homines, etiam si inimicos meos, oblivisci verborum tuorum, id est, tam utilium praeceptorum tuorum. In graeco legitur, *zelus tuus*, et sic legerunt Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Theodoretus in commentario psalmorum. Sed nostra lectio conformis est hebraico textui, nec desunt antiqui codices, qui nostrae lectioni foveant. Sanctus enim Augustinus testatur alios codices habere, *zelus meus*, alios, *zelus tuus*, alios, *zelus domus tuae*: sensus autem semper est idem, ut notum est.

4. *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.*

Iterum docet Propheta legem Dei esse justissimam, et purissimam, ex similitudine ad aurum igne probatum. Dicitur enim, *eloquium* Dei, *ignitum vehementer*, quia similis est lex Dei auro in fornace ignis constituto, ubi non laeditur, quia parum est ab omni sorde. Nam in textu hebraico habetur, צרופה *tzerupha*, quod significat, *probatum* et *examinatum igne*. Neque dici potest, septuaginta Interpretes non legisse, *tserupha*, sed, שרופה *serupha*, quod proprie *ignitum* significat: nam in hoc octonario singuli versus incipiunt per literam *tsade*, et hoc vocabulum in initium versiculi. Itaque certum est hoc loco per *ignitum*, intelligi probatum, et examinatum igni, ac per hoc significari legem Domini esse purissimam ab omni injustitia, ut est aurum igne examinatum. Simile habetur in psal. 11. *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum*. Unde etiam sequitur, ut eadem lex summo amore diligenda sit: et merito David adjungit, *et servus tuus dilexit illud*. Neque tamen est falsum, sed verissimum, legem Domini esse etiam igneam, ut dicitur Deuteronom. 33. *In dextera ejus ignea lex*; tum quia instar ignis illuminat, et purificat: tum quia finis ejus est charitas, quae est ignis divinus.

5. *Adolescentulus sum ego, et contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.*

Hoc refert David ad comparationem fratrum suorum, quasi dicat, Ego sum minimus inter fratres meos (hoc enim proprie significat vox hebraea, צעיר *tsahir*) et contemptus a patre, a fratribus; et tamen exaltatus ad regnum et a Deo prae omnibus honoratus, *quia justificationes tuas non sum oblitus*. Vide lib. 1. reg. 16. Sanctus Ambrosius, et sanctus Augustinus exponunt mystice de populo Christiano, qui est frater junior respectu fratris senioris populi Judaici, et ab illo contemptus, sed a Deo magis dilectus, quia *justificationes Domini non est oblitus*, quas populus judaicus oblitus est.

6. *Justitia tua justitia in aeternum, et lex tua veritas.*

Haec est repetitio, declaratio secundi versiculi. Justitia enim Domini, idest, justissima lex Domini est justitia aeterna, quia immutabilis, et indispensabilis: et simul est veritas, quia nihil falsi continet; promissiones enim ejus, et comminationes omnino impleri debet.

7. *Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.*

Ex hac veritate fit, ut in omni tribulatione consoletur me legis tuae assidua meditatio: *Tribulatio et angustia invenerunt me*, idest, quotiescumque tribulatio et angustia invenerunt me, *mandata tua meditatio mea est*, idest, id remedii accipio, ut mediter, et oblecter in mandatis tuis considerandis.

8. *Aequitas testimonia tua in aeternum, intellectum da mihi, et vivam.*

Idem aliis verbis dicit, quod in secundo et sextu versiculo: nam per *aequitatem* hoc loco, *justitia* accipienda est, ut ex textu hebraico constat. *Aequitas testimonia tua in aeternum*, idest, praecepta tua sunt aeterna justitia, quia semper justissima sunt: ideo peto, ut des mihi intelligentiam praeceptorum tuorum, ut ea custodiendo vivam, quae si non custodirem, continuo morerer.

Coph.

1. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, justificationes tuas requiram.*

In hoc octonario Propheta desiderium suum erga divinam legem ardenti oratione demonstrat: ac in primo quidem, et secundo versiculo exprimit vehementiam desiderii per clamorem: in tertio, et quarto per horam intempestivam. *Clamavi*, inquit, *in toto corde meo*, idest, toto affectu, totisque viribus clamavi; ideo *exaudi me Domine*. Sicut enim vocem corporalem submissam non facile exaudimus; clamorem autem non possumus non exaudire; ita Deus orationem frigidam, et remissam, quasi non audierit, non admittit: ardentem autem, et magno desiderio emissam, quasi non audire, facile admittit. *Justificationes tuas requiram*, idest, exaudi me, ut *justificationes tuas*, idest, praecepta tua, diligenter requiram: vel *exaudi me*, et ego gratia tua adjutus praecepta tua requiram, quod in idem recidit.

2. *Clamavi ad te, salvum me fac, et custodiam mandata tua.*

Potest hoc intelligi de salute in spe, quae habetur per gratiam in hoc saeculo, et de salute in re, quae habetur per gloriam in futuro saeculo. *Clamavi ad te*, idest, magno desiderio oravi: *salvum me fac*, per gratiam, quae est salus inchoata, *ut custodiam mandata tua*, quantum in hoc saeculo fragilitas humana permittit, et rursum, *salvum me fac*, in aeterna vita, ut *custodiam mandata tua*, sine ullo timore praevaricandi.

3. *Praeveni in maturitate, et clamavi: quia in verba tua supersperavi.*

Hunc locum corruptum esse aliqui putant, quia s. August. legit, *Praeveni in immaturitate*. Sed credendum est potius corruptum fuisse codicem, quem habuit s. August. nam sanctus Hilarius, s. Ambrosius, et s. Hieron. in comment. et alii, legunt, ut nos habemus, *in maturitate*. Sciendum est autem verbum *maturare*, esse ambiguum, et aliquando significare *perficere*, ut cum dicimus, *maturari fructus*, aliquando *accelerare*, et *festinari*, qua notione dixit Poeta, *maturate fugam*, lib. 1. Aeneid. et, *mature venisti*, tam significat, tempore opportuno venisti, quam satis cito venisti. Hoc igitur loco *maturitas*, non est opportunitas temporis, sed acceleratio, et anticipatio horae; et sensus est, *praeveni in maturitate*, idest, praeveni tempus surgendi, et in acceleratione, et festinatione, antequam dies illucesceret, cum adhuc tempus dormiendi esset, ego prae desiderio anticipavi vigilias, et in oratione mea clamavi; quia valde speravi in verba promissionum tuarum.

4. *Praevenerunt oculi mei ad te diliculo, ut meditater eloquia tua.*

Idem repetit aliis verbis, *praevenerunt*, inquit, *oculi mei* tempus vigilandi, et *diluculo*, idest, valde mane, ante ortum solis ad te respicere coeperunt, ut gratia tua adjuvante meditarer eloquia tua.

5. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine, et secundum judicium tuum vivifica me.*

http://www.obrascatolicas.com

Pergit in oratione, quam diluculo, remotis curis temporalibus, in magno silentio rerum omnium, attentissimo animo faciebat. *Vocem meam*, inquit, *audi*, non secundum merita mea, sed *secundum solitam misericordiam tuam, et secundum judicium tuum*, quo reddis quod promisisti, *vivifica me*, conservans, et augens vitam spiritualem, quam dedisti, et in futuro saeculo perficiens, et consummans, ut amplius mori non possim.

6. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.*

Non sine causa peto vivificari, quoniam non desunt persecutores qui tentationibus assiduis mortificare me satagunt, qui persecutores, sive homines, sive daemones, *appropinquaverunt iniquitati, a lege tua longe facti sunt*, idest, iniquitatem diligunt, illi adhaerent, illam persuadere aliis conantur: sicut e contrario legem tuam oderunt, illam fugiunt, illam omnibus inviam reddere student. S. Augustinus, s. Ambrosius, et s. Hieron. in commentario legunt *appropinquaverunt persequentes mihi inique*, sive *iniquitate*, idest cum iniquitate: ita ut appropinquatio sit ad hominem, ut ei noceant, non ad iniquitatem, ut illi conjungantur. Et quidem vox graeca ambigua est, et tam *iniquitate*, quam *iniquitati* reddi potest. Vox hebraica, ut nunc se habet, favet lectioni s. Augustini; nam ad verbum sic reddi potest, *appropinquaverunt persecutores iniquitatis*, idest, persecutores iniquissimi appropinquaverunt, supple, *ad me*. Tamen omnino credibile est verba hebraica non esse legenda, רדפי זמה *rodephe zimma*, idest, *persecutores iniquitatis*, sed רדפי זמה *rodephai zimma*, idest, *persecutores mei iniquitati*, quae lectio est nostrae editionis vulgatae, et habetur apud s. Hilarium, et cum lectione Graeca bene cohaeret; et optime respondet verbis sequentibus, *a lege autem tua longe facti sunt*: ubi Propheta opponit iniquitatem legi, et dicit, persecutores suos appropinquasse iniquitati, et recessisse a lege tamen uterque sensus bonus est.

7. *Prope es tu Domine, et omnes viae tuae veritas.*

Quamvis persecutores mei *a lege tua longe facti sint*, tamem a te longe fieri non potuerunt: quia tu *prope es* illis per justitiam, *et omnes viae tuae veritas*, idest, omnes leges, omnia judicia tua justissima sunt. Itaque manum tuam punientem ipsorum scelera fugere non potuerunt. Mihi quoque *prope es* tu Domine per auxilium, et quia *omnes viae tuae veritas*, non patieris, ut mihi noceant persecutores: nam et si forte dabis illis potestatem in corpus meum, dapis in animam meam, et tandem omnis persecutio in coronam gloriae convertetur.

8. *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.*

Quod autem *omnes viae tuae sint veritas*, imo etiam aeterna veritas, *initio cognovi de testimoniis tuis*, idest, jam inde a primo tempore, quo primum coepi intendere in mandata tua, cognovi ex ipsis, dum ea attente considerarem, *quia in aeternum fundasti ea*, idest, quod sint aeternae veritatis, et plane immutabilia, et indispensabilia. Nam jam supra dictum est, ea esse immutabilia, quia continent ordinem justitiae, et ipsam legislatoris intentionem.

Resch.

1. *Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.*
2. *Judica judicium meum, et redime me, propter eloquium tuum vivifica me.*

In hoc octonario rursum Propheta orationem fundit ad Deum pro liberatione ab inimicis sive doemonibus, sive hominibus, qui eum tentationibus suis ad praevaricationem legis pertrahere nitebantur. *Vide*, inquit, *humilitatem meam*, idest, afflictionem, et tribulationem meam, *et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus*, idest, quamvis legem non perfecte custodiam, tamen non post tergum meum eam abjeci, sed recordor, et recogito eam, et custodire desidero; ideo aequum est, ut eripias me a tentantibus inimicis, et perficias in me, quod per gratiam tuam coepisti. *Judica* igitur *judicium meum*, idest, judica causam meam, *et redime me*, per judiciariam sententiam tuam de manu inimicorum meorum, *propter eloquium tuum vivifica me*, idest, propter promissionem tuam, sive propter legem, quam constituisti de praemiis bonorum, et suppliciis malorum vivifica me, vitam gratiae augendo, et vitam gloriae suo tempore largiendo.

3. *Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.*

Dixi, *vivifica me, quia legem tuam non sum oblitus*. Scio enim longe esse a peccatoribus salutem, quia justificationes tuas non exquisierunt. Nam in primis doemones, qui per antonomasiam *peccatores* dici possunt, longissime absunt a salute, quia numquam ad eam pervenient, eo quod legem Domini non exquisierint; sed eam potius superbiendo contempserint. Alii quoque peccatores tam longe a salute absunt, quam longe absunt a lege Domini exquirenda; neque enim frustra dictum est a Domino, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Matth. 19.

4. *Misericordiae tuae multae Domine: secundum judicium tuum vivifica me.*

Quamvis severissime punias eos, a quibus longe fecisti salutem tuam: tamen multae sunt etiam misericordiae tuae, ideo peto, ut secundum judicium tuum, quo misericorditer judicas eos, qui faciunt misericordiam, et qui diligunt legem tuam, vivifices me.

5. *Multi qui persequuntur me, et tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi.*

Non sine causa postulo, ut vivifices me, quia multi sunt hostes mei visibiles, et plures invisibiles, qui me mortificare contendunt: et tamen ego gratia tua adjutus *a testimoniis tuis*, hoc est, a praeceptis tuis, quae sunt quasi rectissima via, *non declinavi* neque ad dexteram, neque ad sinistram.

6. *Vidi praevaricantes, et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.*

Ostendit in hoc versiculo Propheta verum spiritum charitatis, quia non tam moleste ferebat persecutores ob propriam afflictionem, quam ob injuram Dei: quod idem antea dixerat illis verbis, *defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam:* et rursum, *tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

7. *Vide, quoniam mandata tua dilexi Domine, in misericordia tua vivifica me.*

Ego videns praevaricantes tabescebam: aequum est, ut tu videns me diligentem mandata tua, misericorditer me vivifices.

8. *Principium verborum tuorum veritas, in aeternum omnia judicia justitiae tuae.*

Duobus modis potest intelligi praesens versiculus. Uno modo, ut sensus sit, verba tua procedunt a veritate, ut a suo principio, quasi fonte, et ideo verissima sunt, et *in aeternum* manent *judicia justitiae tuae*, quae sunt ut pios maneat praemium, et impios poena: ita exponit s. August. Altero modo, ut sit sensus, *principium verborum tuorum*, quando videlicet coepisti loqui cum Adamo, et jubens sub poena mortis, ne tangeret lignum scientiae boni, et mali; *veritas* fuit, idest, verissimum fuit, et *judicia justitiae tuae*, quibus peccata tunc punire coepisti, sempiterna sunt: ita exponit Euthymius.

Scin.

1. *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.*

In hoc octonario demonstrat Propheta constantiam suam in custodienda lege Domini, et desiderium cavendi ab omni praevaricatione. *Principes*, inquit, *persecuti sunt me gratis*, idest, Saul rex, sine ulla causa me persecutus est, reddens mala pro bonis, ut etiam postea fecit Isboset filius Saulis, qui duce Abner injuste mecum bella gessit, et tandem idem fecit filius meus Absalon, qui regnum sibi usurpare, meque de solio exturbare conatus est. *Et a verbis tuis formidavit cor meum*. idest, ego tamen tantis tentationibus non succubui, ut eis nocerem, sed timens mandata tua, semel atque iterum Sauli peperci, et mortem Isboset ultus fui, et Absalonem deflevi, reddens bona pro malis. S. Ambrosius, et s. Augustinus haec verba accomodant sanctis martyribus, qui persecutionem injustissimam passi ab imperatoribus infidelibus, plus timuerunt Deum, ut fidem conservarent; quam minas principum, ut fidem negarent.

2. *Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

Non solum timui a verbis tuis, sed etiam dilexi verba tua, et ideo *laetabor super eloquia tua*, cum dabitur occasio illa adimplendi, sicut laetatur, qui peracto praelio invenit multa spolia hostium devictorum. Aptissima similitudo, tum quia David vir bellicosus erat, et assuetus praeliis: tum quia in praeceptis dominicis observandis cum diabolo acriter pugnandum est, et ex ea pugna, qui victor revertitur, invenit illustres coronas a Deo paratas omnibus hostium spoliis pretiosiores.

3. *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; legem autem tuam dilexi.*

Iterum repetit amorem suum erga legem divinam et odium erga iniquitatem. Quod erat manifestum indicium amoris legislatoris: nam et Dominus in evangelio dicit, *si quis diligit me, sermonem meum servabit*, Joan. 14. et ibidem, *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*. Foelix, qui Spiritu sancto reddente testimonium spiritui ejus, dicere potest, *iniquitatem hodio habui, et legem tuam dilexi.*

4. *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiae tuae.*

Et hoc est charitatis signum, sine intermissione Deum laudare, quod judicia ejus justissima sint, et leges ipsius summam justitiam in se contineant. Quamvis per numerum septenarium intelligantur hoc loco frequentissima laus, quo modo intelligitur frequens lapsus, cum dicitur, *septies in die cadit justus*, Prov. 24. tamen non sine causa ex hoc loco Ecclesia usum septem horarum Canonicarum instituisse videtur. Nam cum ad imitationem tam sancti reges vellet filios suos frequentissime Deum laudare, determinavit septenarium numerum, cui si addatur octava hora, de qua dictum est supra, *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, fiet, ut tertia quaque hora Trinitas Deus a fidelibus laudetur, ut s. Cypr. notavit in ser. 6. qui est de oratione Dominica.

5. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.*

Magna et verissima laus est dilectionis legis divinae: nam qui diligit legem, diligit Deum legislatorem: qui autem diligit Deum, diligit omnia in Deo, ac per hoc nullum habet ex parte sua inimicum, sed cum omnibus ex parte sua pacem habet. Deinde, *diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-*

http://www.obrascatolicas.com

num, ut dicit Apostolus Rom. 8. Nemo autem nocere potest ei, cui *omnia cooperantur in bonum*, quare qui diligit Deum, cum omnibus pacem habere debet, et ideo Apostolus ad Gal. 5. dicit, *charitas, gaudium, pax*, etc. Pari ratione non est scandalum *diligenti legem* Domini, sed sine offensione currit ad patriam: nam scandalum activum non cadit in eum, qui diligit legem, cum scandalizare peccare sit; et peccare sit legem praevaricari. Scandalum autem passivum, vel est pusillorum, qui ex ignorantia existimant, illicitum esse, quod licitum est, et offenduntur cum vident illa fieri, quae ipsi arbitrantur illicita; vel est Pharisaeorum, qui ex propria malitia in pejorem partem interpretantur, quae interpretanda erant in meliorem. At qui diligunt legem Domini, perfecti sunt in charitate, proinde nec pusilli, nec Pharisaei sunt, ac per hoc non est illis scandalum. Vide s. Thomam quaest. 43. artic. 5. et 6. in 2. 2.

6. *Expectabam salutare tuum Domine, et mandata tua dilexi.*

Induit personam perfectorum hoc loco Propheta, et ideo cum fiducia dicit, *expectabam salutare tuum*, idest, salutem aeternam, quae a te est, et rationem reddit, *et mandata tua dilexi*, idest, quia *mandata tua dilexi*. Quo modo dicit Apostolus 2. Tim. 4. *Cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi in illa die justus Judex.*

7. *Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.*

In eadem perfecti persona loquitur, ac testatur, se mandata servasse, quoniam ea vehementer amavit. *Vere enim amor*, ut scripsit s. Gregor. *operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor non est*; et Dominus in evangelio Joan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat*; et Apostolus ad rom. 13. *Dilectio malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio*, et ibidem, *qui diligit, legem implevit.*

8. *Servavi mandata tua, et testimonia tua, quia omnes viae meae in conspectu tuo.*

Iterum in persona perfectorum, se omnia mandata, et testimonia servasse affirmat: sed ex alio motivo, quod proprium est perfectorum, videlicet quia in omnibus actionibus suis cogitabat Deum esse praesentem, id enim significat illud, *quia omnes viae meae in conspectu tuo*, idest, quicquid agebam, in conspectu tuo agebam, sciens, et cogitans, te omnia conspicere. Haec enim cogitatio mirabilem vim habet ad moderandas actiones humanas: nam si conspectus principis terreni id efficit, ut subditi coram eo peccare non audeant, imo etiam desides, et negligentes, vel timidi et parvi animi videri erubescant: quid faceret conspectus principis coelestis, atque omnipotentis, si ante oculos mentis perpetuo versaretur! Hinc Dominus Abrahamo dicebat, *ambula coram me, et esto perfectus*, Gen. cap. 17. et Abraham dicebat, *Dominus in cujus conspectu ambulo*. Gen. 24. Elias, ac Elisaeu dicebant, *vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. 3. reg. 17. et 4. reg. 3.

Tau.

1. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.*

In hoc ultimo octonario concluditur psalmus oratione ad Deum pro gratia et salute saepius petita; sciebat enim Propheta, quod postea in Evangelio Dominus admonuit, perseverantiam in oratione, esse ad impetrandum longe utilissimam, Luc. 11. Ait igitur, *appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine*, idest, deprecatio mea, quae suis meritis non confidit, elevetur, et ascendat aspirante gratia tua, et appropinquet tibi, ita ut eam propius aspicere, et admittere digneris. Illud, *in conspectu tuo*, positum est pro, ad conspectum tuum, sive conspectui tuo. Quid autem contineat *deprecatio*, explicatur in verbis sequentibus. *juxta eloquium tuum da mihi intellectum*, idest, juxta promissum tuum, quod audivi: in psal. 31. *Intellectum tibi dabo et instruam te*, da mihi intelligere mandata tua eo modo, qui intelligunt, qui ea opera adimplent, et qui adimplendo ad vitam perveniunt.

2. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.*

Repetit aliis verbis eamdem petitionem: illud autem, *eripe me*, significat finem, cur petierit intellectum sibi dari: nam finis illuminationis est liberatio a peccatis, juxta illud evangelii, *cognoscetur veritatem, et veritas liberabit vos*. Joan. 8.

3. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.*

Promittit gratiarum actionem, si obtinuerit gratiam tuam saepe imploratam. *Cum docueris me justificationes tuas*, ita ut gratia tua illuminante, et juvante, perficiam mandata tua, tunc ex plenitudine laetitiae interioris, et agnitionis magni hujus beneficii, *eructabunt labia mea hymnum laudis*, et gratiarum actionis: nam ructus ex repletione oritur, *et ex abundantia cordis os loquitur.*

4. *Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua aequitas.*

Non solum dicit se laudaturum Deum, sed etiam docturum homines, ac demonstraturum, quanta sit aequitas mandatorum Dei. *Pronunciabit*, inquit, *lingua mea eloquium tuum*, idest, loquar hominibus praecepta mea, et docebo, quod *omnia mandata tua aequitas sunt*, idest, aequissima sunt, ac proinde aequum est, ut ab omnibus diligentissime observentur. Nisi magis placeat, hunc versiculum esse repetitionem versiculi superioris, ut sensus sit, *laudabit lingua mea eloquium tuum*, id est, praecepta tua, quia aequissima sunt. Sed prior expositio est s. August. et communior.

5. *Fiet manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.*

Pergit in oratione sua David, potens quod unice petendum est, aeternam salutem, quae est finis mandatorum, *Fiat manus tua ut salvet me*, idest, sit potentia et sapientia tua ad me salvandum. Sic enim ex hebraeo verti posset, ex quo intelligimus, illud *fiat*, positum esse pro, *sit*, quo modo etiam in 1. cap. Genesis, ubi dicitur, *fiat lux fiat firmamentum, fiant luminaria*, semper in hebraeo est verbum substantivum, *sit*. Et quoniam *potentiam et sapientiam Dei* Christum esse docet Apostolus 1. Cor. 1. recte exponunt patres, *sit Christus tuus ad me salvandum: quoniam mandata tua elegi*. Optima ratio, cur praetendat salutem qui mandata elegit, quoniam scriptum est, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19.

6. *Concupivi salutare tuum Domine, et lex tua meditatio mea est.*

Reddi rationem, cur tantopere petat salutem, quia videlicet illam prae omnibus desideratis concupivit. Sicut re vera super omnia bona concupiscenda est, cum sola desiderium nostrum possit implere; et quoniam non satis est concupiscere salutem, si quis ad eam pervenire velit, sed necesse est ambulare per viam praeceptorum Dei; ideo subjungit, *et lex tua meditatio mea est*, idest, de lege custodienda semper cogito, et in illa custodienda me semper exerceo.

8. *Vivet anima mea, et laudabit te: et judicia tua adjuvabunt me.*

Vivet anima mea, cum salutem concupitam obtinuerit, et manus tua fuerit ad salvandam eam: et tunc officium ejus erit, et solum negotium, laudare te: nam *beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*, psal. 83. *Et judicia tua adjuvabunt me*, idest, et mandata tua a me custodita adjuvabunt me, ut aliquando etiam corpore vivam, cum resurrexero in resurrectionem vitae, vel, *judicia tua*, quibus in novissimo die judicabis pro meritis vivos et mortuos, *adjuvabunt me*, ut corpore quoque vitam sempiternam possideam.

8. *Erravi sicut ovis, quae periit; quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

Erravi sicut a patria expulsus, et adhuc exul erro propter culpam parentis primi, toti humano generi communicatam, et *erravi, sicut ovis*, quae seducta periit, non sicut diabolus, leo rugiens, qui ex malitia cecidit. *Quaere* ergo *servum tuum*: quamvis enim ex parte quaesieris, et inveneris, quatenus animam justificasti a peccato, et reconciliasti Deo; tamen adhuc quaerenda est ovis perdita, quatenus expectat redemptionem corporis sui, ut tota ad montes coelestes, et uberrima pascua, ubi relictae sunt nonaginta novem, quae non errarunt, perducatur: confidenter autem peto salutem animae, et corporis, *quia mandata tua non sum oblitus*. In libris graecis veritas est propter vocabulorum similitudinem, ut notarunt s. Patres Ambrosius, et Augustinus: nam alii codices habent ζητησον, idest, *quaere*; ζησον, idest, *vivifica*: imo s. Hilarius legit solum *vivifica*; sed in hebraeo nulla est varietas, neque literarum similitudo, et habetur vocabulum, quod nihil significat, nisi, *quaere*. Non desunt ex recentioribus, qui hunc versiculum exponant de Davide errante in montibus quando persecutiones Saulis vel Absalonis fugiebat. Sed nimis humilis videtur sensus, et ab expositione veterum patrum alienus.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Psalmi quindecim, qui proxime sequuntur post psalmum centesimum decimum octavum, omnes in titulo habent, *canticum Graduum*, et quamvis gradus tam ad ascensum, quam ad descensum referri possit; tamen hoc loco non nisi ad ascensum pertinet:nam hebraica vox. המעלות *ammahaloth*, *ascensionem* significat,et similiter vox graeca ἀνάβαθμων.Igitur psalmi isti quindecim,cantica quaedam ascensionum sunt,sive cantica eorum,qui per gradus quosdam sursum ascendunt, et quidem graeci, Theodoretus,et Euthymius, docent cantica ista intelligenda esse ad litteram de ascensione Judaeorum de Babylone in Jerusalem,Spiritu sancto per os David praecinente calamitatem captivitatis Babylonicae, et laetitiam liberationis. Alii malunt hos quindecim psalmos compositos fuisse, ut canerentur in ascensione quindecim graduum templi Salomonis: toto enim fuisse gradus templi non solum scribunt Nicolaus Lyranus, et alii recentiores, sed etiam s. Augustin. tract. in psalmum postremum. *Tot sunt*, inquit, *psalmi qui appellantur graduum,quoniam tot fuerunt etiam templi gradus.* Sed quicquid sit de his opinionibus,illud certum est, ascensiones istas sive de Babylone in Jerusalem, sive per gradus templi Salomonis figuras fuisse ascensionis electorum, qui per gradus virtutum ac praecipue charitatis,ascendunt de valle lachrymarum ad coelestem Jerusalem, et de hac ascensione Spiritum sanctum potissimum esse loquutum. Certe psalmi sunt pleni affectibus in Deum, et proprii eorum, qui se peregrinos, atque exules in terra inimicorum esse intelligunt;et nunc aerumnas exilii deflent, nunc ad requiem patriae subspirant; semper autem se ad ascendendum, et in via Domini proficiendum accendunt.

EXPLICATIO PSALMI CXIX.

1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi,et exaudivit me.*

Inter varias hujus exilii calamitates,una est maxime deploranda,videlicet lingua dolosa eorum,cum quibus versari cogimur:ab hac se liberari petiisse, et impetrasse, canit Propheta, ut exemplo suo instruat caeteros peregrinos. Ego,inquit, *cum tribularer* non respexi ad auxilium hominum, sed *clamavi* in oratione ad Dominum, et ille pro sua pietate *exaudivit me.*Verba sunt clara,codicesque hebraici, graeci, et latini conveniunt.

2. *Domine,libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.*

Declarat quid oraverit clamando. Dixi,inquit,*Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*,quod est unum ex majoribus et frequentioribus malis hujus nostrae peregrinationis: *labia iniqua* preferunt detractiones, convicia, calumnias, falsa testimonia, et similia verba contra legem justitiae: *lingua dolosa* profert verba deceptionis, adulatoria, simulatoria, fraudulenta; et possunt inveniri labia injusta sine lingua dolosa,ut cum quis aperte conviciatur, vel detrahit; cum lingua dolosa adjungitur ad labia injusta, malum est gravissimum, ideo ut nihil fere addi possit, ut dicetur in sequenti versiculo. Quod attinet ad verba, illud *animam meam*, positum est pro *me*, quasi, diceret, libera me: sed nominatur *anima*, vel quia est pars nobilior,vel quia lingua dolosa parum nocet, nisi vulneret animam inducendo videlicet eam ad peccandum. Illud autem,*a labiis iniquis*,s.Hieron. legit ex hebraeo *a labio mendacii*. Sed vox hebraea, שקר *sceker*, utrumque significat, *mendacium*, et *praevaricationem*: proinde recte verterunt etiam septuaginta, *a labiis*, ἀδίκων, idest, *iniquis*, et sententia est plenior, et gravior, ut etiam in psalmo 42. *Ab homine iniquo et doloso eripe me.*

3. *Quid detur tibi,autem quid apponatur tibi,ad linguam dolosam?*

Reddit rationem, cur petierit liberari a *lingua dolosa*,quia videlicet sit tale malum ut nihil ei addi possit, quasi dicat, Quid enim mali dari,aut addi posset supra linguam dolosam? sed difficultas est in verbis, tum quia in hebraeo legitur active, *quid dabit, aut quid apponet*:tum quia illud pronomen, *tibi*, videtur cogere ut haec sententia non referatur ad Deum,et proinde non continuetur cum superioribus verbis. Quod attinet ad primam difficultatem, verba hebraica legi possunt etiam passive,si mutentur puncta,praesertim illud. יתן *itten*, quod potest legi. יתן *juttan*; et legenda esse passive perspicuum est, quia non solum septuaginta verterunt passive, sed etiam s. Hieronym. reddidit ex hebraeo passive,*quid dabitur tibi aut quid apponetur tibi ad linguam dolosam*? Illud, *tibi*, potest esse otiosum, ex phrasi hebraica, ut in Canticis cap. 1. *Egredere tibi*, et cap. 2. *Veni tibi,surge tibi, imber abiit sibi*, et in hoc ipso psalmo, *multum incola fuit anima mea sibi*, quod *sibi*,ut redundans, omiserunt Interpretes,et tunc tota sententia continuabitur hoc modo.*Domine libera animam meam a labiis iniquis,et ad lingua dolosa*: quid enim mali dari,aut opponi potest *ad linguam dolosam*, idest, supra linguam dolosam? Quod si non placeat esse hoc loco otiosum illud *sibi*, potest ita exponi,ut Propheta post orationem ad Deum vertat se, vel ad se ipsum, vel ad incertam personam, dicens, *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*: quid enim o anima mea, vel o quicumque hic ades, tibi dari mali, aut addi potest *ad linguam dolosam?* idest,super malum linguae dolosae?

4. *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.*

Declarat elegantissima similitudine quale malum sit *lingua dolosa*; ac dicit esse verba ejus, quasi sagittas, quae natura sua longe feriunt, et celeriter ut vix caveri possint, et addit amplificationem admirabilem dicens,non esse qualescumque sagittas, sed *potentis*, idest, a robusta manu cum impetu emissas,et praeterea ab artifice bene politas, et acutas; et denique adeo ignitas,ut quidvis desolare, et vastare possint, qualia sunt fulgura coelestia, quae ab omnipotenti manu mittuntur, et sunt vere ignita, et acutissima. Igitur talia sunt verba dolosa, praesertim quando sunt instrumenta diaboli ad occidendas animas, quae vocantur ab apostolo ad Eph.6. *Tela nequissimi ignea.*S.Aug. hos duos versiculos multo aliter exponit, nimirum vult esse dialogismum,ut primum homo in tribulatione potius oret.*Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*, deinde Dominus respondeat, *quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam*? id est, quid remedii tibi dari poterit, aut apponi contra linguam dolosam: hoc videlicet unicum tibi remedium erit: *sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis*,idest, verba Dei cum exemplis charitatis igne succensis: *vivus enim est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti*, cui si accedat exemplum ex vera charitate prodiens, quasi carbo ignitus,nihil ei resistere poterit. Utraque expositio ad aedificationem facit; sed prior videtur magis litteralis. Quod attinet ad verba, illud, *desolatoriis*, in hebraeo est, רתמים *rethamim*, quod s. Hieron. recte vertit, *juniperorum*; sed septuaginta explicaverunt metaphoram.Carbones enim juniperorum,sunt valde solidi, et ideo aptissimi ad incendendum, et desolandum.

5. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.*

Ex occasione tam magni mali,et tam frequentis in hac peregrinatione, suspirat ad patriam, et sic vere, et ex corde cantat canticum ascensionis. *Heu mihi*,inquit,*quia incolatus meus*,vel,ut ex hebraeo vertit s.Hieron. *peregrinatio mea prolongata est.* Cupit enim verus peregrinus cum Apostolo magis peregrinari a corpore, quam a Domino; et ideo nimis longam judicat praesentem vitam, in qua peregrinatur a Domino. *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Non mirum videatur, si longam nimis queror esse hanc habitationem: *habitavi*, enim huc usque *cum habitantibus Cedar*,id est,cum barbaris, et efferatis gentibus, quae non habitant in civitatibus, sed in tentoriis,iisque nigris et rusticis, quales sunt Arabes. In hebraeo et graeco codice habetur, *habitavi cum tabernaculis Cedar*; sed idem est sensus:quid enim est aliud *habitare cum tabernaculis*, quam habitare cum habitantibus in tabernaculis. (Vox, קדר *Kedar*, hebraica est, et nigredinem tenebrasque significat, unde Canticorum 1. opponuntur *tabernacula Cedar*, *pellibus Salomonis*, idest, tentoria nigra, et rustica, tabernaculis pretiosis, et splendidis.Vere autem civitates, et palatia regum hujus mundi, nihil sunt nisi tabernacula rusticorum, comparata ad mansiones coelestis Jerusalem Ideo rursum lamentatur peregrinus Dei dicens,*multum incola fuit anima mea*, idest, nimis longus fuit jam incolatus meus in terra aliena. In hebraeo additur, *sibi*, sed ut supra diximus ex phrasi hebraica otiose additur, et propterea ab interpretibus saepe omittitur: idem enim est *habitavit sibi*, et, *habitavit*. Hinc potest colligi,paucos hodie repiriri,qui ex corde cantent canticum graduum, cum plerique omnes diligant adeo peregrinationem,et *tabernacula Cedar*, ut nihil tristius audiant,quam sermonem de discessu ab hac vita.

6. *Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

Concludit rationem reddens,cur sit malum tamdiu peregrinari, et simul declarans metaphoram *tabernaculum Cedar*: quod enim metaphorice, et obscure dixit,*habitavi cum habitantibus in tabernaculis Cedar*,clare exponit dicens. *habitavi cum eis, qui oderunt pacem*; ego qui nihil diligo magis, quam pacem,idest,habitavi cum mihi dissimilibus,cum perversis,et adeo injustis,ut non solum cum hostibus sed etiam cum amicis belligerare soleant: et si forte loqui de pace incipiebam ad illos; ipsi sine ulla causa magis me impugnabant.In textu hebraeo est alia interpunctio, quam etiam sequitur s. Hieronym. sic ibi legitur, *multum incola fuit anima mea cum his. qui oderunt pacem. Ego pacem loquebar, et illi ad bellum.* Sed melior est interpunctio septuaginta interpretum,quae

http://www.obrascatolicas.com

est etiam antiquior:nam in hebraeo non est simpliciter, *ego pacem loquebar*, sed hoc modo, si verbum verbo reddamus,*ego pacem,et cum loquebar*. Ex quo intelligimus,recte septuagiuta post *pacem*, posuisse punctum,et quod diximus ex hebraeo reddi, *ego pacem*, potest etiam reddi, *ego pax*, ut sit sensus, cum his qui oderunt pacem,ego pax eram, idest,adeo pacificus eram ut ipsa pax dici possem; et postea sequitur alius versiculus. *Et cum loquebar; illi ad bellum*, nimirum provocabant ; quod in sententia convenit cum eo , quod verterunt septuaginta,et nos in nostra editione latina legimus, *cum loquebar illis,impugnabant me*.Quod autem additur, *gratis*, positum est a septuaginta explicationis gratia. Totus hic psalmus convenit quidem omnibus electis , sed praecipue capiti electorum Christo,quatenus viator erat,secundum carnis passibilis conditionem.Vere enim clamavit ipse ad Dominum patrem suum pernoctans in oratione Dei,et postea in horto , et demum in cruce , et verissime exauditus est, cum exaltaverit illum Deus,et dederit ei *nomen super omne nomen*.Vere quoque passus est *labia iniqua*, et *linguas dolosas* usque ad mortem,ut ex toto decursu evangeliorum patet.Verissime dicere potuit, *incolatus meus prolongatus est*; cum in evangelio dixerit, *generatio adultera, et incredula,quamdiu apud vos ero.quamdiu vos patiar ? Vere habitavit cum habitantibus Cedar*, quia licet ipse lux esset , ac per hoc *in Cedar*, idest , in tenebris , non habitaret , sed in lumine, tamen *cum habitantibus Cedar* visus est, et inter eos conversatus est. Denique vere cum iis , *qui oderunt pacem, eram pacificus*; quia *cum maledi-ceretur non maledicebat;cum pateretur non comminabatur* : et cum loqueretur illis de pace , de charitate, de regno Dei; ipsi contra eum impugnabant sine ulla ratione, vel causa, quod Joan. 15. ipse idem notavit, cum ait , *Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*.

PSALMUS CXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Secundus psalmus ex gradualibus consolatur peregrinos ascendentes in Jerusalem.promittens perpetuam Dei custodiam,ac primum loquitur Prophetа in persona peregrini:deinde loquitur in persona propria, et consolatur peregrinum.

EXPLICATIO PSALMI CXX.

1. *Levavi oculos meos in montes:unde veniet auxilium mihi.*

Peregrini nihil frequentius aspiciunt , quam locum ad quem tendunt , si is conspici possit ; sin minus locum aliquem viciniorem: inde enim consolationem magnam percipiunt; quae consolatio vires et auxilium praebet ad ambulandum, quia terrena Jerusalem in montibus erat, et coelestis Jerusalem supra omnes coelos est, ideo peregrinus, sive umbraticus, sive verus , dicit . *levavi oculos meos in montes* , ubi sedet civitas facta , *unde veniet mihi auxilium* consolationis. In hebraeo est verbum temporis futuri:*levabo*,sed saepe variantur tempora apud hebraeos , et praeterea quod ad sensum attinet, non multum refert,sive peregrinus dicat,levavi jam oculos meos, sive levabo jam oculos meos. S. Augustin. mystice more suo, per montes, intelligit sanctos apostolos,sicut enim oriente sole primi sunt montes, qui lumen recipiunt, sic veniente Christo, justitiae Sole, primi fuerunt apostoli , qui lumen receperunt.

2. *Auxilium meum a Domino,qui fecit coelum et terram.*

Declarat peregrinus, se non expectare auxilium a montibus, ad quos oculos levavit, sed ab eo,qui praesidet sanctae civitati in montibus positae,quod clarius explicat initio psal. 122. *Ad te levavi oculos meos , qui habitas in coelis* , describit autem verum Deum per opus creationis coeli,et terrae,sicut in alio psal. 95. *Dii gentium daemonia,Dominus autem coelos fecit.*

3. *Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.*

Mutat Propheta personam,et loquitur in persona propria, et respondet peregrino, quasi dicat,Bene, et sapienter levasti oculos tuos in montes , et non respexisti vanitates, quae occurrunt in via: sed iis praetermissis a conditore coelestis patriae auxilium, et consolationem expectasti:ideo ego opto,*ut Deus non det in commotionem pedem tuum*, idest,non sinat te labi,et cader in via;sed roboret pedes tuos, ut stabiles in cursu ad patriam perseverent.*Et non dormitet qui custodit te*, idest, opto etiam, et rogo, ut Pater, qui est custos tuus, semper vigilet in tua custodia , et numquam sinat commoveri pedes tuos. Observa primo circa hunc versiculum, quod Deus metaphorice dicitur dormitare , quando permittit nos cadere, ac si non adverteret , quo modo qui dormitat, non advertit.quid fiat. Secundo phrasis hebraica est, commoveri pedes,sive nutare,pro eo quod est labi in peccatum , ut psalm. 17. *Non sunt infirmata vestigia mea*, et psal. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes,pene effusi sunt gressus mei*. Tertio in hebraeo habetur in futuro, *non dabit ad movendum pedem tuum*.juxta quam lectionem esset praedictio, et promissio. Sed tamen, ut diximus,tempus unum in hebraeo saepe ponitur pro alio tempore, unde non solum septuaginta, sed etiam s. Hieronym. vertit, *non det*. S.August. legit, *non des commoveri pedem meum*.Sed nescio quem codicem sequutus sit; nostri enim hebraici,graeci, et latini habent tertiam personam,*non det*,vel *non dabit commoveri pedem tuum.*

4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.*

Promittit Propheta peregrino impetrationem gratiae, quae petebatur, quasi dicat,oro.ut Pater non dormitet,qui te custodiendum suscepit,et sine dubio non dormitabit: nam numquam dormitat,neque dormit, qui custodit populum suum peculiarem, qui per Israelem significatur, et in quo populo omnes illi continentur , qui tamquam peregrini in hoc mundo versantur, et ad patriam coelestem ascendere festinant. Quod dicitur, *non dormitabit neque dormiet*, hunc habet sensum , non dormitabit subinde oculos claudendo, et aperiendo; et multo minus se tradet profundo somno. Itaque semper vigilabit , neque oculos ad momentum claudet. S. August. pulchre dicit, homines dormitare, quando carnem infirmitatis portant: dormire, quando moriuntur; et ideo non esse fidendum custodiae hominum. Domino autem fidelissimo custodi tuto credere nos posse.cum ipse neque dormitet unquam in infirmitate, neque dormiat in morte. Monet etiam idem August. recte fideles homines per Israelem significari, quia Israel Deum videns interpretatur, et fideles Deum nunc per fidem vident, visuri postea etiam per speciem.

5. *Dominus custodit te Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.*
6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.*

Dixit paulo ante Propheta peregrinum in Deo confidentem custodiendum esse ne cadat in via: addit nunc aliam consolationem, custodiendum vidlicet etiam esse, ne fatigetur ab aestu solis per diem, neque a lumine lunae per noctem,quoniam Deus erit illi quasi umbraculum, quod manu dextera tenebit, eoque tunc caput, tum etiam reliquum corpus tegere poterit. *Dominus*, inquit Propheta, non solum *custodit Israelem*, idest, populum suum universe,sed te quoque in particulari custodit; custodit autem, quia est protectio,sive umbraculum, ut proprie sonat vox hebraica, *super manum dexteram tuam* ex quo fiet, ut te tali umbraculo, ministerio dexterae manus tectum,neque sol urat per diem, neque luna per noctem. In textu graeco est tempus futurum, Dominus custodiet te; sed in hebraeo non est proprie tempus praesens, neque futurum; sed participium, *Dominus custodiens te*, sive custos tuus: sensus autem idem est. Illud autem, *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam* , posset continere metaphoram, ut alii volunt, hominis armati, et ad dexteram stantis, ut sensus sit, Dominus erit, vel est protectio tua, quia stat quasi miles armatus ad dexteram tuam. Sed quod nos diximus,magis convenit litterae tum quia in hebraeo pro voce protectio est . צל *tzel*, umbra, sive umbraculum : tum quia et in hebraeo et in graeco est, super manum non ad manum; unde videtur Propheta respexisse ad umbraculum , quod super manum ponitur, et manu geritur; tum denique quia sequitur, *neque sol per diem uret te, neque luna per noctem*: a calore autem vel lumine solis, et lunae non defendit miles ad dexteram constitutus, sed umbraculum manu dextera super caput extensum. Porro metaphora umbraculi , et solis ac lunae , diei, et noctis significat gratiam Dei , quae peregrinum custodit tempore prosperitatis, et adversitatis; neque enim minus laedere solet in hoc itinere dies prosperitatis, quam nox adversitatis. S. August. more suo mystice exponit dexteram, et sinistram, ac dicit Deum protegere dexteram, non sinistram, quia saepe permittit hominem laedi in temporalibus, quae significantur per sinistram, et non sinit laedi in bonis spiritualibus, quae significantur per dexteram.

7. *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

Addit Propheta aliam consolationem , eamque generalem, quasi dicat, non solum te Dominus custodiet, ne cadas et ne fatigeris, sed ab omni alio malo, quod in itinere occurrere possit, te Dominus proteget, atque custodiet, ex quo fiet, ut anima tua, seu vita tua incolumis omnino toto in itinere conservetur. In hebraico , graecoque textu habetur in tempore futuro, Dominus custodiet te, sed in sensu nulla differentia est: Dominus enim et custodit nunc, et custodiet postea, et hanc continuationem significare solet tempus futurum apud hebraeos.

8. *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Concludit Propheta, addendo ultimam et opta-

http://www.obrascatolicas.com

tissimam consolationem, quasi dicat, non solum in aliqua parte itineris peregrinus Dei, qui ascensiones disposuit in corde suo, custodietur; sed in toto itinere semper custodietur: omne enim iter consistit in introeundo et exeundo, dum enim progredimur, intramus unam viam et ea finita eximus: deinde intramus aliam et post eximus, sic etiam intramus unam Provinciam,unam civitatem, unam domum et deinde eximus et intramus aliam et eximus, donec finito itinere ad patriam perveniamus. Sic igitur in via vitae progredimur dum inchoamus, et perficimus opera bona:inchoare enim, intrare; perficere, exire est. Illud autem, *ex hoc nunc et usque in saeculum*, idem est, quod nunc et semper, quasi dicat, *ex hoc nunc*, idest, ex hoc praesenti tempore,incipiat Dominus introitum et exitum tuum custodire, et usque in saeculum non desinat custodire. S. Augustinus per introitum et exitum, intelligit introitum in tentationem et exitum ex tentatione. Alii generalius initium, et finem omnium negotiorum, sive omnium actionum nostrarum, sive omnem humanam consuetudinem, juxta illud Act. 1. *Ex quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus*, idest, ex quo nobiscum coepit conversari Dominus Jesus. Parum autem refert, quod in hebraeo legatur in futuro, *custodiet*: nam significationes temporum facile variantur. Unde ipse etiam s. Hieronymus vertit ex hebraeo, *custodiat*, ut nos in editione vulgata legimus.

PSALMUS CXXI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Hic est tertius psalmus Gradualis, in quo Propheta describit pulchritudinem et nobilitatem civitatis sanctae Jerusalem; ad quam reverti cupiebant hebraei ex Babylonica captivitate. Sed ut civitas illa typus erat coelestis patriae; ita redeuntes hebraei ex captivitate ad terrenam Jerusalem figura erant peregrinationis et ascensionis nostrae ad eam, quae sursum est, Jerusalem. Itaque totus psalmus de utraque civitate, et de peregrinis utrisque intelligi debet: sed primaria intentio Spiritus sancti ad primarium finem sine dubitatione dirigitur.

EXPLICATIO PSALMI CXXI.

1. *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Verba sunt populi Dei, qui laetari se dicit de optimo nuncio accepto reversionis in patriam. Et quidem nuncius, qui significavit hebraeis, revertendum jam esse in Jerusalem, Hieremias fuit,qui praedixerat post septuaginta annos solvendam esse captivitatem, et civitatem, ac templum reaedificandum, Hierem. 25. et 29. sed clarius idipsum nunciaverunt Daniel, Aggaeus, et Zacharias, qui vixerunt illo ipso tempore, quo soluta est captivitas. Isti igitur magno gaudio populum repleverunt cum evolutis jam septuaginta annis dicebant. *In domum Domini ibimus*; idest, ad patriam revertemur, ubi montem Sion et locum domus Domini videre nobis dabitur, ibique templo reaedificato, in domum Domini rursum ingrediemur. Sed nuncius sine comparatione ulla foelicior Christus fuit qui in evangelio nobis loquitur,et dicit, *poenitentiam agite; appropinquabit enim regnum coelorum*, Matthaei 4. et clarius, Joan. 17. *In domo Patris mei mansiones multae sunt;si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; et si abiero, et paravero vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis*, Joan.14.Hic autem nuncius ineffabili laetitia replet eos qui didicerunt, quam bonum sit in domum Domini ire, et in ea domo non esse hospitem et advenam, sed civem sanctorum, et domesticum Dei. Id autem novit,qui attente cogitavit illud ejusdem Prophetae, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae*. Psalm. 34. et rursus, *replebimur in bonis domus tuae*, psalm. 64. et illud Apostoli ad Ephes. 1. *Ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus,et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis*. Iste ex corde cupit in domum Domini ire, et ideo ex corde cantat, *laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*: animalis autem homo non percipit quae Dei sunt, et ideo propinquante morte, idest, exilii, et peregrinationis fine non hilarescit, sed turbatur, et gemit et merito, quia sicut non disposuit ascensiones in corde suo dum vive-

ret; ita non sperat in domum Domini, quae sursum est, ascendere; sed ad carcerem damnatorum in aeternum puniendus descendere timet. Parum autem refert, quod hebraeus et graecus textus pro his, *quae dicta sunt*, habent participium activum videlicet, *in dicentibus mihi*: vulgatus enim interpres sensum expressit latina phrasi, ut facilius intelligeretur.

2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.*

Explicat, cur hebraei laetentur de reditu in patriam; et rationem esse dicit,quoniam recordabantur ejus temporis, quo fuerant in patria ante captivitatem et viderant pulchritudinem et magnitudinem Jerusalem: multi enim, qui pueri, vel adolescentes abducti fuerant in Babylonem, facile recordari poterant se fuisse antea in civitate Jerusalem, multos autem rediisse ex iis qui ante captivitatem fuerant in Jerusalem et viderant civitatem et templum, scribit Esdras lib. 1. cap. 3. dicunt igitur: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*, idest, quia recordamur temporis, quo stantes erant pedes nostri in atriis tuis, idest, in portis tuis,ut expresse habetur in hebraico codice. Nominat autem Propheta portas, sive atria et quasi vestibula civitatis, potius quam fora, vel plateas, quoniam eo tempore praecipui conventus et negotia fiebant in portis civitatum, ibique erat maxima hominum frequentia, ut colligitur ex illo Prov.31. *Nobilis in portis vir ejus,quando sederit cum Senatoribus terrae*. Constat etiam ex lib. 2. reg. cap. 18. fuisse in Jerusalem non simplices portas, sed duplices, et inter utrasque satis magnum spatium, quod hoc loco fortasse vocatur atrium. *David autem* (inquit scriptura) *sedebat inter duas portas*, et Hierem.39. *Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media*, certe magnum spatium debuit esse in illa porta media,ut tot Principes cum administris suis capere posset.Sed quomodo nos Christiani dicere poterimus,*stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*:qui in coelestis patriae atriis numquam fuimus?Imo fuimus in atriis patriae coelestis; alioqui exules, et peregrini non essemus; neque non Christus de captivitate redemisset, nisi a patria extorres, et in terra aliena captivi fuissemus. Fuimus igitur in atriis coelestis Jerusalem, quando in parente nostro Adamo paradisum terrestrem incoluimus, qui paradisus terrestris quasi vestibulum erat paradisi coelestis; et status ille innocentiae quasi atrium et porta erat status gloriae;et fortasse hac de causa Spiritus sanctus scribi non voluit, *stantes erant pedes nostri* in plateis *Jerusalem*, sed in atriis, vel portis, ut intelligeremus in hoc psalmo praecipue sermonem fieri de coelesti Jerusalem, non de terrena. Igitur laetati sumus ad vocem dicentium, *in domum Domini ibimus*,quia recordamur temporis illius,quo stantes erant pedes nostri in paradiso terrestri ac per hoc in atriis paradisi coelestis; et ex bonis illis conjecturam facimus de bonis longe melioribus,quae nobis in ipsa domo Domini conservantur, et quamvis paulo ante domus Domini nominata sit,nunc autem civitas Jerusalem nominetur,tamen unus et idem locus est. Patria enim coelestis nunc regnum, nunc civitas, nunc domus dicitur: quoniam si respicias multitudinem, et varietatem incolarum, regnum erit,cum in eo viderit Joannes Apoc. 7. *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et populis, et tribubus, et linguis*. Si consideres societatem et familiaritatem, quae est inter sanctos, et beatos, civitas est: quamvis enim multiplicetur numeris electorum, omnes se invicem noscent, et diligent, ut ejusdem civitatis cives. Denique si cogites, omnes electos unus habere patrem, unamque haereditatem, domus sine dubio erit, in qua omnes erunt quasi fratres sub uno Patre Deo.

3. *Jerusalem, quae aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.*

Hic jam incipit Propheta sub nomine peregrinorum ad Jerusalem properantium, laudes ejusdem Jerusalem numerare, ut ex iis se magis ac magis ad ascendendum sine intermissione inflamment. Prima laus est, quod sit civitas pacatissima, ita ut ex charitate incolentium omnibus omnia sunt communia. *Stantes*, inquiunt, *erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*,quae Jerusalem ita aedificata est, et quotidie magis ac magis aedificatur, ut sit civitas,*cujus participatio est in idipsum*,idest, simul et communiter participatur ab omnibus. Ubi notandum est, illud, *ejus*,redundare ex phrasi hebraica: idem est enim, *cujus participatio*, et *cujus participatio ejus*. Adverte praeterea,interpunctionem in hebraico codice positam esse post vocem, *aedificatur*:non post vocem,*ut civitas*:proinde non est sensus,Jerusalem aedificatur ut civitas, quasi possit aliter aedificari, quam ut civitas; sed aedificatur ut civitas talis, cujus participatio simul est. Adverte postremo illud, *in idipsum*, quod a s. Aug. refertur ad aeternitatem Dei, quae semper est eadem; ad litteram nihil aliud significare, nisi simul, vel conjunctum,ut ex voce hebraica perspicuum est, ut etiam alibi diximus. Jam vero in sensu posteriore tota haec sententia multo est clarior, et sublimior:siquidem coelestis Jerusalem vere aedificatur ut civitas,quia non est propria civitas,neque sunt in ea lapides proprie dicti,sed aedificatur ut civitas, dum quotidie lapides vivi a summo artifice expoliti, et conquadrati adjunguntur coelestis habitaculi aedificationi:ex quo sequitur,ut qui haec intelligunt,non modo persecutiones aequo animo ferant, sed gaudeant, et glorientur in tribulationis,cum sciant,eo modo se praeparari ad coelestem aedificationem.*Omne gaudium*,inquit unus ex his vivis lapidibus, Jac. 1. *existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis*. Deinde in coelesti patria verissime est participatio in idipsum: nam in terrena Jerusalem non tam fuit,quam esse debuit participatio in idipsum, id faciente charitate, ut amicorum omnia sint communia, qualis participatio ad breve tempus fuit in ecclesia,quae erat Hierosolymis, *ubi nemo dicebat,aliquid suum es-*

http://www.obrascatolicas.com

se; sed erant in illis omnia communia. Act.4. Et nunc etiam cernitur in familiis ordinum religiosorum ubi regularia instituta in suo vigore persistunt. Sed in coelesti Jerusalem summa est participatio in idipsum, cum sit Deus unus omnia in omnibus, idest, unus, et idem Deus sit honor, et divitiae, et deliciae omnibus habitantibus in domo Domini, et ea foelicissima, et summa ubertas sit vere semper idipsum, cum nullam patiatur diminutionem, vel alterationem.

4. *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini*

Haec est secunda laus Jerusalem, frequentia videlicet incolarum, et conjungitur hic versiculus cum secundo. Reddit enim rationem hoc loco populus Dei cur dixerit, *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*: quamvis non omnes fuissent cives Jerosolymitani, sed diversarum civitatum incolae, tamen omnes ascendebant in Jerusalem ter per annos singulos. Dicunt igitur, *stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem, quoniam illuc ascenderunt tribus tribus Domini*: idest, multae tribus, sive omnes tribus, et ideo maxima multitudo conveniebat in Jerusalem: hebraismus est enim, tribus tribus, pro multae tribus: ibi enim legimus Gen.14. *Vallis autem silvestris habebat puteos multos bituminis*, in hebraeo est, *puteos puteos bituminis*: quod sequitur, *testimonium Jsrael, ad confitendum nomini Domini*. explicat cujus rei gratia tanta multitudo confluereт in Jerusalem: id enim fiebat juxta testimonium, idest, legem datam Israeli, quae praecipiebat, ut non oblivisceretur visitare templum Domini, quod unicum erat in tota terra promissionis, atque ibi confiterentur nomini Domini confessionem laudis, et gratiarum actionis. Sed in posteriore sensu, quem diximus a Spiritu sancto magis intentum, redditur ratio, cur dictum sit, *Jerusalem quae aedificatur* ut civitas, ideo enim aedificatur ut civitas *quia illuc jam ascenderunt, et quotidie ascendunt tribus tribus Domini*; idest, animae sanctae ex omni tribu, et ratione, ut tamquam lapides vivi superaedificentur in domos spirituales, ut dicit s. Petrus in 1. epist. cap. 2. Ascenderunt autem animae illae Sanctorum in coelestem Jerusalem ad confitendum nomini Domini, quoniam hoc est totum quod agitur in illa domo et civitate cessantibus omnibus negotiis aliis. *Beati*, inquit idem Propheta psalm.83. *qui habitant in domo tua Domine, in saeculum saeculi laudabunt te*, et Tobias cap.13. de coelesti Jerosolyma loquens, *Per vicos*, inquit, *ejus alleluja cantabitur*, et hoc est testimonium, idest, praeceptum datum Israeli, idest, animae videnti Deum, ut numquam cesset a laude, quae numquam cessat ab amore. Quod autem testimonium idem sit, quod praeceptum, ostendimus in explicatione psalmi decimi octavi, et perspicuum est ex toto psalmo 118. ubi frequentissime accipitur testimonium pro lege, sive praecepto.

5. *Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.*

Haec est tertia laus Hierusalem, quod illic sit sedes regia, et supremum tribunal, et potest continuari hic versiculus cum superiore propter illam particulam causalem, *quia*: videtur enim reddi ratio cur Deus voluerit in Hierusalem esse templum, ad quod ter in anno veniet omnis populus Israel, quia illa erat civitas regia, et quasi metropolis totius regni. Dicit igitur, *quia illic*, idest, in Hierusalem. *sederunt sedes in judicio*, idest, sedes regum sibi invicem succedentium, quorum proprium est judicare populum, *sederunt*, idest, quieverunt immobiliter constitutae, et fixae, quod dicitur ad differentiam sedis Saul primi regis, quae fuit in Gabaa Beniamin; sed ibi non quievit, cum paulo post translata fuerit, et similiter ad differentiam sedium Judicum, qui fuerunt ante reges, quae non sederunt alicubi, sed frequenter transmutabantur de loco ad locum: at sedes Regnum de familia David sederunt in Hierusalem immobiliter, et ideo subjungit, *sedes super domum David*, idest, sedes regni, quae super familiam David fundatae quietem, et stabilitatem invenerunt: sic enim dictum est Davidi a Deo 2. reg.7. *Fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in aeternum, et thronus tuus erit firmus jugiter*. Igitur non dicuntur sedes *super domum David*. quia regerent domum David: regebant enim totam domum Jacob, idest, omnes duodecim tribus Israel, non solum familiam David; sed dicuntur sedes fundatae super domum David, quia ex illa domo nascebantur Reges populi Dei. In hebraeo non habetur, super domum David, sed domui David, idest, sedes datae domui David. Sed haec omnia longe melius in Christum, et in coelestem Hierusalem conveniunt. Nam ne forte Judaei crederent, verba psalmi intelligenda esse principaliter de terrena Hierusalem, ac non potius de ea, ut coelestis Hierusalem figuram gerebat, permisit Deus, ut non solum sedes regia de Hierusalem tolleretur, sed ipsa etiam Hierusalem everteretur. Promissio igitur illa ad Christum, et ad Hierusalem, quae sursum est, pertinet, juxta vaticinium Isaiae cap.9. et Danielis cap.9. et angeli ad virginem Luc. 1. *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*. Vere enim ac proprie in coelesti Hierusalem sederunt sedes in judicio, tum quia firmissime stabiliti sunt in coelo thronus Christi, et throni eorum, qui cum ipso regnant: tum quia ipsi sancti cum Christo regnantes et judicantes sunt sedes Dei: nam anima justi sedes est sapientiae, et istae sedes vere etiam sedent in judicio, juxta promissionem Domini Matth.19. *Vos qui sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*. Et sedes sunt super domum David fundatae, quia omnis Sanctorum potestas, regia, et judiciaria a Christo dependet qui filius David in evangelio dicitur, et accepit sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.

6. *Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.*

Hortatur jam Propheta peregrinos de captivitate revertentes, ut salutent saltem a longe civitatem Jerusalem, bene precantes ei pacem, et abundantiam, quae sunt duo potissima bona, quae faciunt beatas civitates: nam pax sine abundantia, est secura possessio miseriae; abundantia sine pace, est dubia et incerta foelicitas; sed quando abundantia cum pace jungitur, nihil deest ad statum foelicissimae civitatis. Dicit igitur, *rogate quae ad pacem sunt Jerusalem*, idest, precamini patriae vestrae a Deo veram et solidam pacem, et ut sit abundantia non solum ipsi civitati Jerusalem, sed omnibus diligentibus te civitas sancta. In hebraeo habetur simpliciter. *Rogate pacem ipsi Jerusalem*: proinde illa verba, *quae ad pacem sunt*, nihil sunt aliud, nisi periphrasis pacis.

7. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

Ponit propheta ipsa verba, quae dicenda sunt ab iis, qui salutantes Jerusalem, precantur illi pacem, et abundantiam, quasi dicat, cum salutatis Jerusalem dicite, *fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis*. Per *virtutem*, recte S. Hieronym. vertit, *muros*: vox enim hebraica, בחילך *bechelech*, significat proprie *virtutem*, hoc est, robur, et vires. Sed accomodatur etiam ad omnia, in quibus robur consistit ut ad muros, in quibus consistit robur aedificii; item ad exercitum, in quo consistit robur amorum; item ad multitudinem populi, in qua consistit robur civitatis. Sed hoc loco accomodari debet ad muros, ut cohaereat cum sequentibus verbis, ubi turres nominantur. Itaque septuaginta Interpretes, qui verterunt virtutem, expresserunt significationem verbi hebraici, ut sonat *generatim* sed s. Hieron. expressit significationem, ut hoc loco accomodanda erat. Dicitur autem, *fiat pax in virtute tua*, idest, in muris tuis fortissimis, quia quando pax est in muris, idest, quando muri non oppugnantur ab hostibus, tota civitas est in pace. Per turres autem, de quibus dicitur, *et abundantia in turribus tuis*, significantur magna palatia, quae turrita esse solent: nam vox hebraica, ארמנותיך *armenothaich* significat palatia, potius quam turres, et s. Hieron. vertit, *in domibus tuis*. Porro vox, *abundantia*, tum in hoc versiculo, tum in superiore, deducitur a voce hebraica, quae significat, pacem, sed cum septuaginta viri, et s. Hier. verterint, *abundantiam*, dubitare non debemus quin hoc vere significet; neque absurdum est a vocabulo pacis derivari vocabulum abundantiae, cum vere sit pax quasi mater abundantiae, ut bellum pater est caritatis, et inopiae. Porro duo isti versiculi, quatenus pertinent ad coelestem Jerusalem, continent quidem salutationem, et imprecationem pacis et abundantiae: sed non significant, periculum esse, ne civitati illi supernae desit unquam vel pax, vel abundantia, cum de ea scriptum sit in psalmo 147. *qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te*. Exprimunt igitur solum pium affectum, et laetitiam, quam habemus de bonis coelestis Jerusalem, quo modo etiam dicitur in Apocalypsi cap.7. *salus Deo nostro, qui sedet super thronum et agno.*

8. *Propter fratres meos, et proximos meos loquebar pacem de te.*
9. *Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.*

Claudit psalmum propheta, dum breviter explicat ob amorem civium sanctae civitatis, quos fratres et amicos suos agnoscit, et multo magis ob amorem Dei conditoris, et habitatoris ejusdem civitatis, vel domus, se impulsum fuisse, ut precaretur eidem civitati pacem, et abundantiam omnis boni. In hebraeo codice verba illa, *loquebar*, et, *quaesivi*. futuri sunt temporis: sed qui periti sunt linguae hebraicae, sciunt, tempus futurum saepissime poni pro perfecto, vel imperfecto: saepe etiam significare continuationem actionis, quae ita facta est, ut sit etiam futura.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CXXII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Orationem continet hic psalmus hominis peregrinantis ad coelestem Jerusalem, et in exilio, vel ijnere pressuram patientis.

EXPLICATIO PSALMI CXXII.

1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis.*

Loquitur propheta tum in persona peregrini, tum etiam in persona sua qui unus erat ex veris peregrinis, ac dicit, se in quibuscumque pressuris non respicere ad alium adjutorem, nisi ad eum, tum quoniam ipse solus habitat in summo coelo, et inde omnia inferiora conspicit, et moderatur: tum quia ipse est, qui per malos non flagellat, ac propterea frustra confugimus ad alios, cum sit nemo, qui de manu Dei nos possit eripere.

2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.*
3. *Sicut oculi ancillae in manu dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.*

Explicat cur oculos ad Deum levaverit, ut videlicet respiciat Deum flagellantem, ut eo aspectu miserabili moveat ipsum ad misericordiam, et flagellare desinat. Id quod illustrat similitudine servorum, qui dum caeduntur a Dominis, respiciunt moesti ad manus caedentium, ipso aspectu quasi petentes, ut miserti ipsorum cessent a plagis. Illud autem, *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*, clarius est in hebraeo, ubi habetur, *ad manus dominorum suorum*, et respondet applicatio, *ita oculi nostri Dominum Deum nostrum*. Posita est autem similitudo, non servorum tantum, sed etiam ancillarum, vel quia non soli viri, sed etiam foeminae peregrinantur ad patriam; et in peregrinatione flagellantur; vel quia viri fortes, proprie viri sunt; viri debiles, et delicati foeminae dici possunt: et utrique tamen sua flagella in hoc itinere patiuntur. Ad flagella vero quibus a Domino castigamus, non solum pertinent manifestae persecutiones, et calamitates; sed etiam tentationes occultae, quibus anima vexatur assidue; item timores, angores, tristitiae, quibus nemo caret in hac vita; et ideo non dicit psalmus oculos nostros aliquo certo tempore levandos ad Deum, sed sine intermissione, *donec misereatur nostri*: quod non fiet, nisi cum ad patriam pervenerimus: tunc enim *coronabit nos Deus in misericordia, et miserationibus, cum sanaverit omnes languores nostros, et repleverit in bonis desiderium nostrum*, ut dicitur in psal. 102.

4. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.*

Non contentus Propheta oculis ad Deum fixis misericordiam implorasse, voce etiam cordis, et corporis clamat, et clamorem ingeminat pro se, et pro sociis peregrinationis dicens, *miserere nostri Domine, miserere nostri*. Et sane qui recte adverteret, atque attente consideraret, quid sit quod sequitur, *quia multum repleti sumus despectione*, plane intelligeret tantam esse nostram miseriam, ut cessare ab isto clamore non posset. Homo enim ad imaginem Dei creatus, et super omnia opera Domini constitutus; saepe etiam ab ipso Dei in filium adoptatus, et ad regnum coelorum praedestinatus; ita in hac peregrinatione, non solum a daemonibus, et pravis hominibus; sed etiam ab animalibus, etiam minimis, et ab ipsis elementis despicitur et assidue vexatur, ut propheta verissime dixerit, quia non despicimur solum, sed etiam *repleti sumus despectione*, nec solum repleti sumus, sed multum repleti sumus. Quid enim est quod hominem, etiam justum et sanctum, in hac lachrymarum valle non despiciat? sed praecipua tamen despectio, de qua proprie loquitur hoc loco Propheta, est ea, quam patiuntur boni a malis, et justi ab iniquis. Verissima enim, et universalis est illa apostoli sententia, *omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur*, 1. Tim. 3. Joan. 15. et illa Domini, *si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus*: et ratio est manifesta, quoniam bonum et malum contraria sunt, et contraria pacem inter se habere non possunt. Et quoniam justi patientes sunt, et mites, et didicerunt a Domino non resistere malo, et percutienti maxillam, praebere etiam alteram, ideo ab improbis superbe despiciuntur: et conculcantur, vexantur, et irridentur.

5. *Quoniam multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.*

Docet hoc ultimo versiculo David contemptum, ac despectionem, de qua supra loquebatur, accidere pauperibus, et humilibus, peregrinis ab hominibus copiosis, et superbis. Quamvis enim aliqui auctores velint, illud, *opprobrium abundantibus, et despectio superbis*, esse imprecationem, ut sensus sit, Opprobrium recidat super abundantes, et despectio super superbos: tamen, si respiciamus textum originalem, et velimus concordare versionem s. Hieron. cum versione Septuaginta interpretum, cogemur sequi s. August. et dicere sensum hunc esse, *multum repleta est anima mea*, confusione videlicet, quia factus sum opprobrium abundantibus, et despectio superbis. S. enim Hieron. ex hebraeo recte vertit, multum repleta est anima opprobrio abundantium, et despectione superborum: cum qua versione rectissime cohaeret, quod habent septuaginta interpretes, et latina editio vulgata, si subintelligatur verbum, *factus sum*, et continuetur, opprobrium, etc. Ait igitur Propheta, multum repleta est anima mea, quod est idem cum eo, quod supra dixit, *multum repleti sumus despectione*. Sed hoc loco explicandi gratia nominat animam, quoniam respectionis sensus proprie ad animam intelligentem pertinet: quae enim anima intelligente carent, sentire possunt dolorem, sed non despectionem: illud autem, *repleta est*, in hebraeo legitur, *satiata est*, quae vox mirum in modum auget significationem: si enim qui multum satiantur, idest, ultra satietatem replentur, etiamsi bonis cibis repleantur, magnum dolorem percipiunt, quid sentient, qui nimium satiantur malis cibis, qualia sunt opprobria, et despectiones? Quod vero sequitur; *opprobrium abundantibus, et despectio superbis*, idem omnino significat: idem enim sunt opprobrium, et despectio; et iidem etiam sunt abundantes, et superbi. Omnes enim superbi inflati sunt, et proinde abundantes sunt, sed abundant vento, non solido bono, idest, abundant opinione et existimatione sui ipsorum: nam si divitias terrenas habeant, putant suas esse, neque cogitant Deo reddendam esse de earum dispensatione rationem. Si in dignitate et honore constituti sint arbitrantur sibi illa omnia deberi, et sua bona esse, et non intelligunt data esse ad aliorum utilitatem, et rationem gravissimam de ea dignitate reddendam; neque ad se aliud quam onus pertinere. Proinde non minus desipiunt, si de tali onore inflentur, quam si bajulus gloriareretur, quod valde oneratus incederet. Si virtutes aliquas, si ingenium, si doctrinam habeant, sibi persuadent multo majora esse quam sint, et sibi tribuunt quae sunt Dei dona. Denique si carent divitiis, dignitatibus, honoribus, et contra si puniuntur, et flagellantur, existimant sibi fieri injuriam, et de Deo murmurant, et blasphemant; quod totum inde oritur, quia pleni sunt, vel potius inflati vento propriae existimationis. Sed veniet tempus quo opprobrium, et despectio in ipsos revertetur, quando videlicet in die novissimo dicent, quod scriptum est in lib. Sap. cap. 5. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Et infra, *quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tamquam umbra.*

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Hic psalmus continet exultationem eorum, qui de gravissimis tribulationibus liberati fuerant et quidem filii Israel, qui de captivitate Babylonica redierunt in Jerusalem, in itinere nullas graves persecutiones passi fuisse leguntur: sed solum dum captivi detinerentur, et inter aedificandam civitatem, et templum, ut ex utroque libro Esdrae intelligi potest. Itaque psalmus hic quatenus ad carnales Israelitas pertinet, referendus est ad eas afflictiones, quas passi sunt, vel dum essent in captivitate; vel dum templum, et civitatem iterum aedificarent: quatenus autem ad spirituales Israelitas, idest, ad christianos ad coelestem Jerusalem ascendentes pertinet; referendus est ad persecutiones paganorum, aliorumque impiorum, a quibus liberati sunt martyres sancti, et electi caeteri quotidie liberantur.

EXPLICATIO PSALMI CXXIII.

1 *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.*

Sermo imperfectus, et interruptus, initio psalmi, signum est magnae, atque insolitae exultationis, quae loquentem non sinit perficere sententias inchoatas. Dicit igitur multitudo sanctorum de magnis tentationibus liberatorum, *nisi quia Dominus erat in nobis*, idest, nisi Dominus omnipotens nobiscum fuisset, numquam evadere potuissemus. Sed antequam compleat sententiam, prae laetitia gestiens invitat Israelem, idest, totum populum Dei ad confessionem, et laudem dicens, *Dicat nunc Israel*, et iterum repetit, *nisi quia Dominus erat in nobis*. Quod attinet verba, illud, *quia*, in hebraico textu habetur post verbum, *Dominus*, hoc modo, *nisi quia Dominus erat in nobis*. Sed interpretes septuaginta, ut sententia esset glarior, ordinem verborum immutasse videntur. S. Hieronymus eam particulam, ut redundantem, et otiosam ex hebraica phrasi in sua versione omisit. Sic enim vertit: *nisi Dominus fuisset in nobis*. Si quis tamen velit eam retinere ita supplere, poterit, *nisi Dominus quia erat in nobis*, nos liberasset, vel secundum Septuaginta, *nisi liberati essemus, quia Dominus erat in nobis*. Quid autem factus fuisset, nisi Dominus nos liberasset, explicatur in sequentibus.

2 *Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.*
3 *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

Ecce quid accidisset nobis, nisi Dominus fuisset in nobis, neque juvisset potentissima sua virtute. *Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos*, idest, cum nostri persecutores exurgerent adversus nos, periculum fuit ne tanta velocitate nos perderent, quanta solet mare, vel flumen vivos deglutire eos, qui illud forte praecipitantur. Tria sunt hoc loco consideranda. Primum vocantur homines, persecutores piorum, quia ducuntur sola ratione humana, qualis remansit in natura per peccatum corrupta: ratio enim humana post naturae corruptionem, nihil altum sapit, nihil divinum, nihil spirituale, neque alium finem propositum habet, nisi conservationem, et augmentum propriae temporalis foelicitatis. De his dicit Apost. 1. Cor. 3. *Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* et paulo infra, *nonne homines estis*; ubi pro eodem Apostolus accipit, carnalem esse, et hominem esse; secundum carnem ambulare, et secundum hominem ambulare. Deinde difficultas non exigua est de particula, *forte*; quae etiam bis repetitur paulo infra. Videtur enim haec particula non bene posita in editione vulgata, cum potius affirmativa, ut, certe, utique, sane, poni debuisset. Nam si legamus, *forsitan*, sequetur, non necessarium esse auxilium Dei in magnis tentationibus superandis, quandoquidem Propheta non audet certo affirmare, sed sub dubio relinquit, an gravissima tentatio nos dejectura sit, si Deus non sit in nobis. Sed quamquam non desint ex recentioribus, quibus ista particula non placeat, et verbum tum hebraicum, אזי *azai*, tum Graecum, αρα, non velint reddi per, forte aut forsitan, sed per, utique, aut, certe: nos tamen non audemus ullo modo a lectione vulgatae editionis recedere: nam s. Hieron. vir doctissimus, et utriusque linguae peritissimus fuit; et major ei fides, quam ullis dictionariis habenda est. Is autem ex hebraeo constanter vertit, *forsitan*; et in expositione psalmorum, in qua

editionem septuaginta interpretatur, similiter legit, *forsitan*; denique in emendatione psalterii ad Suniam, et Fretellam, nihil in hoc loco emendat. Sanctus quoque Hilarius, Origenem sequutus, sanctus Joannes Chrysostomus, s. August. magno consensu, *forsitan*, legerunt: neque in bibliis hoc loco ulla est varietas lectionis. Neque timendum est et particula ista detrahere nos cogat aliquid de gratia Dei, non enim illud, *forsitan*, significat, potuisse nos forte resistere inimicis in nos irruentibus sine auxilio gratiae protegentis; sed potuisse fieri, ut non vivi deglutiremur, quia forsitan inimici non eo usque desaevissent. Sed quoniam periculum erat etiam, ut usque ad internecionem crudelissimam desaevirent, ideo dicitur, *nisi Dominus fuisset in nobis, forsitan vivos deglutissent nos*. Postremo diximus illud, *vivos deglutissent nos*, sumptum esse a similitudine maris, vel fluminis declutientis, sive absorbentis eos, qui cadunt in aquas: tum quia nullae sunt fere bestiae quamvis crudelissimae, quae vivos deglutiant homines, sed lacerant ac discerpunt, ut notum est: tum etiam quoniam hoc requirit versiculus sequens, qui de more psalmorum, idipsum aliis verbis repetit: sic enim habet, *cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos*: sensus enim est, forsitan ut aqua absorbuisset nos, idest, furor hostium nostrorum instar aquae profundissimae repente absorbuisset nos. Neque in hoc solo versiculo, sed etiam in sequentibus persistit Propheta in similitudine aquarum, ut mox videbimus.

4 *Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

Persistit in eadem similitudine comparans adversariorum persecutiones torrenti rapido et profundo, qui sine potentissimo auxilio pertransiri non potest. Et si quis cogitet, quales fuerint persecutiones paganorum, et haereticorum in sanctos martyres, et tentationes daemonum adversus sanctos eremitas, aliosque Christi Confessores, videbit simillimas fuisse torrenti violentissimo, quoniam licet sancti martyres, et sancti confessores gloriosi evaserint: tamen plurimi, ac fere sine numero, quasi vi torrentis abrepti, et absorpti perierunt, ut cognosci potest ex Cypriano in sermon. de lapsis, et Eusebio Caesariensi in lib. 8. histor. cap. 1. ex versione Ruffini. Dicit igitur Propheta in persona sanctorum, *torrentem pertransivit anima nostra*, id est, persecutionem, quasi torrentem pertransivit anima nostra: caro enim succubuit, et cessit persequutorum furori, sed anima gloriose pertransivit: sed *nisi Dominus fuisset in nobis; forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem*, idest, intrasset torrentem nimis profundum, unde evadere non potuisset. Itaque illud, *pertransisset*, non significat, transivisset, vel evasisset; sed intrasset, et pertransire coepisset, sive pertransire coacta fuisset. Illud autem, *intolerabilem*, recte verterunt septuaginta, ανυποστατον, idest, *sine substantia, sine hypostasi*, sine fundamento, sine fundo, ubi pedes figi possent, quo verbo significatur profunditas aquarum, quae transmitti non potest. Sed occurrit hoc loco contrarietas aperta inter codicem hebraicum, et versionem septuaginta Interpretum. Codex enim hebraicus diserte habet, *torrens pertransivit super animam nostram*, et editio Septuaginta habet, *torrentem pertransivit anima nostra*; et paulo post hebraicus textus habet, *forsitan pertransissent super animam nostram aquae intolerabiles*. Editio autem septuaginta habet, *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem*. Et quidem sanctus Hieronymus in expositione hujus loci non tacet, meliorem esse lectionem hebraicam. Sed existimamus posse conciliari has lectiones duobus modis. Primum enim fieri potest, ut septuaginta interpretes non habuerint in suo textu particulam, על *hal*, quae significat, *super*; remota autem illa particula, quae determinat vocabulum animae ad casum accusandi, remanet ambiguum, utrum vocabulum animae, sicut etiam vocabula torrentis, et aquarum, sicut casus nominandi, aut accusandi. Proinde utramque lectionem patiuntur verba hebraica, illam videlicet sancti Hieronymi, *torrens pertransivit animam nostram*, et illam Septuaginta, *torrentem pertransivit anima nostra*; et quoniam septuaginta interpretes meliores codices habuisse credibile est, quam s. Hieron. habuerit, et fidelissime transtulerunt quod invenerunt, sequitur, ut lectio septuaginta, quae est etiam nostrae vulgatae editionis, retinenda, et hebraicae, quae nunc extat, anteponenda sit. Deinde potest etiam fieri, ut septuaginta legerint quidem, ut legit sanctus Hieronymus, sed maluerint sensum potius transferre, quam verba. Nam cum aliquis pertransit profundum torrentem, simul sit, ut et ipse transeat torrentem, et torrens pertranseat super eum. Sed clarior sententia esse videtur, si dicatur homo pertransire torrentem, quam si dicatur torrens super eum transire. Potest enim torrens transire super hominem, etiam immobilem, et jacentem in profundo, sed non potest homo transire per torrentem, quin torrens transeat super eum. Ut ergo significarent septuaginta, torrentem transire super hominem non jacentem, sed ambulantem, vel natantem; maluerunt dicere hominem transisse per torrentem, quam torrentem per hominem.

5 *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*
6 *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus.*

Aggreditur Propheta aliam similitudinem, ex qua magis adhuc illustretur, et intelligatur magnitudo beneficii divini. Comparat igitur persequutionem, sive tentationem laqueo aucupis, ac dicit gratias esse Deo agendas. Deumque benedicendum, quod non dederit nos in captionem dentibus adversariorum, idest, non permiserit capi, occidi, ac devorari. Quomodo autem id fecerit, explicat, dicens: *anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, idest, anima nostra incidit quidem in persecutionem, et tentationem, sicut passer, aut quaecumque alia avis (nomen enim hebraicum, צפור *tzippor*,

http://www.obrascatolicas.com

generatim aves significat) in laqueum venatoris, sive aucupis: sed tamen liberata est ab illa tentatione, et persecutione antequam caperetur a tentatore, et occideretur; quo modo aliquando avis capitur quidem laqueo, sed eripitur inde, antequam ab aucupe capiatur manibus, et occidatur, et manducetur. Id autem factum est, quia *laqueus contritus est, et nos liberati sumus*; id est, quia tentationi per gratiam Dei finis impositus est, antequam anima fidem negaret, vel alio modo in peccatum consentiret, quo modo aliquando laqueus, qui avem comprehenderat, frangitur, et avis avolat, et spem aucupis, in praedam inhiantis frustratur.

7. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.*

Concludit cum laude Dei humiliter agnoscens, victoriam tantam, et liberationem de tam periculosis tentationibus, non viribus suis tribuendam; sed adjutorio coelesti Dei omnipotentis: cujus omnipotentiae manifestum est argumentum, quod fecerit coelum, et terram. Modus autem, quod Deus solet de magnis tentationibus eripere servos suos, insinuatur dum dicitur, *laqueus contritus est*: laqueus enim frangi solet, quando avis, vel exterrita aliquo clamore, vel allecta meliore esca, vim facit, et sic laqueum frangit. Quando enim avis quamvis laqueo irretita, inhaeret escae ab aucupe propositae, nec intelligit se comprehensam, non conatur aufugere, et eo modo facile capitur, et occiditur. Sic igitur anima hominis in tentatione posita, cum primum a Deo illustrata, et vel clamore Judicis divini, et gehennae exterrita, vel promissionibus coelestis gloriae allecta, incipit cogitare, dura quidem esse tormenta praesentia; sed duriora sine comparatione ulla tormenta futura, et sempiterna: vel dulce esse vitam praesentem, dulcem voluptatem, dulces divitias; sed dulciora sine comparatione praemia vitae futurae; incenditur amore bonum supernorum, et metu suppliciorum gehennae, atque eo igne divinitus accenso vires concipit, et magno impetu firmissimae deliberationis non peccandi in Deum, laqueum tentationis frangit, et liberata volat, et cum jubilatione canit, *adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum, et terram.* De hoc modo evadendi scribit s. Cyprianus in lib. de exhortatione martyrii cap. ultimo. *Has cogitationes quae persecutio potest vincere? quae tormenta superare?*

PSALMUS CXXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

In hoc psalmo consilium bonum dat sanctus Propheta peregrinis ascendentibus in patriam tum terrenam, tum coelestem. Consilium autem est, ut in Deo totam spem suam ponant. Deus enim potentissimus, et fidelissimus est, neque unquam confundet sperantes in se, atque ad se toto desiderio properantes.

EXPLICATIO PSALMI CXXIV.

1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem*

Ponit initio Popheta generalem atque certissimam promissionem, eamque bis repetit ad majorem veritatis asseverationem. Dicit igitur, *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion*, idest, omnes qui vere confidunt in Domino, erunt immobiles et securi, quaecumque tandem ingruat tempestas, sicut est ipse mons Sion, qui non solum immobilis est, quia mons est, sed etiam quia Deo sacer, et charissimus est. Addit repetens, et quasi explicans quod dixerat, *non commovebitur in aeternum qui habitat in Jerusalem:* ubi quod dicitur, *non commovebitur in aeternum*, respondet illis verbis, *erit immobilis sicut mons Sion:* quod sequitur, *qui habitat in Jerusalem*, respondet illis, *qui confidunt in Domino.* Illi enim qui habitant cogitatione et spe in coelesti Jerusalem, ipsi sunt qui confidunt in Domino. Sic enim explicatur fiducia in Deum in psalmo 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.* Quod attinet ad verba in hebraeo codice habetur alia interpunctio, et proinde alia ordinatio verborum. Sed quia interpunctio non erat in antiquis codicibus, sed a Rabbinis addita est, ideo, non tanti facienda est, ut propter eam contemnamus interpunctionem septuaginta Seniorum et latinae nostrae vulgatae editionis. Praeterea illud, *qui habitat in Jerusalem*, ambiguum est in hebraeo, utrum ad montem Sion, an potius ad hominem confidentem in Deo referendum sit: sed Interpretes septuaginta declaraverunt referri ad hominem, non ad montem: nam *mons* graece ορος, est generis neutri, et illud, *qui*, tam graece, quam latine est generis masculini. Adde quod *mons* non tam proprie dicitur habitare in civitate, quam homo. Quia vero omnibus, qui habitant in terrena Jerusalem convenit *non commoveri in aeternum*, cum ipsa Jerusalem stare non potuerit in aeternum; et quia *habitare in Jerusalem* hoc loco idem est, quod *confidere in Domino*, ideo diximus cum s. Augustino, hic agi de habitatore coelestis Jerusalem per spem et desiderium, quo modo habitabant, qui dicebant, *conversatio nostra in coelis est*, Philippenses 3.

2. *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Probat quod dixit, montem Sion securum et stabilem esse; sed multo magis eos, qui confidunt in Domino. Siquidem Sion montes habet *in circuitu*, quasi pro muro; sed qui *confidit in Domino*, ipsum Dominum omnipotentem habet in circuitu; et montes, qui Sion montem circumdant, complanari possunt et cadere; sed Dominus in circuitu est populi *ex hoc nunc et usque in saeculum.* Sententia igitur horum duorum versiculorum est, omnes qui confidunt in Domino, securos esse debere, quia Dominus protegit eos ab omni malo et quamvis interdum temporaliter affligantur, id etiam cooperatur illis in bonum; et si forte permittit Deus illis auferri divitias, vel sanitatem, vel aliquid ejusmodi, reponit aliquid melius, idest, patientiam et consolationem cum merito gloriae sempiternae. Sed hoc loco per confidentiam non debet intelligi vana praesumptio, sed fiducia illa, quae ex fide non ficta, ex corde puro, ex conscientia bona, ex dilectione ferventi nasci solet.

3. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.*

Explicat paulo clarius, qua ratione Dominus protegat confidentes in adjutorio ipsius. Quod si, inquit, permittet Dominus aliquando justis de causis, iniquos dominari piis, non diu hoc permittet, ne pii desperantes incipiant etiam ipsi facere opera impiorum: sic igitur ait: *quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*, idest, dabit quidem aliquando Dominus impiis virgam, idest, sceptrum, quod est insigne potestatis *super sortem*, idest, super haereditatem, sive partem et portionem *justorum*, sed non diu relinquet virgam in manu impiorum. In hebraeo est ad verbum, *Non requiescet virga peccatoris super sortem justorum*, quae verba eumdem habent sensum; sed metaphora quietis, eleganter explicat brevitatem temporis, quo peccatores permittuntur regnare super justos, quamvis enim tempus quo regnant impii super justos, longum videri possit iis, qui non cogitant aeternitatem; tamen iis, qui certi sunt ex divina promissione regnum sanctorum cum Christo sine fine duraturum, momentaneum videtur omne quod finem habet. Ait igitur, *non requiescet virga peccatoris super sortem justorum*, idest, erit quidem potestas peccatoris aliquando super justos ad eorum probationem, vel exercitationem, vel correctionem sed erit quasi stans, non sedens; transitura, non manens; temporalis, non aeterna. *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*, hoc est, ne justi non perseverent in justitia, si videant felicitatem iniquorum tam esse diuturnam, ut credi possit nullum finem habitura.

4. *Benefac Domine bonis, et rectis corde.*

Quia dixerat, periculum esse ne justi scandalum paterentur ex nimis diuturna potestate iniquorum, convertit sed ad Deum, atque precatur, ut benefaciat bonis, liberando videlicet eos velociter a potestate impiorum, aut certe patientiam illis et consolationem internam copiose suppeditando: et simul admonet ac docet illos vere esse bonos, qui sunt *recti corde*, idest, qui non scandalizantur de judiciis Dei, sed in bonam partem accipiunt omnia quae Deus facit, etiam si permittat impios dominari quantumvis diuturno tempore. Illi enim sunt recti corde, qui conformant cor suum, idest, judicium et voluntatem, cum rectissima regula judicii, et voluntatis Dei, etiam si non intelligant, cur Deus hoc, aut illud faciat, vel fieri permittat; de his scribitur in alio psalmo, *quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!* Isti enim acquiescunt in omnibus Deo, et placet illis Deus, et illi placent Deo, quo modo lignum rectum in pavimento recto optime collocatur et quiescit; lignum autem distortum non potest collocari, nec quiescere nisi in loco distorto.

5. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israel.*

Occasione ultimi verbi versiculi superioris, quo bona optabantur rectis corde, subjungit Propheta terribilem comminationem iis, qui declinant a rectitudine cordis, ac dicit eos qui declinant a rectitudine ad tortuositatem, et in persecutione, vel tribulatione perdunt sustinentiam, ac vel fidem negant, vel de Deo queruntur, ac murmurant, eos *cum operantibus iniquitatem*, idest, cum ipsis persecutoribus, atque impiis hominibus in judicium adducendos: quoniam, ut ait s. Jacobus cap. 2. *Qui totam legem servaverit, offendat autem in*

http://www.obrascatolicas.com

uno, factus est omnium reus, et tum demum separatis omnibus malis de medio bonorum pax vera et sempiterna erit *super Israel*, idest, super populum Dei. Hoc loco magna est quaestio de verbo illo, *obligationes*, et quidem alii alia dicunt: sed ego, ut permitto unumquemque abundare in sensu suo, ita si debeat hic versiculus cohaerere cum superiore et si conciliandi sunt codices latini cum graecis et hebraicis, nihil dubito, quin latinus interpres scripserit, *obligationes*, non tam respiciens ad rem, quae ligatur et stringitur per obligationem, quam ad ipsam obliquitatem et tortuositatem, quae cernitur in fune, dum aliquid ligatur, neque enim obligari potest aliquid, nisi funis alioqui directus torqueatur, et in circulos ducatur. Id ita esse primo colligitur ex voce graeca, quam Euthymius explicat, per obliquitatem et perversitatem. Denique ex ratione continuationis: nam si per *obligationes* intelligamus obligationes ad aliquid faciendum, ut sunt vota, juramenta, promissa, pacta et similia, vix percipi poterit, quid sibi hoc loco Propheta velit: si vero per *obligationes* intelligantur nodi, et tortuositates, quae opponuntur rectitudini cordis, de qua proxime fuerat locutus, omnia optime cohaerebunt. Interpres igitur vulgatus obscure quidem, sed vere et proprie loquutus est.

PSALMUS CXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Psalmus hic apertissime loquitur de reversione a captivitate, et ascensione ad patriam et convenit proprie in tempus illud, quo decretum Cyri de solvenda captivitate judaeorum primum promulgatum est: quod quidem figura fuit evangelii, quo nobis annunciata est remissio peccatorum, et ascensio ad coelestem Jerusalem.

EXPLICATIO PSALMI CXXV.

1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

Latinus interpres voluit ad verbum reddere verba graeca, et ideo minus latine loquutus videtur. S. Hieron. sententiam non verba secutus ita reddidit, *cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sunt somniantes*. Vere enim vox hebraica, חלמים *cholemim somniantes* significat et sensus est cum primum auditum est a nobis decretum relaxationis et reversionis in patriam, prae gaudio vix credere potuimus quod dicebatur, et nobis non videre et audire, sed somniare videbamur. Simile quid accidit Patriarchae Jacob Genes. 45. qui cum audisset filium suum Joseph vivere, quem jam dudum mortuum luxerat, quasi de gravi somno evigilans non credebat. Sanctus etiam Petrus Act. 12. de carcere praeter spem mirabiliter liberatus, existimabat se visum videre. Porro septuaginta Interpretes verterunt, *consolati*, quia ex nimia consolatione fiebat, ut sibi Judaei somniare viderentur. Sed perspicua erit lectio, si utrumque jungamus hoc modo, *cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus ex nimia consolatione, et laetitia quasi somniantes* nos liberatos; vel si placeat, hic esse potest sensus, *facti sumus sicut consolati*, idest, facti sumus ut sunt ii, qui consolationem post magnam tribulationem accipiunt, idest, hilares et jucundi ex tristibus et moerentibus. Hanc ineffabilem consolationem vere experiuntur, qui serio convertuntur ad Deum et contempta spe saeculi, atque omnium rerum terrenarum cupiditate deposita, dirigunt pedes suos in viam pacis. Intelligunt enim quam ineffabile bonum sit, erui de captivitate Diaboli, et de profundo gehennae et ad veram libertatem, atque aeternam pacem in coelesti patria possidendam, Deo vocante, et ducente praeparari.

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.*

Ex consolatione interna prodiit laetitia externa, quae in hilaritate vultus, et in voce exultationis

agnoscitur. *Tunc*, inquit, idest ubi auditus est bonus nuncius liberationis, *repletum est gaudio os nostrum*, idest, facies nostra prorupit in verba laetitiae et jubilationis. In hebraeo, pro *gaudio* habetur risus: sed in idem recidit sententia: risus enim laetitiae signum est. Si quis autem velit per *os*, non intelligere faciem, sed quod proprie dicitur *os*, sensus erit, repletum est os nostrum laetis vocibus et laudibus et idem significabitur per verba sequentia, *et lingua nostra exultatione*, quae repetitio est in psalmis frequentissima.

3. *Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis.*

Nuncius bonus hujus liberationis, sicut eos qui liberati sunt, affecit ingenti laetitia; ita etiam alios, qui hoc audierunt, magna admiratione replevit, et ideo dixerunt, *magnificavit Dominus facere cum eis*, idest, magnifice gessit se Dominus cum populo suo: quamvis enim Cyrus fuerit, qui populum hebraeorum ex tam longa captivitate liberavit; tamen omnes facile intelligebant. id factum esse divino instinctu; jam liberatio facta est ipso tempore, quo Deus per Hieremiam praedixerat esse faciendam, idest, post annos septuaginta, et Cyrus ipse lib. 1. Esdrae, cap. 1. agnoscit imperium orbis terrae a Deo coeli sibi tributum, et ab eodem Deo jussum se templum in Jerusalem aedificare, populumque dimittere: denique numquam sperandum erat, ut rex ullus sponte sua, et sine ullo pretio tot millia captivorum dimitteret, nec solum dimitteret, sed etiam magnis donis oneratos dimitteret. Itaque merito gentes omnes tam magnum beneficium divinae providentiae tribuebant. Sed cur Propheta utitur hoc loco tempore futuro, cum paulo ante usus sit tempore praeterito? dixit enim, *tunc repletum est gaudio os nostrum*, unde consequens erat, ut diceret, tunc dixerunt inter gentes. Cur igitur ait, *tunc dicent inter gentes*? hebraeus codex utrumque verbum ponit in tempore futuro, quod tamen secundum consuetudinem linguae hebraicae, utrumque verti potest in tempus praeteritum. Sed codex graecus, quem secutus est Interpres latinus, primum posuit in praeterito, secundum in futuro. Fortasse igitur hic est hebraismus, et accipiendum est tempus futurum pro praeterito. Fortasse etiam illud, *tunc*, hoc loco non significat tempus liberationis jam praeteritum, sed tempus divulgationis hujus rei ad gentes etiam longe positas, quod erat futurum, ut sensus sit, cum perveniet fama hujus rei ad gentes longe positas, tunc dicent inter se gentes, *magna fecit Deus cum populo Judaeorum*. Neque minus haec admiratio gentium locum habet cum homines qui de hoc mundo sunt, vident aliquos, qui de mundo erant, mundo terga vertere, et ad patriam coelestem per viam verae virtutis, et Christi imitationis ascendere. Mundus enim non diligit quidem eos, qui de mundo non sunt, sed miratur tamen et Deum in illis, et cum illis esse negare non potest.

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes.*

Approbant liberati quod gentes dicunt, quia vera dicunt, ac si ita subjungerent, vere Dominus magnifice se nobiscum gessit, et praeter meritum et spem nostram egit nobiscum, cum de tam miserabili captivitate nos ad dulcissimam patriam revocavit: et ideo facti sumus laetantes, qui sub jugo captivitatis gemebamus moerentes.

5. *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro.*

Quoniam non statim omnes captivi reversi sunt, sed primum aliqui cum Esdra, deinde alii cum Nehemia: ideo qui primi redierant, precantur Deum pro plena, atque integra reversione captivorum. Utuntur vero similitudine torrentis, qui stante austro plenissime et velocissime fluere solet. Dicunt igitur, *converte Domine captivitatem nostram*, idest, fac ut revertantur captivi nostri, qui adhuc remanent in terra aliena, plane omnes, et quam citissime, ut sit plena et velox reductio, qualis esse solet earum rerum, quas torrens secum abripit et devolvit, quando flante austro tum pluviis de coelo cadentibus, tum nivibus liquefactis et de montibus fluentibus impletur. Sed multo magis spiritualibus peregrinis haec precatio necessaria est: quamvis enim jam aliqui ad patriam pervenerint, tamen multi adhuc peregrinantur: plurimi etiam amare coeperunt captivitatem et affixi rebus temporalibus, de patria nihil cogitant, ideo necesse est, ut Deus instar torrentis austro flante violenter eos compellet, et quasi cogat ascendere. Denique tum isti, tum illi, adhuc ex parte captivi tenentur, omnes enim expectant, ut liberetur omnis creatura a servitute corruptionis, et ipsi etiam in coelo beati expectant redemptionem corporis sui. Pro hac igitur perfecta libertate filiorum Dei, de qua loquitur Apostolus ad rom. 8. recte precamur, *converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro*. Quod attinet ad verba, in hebraico et graeco codice habetur, *torrentes*, sive *rivos aquarum*, in numero multitudinis, et casu accusandi: sed probabile est in graecis antiquis, et magis correctis fuisse χειμαρρος, idest, *torrens*, non χειμαρρας, idest, *torrentes*. Nam s. Hieron. in commentario, ubi exponit editionem septuaginta legit, *torrens*, et sanctus Augustinus similiter legit, *torrens*: verbum autem hebraicum potest intelligi tam in casu nominandi quam accusandi: sed in sensu nulla difficultas est. Nam idem est sensus sive dicamus, *converte captivitatem nostram*, ut torrens convertit et trahit omnia secum: sive, *converte captivitatem nostram*, ut torrentem protrudis, et impellis, quando Austro flante impletur aquis. Major quaestio est de nomine austri; siquidem recentiores quidam accurati, et docti contendunt, nomine, *austri*, non debere intelligi *ventum* sed regionem australem desertam et aridam, qualia sunt deserta Arabiae: ac sensum hujus loci esse volunt, *converte captivitatem nostram*, sicut torrentes fluunt in locis aridis et desertis: sic enim laetifica-

http://www.obrascatolicas.com

bit nos reversio captivorum:quomodo laetificantur loca arida fluentibus aquis. Sed nobis veneranda est Patrum auctoritas: nam septuaginta Interpretes sine dubio per *austrum*, intellexerunt *ventum*: id enim proprie significat νοτος, qua voce hoc loco usi sunt:deinde s.Hieron., s.August.,Theodoretus, Euthymius, et alii veteres tum graeci, tum latini agnoscunt hoc loco similitudinem venti Australis liquefacientis nives, et congregantis nubes, atque eo modo torrentes implentis. Ratio etiam connexionis, et nomen torrentis, huic expositioni favere videtur.Utitur enim Propheta nomine *torrentium*, ut significet plenitudinem reversionis captivorum; per loca vero deserta, et arida rivuli quidam fluere solent,non autem torrentes pleni et magni,quos ingentes pluviae vel nives de montibus fluentes faciunt. At, inquiunt, vox hebraica, נגב *negheb*, non significat *ventum*, sed *australem plagam*, vel loca arida et deserta. Respondeo quod saepe respondi, non debere restringi significationes vocum hebraicarum ad hebraica dictionaria : major enim fides habenda est septuaginta Interpretibus, et s. Hieron. quam omnibus dictionariis: et quemadmodum vox graeca νοτος significat proprie ventum australem, et inde transfertur aliquando ad significandam regionem, unde ventus ille spirat: sic etiam fieri potest, ut vox hebraica *negheb* quam ipsi volunt significare *plagam australem*, transferatur etiam ad significandum ventum australem, et hoc loco ita accipiendam esse hanc vocem veterum auctoritas satis nobis persuadet.

6. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

Posteaquam rogavit Propheta Deum, ut reducat ad patriam omnes captivos, exhortatur ipsos captivos, ut libenter suscipiant laborem ambulandi, et ascendendi, neque retineantur amore earum rerum, quas in terra aliena possidebant, quoniam in patria sua, multo plura, et meliora invenient. Utitur autem similitudine aptissima seminantis, et metentis. Seminans enim ordinarie in lachrymis seminat, idest, cum dolore et gemitu, quia cogitur triticum suum projicere in terram, neque scit, an unquam illud recuperabit, ac proinde videtur laborare et fatigari,ut opes suas amittat:sed quando messis venit,cum magno gaudio metit, quia videt triticum suum, quod videbatur, dum seminaretur, amissum, non solum non perisse, sed cum maximo foenore redditum sibi fuisse. Sed haec exhortatio apud spirituales peregrinos praecipue locum habet. Qui enim captivitatem diligunt, et amore mundi capti,de coelesti patria nihil cogitant, ii existimant justorum iter ad coelum,nihil esse aliud nisi jacturam,et detrimentum. Qui enim vere peregrini sunt, et ad patriam coelestem ascendunt,opes suas pauperibus largiuntur, qui numquam restituent: sine pretio vel praemio laborant, ut fratres suos doceant,ut apostolus faciebat,sponte seipsi voluptatibus,et delectationibus privant, quae stultitia esse videtur iis, qui nesciunt quid ista pariant.Sed hoc nihil est aliud,nisi seminare in lachrymis, et postea tempore suo cum exultatione metant:quod si ii qui captivitatem adhuc amant,attente considerarent,certe ipsi etiam mutato consilio,ascendere inciperent,et sua omnia, licet cum sensu aliquo doloris,interim seminarent, ut paulo post in coelesti patria cum exultatione meterent.

7. *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua.*
8. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Describit paulo fusius, et clarius morem seminantis, et metentis.*Euntes*,inquit,*ibant*, id est,rustici ex domo sua exeuntes ibant ad agrum, *et flebant mittentes semina sua*,idest,cum dolore spargebam triticum suum in terram, videntes se privari interim opibus suis non sine sudore quaesitis. Sed postea *venientes* ex agro tempore messis, *venient* domum *cum exultatione portantes manipulos suos*,idest,referentes pro paucis granis integros manipulos spicarum.Neque curavit Propheta similitudinem applicare, quia facile erat unicuique id per se facere. Utitur hac eadem similitudine Apostolus 2. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce et metet.*Et quoniam similitudo admirabilis est, non erit inutile considerare quibus in rebus sementis cum eleemosyna comparetur,ut magis animentur qui ascensiones in corde suo disponunt, ad opes suas libentissime cum pauperibus communicandas.Primum igitur granum quod seminatur,res est exigua, et tamen producit tantam granorum multitudinem, ut incredibile videatur : sic etiam eleemosyna res est in se vilis, cum sit actio humana et temporaria, et per organum corporis corruptibilis facta, et tamen producit non multas pecunias,aut panes,aut vestes, sed regnum sempiternum,quomodo si granum tritici seminatum non produceret spicam triticeam,sed spicam auream plenam gemmis pretiosis loco granorum. Deinde granum seminatum debet corrumpi et perdi, alioqui non nasceretur, juxta illud evangelii,*nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*: sic eleemosyna debet donari,non commutari,et donari iis,qui non possunt retribuere;denique debet amitti ac perdi sine ulla spe recuperationis in hac vita : ita enim corrupta et perdita iterum nascitur, et fructum plurimum parit in aeterna vita.Denique seminatum granum eget sole,et pluvia ut germinare possit: sic etiam eleemosynae,ut alia omnia bona opera, egent sole divinae gratiae; et pluvia sanguinis mediatoris, idest, requirunt,si meritoria esse debeant,ut fiant ex gratia Dei,quae nascitur ex Christi sanguine: tunc enim res in se minima efficitur maxima ratione virtutis, quam ex gratia recipit: et sit non solum meritoria de congruo, sed etiam de condigno, ut scholae loquuntur, meritoria est vitae aeternae. Sed hoc interest inter sationem tritici,et distributionem eleemosynae recte factam, quod plurima sunt, quae facere possunt, ut qui seminavit in lachrymis triticum, in exultatione metat:nam et potest seminatum granum deficiente imbre non nasci;et potest natum a bruchis vel nebulis corrumpi ; et potest jam maturum a furibus diripi, vel incendio perdi.At eleemosyna ex charitate facta, salva est, quippe in coelo reconditur, ubi nec bruchi, neque nebulae,neque fures accessum ullum habent.Igitur qui spirituale semen in lachrymis seminat, in exultatione fructum magnum sine ulla dubitatione metet.

PSALMUS CXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum Salomonis.

Psalmus hic semper mihi visus est supra modum obscurus, et nunc etiam post longum studium fateor me non perfecte assequi litteralem sensum. Probabilior expositio videtur esse illa, quam tradiderunt graeci, s. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius;quod videlicet pertineat haec prophetica exhortatio,sive admonitio populum hebraeorum post reversionem a captivitate Babylonica, quando laborabat in aedificanda domo Dei ; et restauranda civitate Jerusalem,et a vicinis gentibus toto fere illo tempore vexabatur, et impediebatur. Huc etiam pertinere videtur titulus,*canticum graduum Salomonis* : tribuitur enim Salomoni haec exhortatio, quoniam ipse prior aedificavit domum Domini,et civitatem Jerusalem amplificavit,et multis bonis replevit. Ipse igitur commode introducitur, qui admoneat Zorobabelem, qui fuit quasi alter Salomon, quomodo se gerere debeat in domo et civitate raedificanda, custodienda,et amplificanda. Sed altiore sensu verus Salomon, idest, *pacificus* Christus, qui est *pax nostra*, juxta Apostolum, admonet eos, qui ad veram pacem aspirando ascendunt de valle lachrymarum ad visionem pacis,Jerusalem coelestem, quomodo debeant aedificare et custodire domum,sive civitatem Ecclesiae: tum etiam quia unusquisque sibi per bona opera domum aedificare debet in coelo,eamque custodire,ut ad eam suo tempore foeliciter inhabitandam perpetuoque possidendam ascendat.Scio nonnumquam in scripturis, per *aedificationem domus*,intelligi foecunditatem, sive copiam filiorum. Sed hunc psalmum communis expositio patrum de vera domo Dei, idest, de templo, sive materiali, sive mystico, non de carnali filiorum copia, intelligendum esse docuit.

EXPLICATIO PSALMI CXXVI.

1. *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam.*

Haec dicuntur Judaeis adificantibus domum Dei, idest, templum, quando infoeliciter opus procedebat, impedientibus vicinis gentibus, ut scribitur in 1. lib. Esdrae. Admonentur autem, ut cogitent,nihil valere opera hominum, nisi primarium aedificator Deus adsit ; et ideo non solum operetur manibus, sed etiam corde, et ore Deum invocent, et in ejus adjutorio praecipue fidant. *Nisi Dominus aedificaverit domum*, idest, nisi Dominus,invocatus cum fiducia, operantibus adfuerit. *In vanum laboraverunt qui aedificant eam*, idest,omnis labor frustra consumptus est, et frustra etiam deinceps consumetur. Haec eadem dicitur Praepositis Ecclesiae, qui praedicatione verbi Dei convertere nituntur homines ad Deum, et ex iis templum Domino, idest, ecclesiam, aedificare, juxta illlud 1. Cor. 3. *Dei aedificatio estis*, et ibidem,*ut sapiens architectus fundamentum posui,alius autem superaedificat*:sed nisi adsit ille principalis architectus, qui dixit Matth. 16. *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*,in vanum aedificant homines,frustra praedicant doctores verbi Dei,dicente Domino,*sine me nihil potestis facere*, Joan.16. Denique dicuntur eadem uniquique nostrum, qui domum nobis per actus fidei, spei, et charitatis,in coelo aedificare debemus: domus enim Dei, ut s. Augustinus ait serm. 22. de verbis apostoli, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur ; neque ullus in coelesti patria civis admittitur, qui talem domum non ante paraverit. Sed haec domus magis orando, et gemendo, quam operando fabricatur, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis*. 2. Corinth. 3.

2. *Nisi Dominus custodierit civitatem,frustra vigilat qui custodit eam.*

Cum civitas Jerusalem post captivitatem aedificaretur, simul aedificanda, et simul custodienda erat, ut testatur scriptura in lib. 2. Esdrae.Gentes enim quae in circuitu erant, non solum impedire conabantur aedificationem,sed etiam demoliri quod

http://www.obrascatolicas.com

aedificatum fuerat:et ideo filii Israel una manu gladium tenebant: altera faciebant opus, et multi eorum dispositi ad custodiendum perpetuas agebant excubiss.Sed nihilominus tot vigiliis suis nihil profecissent, nisi Dominus civitatem custodire voluisset.Hoc idem contingere certum est praepositis ecclesiae, qui simul aedificare ecclesiam, et simul custodire debent: versamur enim in medio inimicorum, qui nihil magis oderunt, quam ecclesiae amplificationem. Et quamvis episcopis ad hoc detur in ecclesia locus altior,ut quasi e specula omnia prospicere, et populum custodire possint, tamen neque corda penetrant neque ubique cum omnibus esse possunt: ideo,*nisi Dominus custodiat civitatem, frustra vigilat, qui costodit eam.*Hoc ipsum singulis nobis accidere solet,ut dum per bona opera domum nobis aedificamus,non desint hostes,qui variis tentationibus destruere moliantur aedificium inchoatum, unde nos Apostolus armat, scribens Ephesiis cap. 6. cum dicit, *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Et infra, *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possit omnia tela nequissimi ignea extinquere.* Sed nisi Dominus nobis adsit,et nos saepe dormitantes custodiat,et pro nobis pugnet,frustra erit omnis labor noster.

3. *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis,qui manducatis panem doloris.*

Filii Israel prae nimia sollicitudine, dum in angustiis essent ante lucem opus aedificationis aggrediebantur, ideo monet illos spiritus sanctus nihil profuturum,quod ante lucem operari incipiant, nisi Dominus illis adfuerit, sed si Dominum adjutorem habuerint, et in illo spem suam posuerint, opus prospere successurum,etiamsi post necessariam quietem,orto jam sole operi se accingant. *Vanum*,inquit,*est vobis ante lucem surgere*.ad opus videlicet aedificationis prosequendum: ubi subintelligendum est, *nisi Dominus aedificaverit domum*, vel *custodierit civitatem*, et ideo confidentes in Domino, et illum assidue invocantes.*surgite postquam sederitis*, id est, post nocturnam, ac necessariam quietem, surgite ad opus: *qui manducatis panem doloris*,idest,vos, qui in angustia, et oppressione nunc vivitis propter infestationem continua inimicorum. Sed in sensu magis intento a Spiritu sancto monentur Praepositi ecclesiae, et singuli etiam fideles, ut in aedificanda domo, sive communi, sive particulari, non magis fidant operationi, quam orationi, sed imitentur Dominum, qui per noctes vigilabat in oratione juxta illud Luc. 6. *Erat pernoctans in oratione Dei, et interdiu concionabatur,et miraculis sermonem confirmabat*, nec non Apostolus imitentur,qui in actis cap. 6. dicunt, *nos autem orationi, et ministerio verbi instanter erimus. Vanum*, inquit, *vobis est ante lucem surgere*, idest, totum tempus consumere in aedificatione vel custodia. *Surgite postquam sederitis*.idest,surgite ad opus postquam sederitis vacantes quieti contemplationis, et orationis. *Qui manducatis panem doloris*,idest,vos qui prae desiderio coelestis patriae assidue gemitis et dicitis, *fuerunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte*, dum dicitur mihi quotidie, *ubi est Deus tuus.* Qui enim valde amant,dum non possunt frui praesentia rei amatae, sustentantur interim desiderio, et gemitu, et eo modo lachrymae fiunt illis panes die ac nocte, idest,in prandio et coena.In hebraeo non habetur illud,*surgite*,sed videntur septuaginta legisse paulo aliter quam nunc habeatur in nostris codicibus: ubi enim nunc est, קום *kum*, idest, *surgere*, ipsi videntur legisse, קומו *kumu*, *surgite*, et quamvis Euthymius ex graeco codice legat,*surgere*,tamen veteres patres legunt,*surgite*, ut s.Hieron. et s. August. in commentario,et videtur etiam s.Joannes Chrysostomus ita legisse;denique ita legit s.Hilarius, qui ut s.Hieron. scribit in lib.de scriptoribus ecclesiasticis,imitatus est Origenem in explanatione psalmorum.Certum autem est, Origenem,et alios veteres graecos et latinos habuisse codices correctiores,quam unus Euthymius habuerit, nisi forte Euthymius etiam legerit,*surgite*, sed corrigendum putaverit esse textum,unius literae mutatione: nam ελειρεϑαι, est *surgere*, et ελειρεστε, est *surgite*.

4. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris.*

Post exhortationem,et admonitionem,addit Propheta consolationem,praedicens fore,ut post praesentes tribulationes, det Dominus pacem, et quietem populo suo, et tunc filios Israel manifeste futuros Dei haereditatem,et potentissimos atque fortissimos, ut nullos deinceps hostes passuri sunt, quae Prophetia respicit novum populum, id est, ecclesiam Christi, cujus typus erat templum,et civitas ipsa Hierusalem.Nam ut s.Augustinus demonstrat lib. 18. de civitate Dei c.45. Judaeis post civitatis,et templi instaurationem omnia in deterius prolapsa sunt, donec per Vespasianum, et Titum iterum civitas eversa, et templum incensum fuit. Ait igitur,*cum dederit dilectis suis somnum*,idest, cum pacem,et quietem Dominus populo suo dederit mittens ad illos verum Salomonem,qui templum verum, idest,ecclesiam suam fundabit,et propagabit, atque ipsos etiam Imperatores orbis terrae illi subjiciet, *ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris*, idest, ecce tunc apparebit, quod haereditas Domini erunt filii plurimi, juxta illud psalmi 2.*Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam,et possessionem tuam terminos terrae*;et *merces* ejusdem Christi Domini erit *fructus ventris*.filii videlicet plurimi,juxta illud Isaiae,53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* Nam, ut saepe monuimus,frequentissime in psalmis idipsum bis repetitur. Itaque idem est, *haereditas Domini, filii*; et *merces fructus ventris*, idest,Christi Domini haereditas,et merces, erunt multi filii, qui nihil aliud sunt, nisi fructus ventris.Atque haec expositio est conformis hebraico textui, ubi vox illa, *fructus*, est nominativus casus, non genitivus. Sed in editione graeca vox, *fructus*, est casus genitivi;et ideo juxta graecum codicem sensus erit, quod filiarum multitudo

erit haereditas Domini,et merces Christi,qui Christus vere proprieque *fructus ventris* fuit,cum non ex viro,sed ex sola Virgine ortum habuerit:et haec fortasse verior est expositio, quoniam verbum hebraicum potest mutatis punctis reddi per genitivum;sed verbum graecum non potest reddi per nominativum. Proinde si codices omnes conciliandi sint, haec posterior expositio priori anteponenda erit. Jam vero si psalmus explicetur secundum altiorem sensum, in hoc versiculo praedicetur foelicitas coelestis Jerusalem,quae post somnum mortis temporariae in resurrectione manet eos,qui sicut oportebat ad patriam sempiternam passibus amoris et fidei ascendere prophetarunt. Ait igitur, *cum dederit dilectis suis somnum*,idest,cum post varios labores et certamina dederit Deus omnibus dilectis suis,tam Praepositis ecclesiae aedificatoribus, quam privatis fidelibus domum sibi per opera bona fabricantibus,somnum beatae mortis.*ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris*, idest, tunc apparebit in die ultimi Judicii,quod filii Dei sint ipsius Dei haereditas, quia tunc dilecti salutem aeternam consequentur, et post hoc transibunt in aeternam Dei possessionem, et haereditatem, et iidem filii erunt merces Christi, qui est *fructus ventris*, quia salus electorum est Christi merces: ipse est enim,qui gratiam et gloriam electis suis patiendo et moriendo promeruit.Non multum autem refert,quod in hebraeo habetur,*sic dabit dilecto suo somnum*,pro eo quod nos habemus in graeca, et latina versione, *cum dederit dilectis suis somnum*: nam particula hebraica, כן *chen*, multa significat, nimirum *sic*. *vere*, *tunc*, etc. Itaque reddi potest, *tunc dabit*, idest, post illas tribulationes dabit, et sensus in idem recidit; vox autem לידידו *lididò*,*dilecto suo*,potest etiam legi, לידידיו *lididau*.*dilectis suis*,et sic legerunt Septuaginta et s. Hieronymus: qui habuerunt codices sine punctis, quae a Rabbinis postea addita sunt,et si forte necessario legendum esset,*dilecto suo*, exponeremus unicuique dilecto suo,vel dilecto populo suo, quod est idem cum eo, quod nos habemus, *dilectis suis*.

5.*Sicut sagittae in manu potentis,ita filii excussorum.*

Declarat his verbis Propheta potentiam filiorum Christi, qui sunt ejus haereditas et merces, ac dicit fore potentissimos, quales sunt sagittae in manu viri robustissimi, quae maximo impetu jaciuntur, et omnia perrumpunt: loquitur autem de spirituali potentia servorum Christi. quae non minus cernitur in actione quam in passione, nam et cum instar tronitrui, et fulguris terrefaciunt, et convertunt infideles ad fidem,vel peccatores ad poenitentiam, efficacia praedicationis,splendore sanctitatis, et miraculorum virtute;et quando tormenta omnium generum,incredibili patientia et fortitudine,ad mortem usque decertantes pro fide et pietate tolerant, quid sunt aliud nisi *sagittae in manu potentis*?sed cur filii isti tam fortes dicuntur, *filii excussorum*? quia filii sunt hominum ejectorum, et expulsorum a mundo quasi quisquiliae,et rejectamenta: videlicet filii Prophetarum et Apostolorum:nam de prophetis Apostolus dicit hebr.11. *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, tentati sunt, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, et in pellibus caprinis, egentes,angustiati,afflicti, quibus dignus non erat mundus.* De Apostolis dicit idem Paulus 1.Corinthios 4.*Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit,tamquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus, usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus, tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Et tamen isti ita excussi, et rejecti,fortissimi fuerunt,et de mundo, et de doemonibus mirabiliter triumpharunt.Horum filii sunt omnes electi, qui sicut sagittae in manu potentis hostes vulnerarunt,et vicerunt.Scio locum istum varie tam a veteribus, quam a recentioribus exponi, sed, ut alias dixi,unusquisque in suo sensu abundet,ubi nullum subsit fidei periculum.Neque refert quod sanctus Hieronymus, ex hebraeo vertit *filii juventutis*,ubi nos habemus *filios excussorum*, et versionem suam defendit in Epistola ad Marcellam de quaestionibus super hunc psalmum: nam vox hebr., נעורים *nehurim*; utrumque significat et *juventutem* et *excussorum*; proinde versio Septuaginta et nostra vulgata editio non repugnat textui originali. Neque reprobamus sancti Hieronymi intelligentiam, siquidem electi ut sunt *filii excussorum*, quia filii prophetarum et apostolorum a mundo reprobatorum: ita sunt etiam filii juventutis, quia sunt per regenerationem, et renovationem juvenes facti, ac per hoc alacres, et fortes,et expediti ad bellum contra spirituales hostes.Sed in futuro saeculo,ac praesertim in die resurrectionis et ultimi judicii, maxime apparebit quam sint potentes isti *filii excussorum*; qui tunc per resurrectionem gloriosam erunt veri filii juventutis;quia *renovabitur ut aquilae juventus* eorum, *stabunt enim in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, ut dicitur Sap.5.et adversarii *videntes turbabuntur timore horribili,et dicent.hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, etc. et psal.143. *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus,increpationes in populis.ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis ejus.*

6. *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur,cum loquetur inimicis suis in porta.*

Concluditur psalmus per epiphonema acclamando ipsi Domino Christo, *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, idest,vere foelix est ille, Christus videlicet, *qui implevit desiderium suum ex ipsis* filiis,quoniam perduxit ad finem desiderium suum, quod erat videndi salutem,et glo-

http://www.obrascatolicas.com

riam filiorum suorum, pro quibus tam multa fecit, et pertulit, et ideo *non confundetur*, *cum loquetur inimicis suis in porta*, idest, in ultimo judicio, quod exercebitur in amplissima porta, id est in conventu totius mundi, *non confundetur*, *cum loquetur inimicis suis* doemonibus et hominibus iniquis, sed eos potius confundet, et convincet injustitiae et imbecillitatis: tota enim contentio Christi cum diabolo et ministris ejus ab initio mundi usque ad finem, fuit circa salutem generis humani, quod totum ad inferos secum diabolus pertrahere semper conatus est. Atque ad hunc finem singulis aetatibus persecutiones Judaeorum, paganorum, haereticorum, iniquorum omnis generis, adversus ecclesiam excitavit. Sed cum in die Judicii conspicientur tot millia electorum cum Christo gloriose regnantium, et triumphantium, et justissime coronatorum; et contra sublata erit iniquis omnis potestas, et ad aeterna supplicia juste damnatis nulla spes erit bella renovandi, tunc ipse Christus non confundetur, sed confundet omnes inimicos suos. In hebraeo habetur, *beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis*, sagittis videlicet. Sed septuaginta Seniores maluerunt explicare metaphoram: et quia *implere pharetram sagittis*, significat *implere domum fortissimis filiis*; ideo maluerunt vertere, *beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, hoc est pro voto, et desiderio implevit domum suam filiis optimis, et robustissimis. Illud autem, *non confundetur cum loquetur inimicis suis*, in hebraico et graeco codice habetur in numero multitudinis, non confundentur, cum loquentur. Non est improbabile in aliquo textu vitio scriptorum esse numerum variatum: non enim verisimile est interpretem latinum, vel graecum de industria numerum mutasse. Et cum s. Hieronymus, et s. Augustinus in commentario legant in singulari, *non confundetur, cum loquetur*; et contra s. Hilarius, et sanctus Joannes Chrysostomus legant in numero multitudinis, *non confundentur cum loquentur*, necesse est, ut graeci codices fuerint varii, sicut etiam latini codices vulgati varii sunt: sed utraque lectio vera est: nam et de Christo vere dicitur, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, et de electis filiis Dei vere etiam dicitur, *non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta*, cum scriptum sit Sap. 5. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*. Illud autem, *in porta*, interpretati sumus, *in ultimo judicio*, quoniam, ut diximus in explicatione psalmi 121. apud hebraeos in portis civitatum conveniebat multitudo populi ad judicia: et praeterea ex doctrina s. Augustini in expositione hujus versiculi, *in porta loqui*, est, *publice loqui*, sicut *loqui in cubiculo*, est *loqui occulte*, *et secrete*. Quoniam igitur ultimo judicium palam et pubblice, et in conspectu omnium hominum, et angelorum fiet, rectissime dicitur *in porta* fieri, et Christus, atque electi ejus recte, *inimicis suis loqui* dicuntur *in porta*.

PSALMUS CXXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Videtur hic psalmus s. Hilario, et Augustino juxta litterae corticem ita de temporalibus bonis, quorum promissio propria testamenti veteris est, agere, ut necessarium sit misticum sensum invenire, si ad Christianorum mores accomodari debeat. Sed fortasse non erit difficile ita illum exponere, ut simul ad testamentum vetus, et ad novum ad bona Jerusalem terrenae et coelestis pertineat. Est igitur argumentum hujus psalmi exhortatio ad pietatem, proposita ingenti mercede virtutis.

EXPLICATIO PSALMI CXXVII.

1. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.*

Docet Propheta redeuntes a captivitate quomodo se gerere debeant, si nolint iterum in captivitatem reverti; sed perpetuo frui bonis Jerusalem; quae doctrina utrisque peregrinis convenit, tam iis, qui peregrinabantur a patria terrena, atque ad eam ascendere cupiebant, quam iis, qui peregrinantur a patria coelesti, atque ad eam redire festinant. Ait igitur, *Beati omnes, qui timent Dominum*, idest, illi omnes sive viri, sive foeminae, sive magni, sive parvi, sive nobiles, sive ignobiles, sive domini, sive servi, sive docti, sive indocti, denique omnes omnino nullis exceptis tunc solum vere beati erunt, idest fortunati, contenti, hilares, in optimo statu constituti, quem statum omnes desiderant, si Deum vere timuerunt, idest, si Deum offendere formidaverint, atque eo timore muniti a Dei gratia, quae fons est omnium bonorum numquam exciderint. Signum autem sancti hujus timoris est, si *in viis ejus*, idest, in praeceptis ejus ambulaverint. Nam timor iste sanctus ex amore procedit, et Dominus ait Joann. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate*; et iterum: *qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me*: et iterum, *qui non diligit me, sermones meos non servat.*

2. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.*

Incipit enumerare foelicitates hominis timentis Deum, atque ad eum ipsum sermonem dirigit, dicens prima foelicitas tua erit, quod *manducabis labores manuum tuarum*, idest, frueris iis bonis, quae labore manuum, sive operum tuorum acquisieris. Quo loco diligenter considerandum est, non ponere Prophetam foelicitatem piorum in magna copia divitiarum; sed in iis bonis, quae proprio labore acquiruntur, quae ordinarie modica esse solent. Magnae enim divitiae vel ex haereditate parentum, vel ex rapina et usura, aliisque malis artibus plerumque habentur. Laudat s. Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quaest. 1. vulgatam illam sententiam, *dives aut iniquus, aut iniqui haeres.* Quare idem Propheta in psalm. 36. dicit, *melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* et in psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias*, et in psalm. 143. *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oves eorum foetosae abundantes in egressibus suis, boves eorum crassae, non est ruina maceriae, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui haec sunt. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Itaque sanctus David non hebraeis tantum, sed etiam Christianis concionatur, cum non ponat foelicitatem in magnis divitiis, sed in eo solum, quod vivant de suis justis laboribus: ubi duo vitia extrema reprehendit: unum eorum qui labores aliorum manducant: alterum eorum, qui ne suum quidem laborem manducant, sed avare recondunt ut divitias augeant: illi igitur soli beati sunt, qui labores manuum suarum manducant. Quod si forte aliqui timentes Deum, et ambulantes in viis ejus non possint frui bonis suis, sed esurire et sitire cogantur, quod bona sua ab aliis direpta fuerint; non propterea falsa erit promissio, quae hoc loco habetur: nam si Deus quibusdam amicis suis permittit, ut cupiant saturari de micis, quae cadunt de mensis divitum, ut de Lazaro mendico legimus, Luc. 16. et nemo illis eas micas tribuit: dat sine dubio illis Deus aliquid longe melius, videlicet *gaudium de tribulatione*, ut Apostolus dicit ad hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*, et de se ipso dicit 2. Corinth. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, et tunc sensus hujus versiculi hic erit, *laborem manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*, idest, nunc manducabis laborem, idest, de gaudio laboris, et tribulationis reficieris; postea vero de fructu ipso laboris, idest, de praemio bonorum operum saginaberis; et ideo nunc *beatus es* in spe, et postea *bene tibi erit* in re. Atque hoc proprie pertinet ad spirituales peregrinos, qui gaudent in tribulatione inopiae, et aerumnarum, scientes quod *tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, rom. 5. Quod attinet ad verba, in hebraeo est, *labores manuum*, ut nos habemus, sed in graeco videtur esse *labores fructuum*, et sic plurimi vertunt, et legunt ex graeco. Sed vox graeca, καρπων, et *fructus*, et *volas manuum* significat. Proinde septuaginta propriissime verterunt hebraicam vocem, כפיו *cappau*, quae proprie *volas manuum* significat. Igitur nostra editio vulgata plane concordat cum originali hebraico, et cum editione septuaginta.

3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae.*

Haec est altera foelicitas timentis Deum, et ambulantis *in viis ejus*, quod si forte uxorem ducere voluerit, unam tantum ducet, eamque non ad libidinem explendam, sed ad filiorum procreationem accipiet, ut angelus Tobiam monuit dicens, *accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus*: et ipse Tobias vere dixit, *Domine tu scis, quia non luxuriae causa accipio sororem meam conjugem, sed solo posteritatis amore* Tob. 6. et 8. Ait igitur, *uxor tua*, non uxores, non concubinae tuae, *sicut vitis*, abundans, idest, multos pariens filios, ut vitis foecunda multos racemos, *in lateribus domus tuae*, idest, intus manens, ut modesta et pudica, et curam domus interioris habens dum vir de his, quae foris sunt, cogitat. S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus*, quoniam de lateribus interioribus hoc loco agitur. Sed quamvis haec foelicitas quaedam sit, tamen ut intelligamus, non magnam esse foelicitatem, Deus multis magnisque amicis suis, etiam conjugatis, hanc foelicitatem non dedit, ut Abrahamo, et Sarae, Isaaco, et Rebeccae, Zachariae et Elizabethae: multis etiam inspiravit desiderium et propositum sanctae virginitatis, ut creditur de sanctis prophetis Elia, et Hieremia, et sicut de b. Virgine Maria, s. Joan. Baptista, s. Joseph, et aliis prope infinitis, quos certe Deus non privasset foelicitate conjugii, et foecunditatis carnalis, si non esset virginitas donum longe excellentius. Adde quod sancti viri, qui vel conjuge caruerunt, vel sterilem sortiti sunt, non fuerunt privati foelicitate foecunditatis, sed eam habuerunt alterius generis et sine comparatione majorem. Christus in primis, qui caput est omnium sanctorum, non habuit carnalem uxorem, neque filios carnales, sed habuit tamen sponsam ecclesiam, et filios spirituales innumerabiles. Sic etiam Abraham unum habuit filium ex Sara, sed per fidem factus est pater multarum gentium: omnes enim fideles *filii Abrahae*

http://www.obrascatolicas.com

dicuntur ab Apostolo rom. 4. et quod mirabile est, viri Sancti non solum patres, sed etiam matres sunt eorum, quos ad fidem, vel ad poenitentiam convertunt: patres enim sunt praedicando verbo aut exemplo, et matres gemendo pro eis, et orando. Idem enim Apostolus *patrem* se dicit 1. Corint. 4. cum ait, *non ut confundam vos haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo, nam et si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam per evangelium ego vos genui*: alibi vero se *matrem* dicit, cum ait ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quod si placet spiritualibus filiis assignare patrem, et matrem, quamvis ab eodem homine generentur, et pariantur, dicere poterimus, *patrem* esse amorem Dei, et proximi, *matrem* esse sapientiam; vere enim amor est qui filios gignit, sed per sapientiam gignit, dum sapienter loquens, et scripturas explanans persuadet auditoribus fidem, aut poenitentiam. Sic enim de sapientia scribitur, Sap. 8. *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius.*

4. *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.*

Tertia foelicitas hic describitur, educatio videlicet filiorum. Viri enim timentes Deum et ambulantes *in viis ejus*, non tantum filios multos, sed etiam bonos et bene moratos habebunt, quoniam ab infantia illos docebunt timere Deum, et ambulare *in viis ejus*. Sic igitur ait: *filii tui sicut novellae olivarum*, idest, similes erunt arbusculis optimis, quales sunt oleae, quae semper virent, et fructum dulcissimum faciunt; non autem similes erunt rubis, aut spinis, aut sterilibus plantis: erunt autem *in circuitu mensae tuae*, ut eos omnes simul videns, et cum eis convivens, et convescens, majorem ex illis delectationem capias. Quae omnia conveniunt etiam in filios spirituales, quos cum pater Verbo Dei pascit, et proficere videt, mirifice gaudet, et cum Apostolo dicit, *gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino charissimi.* Philipp. 4.

5. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.*
6. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitae tuae.*
7. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.*

Quarta est haec foelicitas, quod videlicet vir timens Deum non solum de bonis propriis gaudium habere debeat, sed etiam de communibus. Ideo addit, quod ita sit a Deo, qui habitat in Sion, benedicendus, ut videat civitatem suam Jerusalem abundantem omnibus bonis toto tempore vitae suae et videat in ea civitate filios filiorum similiter beatos, et foelices; et denique pacem, quae omnia bona conservat, et custodit, stabilem videat super populum Israel. Sed altiore sensu, et magis proprio, atque a spiritu sancto intento, hic describitur foelicitas tanto major tribus superioribus, quantum distat coelum a terra, et Deus a creaturis: et propterea non eam narrando, sed imprecando Prophetа proponit. *Ecce*, inquit, praeter omnia quae dicta sunt, *sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, nimirum dicetur illi, *benedicat tibi Dominus ex Sion*, idest, non solum benedicat tibi Dominus de terra, temporalia bona tribuens, sed etiam benedicat ex monte sancto suo, ex altissimo habitaculo suo, tibique praestet, ut *videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae*, idest, videas Deum in quo sunt omnia bona Jerusalem, *omnibus diebus vitae tuae*, idest, in aeternum et in saeculum saeculi: nam cum anima sit immortalis, et corpus etiam post brevem somnum mortis temporalis, sit resurrecturum ad vitam immortalem, certe bona quae hic videmus, non videmus omnibus diebus vitae nostrae, sed per minimam partem dierum vitae nostrae, ut vere cum Jacob dicere possimus, *dies vitae nostrae*, quibus in terra peregrinamur, *pauci sunt et mali*; sed bona coelestis Jerusalem vere videbimus omnibus diebus vitae nostrae, qui sine fine erunt: sicut etiam omnes iniqui videbunt mala Babylonis omnibus diebus aeternae mortis suae. Neque mirum est, quod non dixerit Prophеta, ut possideas bona Jerusalem, sed *ut videas*, quoniam vera bona Jerusalem videndo possidentur; siquidem in visione Dei perfecta beatitudo consistit. *Similes*, inquit Joannes in 1. Epist. cap. 3. *ei erimus*, idest, beatissimi, et foelicissimi, et quasi Dii quidam, *quoniam videbimus eum sicuti est.* Accedet ad gaudium beatorum quod videbunt in patria illa coelesti *filios filiorum suorum*, idest, non solum illos, quos ipsi per se Deo genuerunt; sed etiam, qui per filios suos spirituales, et per *filios filiorum*, usque ad mundi consummationem ad Deum adducti fuerint; et de omnibus, tamquam de propriis, et ad se pertinentibus gaudebunt. Denique accedet ad consummationem foelicitatis, quod videbunt *pacem super Israel*, pacem firmam et stabilem, quae securissimos reddet omnes habitatores Jerusalem usque in aeternum: videbunt enim omnes suos inimicos perfecte subjectos sub scabello pedum Christi, idest, in profundam gehennam detrusos, aeternis vinculis alligatos: *terra enim scabellum est pedum Dei*, iniqui autem omnes sub terram conclusi jacebunt per saecula sempiterna.

PSALMUS CXXVIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

In psalmis gradualibus, ut initio ammonuimus, vicissim Propheta nunc deplorat aerumnas peregrinationis, nunc bona patriae coelestis laudat, ut am ille quam ista ad ascendendum et festinandum hortentur. Quoniam igitur in praecedenti psalmo multa dixit de bonis Hierusalem: nunc redit ad mala Babylonis, in qua exules sumus et peregrini.

EXPLICATIO PSALMI CXXVIII.

1. *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.*

Consolatur se populus Dei in tribulatione positus, quod jam sit assuetus talibus angustiis, et semper Deo adjuvante liberatus fuerit. Conveniunt autem haec verba populo Judaeorum, dum in reaedificatione templi, et civitatis, a vicinis gentibus oppugnaretur; et conveniunt etiam ecclesiae Christi, quae vix unquam ab oppugnatione paganorum, vel haereticorum, vel falsorum Christianorum respirare potuit. Ait igitur, *saepe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel*, idest, populus Dei, qui *Israel* vocatur, non miretur si ab hostibus oppugnatur, quia nihil novi patitur, sed revocet ad memoriam praeteritas angustias, et dicat, *saepe expugnaverunt me inimici mei* jam inde a prima mea aetate: nam vix nata ecclesia, passa est in Abele persecutionem Cain ac deinceps saepissime similia pertulit. Quod attinet ad verba, id solum notandum est, verbum *expugnaverunt*, positum esse pro, oppugnaverunt: nam vox hebraica, צרר *tzarar*, significat, *angustiare*, et vox graeca significat, *bellaverunt*, et ex versiculo sequenti manifeste colligitur, non praevaluisse hostes in populum Dei: proinde pugnasse, sed non expugnasse; bellasse, sed non debellasse.

2. *Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.*

Reddit rationem, cur saepe hostes repetierint praelium, sive pugnam; ac dicit, causam esse quia numquam praevaluerunt: nam si semel praevaluissent, et populum Dei penitus extinxissent, non fuisset opus tot praeliis toties renovatis. Verissimum esse quod hic asseritur, ecclesiastica historia testatur. Illud, *non potuerunt mihi*, vel positum est pro, non potuerunt in me, vel subintelligitur aliquid, ut, non potuerunt mihi nocere, vel praevalere.

3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.*

Quod propriis verbis Propheta dixerat, id nunc per similitudines et metaphoras repetit, et confirmat: dicit igitur populus Dei de persecutoribus suis, *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, idest, supra dorsum meum artem fabrilem exercuerunt utentes dorso meo pro incude, quam fabri ferrarii assidue percutiunt. In hebraeo habetur verbum, חרש *charas*, quod septuaginta verterunt *fabricare*, et sanctus Hieronymus, *arare*: sic enim ad verbum reddidit, *Supra dorsum meum araverunt arantes*, et vere utrumque significare potest; quamvis enim non habeamus locum in scripturis (quod ego sciam) ubi, חרש *charas* significat *fabricare*, habemus tamen Gen. 4. vers. 22. et 3. reg. 7. vers. 14. vocem *chores*, ab eadem radice, quod significat fabrum ferrarium, ex quo sequitur ut *charas* significet fabrilem artem exercere. Neque dubium esse potest, quin septuaginta Interpretes, homines doctissimi, ex nomine *fabri* deduxerint verbum, *fabricare*, quod hoc loco non significat, aedificium erigere ex lapidibus et lignis (inepta enim similitudo videretur, si quis diceret super dorsum hominis domum, vel aedificium quodlibet fabricari) sed, ut diximus significat juxta proprietatem vocis Hebraicae, fabricare instrumenta ferrea super dorsum, quasi super incudem; quae similitudo significat assiduam, et durissimam persecutionem: nihil enim crebrius, et fortius percuti solet, quam incus a fabris. Idem significatur verbis sequentibus, *prolongaverunt iniquitatem suam*: prolongatio enim iniquitatis est, continua-

http://www.obrascatolicas.com

tio persecutionis, quam semper boni patiuntur a malis. Sanctus Hieronymus vertit, *prolongaverunt sulcum suum*. Sed quamvis vox hebraica, quae nunc habetur in hebraico textu, significet *sulcum*; tamen si una litera postponatur, vel altera anteponatur, significabit iniquitatem et hoc modo sine dubio legerunt septuaginta seniores; et quod litera *vau* debeat anteponi, perspicuum est ex eo, quod ubi nunc est, otiosa est, et supervacanea. Itaque septuaginta non legerunt, למעניתם *lemahanitham, sulcum suum*, sed, למעונותם *lemahavonotham, iniquitatem suam*, a voce *havon*, quod est *iniquitas*. Sed licet nos hoc modo concordemus lectionem graecam et latinam cum hebraica, et sententiam vulgatae lectionis omnino sequendam esse existimemus; tamen non negamus, lectionem s. Hieronymi habere etiam bonum sensum, si ita exponatur, *supra dorsum meum araverunt arantes, prolongaverunt sulcum suum*, idest, supra dorsum meum jugum gravissimum posuerunt, et me quasi bove abusi araverunt arantes, et non parvo tempore me jugum ferre compulerunt, sed tempore longissimo, quoniam longissimum sulcum ducere voluerunt.

4. *Dominus justus concidet cervices peccatorum: confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.*

Consolatur nunc Propheta populum Dei, praedicens non procul abesse vindictam divinam in impios persequutores justorum, quasi dicat, bono animo estote justi, quoniam persequutores quidem vestri, injuste dorsum, sive cervicem vestram nunc premunt: sed paulo post Dominus justus juste cervices ipsorum non premet, sed concidet et in frusta comminuet gladio suo, ut numquam amplius vobis nocere possint: et tunc demum confundentur, qui antea superbe exultabant, et convertentur retrorsum fugientes, et cadentes omnes illi, qui oderunt, et persequebantur populum Domini. Observa primo, illud, *concidet*, in textu graeco, et hebraico esse in praeterito *concidit*. Sed tamen s. Hilarius et s. Augustinus legunt, et exponunt, *concidet*; proinde videtur fuisse varia lectio in textu graeco, quam illi sequuti sunt. Hebraica vero lingua facile patitur mutationem temporum, ut possimus praeteritum accipere pro futuro. Itaque non est facile mutanda lectio nostra latina. Sed sive legamus, *concidit*, sive *concidet*, sensus constat. Deus enim jam concidit cervices multorum persequutorum, ut Pharaonis, Nabuchodonosor, Balthasaris, Antiochi, Neronis, Domitiani, Diocletiani et similium et in futuro etiam concidet cervicem omnium aliorum, qui similiter persequutores piorum vel erunt, vel sunt. Observa secundo, pro verbo, *cervices*, in hebraeo esse, *laqueos*, sive *funes*; sed verisimile est, septuaginta non legisse, עבות *habot*, ut nunc est in Hebraeo, sed, גבות *gabbot*, quod *cervices* significat, sive dorsum; nec minus verisimile est, Davidem conservasse eamdem similitudinem; et sicut dixerat, *supra dorsum meum*, גבי *gabbi*, ita postea addidisse, *concidet dorsa*, גבות *gabbot*, ut ostendat simili poena puniendos peccatores, sed graviore. Observa tertio, quod dicitur Deus *concidere cervices peccatorum*, intelligi de peccatoribus superbis, vel obstinatis; nam peccatoribus, qui humiliter confitentur peccata sua et emendare cupiunt, Deus non concidit cervices, sed medetur languoribus ipsorum. Observa quarto illa verba, *confundantur, et convertantur retrorsum*, non esse proprie imprecationem, sed praedictionem, ut saepe monuimus. Sed si quis velit accipere ut verba sonant, poterit pie imprecationem exponere, ut nimirum sit imprecatio bonae confusionis, quae poenitentiam adducit et conversionis a peccatis ad Deum; sed prior expositio est magis ad litteram.

5. *Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.*
6. *De quo non implebit manum suam, qui metit et sinum suum, qui manipulos colligit.*

Alia est imprecatio, quae similiter praedictionem notat; significat enim brevissimam fore persecutorum foelicitatem et mirabili amplificatione comparat eam foeno, quod est res per se vilis, et fragilis et sicut dicitur in evangelio, *hodie est, et cras in clibanum mittitur*, sed non contentus foeno comparasse, addit, similem esse foeno, quod non in campis, sed in tectis domorum nascitur, idest, herbae minutissimae, quae nascitur super tecta, quae nullius est pretii, nullique usui apta, ac propterea nemo illam metit, neque in manipulos redigit, sed arescere, et perire permittit. Sed quamvis haec amplificatio sit apud nos, qui nihil videmus vilius et fragilius, tamen cum ad judicium novissimum venerimus, fortasse haec non amplificatio, sed extenuatio nobis videbitur: quid enim erit tunc cernere viros quondam potentissimos, et ditissimos, et qui se domos suas regnis, et imperiis stabilivisse crediderant, cernere, inquam, abjectos projici in locum totius mundi infimum? et qui deliciis et voluptatibus assueti, ne levissimum quidem incommodum ferre poterant, sempiternis crucialibus addictos videre, sine ulla consolatione in aeternum perseveraturos?

7. *Et non dixerunt qui praeteribant, Benedictio Domini super vos, benedximus vobis in nomine Domini.*

Quia dixerat, foenum tectorum non solere meti, et colligi, addit non futurum etiam, ut messoribus ejus a praetereuntibus benedicatur, quomodo benedici solet messoribus tritici, vel foeni, quod in campis nascitur, et crescit; quod pertinet ad majorem confusionem iniquorum, qui foeno nascenti in tectis comparati sunt. Dicit igitur, non contigit vobis, neque continget, ut qui transeunt per vias benedicant iis, qui vos metunt: nulli enim vos metent, sed qui tecta purgant projicient vos in ignem vel in cloacam. Quamvis autem benedictio praetereuntium proprie ad messores pertineat, tamen redundat etiam in id, quod metitur; precantur enim praetereuntes, ut copiosa, et matura sit messis; sic igitur benedictionis carentia, et privatio redundabit in ipsos iniquos, quibus in judicio novissimo nemo benedicet, nemo eorum miserebitur; sed ab omnibus despicientur, et contemnentur, quod ad maximam eorum ignominiam pertinebit. Nemo igitur illis dicet, *benedictio Domini super vos*, neque dicet, *benedximus vobis in nomine Domini*, sed contra potius a Christo judice, et ab omnibus sanctis ejus dicetur, *ite maledicti in ignem aeternum*.

PSALMUS CXXIX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Brevis hic psalmus est, sed plenus saluberrima doctrina, ut non sine causa in ecclesia praeter caeteros frequentetur: unus est ex gradualibus, quia deplorat miseriam exilii; unus est etiam ex poenitentialibus, quia docet rationem agendi veram poenitentiam; pro defunctis quoque recitari solet in ecclesia frequentissime, quoniam si dicatur in persona animae in purgatorio detentae, omnia optime quadrant: nam et animae illae sunt in quodam profundo, et ascendere cupiunt, et expectant misericordiam Dei per redemptoris nostri pretium. In summa tria continet, orationem ad Deum, exhortationem ad populum et praedictionem redemptionis futurae.

EXPLICATIO PSALMI CXXIX.

1. *De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.*

Oraturus Propheta Deum, primo postulat audientiam, deinde exponit petitionem suam. Audientiam postulat in primis duobus versiculis. Incipit autem a similitudine hominis jacentis in ima valle, vel in profundo puteo, qui nisi magna voce clamet, non potest exaudiri ab iis, qui sunt in altissimo monte; et vere aptissima similitudo est: nam licet Deus sit ubique per essentiam, et potentiam, tamen ratione dissimilitudinis homo peccator longissime distat a Deo. Deus enim semper est justus, et beatus, et in altis habitat; homo peccator semper est malus, et miser, et similis Jonae Prophetae, qui cum Deo noluisset obedire, dejectus fuit non solum in profundum maris, sed etiam in profundum ventrem Ceti, et tamen inde clamans exauditus est: oratio enim fervens omnia perrumpit, et penetrat. Dicit autem David, *de profundis*, non de profundo, quia verus poenitens ex duobus profundis clamare debet, ex profundo miseriae tamquam ex valle lachrymarum, sive ut in alio psalmo dicitur, ex luto faecis, et profundo lacu, et ex profundo cordis idest, ex intima consideratione, et cognitione propriae miseriae: qui enim non cogitat, et non cognoscit profundum, in quo est, non curat inde ascendere sed contemnit, et sic in majus profundum cadit, juxta illud proverb. 18. *Impius cum in profundum venerit, contemnit*: qui autem profunda consideratione intelligit se exulem esse, et peregrinum, et in magno periculo versari, ne forte ad patriam numquam perveniat, et quod infinitae miseriae est se jam in inferno inferiore, si non praesentia, certe merito peccatorum suorum jam locum habere coepisse; non potest non toto corde horrere, et pavere, et magno affectu clamare ad eum, qui solus potest eum ex tam horrendo profundo eripere et manum ad ascendendum porrigere. Sequitur, *Domine exaudi vocem meam*, idest, quamvis in profundo sim, et tu in altis habites, tamen quia magna voce clamo, potes me exaudire, ideo peto ut exaudias vocem meam.

2. *Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.*

Non sufficit, ut quis magna voce clamet ut audiatur, sed requiritur, ut is ad quem clamatur, attendat. Saepe enim fit, ut quis ita animum defixum habeat in alia re, ut non attendat ad vocem loquentis secum: et tunc frustra sonitus verborum pulsat ad aures ejus. Deus autem omnia quidem semper videt, et audit; sed quando non facit quod petimus videtur ita se gerere, ac si non attenderet ad vocem orantis, quasi alia cogitaret; ideo David omnino audiri cupiens, non contentus magna voce clamasse, rogat etiam ut Deus dignetur attendere, id est, admittere preces, et donare quod petitur.

3. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine qui sustinebit?*

Captata jam audientia, exponit petitionem suam

http://www.obrascatolicas.com

quae est, ut Deus non judicio utatur secum, sed misericordia; non rigide quaerat rationem debitorum, sed misericorditer ea condonet. Sed hanc petitionem non simpliciter proponit, ne nimis audax videatur, sed illam involvit in ratione, propter quam Deus moveri potest ad eam concedendam, quae est mirabilis rhetorica, et ab ipso Spiritu sancto hausta. Sic igitur loquitur, *Domine si iniquitates* hominum *observare volueris* omnes condemnabis: non decet autem infinitam bonitatem tuam omnes omnino perdere; igitur non debeo nimis audax videri, si peto, ut peccata mihi condones, et de hoc profundo eruas, in quod me iniquitas sola demersit. Quod attinet ad verba, nomen, *iniquitates*, significat omnia genera peccatorum, ut sunt praevaricatio legis, ut dicitur 1. Joan. 3. *et peccatum est iniquitas*; alioqui enim non omnia peccata proprie sunt iniquitas, idest, injustitia, cum alia sint peccata luxuriae, alia superbiae, etc. illud, *observaveris*, in textu originali, et in editione septuaginta proprie significat *custodire*, ut sensus sit, si iniquitates, quae sunt debita quaedam nostra in tuo libro rationum diligenter custodias, ut exigas de illis rationem, nemo nostrum tibi satisfaciet; ideo peto, ut eas de libro tuo deleas, et misericorditer indulgeas, cum solvendo non simus. Illud autem, *quis sustinebit*, non significat patienter expectare, ut paulo infra, *propter legem tuam sustinui te Domine*; sed significat, sustinere in judicio sive in reddenda ratione non deficere: quamvis enim in latina editione idem sit verbum in hoc versiculo, et in sequenti; tamen in textu hebraico et graeco sunt verba diversa. Vere autem si Deus sine misericordia nos judicare velit, nemo omnino subsistet: nam offensio in Deum est infinitae magnitudinis, et nos sine gratia ejus non solum condigne satisfacere non possumus, sed neque sufficientes sumus ad peccati gravitatem agnoscendam, vel ad dolorem pro admissis concipiendum, vel ad poenitentiam ipsam inchoandam: praeterea nos non scimus numerum, neque gravitatem peccatorum nostrorum: nam *delicta quis intelligit*? Deus autem scit exactissime numerum peccatorum, et in libro suo omnia scripta tenet. *Tu quidem*, inquit Job, *gressus meos dinumerasti*; idem etiam scit, et solus cognoscit gravitatem infinitam peccati mortalis quomodo ergo poterit homo tam ignorans, et tam infirmus reddere rationem tam sapienti calculatori, et tam potenti exactori? Itaque sicut potest homo se in puteum dejicere, sed non inde ascendere; ita potest peccare, sed non satisfacere, nisi misericorditer adjuventur.

4. *Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine.*

Vera poenitentia, quam in hoc psalmo poenitentiali Propheta nos docet, duo potissimum requirit, cognitionem propriae miseriae, et cognitionem misericordiae divinae: qui enim miseriam propriam ignorat, non quaerit medicinam, nec agit poenitentiam; qui misericordiam Dei nescit, desperat veniam, et poenitentiam inutilem agit. Igitur Propheta in tribus versiculis praecedentibus ostendit, se plane cognoscere miseriam suam, cum de profundo clamet, et cum dicat, peccata ejusmodi esse ut si Deus ex solo judicio agere velit, nemo subsistere possit: nunc ostendit, se nosse etiam misericordiam Dei maximam, et ideo non obstante magnitudine, vel multitudine peccatorum, se sperare veniam et salutem. Sic igitur ait, *quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine*, idest, quamvis nemo subsistere possit, si observare velis iniquitates nostras; ego tamen quia novi te ex natura misericordem esse, et scio apud te inveniri propitiationem, et quia tu legem posuisti tibi, ut cum impoenitentibus severissime te geras, cum poenitentibus misericorditer, et suaviter; ideo *propter* hanc *legem tuam sustinui te Domine*, sperans, et expectans indulgentiam peccatorum. Nota, illud, *quia*, non reddere rationem superiorum, sed sequentium, nimirum ejus quod dicitur, *sustinui te Domine*. Nota praeterea, illud, *apud te propitiatio est*, ab Augustino referri ad pretium sanguinis Redemptoris, qui vere est propitiatio pro peccatis totius mundi; tamen hoc loco simplicior intelligentia esse videtur, ut sensus sit, quia tu facile propitiaris poenitentibus: nam de pretio redemptionis agitur in fine psalmi, ut paulo post videbimus. Illud autem, *propter legem tuam*, non significat legem, quam nobis dedit; (nam secundum illam nos condemnaret, non absolveret) sed legem suam, quam ipse servare solet; juxta illud, *Omnes viae Domini misericordia, et veritas*: et alibi, *misericordiam, et judicium cantabo tibi*. Itaque Deus *juxta legem suam*, idest, quam sibi ipse praescripsit, primo peccatoribus misericordiam offert, ut poenitentiam agant, deinde de justitiam, si impoenitentes esse perseverent. Recte ergo s. August. dicit, hic agi de lege charitatis, non de lege justitiae. Sed mira est in codicibus varietas: nam in hebraeo est, *ut timearis*, vel ut s. Hieron. reddit, *cum terribilis sis*; in graeco *propter nomen tuum*; in latino, *propter legem tuam*. Quae tamen varietas facile tolli poterit, si verbum hebraicum, תורא *tivvare*, legatur cum aliis punctis, *torah*, et sine dubio septuaginta interpretes legerunt, *torah*, idest, legem; neque obstat, quod, תורה *torah*, in fine habeat literam *he*, et *tivare*, habeat literam *aleph*, nam illae sunt literae permutabiles, et saepe una ponitur pro alia. Porro graeca exemplaria variant, ut Chrysost. notavit, et alia habent, *propter nomen tuum*; alia, *propter legem tuam*, quae lectio optima est, et eam habent s. Hilarius, s. Hieronymus, s. Augustinus, et sanctus Gregorius in Comment. hujus loci, neque difficile fuit in graeco textu ponere *nomen* pro lege, cum in graeco idiomate nomen, et lex iisdem fere scribantur literis. Itaque lectio latina vulgatae editionis omnino conservanda est, cum a vero textu hebraico et graeco non discordet et habeatur in Commentar. sanctorum patrum, et sensum optimum faciat. Verbum *sustinui*, in hebraico et graeco clarius est: significat enim *expectare*, sive *sperare*; quod etiam declaratur in verbis sequentibus hujus psalmi.

5. *Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.*

Hic jam incipit exhortatio ad alios, quos exemplo suo hortatur ad spem in Deo ponendam. Ego, inquit, in profundo miseriarum fui, sed non desperavi de misericordia Dei; siquidem anima mea peccatorum vulneribus saucia *sustinuit*, idest, expectavit medelam, *in verbo ejus*, idest, juxta promissionem ejus. Saepe enim Deus per Mosem in Deuter. et alibi promisit indulgentiam poenitentibus. *Cum quaesieris*, inquit Deuter. 4. *Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae*. Hinc ipse David in psal. 118. dicebat, *memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti*. Quod autem paulo obscurius dixerat, iterum repetit verbis clarissimis dicens, *speravit anima mea in Domino*, nimirum indulgentiam se accepturam, quam petebat. Multum autem valere debet Davidis exemplum: fuit enim ipse in profundo miseriarum, sive culpam, sive poenam respicias; culpa ejus gravissima fuit, nam adulterium commisit, cum abundaret uxoribus; occidit militem innocentem, qui sibi fidelissime serviebat, offendit Deum, a quo acceperat regnum et donum prophetiae, item robur, pulchritudinem, prudentiam, divitias, etc. Sed etiam in profundo miseriae fuit quando persequebatur eum rex Saul, ut saepe in periculo mortis fuerit: tamen quia non desperavit, sed speravit potius, liberatus est.

6. *A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.*

Quod ego, inquit facio, totus Israel, idest, omnis populus Dei faciat; speret videlicet in Domino, cum in quocumque profundo fuerit: sive peccatis, sive peccatorum poenis prematur, in Dei adjutorio confidat. *A custodia matutina usque ad noctem*, idest, tota die, a summo mane, usque ad noctem extremam, ita ut nullo tempore desinat sperare in Domino. Dicitur autem *custodia matutina*, sive vigilia matutina, tempus aurorae: nam veteres dividebant noctem in quatuor partes, quarum quaelibet tres horas continebat: et dicebantur custodiae sive vigiliae, quia custodes, sive vigiles civitatum, vel castrorum tribus horis vigilando custodiebant civitatem sive castra, ac deinde tradebant alteri officium vigilandi, et custodiendi. *Custodia* igitur *matutina* est tempus a nona hora noctis usque ad exortum solis: in codice hebraico et graeco bis repetitur *custodia matutina*: et in hebraeo non habetur, *usque ad noctem*. Ex quo videtur latina vulgata editio partim esse mutila, partim redundans, cum non habeat bis, *a custodia matutina*, ut habet hebraica veritas; et habeat, *usque ad noctem* quod non habet eadem veritas hebraica. Sed si quis diligenter omnia consideret, videbit, lectionem latinae vulgatae editionis cum hebraica veritate plane congruere. Nam s. Hieronymus ex hebraeo ita reddidit, *a custodia matutina usque ad custodiam matutinam*, et vulgatus latinus interpres hoc ipsum significavit, cum posuit, *a custodia matutina usque ad noctem*: non enim dixit, a custodia matutina usque ad vesperam, quasi per diem tantum, et non per noctem sperare debeamus in Deo, sed *usque ad noctem*, totam videlicet, quae terminatur in custodiam matutinam, sive auroram, quae in evangeliis dicitur quarta vigilia noctis. Itaque idem est, ac si dixisset, a summo mane usque ad summam noctem, sive ab initio diei, usque ad finem noctis: et hoc modo acceperunt hanc sententiam, Chrysostomus, et Euthymius, qui scripserunt, admoneri hoc loco fideles, ut tota die, et tota nocte sperent in Domino. Ratio cur tota die et nocte sperandum sit, duplex est, una quia semper in periculis versamur, nec est momentum in quo Dei auxilio non egeamus: altera, quia in omni tempore licet sperare in Domino, et semper accepta est conversio et poenitentia, sive id fiat mane, idest, in adolescentia, sive in meridie, idest, in virilitate, sive ad vesperam, idest, in senectute, et sive fiat de die, idest, tempore prosperitatis, sive de nocte, idest, tempore adversitatis. Scio textum hebraicum paulo aliter distingui, quam textum graecum, vel latinum; sed quoniam id accidit ex punctis recens a Rabbinis additis, non est difficile, remotis punctis distinctionem eamdem in codicibus invenire. Fateor quidem graecos codices, qui habent, *a custodia matutina usque ad noctem*, *a custodia matutina speret Israel in Domino*, non omnino concordare cum codice hebraico, et cum latina vulgata editione: sed credibile est, in codice graeco aliquid redundare, quod forte relictum est et adjunctione alicujus alterius versionis ad versionem septuaginta Interpretum. Fortasse etiam variae sunt lectiones editionis graecae: nam Chrysostomus videtur omnino legisse in codice graeco, ut nos legimus in latino.

7. *Quod apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.*

Reddit rationem, cur oporteat semper in Deo confidere, et simul praedicit redemptionem generis humani, quae futura erat per Jesum Christum Dominum nostrum. Merito sperare possumus in Domino tota die, et nocte, quoniam apud ipsum *misericordia est*. Sunt quidem extra Deum opera misericordiae; unde dictum est, *misericordia Domini plena est terra*; et alibi, *misericordia tua usque ad nubes*; est etiam in piis hominibus participatio quaedam misericordiae, sed ipsa misericordia apud Deum tantummodo reperitur, inque solo ejus sinu requiescit: misericordia enim miserias tollit: quis autem potest miserias tollere, nisi qui miser esse non potest? quis potest difectus omnes curare; nisi qui defectu omni caret, omnipotens est? Deo soli proprie convenit, quod idem Propheta dicit, *tu Domine suavis, et mitis es, et multae misericordiae omnibus invocantibus te*. Itaque rectissime sancta mater ecclesia precibus Deum appellans dicere solet, *omnipotens et misericors Deus*. Neque solum sperare debemus in Deum, quoniam apud eum *misericordia est*, sed etiam quoniam apud eumdem *copiosa redemptio est*: nam misericordia Dei, quae generi humano misereri decreverat, ut ju-

http://www.obrascatolicas.com

stitiae quoque satisfaceret, invenit ipsa pretium magnum, sanguinem videlicet Unigeniti, qui redimeret copiosissime omnes omnino captivos: potuit enim homo seipsum vendere sub peccato, et a divina justitia subjici diabolo tamquam tortori, cui homo consenserat ad peccatum. Sed non potuit ullo modo seipsum redimere, neque de potestate diaboli eruere. Ergo quod homo non potuit, misericordia divina fecit, ut per sanguinem Unigeniti fieret. Sed haec redemptio apud Deum erat, cum psalmus iste scriberetur, idest, in consilio, et decreto Dei; nunc autem *misericordia Domini plena est terra*, quando quotidie pretium illud in redemptionem captivorum expenditur, unde ab Apostolo dicitur, *empti estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. 6. et clarius a b. Petro, *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, et incontaminati Christi*, et Petri 1. Dicitur autem haec redemptio copiosa, tum quia *propitiatio est pro peccatis nostris: et non tantum nostris, sed etiam totius mundi* 1. Joann. 2. tum quia non solum hoc pretio redimimur a captivitate, sed etiam evehimur ad participationem haereditatis, et regni, ut sumus *haeredes Dei, cohaeredes autem Christi*: Rom. 8.

8. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Redemptio, quae erat apud Deum, tum plane manifestabitur, cum redimetur Israel, idest, populus Dei, non ut Judaei carnales expectant a potestate regum temporalium, sed ab omnibus suis. Quod angelus de Jesu Christo exposuit, cum ad sanctum Joseph ait, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Haec redemptio jam quidem inchoata est, sed perfectissime complebitur in die novissimo liberabimur non solum a peccatis, sed etiam a poenis omnibus peccatorum, et a periculo deinceps peccandi, quod significavit David in psalm. 102. cum ait: *quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*; et initio psalmi, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui replet in bonis desiderium tuum*, etc. et perspicue Daniel cap. 9. *Ut consumetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.*

PSALMUS CXXX.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Cantat in hoc psalmo David humilitatis suae virtutem, et cantat non coram tribus, aut quatuor hominibus, sed in theatro orbis terrae; et tamen cum hoc sit vehementer se laudare, non fecit contra praeceptum illud Prov. 20. *Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua.* Siquidem, ut laudare se turpe est, cum absque necessitate id fit, sic non se laudare, quando necessitas id requirit, stultum est. Itaque b. Paulus, qui dixerat, *non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*; seipse mirifice commendavit in 2. ad Corint cap. 12. quia vidit id necessarium esse ad pseudo-Apostolorum calumnias retundendas. David igitur in hoc psalmo humilitatis virtutem sibi ipsi tribuit, quoniam saepe accusatus fuerat superbiae et ambitionis, a quo vitio maxime abhorrebat. Lib. 1. reg. c. 17. dicit ad eum frater ejus, *ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui*: lib. eodem cap. 22. et alibi saepe Saul queritur de Davide, quod illi insidiaretur; et lib. 2. reg. cap. 16. Semei maledicens Davidi, objicit ei, quod regnum Saulis invaserit. David igitur ad ejusmodi calumnias refellendas Deum vocat in testem summae suae humilitatis, ac modestiae singularis. Praeterea etiamsi nulla calumnia praecessisset, poterat humilitatem suam praedicare, non ut virtutes suas jactaret, sed ut ostenderet, se, quamvis robore, potestate, sapientia, et opibus omnibus hominibus sui temporis in Palaestina excelleret, tamen non in suis viribus fiduciam unquam posuisse, et ideo debere omnes alios ad ipsius exemplum in solo Deo sperare, ut in fine psalmi dicitur. Est autem hic psalmus ex gradualibus unus, quoniam docet in quo humilitas vera consistat, et nulla est via securior ad ascendendum humilitate, dicente Domino, *omnis qui se humiliat, exaltabitur.*

EXPLICATIO PSALMI CXXX.

1. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.*

Securus Propheta, quod vera dicturus esset, Deum ipsum alloquitur, quem nemo fallere potest: dicit autem coram Deo se vitio superbiae numquam fuisse obnoxium, sive cor internum, sive signa oculorum externa considerentur. Multi enim occulte superbi sunt in corde suo, magni se aestimantes; tamen extrinsecus humilitatem simulant: multi etiam non minus elato supercilio despiciunt proximos suos, quam eos corde tumido atque inflato contemnant. David autem neque cor elatum, neque elatos oculos gerebat; sed erat humilis corde, et eam humilitatem oculos praeferebat.

2. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*

Dixerit superbia cordis et oculorum: nunc addit de superbia verborum et operum: aliqui enim jactant, se posse facere, vel fecisse, aut esse facturos majora et mirabiliora, quam re vera possint, et hoc modo ambulant, sive ascendunt super se inter loquendum: aliqui etiam re ipsa praesumunt aggredi opera quae superant vires ipsorum, et isti ambulant, sive ascendunt supra seipsos opere et factis. David autem stabat in gradu suo, in vera humilitate fundatus, et ideo neque loquendo, neque operando ambulabat super seipsum in magnis et mirabilibus, id est, neque gloriebatur se magna et mirabilia fecisse supra vires suas; neque tentabat facere, quae sciebat se non posse perficere.

3. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.*
4. *Sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.*

Non contentus Propheta, ipsi Deo, qui corda scrutatur, dixisse, se ab omni superbia semper abhorruisse, idipsum confirmat juramento execratorio, ut tanto major fides ipsius verbis ab omnibus habeatur. Dicit igitur, *si non humiliter sentiebam* de me ipso, *sed exaltavi animam meam*; vel ut significatus loquitur textus originalis, *si non composui me ad aequalitatem cum caeteris, sed supra caeteros me extuli. Sicut ablactatus est super matre sua*, idest, sicut infans recens ablactatus manet in sinu, vel super genua matris suae moestus et plorans, quia privatus est dulcedine lactis, quae pro illo tempore summae deliciae ipsius erant: *ita retributio in anima mea* sit, idest, sic anima mea privetur dulcedine consolationis divinae, quae meae potissimae, ac pene solae deliciae sunt. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi Propheta sanctissimus imprecatur, soli illi intelligere possunt, qui eodem spiritu repleti gustaverunt, quam dulcis sit Deus. Quod enim David nihil facere opes, et delicias terrenas, et ipsam regiam celsitudinem, ac majestatem prae amore divinae suavitatis, psalmi ab ipso compositi, tamquam amatoria cantica, manifeste testantur: *quam magna*, inquit psalmo 30. *multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te?* et rursum psalm. 33. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, et psalm. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, ne avertas faciem tuam a me*: et psalm. 76. *Renuit consolari anima mea, memor fui Deo, et delectatus sum*: et psalm. 85. *Laetifica animum servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi, quoniam tu Domine suavis et mitis*: et psalm. 103. *Ego vero delectabor in Domino*: et psal. 62. *In velamento alarum tuarum exultabo, adhaesit anima mea post te*: denique in psal. 72. *Quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*, et ibid. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Quasi dicat quaerant alii bona quaecumque, sive in coelo, sive in terra: *mihi adhaerere Deo*, summum est bonum, ipse Deus est *cordis mei*, ipse pars, haereditas, portio, omne meum bonum, ipse uno contentus sum, et in aeternum ero. Cum ergo David humilis, et simplex, quasi infans lactaneus, in lacte divini amoris omne suum bonum haberet, non poterat sibi majus aliquod malum imprecari, quam ut fieret sicut infans ante tempus ablactatus, qui consolationem nullam admittit cum se ab uberibus matris removeri videt. Quod attinet ad verba, illud, *si exaltavi animam meam*, ex hebraeo vertit s. Hieronym. *Si silere feci animam meam.* Sed septuaginta, non legerunt דוממתי *domamthi*, quod est, *silere feci*, sed, רוממתי *romamthi*, quod est, *exaltavi*: nam literae (d) et (r) in hebraeo simillimae sunt: neque dubitare debemus, quin libros correctiores habuerint septuaginta Interpretes, quam sanctus Hieronymus habuerit. Sic etiam, *ita retributio in anima mea*, s. Hieron. ex hebraeo reddit, *ita ablactata ad me anima mea.* Sed in hebraeo eadem vox, *ablactatum*, et *retributionem*, significat, punctis paulum immutatis: nam, גמל *gamal* est *ablactatus*, גמול *ghemul retributio.* Igitur septuaginta, ubi habetur, *ablactatus*, legerunt, *gamul*, ubi habetur *retributio*, legerunt *ghemul*: s. autem Hieronym. utrobique legit, *ghemul*: sed lectio septuaginta, cui concordat nostra vulgata editio, es longe melior, tum quia vix intelligi potest quid sit, *ita ablactata ad me anima mea*, tum quia secundum lectionem septuaginta habetur in hebraeo elegantissima allusio vocis retributionis ad vocem similem, *ablactati.*

5. *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc, et usque in saeculum.*

Ex hac psalmi conclusione intelligi potest, quo tendat illa humilitatis praedicatio: non enim vir vere humilis propositum habuit se laudandi, sed admonendi populum suum, quam parum de se praesumere, et quam multum in Deo confidere debeat. Ait igitur, *speret Israel in Domino*, idest, si ego rex, et propheta non me efferre audeo, propter potentiam, et sapientiam, neque de me ipso praesumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo, certe par est, ut populus meus Israel, qui et-

http://www.obrascatolicas.com

iam populum Dei est, non se existimet aliquid esse, cum nihil sit, neque in viribus suis confidat, sed speret in Domino, et non hodie solum, aut cras, sed omni tempore speret.

PSALMUS CXXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Psalmum hunc vel Salomon composuit, cum aedificato templo intulit arcam Domini in locum ei praeparatum, vel certe compositum a Davide, sibique datum ad concinendum post templi aedificationem Salomon cecinit: id perspicuum est tum ex fine cap. 6. in 2. lib. Paralipom. tum ex tota serie hujus psalmi, ac praecipue ex illis verbis, propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Continet autem ad litteram Psalmus hic, primo commemorationem ardentissimi desiderii, quo tenebatur David aedificandi templi: secundo, petitionem ad Deum, ut stabiliatur regnum in domo David, ut sanctificentur ministri Domini, et alia id genus, juxta promissiones Dei, quas multis ante David acceperat. Numeratur hic psalmus inter graduales, tum quia cani debebat a populo redeunte a captivitate, ut excitaretur ad imitandum desiderium Davidis, et diligentiam Salomonis in templo reaedificanto; tum, ut admoneatur spiritualis peregrinus quando fervore flagare debeat in aedificando spirituali templo, tum in corde suo, tum in coelesti Jerusalem, cum pro templo lapideo, in quo arca lignea locum quietis acceptura erat, tam ingenti desiderio arserit cor Davidis, et sumptus propre infinitos fecerit Salomon, et tantos labores susceperint longissimo tempore multa hominum millia. Nam ut legimus in lib. 3. reg. cap. 5. Erant octoginta millia latomorum, et septuaginta millia portantium onera, et tria millia trecenti praefecti operum. Neque tamen supervacanea, aut nimia dicenda sunt, cum ad illius honorem pertineant, cujus magnitudinis non est mensura, vel finis.

EXPLICATIO PSALMI CXXXI.

1. *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.*

Verba Salomonis haec sunt, qui Deum orat per merita patris sui David. *Memento*, inquit, Davidis amici tui, et meritorum ejus, inter quae praecipuum fuit studium mansuetudinis. Illud, *memento*, non arguit oblivionem in Deo, sed significat Deum, quando non miseretur filiorum viri justi, ita se gerere quasi non recordaretur, quid apud se vir ille justus meruerit. Nihil igitur isto modo loquendi significatur, nisi Deum orari velle per merita hominum justorum: et propter eadem merita multa concedere, quae alioqui minime concessisset: id cognosci potest ex lib. 3. reg. cap. 11. ubi Deus per Prophetam loquitur ad Hieroboam, ac dicit, se valde irritatum esse peccatis Salomonis, sed tamen conservaturum illi regnum omnibus diebus vitae suae *propter David servum suum, qui custodivit mandata, et praecepta sua*: ex quo loco apparet, orationem hujus psalmi fuisse exauditam. Meminit autem Salomon mansuetudinis Davidis, omissis aliis virtutibus, tum quia mansuetudo in Davide potissimum elexit, ut patuit ex eo, quod noluit Saulem occidere, cum posset, cum tamen ab eo sine ulla causa quaereretur ad mortem, lib. 1. reg. cap. 24. tum etiam quia mansuetudo mirabiliter placet in oculis Dei, quia individua comes est humilitatis, et charitatis, et quia similem facit hominem Deo, qui *suavis, et mitis est, et multae misericordiae omnibus invocantibus eum*, psalm. 75. Itaque ante Davidem, Moses amicus Dei maximus fuit, quia *mitissimus erat super omnes homines*. Numer 12. et post Davidem Christus Dominus, plenus gratia, et veritate, non aliam virtutem magis in se imitandam esse docuit, cum ait, *discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, Matth. 11. Neque repugnat mansuetudini Davidis, vel Mosis, quod uterque multos homines occiderit, neque mansuetudini Christi, quod ejecerit ex templo ementes et vendentes, mensasque eorum subverterit: nam mansuetudo non est contraria justitiae, imo soror est zeli honoris Dei; et qui facile tolerat injurias proprias, quod est mansuetudinis, aptior est ad vindicandas injurias Dei, et proximi, tum quia omnes vident eum non moveri ex affectu proprio, sed ex solo justitiae zelo, tum quia oblitus quodammodo sui, totus occupari potest in Deo honore quaerendo, et propugnando. Sanctus

Hieronymus ex hebraeo vertit, *Memento Domine David, et omnis afflictionis ejus*. Sed vox hebraica, ענותו *hunnotho*, quam hebraei, *humiliari eum*, reddere solent, potest cum aliis punctis legi, ענותו *hanvatho*, quod significat, *mansuetudinis ejus*: et sic legerunt septuaginta interpretes.

2. *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.*
3. *Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei.*
4. *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.*
5. *Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

Effectum exponit Salomon mansuetudinis et humilitatis David patris sui: quoniam enim mitis erat, et humilis corde, indignum putabat, ut ipse haberet domum ad habitandum, et lectum ad quiescendum; et arca Dei non haberet sedem stabilem, templum videlicet, in quo honorifice permaneret, sed huc et illuc transferretur: propterea juravit, et vovit, se non intraturum domum suam, nec in lectum ascensurum, imo etiam neque extra lectum dormiturum, aut quietem ullam capturum, donec inveniret locum quietis arcae Dei. Quando David hoc votum voverit, non habetur expresse in divinis litteris, sed tamen colligi videtur ex lib. 2. reg. cap. 7. ubi David dicit ad Nathan Prophetam, se constituisse aedificare templum Domino, eo quod erubesceret ipse habitare in *domo cedrina*, dum arca Dei manet in tentorio. Sed eadem nocte jussit Deus per Nathan significari Davidi, non velle, ut ipse aedificaret templum, sed hanc provinciam filio suo relinqueret; quod ipsum repetit ipse David in 1. lib. Paralip. cap. 22. et 28. Sed quaestio est, quid proprie David voverit. Qui hebraeos sequuntur, existimant, Davidem ignorasse, ubi Deus vellet sibi erigi templum, et ideo vovisse se non accepturum ullam quietem, donec sibi a Deo locus templi revelaretur; ac ne nimis longo tempore cogant Davidem extra domum sub dio mane; addunt, hoc votum susceptum fuisse a Davide, quando vidit angelum perculientem populum, et illo ipso die revelatum ei fuisse per Gad Prophetam velle templum sibi aedificari in area Areunae Jebusaei in monte Moria, reg. 24. Sed ista sine fundamento dicuntur, et ad fabulas Rabbinorum fortasse rejici possunt: non enim de situ templi, sed de ipso templo aedificando sollicitus erat David: neque vovisset quod non erat in sua potestate, quale est, habere Dei revelationem; sed quod ipse praestare poterat suo sumptu, et labore. Quando igitur dicit, *Donec inveniam locum Domino*, per *locum* non intelligitur situs, sed templum, quod erat futurum locus, idest, habitaculum Dei: quod explicatur per vocem sequentem, *tabernaculum Deo Jacob*, idest, donec tale templum extraxero, ut in eo digne possit arca Domini collocari. Verum est quidem situm templi fuisse a Deo demonstratum Davidi, ut dicitur in 2. Paral. cap. 3. sicut etiam demonstrata fuerant omnia, quae ad templum pertinebant, ut dicitur 1. Paral. 28. *omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me*: sed nulla fit eo loco mentio juramenti, aut voti; neque vero si David juravit, se non ingressurum in domum suam, donec estrueret templum, periculum erat ne nimis diu pernoctaret sub dio; verba enim illius juramenti amplificationem continent Scripturae divinae familiarem: proprie autem significant sollicitudinem magnam rei faciendae. Simile est illud in 1. psal. *Sed in lege ejus meditabitur die ac nocte*: et illud psal. 33. *Benedicam Dominum, in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: et clarius Isai. 62. *super muros tuos constitui custodes. tota die, et tota nocte in perpetuum non tacebunt*: et Prov. 6. praescribit Salomon talem sollicitudinem ei, qui promisit aliquid proximo suo, qualem hoc loco tribuit Davidi dicens, *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis nec dormitent palpebrae tuae*. Simile est illud in testamento novo, *oportet semper orare et numquam deficere*. Luc. 18. et cap. 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes*. Neque enim ista significant, omni hora, et omni momento esse orandum, sed habendam esse orationem in maximis negotiis, et non permittendum, ut ab aliis terrenis occupationibus impediatur. Sic igitur juramentum illud intelligimus, *si introiero in tabernaculum domus meae*, idest, *juro me non intraturum in domum* meam, ita ut obliviscar domus Dei aedificandae. *Si ascendero in lectum strati mei*, idest, juro me non ascensurum in lectum strati mei, ita ut non cogitem de lecto, idest, de loco templi ubi proprie arca Domini requiescat. *Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem*, id est, juro, me non dormiturum neque dormitaturum, ita ut non vigilem circa templum Domini erigendum: *et requiem temporibus meis*, id est, juro, me non compositurum caput meum ad quiescendum, ita ut quiescam a sollicitudine domus Domini praeparandae. Quod juramentum, et votum, quod in se fuit, accuratissime adimplevit, ut intelligi potest ex verbis ejus, 1. Paralip. 29. *Ego*, inquit, *totis viribus meis praeparavi impensas domus Domini Dei mei: aurum ad vasa aurea. argentum in argentea, aes in aenea ferrum in ferrea, lignum in lignea; et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem et marmor parium abundantissime, et super haec, quae obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum, et argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quae praeparavi in aedem sanctam, tria millia talenta auri de auro ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi*. Ac praeter has ingentes opes, paravit etiam idem David descriptionem omnium partium templi, atriorum, porticuum, coenaculorum, exedrarum, et similium rerum, ac praeterea omnium ornamentorum, ut habetur 1. Paralip. cap. 28. Haec omnia typi fuerunt, ac figurae veri Davidis Christi, qui ut templum vivum, et tabernaculum aeternum Deo pararet, pernoctans in oratione, vere non intrabat in domum suam, neque ascendebat in lectum suum, neque dabat oculis somnum, neque temporibus requiem; *et non corruptibilibus auro, vel argento*, sed pretioso sudore, ac sangui-

http://www.obrascatolicas.com

ne pretiosissimo paravit sibi *gloriosam ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*, et civitatem illam aedificavit in coelis, quam vidit s. Joannes in Apocalypsi ornatam *omni lapide pretioso*. Apocal. 21. Ex his denique unusquisque nostrum intelligere debet, quanta vigilantia, sumptu, et labore sit opus, ut in corde nostro templum Domino erigamus.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvae.*

Adfert rationem, cur David optaverit templum Domino aedificare; quoniam arca Domini sedem propriam, et stabilem non habebat. *Ecce*, inquit, *audivimus eam*, arcam videlicet, *fuisse in Ephrata*, idest, in terra Ephraim, quando videlicet erat in Silo tempore Samuelis 1. reg. 4. deinde *invenimus eam in campis sylvae*, 1. reg. 6. quando dimissa a Philisthaeis inventa est in agro Josue Bethsamitae, quem esse locum sylvosum perspicuum est ex proxima civitate Cariathiarim, quo fuit transportata ex agro Josue: nam *Cariathiarim* dicitur civitas sylvarum; sed singula verba consideremus: per pronomen, *eam*, dicimus significari arcam, ut Chrysostomus, Euthymius, et alii docent, tametsi enim antea nominata non fuerit, tamen significata est implicite in illis verbis, *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*; neque enim Dominus, et Deus Jacob eget loco pro se, sed pro arca sua, in qua ipse tamquam in sede sua manere, vel tamquam in scabello pedes habere videbatur, cum inde responsa daret. Quod autem s. Hieron. reddit ex hebraeo, *audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvae*, nos movere non debet. Nam fieri potest, ut s. Hieron. inciderit in textum corruptum: nunc enim in hebraeo habetur *eam*, non *eum*, ut etiam in codice graeco, et latinis omnibus, et graeco, et hoc modo patres legunt. Per vocabulum *Ephrata*, exposuimus terram Ephraim, in qua erat Silo, ubi longo tempore mansit arca: quamvis enim *Ephrata* in uno, vel in altero loco Scripturae significet Bethlehem, tamen hoc loco non potest Bethlehem significare, cum in ea non legatur unquam fuisse arca Domini, et cum minore fundamento alii quidam per *Ephrata*, hoc loco intelligi volunt Jerusalem, quod non longe absit a Bethlehem. Per *campos sylvae*, non desunt qui intelligant arcam Ornan Jebusaei, quae erat in monte Sion, quos irridet s. Hilarius, quia nihil simile habeat arca cum sylva. Alii intelligunt Cariathiarim, quae interpretatur *civitas sylvarum*: sed scriptura non dicit, inventam fuisse arcam in civitate, sed in campis; et verbum, *invenimus*, significat casu inventam, cum esset amissa: cum autem esset in Cariathiarim, non erat quaerenda, vel invenienda tamquam amissa, cum in ea civitate studiose collocata fuisset. Respicit igitur Scriptura, ut nos diximus, ad illud tempus, quo arca jam dudum a Philisthaeis capta inventa est in agro Josue Bethsamitae, quo eam detulerant vaccae indomitae, quibus a Philisthaeis fuerat alligata. Verba illa, *audivimus*, et *invenimus*, volunt quidam significare, arcam fuisse in Silo ante tempora Davidis, sed Davidis tempore fuisse in Cariathiarim: ideo enim de priore mansione dictum esse *audivimus*, quia non ipse viderat, sed a majoribus acceperat: de posteriore dictum esse *invenimus*, quia tempore suo id acciderat. Sed nos existimamus non esse verum, Davidis tempore fuisse arcam inventam *in campis sylvae*: fuit enim eo loco inventa post septem menses a captivitate sua, ut patet ex lib. 1. reg. cap. 6. quo tempore David nondum natus erat, ut ex collatione temporum manifeste colligitur. Itaque verba illa non dicuntur a Davide, vel a Salomone in persona sua, sed in persona populi, et idcirco dicitur in numero multitudinis, *audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvae*, q. d. audivimus a majoribus nostris arcam aliquando fuisse in Silo, in terra Ephraim, et rursum postea invenimus, et vidimus eam *in campis sylvae*; non enim deerant senes, qui ejus rei meminisse potuissent: ex quo refellitur argumentum, quo nonnulli demonstrari putant, hunc psalmum non fuisse compositum a Salomone, quia videlicet ipse nondum natus erat, quando arca inventa est in campis sylvae. Si enim hoc argumentum concluderet, demonstraretur etiam; Psalmum non fuisse a Davide compositum: nam neque ipse natus erat, quo tempore arca Dei reperta est in campis sylvae.

7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

Exposito voto et desiderio patris sui Davidis, reducturus Salomon arcam in templum a se aedificatum, ait, *introibimus in tabernaculum ejus*, id est, fuit hactenus Dominus quasi hospes in variis locis, sed nunc habebit stabilem domum, et ideo nos introibimus *in tabernaculum ejus*, jam erectum, et constructum in monte Sion, et *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*, idest, adorabimus conversi ad arcam sanctam, quae est scabellum, ubi steterunt, ac stare solent pedes ejus. Sic enim sanctuarium in interiore parte tabernaculi constructum erat ut arca esset quasi *scabellum pedum Domini*, et super arcam esset propitiatorium, quasi sedes Domini, quae tenebatur a duobus Cherubin. Itaque illud, *adorabimus in loco*, positum est pro, adorabimus ad locum, vel adorabimus locum ut in hebraeo clarius est, *adorabimus scabellum pedum ejus*. Adorabant enim hebraei arcam, non ut Deum, sed ut scabellum pedum ejus unde dicitur etiam in psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*. Est autem hoc loco notandum, verbum *adorandi* in hebraeo, ישתחוה *istachave*, proprie significare: *incurvare* se, et ideo construi cum dativo, vel cum accusativo addita praepositione, *ad*, ut incurvate vos arcae, vel ad arcam: et non recte diceretur incurvate vos arcam; et haec est ratio, cur aliquando interpretes vertant, *adorate ad scabellum*, aliquando, *adorate scabellum*, quia aliquando servant phrasim hebraicam, aliquando latinam.

8. *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.*

Introducturus Salomon arcam in templum magnificentissime aedificatum poetico more eam invitat ad templum ingrediendum, et inhabitandum. *Surge*, inquit, Domine de loco, ubi hactenus, quasi hospes habitasti, et ingredere in domum tuam propriam, in qua deinceps requiesces, idest, unde non transibis de loco ad locum, ut usque modo fecisti. Explicat autem se loqui Domino, non ut est in se, sic enim coeli coelorum Deum non capiunt, ut idem Salomon alibi dicit, sed ut peculiari modo in arca testamenti erat, quia ex illa responsa dabat, et ideo addit, *tu et arca sanctificationis tuae*, idest, tu cum throno tuo, et scabello pedum tuorum: quod scabellum est arca sanctificationis tuae, idest, arca in qua, et per quam tu ab omnibus qui illam sciunt sanctificaris, et honoraris. In hebraeo habetur, *arca fortitudinis tuae*, et hoc modo legitur in 2. Paralip. cap. 6. non solum in textu hebraico, sed etiam in graeco, et latino. Videntur igitur septuaginta interpretes hoc loco voluisse non tam reddere verbum verbo, quam explicare sententiam. *Arca* enim *fortitudinis Dei* dicitur, quia per eam ostendit Deus fortitudinem suam; nam Josue 3. cum arca intrasset Jordanem, portantibus eam sacerdotibus, continuo aquae Jordanis conversae sunt retrorsum; item Josue 6. cum arca septies civitatem Hierico circuisset, muri Hierico corruerunt. Item libro primo reg. cap. 5. cum arca capta fuisset a Philisthaeis, et posita in templo idoli Dagon, mane sequenti inventus est Dagon jacens pronus in terra coram arca, et quocumque circumferretur arca a Philisthaeis, interficiebat innumerabiles homines, ita ut Philisthaei dicerent, *non maneat apud nos arca Dei Israel, quia dura est manus ejus super nos, et super Dagon Deum nostrum*. Denique Bethsamitae cum arcam Dei ad se delatam curiose inspexissent, occisi sunt supra quinquaginta millia ex ipsis, ut habetur lib. 1. reg. cap. 6. et cum Oza tetigisset arcam Dei, continuo a Deo occisus est, 2. reg. cap. 6. Sed haec ipsa fortitudo Dei, quae per arcam demonstrabatur, efficiebat, ut Deus ab omnibus sanctificaretur, timeretur et honoraretur. Siquidem Bethsamitae cum interficerentur ob arcam Dei a se visam, dixerunt, *quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* in idem igitur recidit, *arca fortitudinis tuae*, ut habetur in hebraeo, *et arca sanctificationis tuae*, ut habetur in codice graeco et latino.

9. *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent.*

Introducta jam arca in templum, orat Salomon primo pro sacerdotibus, secundo pro rege, idest, pro se: nam ab his dependet salus totius populi. Sacerdotes enim regunt populum in spiritualibus, et reges in temporalibus. Pro sacerdotibus duo quaedam postulat, ut sint justi et sancti, quales esse debent, ut recte fungantur officio suo, et ut alacriter Deum laudent, quod est proprium eorum munus. Debent enim pro se, et pro toto populo reddere Deo tributum laudis et gratiarum actionis pro beneficiis, quae omni tempore accipimus a Deo et gratias agendo, ac laudando benefactorem, provocare benignitatem ad continuanda et augenda beneficia. Dicit igitur, oro Domine, ut per gratiam tuam *sacerdotes tui induantur justitiam*, idest, non solum justi sint intus in corde, et animo, sed etiam exterius in omni eorum vita, in verbis et operibus cernatur justitia, et nihil turpe in eis appareat, qui tibi ministraturi et populum tuum docturi sunt. Metaphora enim indumenti ad hoc adhibetur, ut intelligamus quemadmodum vestis tegit turpitudinem, et ornat hominem, ac distinguit a ceteris: ita debere sacerdotes per opera justitiae id efficere, ut nihil turpe in eis appareat, et per eximiam sanctitatem discernantur a reliquo populo, et non possit dici, *sic populus, sic sacerdos*. *Et sancti tui exultent*, idest, et iidem sacerdotes, qui sancti tui proprie sunt, cum ad ministrandum tibi sanctificati, et dedicati sunt exultent alacriter laudando te, et sic bene fungantur munere suo. In hebraeo habetur, *et sancti tui laudent te*, sive jubilent tibi: ex quo intelligimus, exultationem, quam in nostro textu habemus, ex graeco non esse quamcumque exultationem, sed exultationem in laudando Deo, et gratias agendo illi, sive dum sacrificant sive dum psallunt. Et si tanta justitia et sanctitas, et alacritas requirebatur in sacerdotibus illis, qui sacrificabant oves et boves, et laudabant Deum pro temporalibus beneficiis; quid quaeso requiritur in sacerdotibus illis, qui sacrificant divinum agnum, et gratias agunt pro beneficiis sempiternis? vae nobis miseris, qui ministerium altissimum sortiti, tam procul absumus a fervore, quem Salomon in umbraticis sacerdotibus exigebat.

10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.*

Orat nunc pro rege, idest, pro se, Salomon, et ut facilius impetret, adducit merita patris sui David. Orat autem, ut quandocumque accesserit ad precandum Deum, Deus exaudiat orationem ejus. *Propter David*, inquit, *servum tuum*, idest propter fidele obsequium, quod tibi praestitit pater meus dum in terris vixit, *ne avertas faciem Christi tui*, idest, non facias, ut ego, qui loco patris mei unctus sum in regem populi tui, confusus recedam a te, rejecta videlicet prece mea, et eo modo facias me avertere faciem meam a te. Quod enim *avertere faciem orantis*, sit eum non exaudire, sed confusum dimittere, perspicuum est ex lib. 3. reg. cap. 2. ubi cum mater Salomoni dixisset, *petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam*: respondit Salomon, *pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam*. Sed quamvis haec vera sint, tamen videor mihi altiorem sensum in his verbis videre. Omne bonum nostrum in duplici respectu positum est, in respectu pio Dei ad nos, et in respectu nostro pio ad Deum, ut videlicet ille nos patris pietate respiciat, et nos illum filiorum pietate respiciamus; mutuus enim iste pietatis aspectus fons est et origo bonorum omnium, sed prior est respectus Dei, et ab

http://www.obrascatolicas.com

illo respectus noster oritur. *In hoc* (inquit Joan. in prima Epistola cap. 4.) *est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Itaque Deus dum nos diligit, facit etiam nos diligere, et dum nos respicit ut filios, facit, ut eum respiciamus ut patrem: quamvis autem nos peccando, libere avertamus faciem a Deo; tamen si Deus respicere nos voluerit, et misereri; respiciendo, et miserendo faciet, ut peccare non libeat, et ut faciem a Deo non avertamus; vel si averterimus, iterum convertamus. Quo modo Luc. 22. quando conversus Dominus respexit Petrum jam aversum, continuo illum convertit, ita ut *egressus foras amare fleverit*: atque hoc est, quod David orat in psalm. 24. *Respice in me, et miserere mei*; at hoc loco Salomon, *ne avertas faciem Christi tui*, idest, ne sinas averti a te faciem meam, quod facies si non avertis a me faciem tuam.

11. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Hic jam incipit commemorare promissiones factas a Deo Davidi patri suo, ut iis commemoratis facilius impetret quod petit, cum quasi debitum reposcere videatur. *Juravit*, inquit, *Dominus David veritatem*, quasi dicat, juravit David Domino, se domum illi aedificaturum, et Dominus vicissim juravit Davidi se regnum in domo ejus in sempiternum stabiliturum: Deus enim vinci se liberalitate non patitur, et non solum opera, sed etiam voluntates, et desideria cumulatissime remuneratur. *Juramentum* Dei significat rei immobilitatem, et hoc loco praesertim, ubi dicitur, *juravit Davidi veritatem*, idest, rem per se veram ex Dei promissione, certiorem et firmiorem reddidit juramento. Addit postea aliam firmitatem, dicens, *et non frustrabitur eum*, idest, non faciet irritum juramentum, quod alias dicere solet, *juravit Dominus, et non poenitebit eum*. Quo loco recte admonet s. August. poenitentiam in Deum cadere non posse, sed metaphorice dici, *poenitere*, quando rem aliquam mutat; non poenitere, quando non mutat, sed stabilem et firmam esse decernit. Ponit exemplum ex lib. 1. reg. cap. 15. ubi Dominus dicit, *poenitet me, quod constituerim Saul regem*: et in eodem capite dicit Samuel, Deum non esse ut hominem, *ut poenitentiam agat*. Ergo, inquit Augustinus, cum Deus immutabili suo consilio aliquid mutat propter ipsam rei, non consilii, mutationem, *poenitere* dicitur. Neque multum refert quod in hebraeo et graeco legatur, *non frustrabitur eam*, idest, veritatem promissam, et in latino *textu* legamus, *non frustrabitur eum*, idest, Davidem, ut legit etiam s. Hilarius: nam sensus est idem. Pergit Salomon, ac docet, quae sit veritas promissa, et juramento confirmata a Deo, et ait, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, idest, dabo tibi successorem in regno filium tuum: quae verba videntur intelligenda ad litteram de Christo, non de Salomone, nisi forte de Salomone dicantur, ut typum Christi gerebat: nam de hoc eodem juramento dicitur in psal. 88. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in aeternum manebit et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* Itaque illud *ponam*, cum dicitur, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, non significat simpliciter *ponam*, sed *constituam*, et *firmabo*: quae certe Salomoni non conveniunt: adde, quod b. Petrus Act. 2. dicit de Davide, *propheta cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus; providens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Ubi s. Petrus unam scripturam psalmi quintidecimi exponit ex alia psalmi centesimi trigesimi primi, quem nunc explicamus. Atque hoc est, quod Luc. 1. angelus dicit ad Virginem, *dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.*

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum et testimonia mea haec, quae docebo eos.*
13. *Et filii eorum usque in saeculum sedebunt super sedem tuam.*

Juramentum et promissio sine poenitentia, est de uno filio, idest, de Christo, cujus regni nullus unquam erit finis: sed de aliis filiis promissio conditionata est, idest, *si custodierint testamentum*, hoc est, foedus Domini de non habendis Diis alienis; et si custodierint *testimonia*, idest, praecepta Dei, *sedebunt super sedem tuam*; sin minus projicientur. Sic enim expressius dicit ipse David Salomoni, 1. Paralipom. 28. *Si quaesieris Dominum, invenies eum: si autem dereliqueris eum, projiciet te in aeternum;* et paulo ante de eodem Salomone dicit Deus, *firmabo regnum ejus usque in aeternum, si perseveraverit facere praecepta mea et judicia, sicut et hodie*, et in psal. 88. ubi legimus, *si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo eos in virga virorum*, non addit, *misericordiam meam non dispergam ab eis;* sed non *dispergam ab eo*, idest, a Davide, quia videlicet thronus David erit firmus jugiter, propter aeternum Christi regnum, etiamsi regnum terrenum Salomonis, et Roboam, et similium deficiat, et destruatur. Quod attinet ad verba, in hebraeo pro *testamento*, est, *pactum*, sive *foedus*; sed septuaginta vertere solent illam vocem hebraicam, ברית *berith*, per vocem graecam διάθηκην, quae *testamentum* significat, nec solum septuaginta, sed etiam b. Paulus ad rom. 9. ad Galat. 4. et alibi *testamentum* vocat, quod hebraei dicunt *foedus*. Verisimile igitur est, vocem illam hebraicam utrumque significare, vel etiam praecipue *testamentum*: major enim fides habenda est septuaginta interpretibus, quam Rabbinorum dictionariis: constat autem ex sancto Hieronymo in cap. 2. Malachiae, septuaginta interpretes semper vertisse, *testamentum*. Fortasse autem divina providentia voluit, ut in ecclesia extarent duo ista vocabula *testamenti*, et *pacti*: quoniam re vera pactum Dei cum populo non est simplex pactum, sed habet conditiones testamenti, cum sit pactum de haereditate danda, et

quod non habuit vim, nisi intercedente morte testatoris Christi, ut dicitur Hebr. 9. ad hoc enim significandum Moses aspersit sanguinem cum pactum nomine Dei cum populo sancivit, Exod. 24. Et praeterea testamentum hoc non est simplex testamentum, sed habet rationem pacti, cum requirat conditionem de observantia mandatorum, et perseverantia in fide. Est igitur testamentum simul et pactum. Illud autem, *usque in saeculum*, non conjungitur cum, *sedebunt super sedem tuam*, sed cum verbis praecedentibus, *si custodierint filii tui, et filii eorum*, ut aperte colligitur ex textu hebraico. Igitur sensus est. Si filii tui, et filii eorum custodierint pactum, et praecepta usque in saeculum, idest, si perseveraverint in timore Dei, non deturbabuntur a solio regni tui; si autem non perseveraverint, regnum ipsorum ad alios transferretur, ut factum est, et experientia docet.

14. *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.*
15. *Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Possent aliquo modo haec accommodari ad arcem, sive civitatem Sion terrenam, ut figura erat Ecclesiae nunc militantis et postea triumphantis: elegit enim Deus civitatem illam pro tempore, ut esset civitas regia, et sacerdotalis, ita ut ibi esset thronus regius et etiam templum Domini. Sed tamen quia brevi diruenda erat, et evertenda et regnum ex ea tollendum, et templum ipsum incendendum, dicendum est, haec pertinere ad ecclesiam, quae est regnum Christi, et ipsa est Jerusalem, et Sion de qua dicitur in psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, et continuantur haec verba cum illis, *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, idest, juravit Davidi, se positurum, et stabiliturum filium ejus Christum super fidem ejus quae est Sion, quae ideo dicitur civitas David, quia *elegit Dominus Sion*, idest, ecclesiam, in habitationem suam perpetuam; et de ea dixit, *Haec requies mea in saeculum saeculi*, idest, non deseram unquam hanc ecclesiam, sed in ea perpetuo requiescam, quoniam transferam eam ad perfectam beatitudinem in coelis, et ibi habitabo in ea in sempiternum, quoniam firmissimo, atque aeterno decreto elegi eam. Dicitur autem Deus *requiescere*, ut s. August. notat, quando facit nos requiescere: tunc autem perfecte requiescemus, quando pars ecclesiae peregrinans in terris perveniet ad eam partem, quae gloriosa triumphat in coelis.

16. *Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.*

Hic versiculus cum sequentibus, promittit civitati David, quae est Sion, multa bona, quae utcumque applicari possunt terrenae civitati, ut figura erat ecclesiae: sed ipsi ecclesiae proprie et perfecte conveniunt. Primum igitur promittit abundantiam rerum temporalium tantam, ut etiam viduae, quae solent esse maxime destitutae, et alii pauperes satiari possint: benedictio enim Dei abundantiam in scripturis significare solet. Sed haec abundantia in sensu altiore significat copiam cibi spiritualis verbi Dei, et sacramentorum, quibus abundant filii ecclesiae, illi praesertim, qui sunt spiritu pauperes. Antiqua haereticorum calumnia occurrit hoc loco breviter refellenda. Ridet enim Calvinus editionem nostram vulgatam, quod pro, *victu*, substituerit, *viduam*. Dicit enim presbyterum aliquem lusciosum existimasse c, et t, esse unum, d, et sic pro *victum*, legisse, *vidum*, et quia *vidum* nihil significat, addidisse, a, et fecisse viduam; et neminem fuisse in ecclesia nostra qui hanc corruptionem advertere potuerit. Sed facile est calumniam refutare. Latinus enim Interpres rectissime vertit, quod invenit in graeco: in graeco autem sine dubio invenit, χήραν, quod viduam significat omnium consensu: neque solus noster Interpres in graeco legit, χήραν, sed etiam Patres, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Prosper, Cassiodorus, et alii. Immo s. Hilarius meminit utriusque lectionis, et contendit veram lectionem esse, *viduam*, et sic lectum fuisse antequam Christus nasceretur. Verum quidem est in hebraeo non haberi *viduam*, sed *venationem*, vel *victum*, neque ullam esse similitudinem literarum, ob quam suspicari quis possit illos scripsisse, *viduam*: siquidem vidua Hebraice dicitur, אלמנה *almana*, et *victus*, seu *venatio* dicitur, צידה *tzeda*, et hanc vocem in omnibus codicibus invenimus: sed in graeco idiomate magna similitudo literarum est inter χήραν, quod significat *viduam*, et θήραν, quod significat *victum*. Igitur necesse est, vel in hebraeo mutatum esse textum, et septuaginta legisse longe aliter, quam modo se habet: et haec sententia s. Hilarii est, vel in graeco textu esse corruptionem factam vitio scriptorum, quia unam literam legerunt pro alia, ut sanctus Hieronymus putat. Sed in sensu nulla fere diversitas est, cum per utrumque vocabulum significetur, abundantiam ciborum fore in civitate Dei. Et quoniam, ut idem Hieronymus dicit, usus obtinuit, ut legeretur, *vidua*, non est lectio latina ullo modo mutanda, cum non a luscioso sacerdote, ut Calvinus dicit, sed a veneranda antiquitate orium habuerit.

17. *Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exultatione exultabunt.*

Alterum bonum sanctae civitatis erit, quod sacerdotes ejus sanctitate, et justitia conspicui erunt. Salus enim animae justitia est, sicut morbus animae iniquitas est: et quia precatus fuerat Salomon, ut sacerdotes induerentur *justitiam*, ideo nunc Deus dicit se id effecturum, ut sacerdotes induantur *salutari*, idest, salute, quae est eadem cum justitia, cum de salute spirituali agatur. Fortasse etiam aliore sensu per *salutare*, intelligitur hoc loco Salvator Christus, ut in Cantico Simeonis, *quia videntur oculi mei salutare tuum*, et ab hoc loco psalmi accepit fortasse b. Paulus modum illum loquendi ad rom. 13. *induimini Dominum Jesum Christum*, idest, facite ut in vestris moribus

http://www.obrascatolicas.com

conspiciantur sanctitas, et justitia Christi. Illud autem, *et sancti ejus exultatione exultabunt*, respondet ei quod antea dictum erat, *et sancti ejus exultent*: nam ut eo loco per exultationem intelligebatur laus Dei cum alacritate: ita hic quoque intelligitur; et ut ibi per sanctos intelligebantur sacerdotes, ita hic. Eadem enim verba sunt in textu hebraico in utroque loco.

18. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.*

Tertium bonum, et quidem maximum sanctae Sion erit, quod ibi orietur regnum David: nam pro voce, *illuc*, in hebraeo et graeco est, *ibi*. Accipiendum est igitur, *illuc*, pro, *illic*, idest, in Sion. Per, *cornu*, significatur metaphorice potestas, et excellentia regia: ut enim cornu est durissimum, et elevatum, ita regia dignitas est potens, et superemineus. Significatur autem ad litteram per *cornu David*, regnum Messiae, quod erat inchoandum in Sion, et inde per totum mundum propagandum. Explicuit hoc Zacharias in suo Cantico Luc. 1. cum ait, *erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui*; et idem praedixerunt omnes prophetae. Isaias cap. 9. *Super solium David, super regnum ejus sedebit, ut confirmet, et corroboret illud usque in aeternum.* Hierem. cap. 23. *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium, et justitiam.* Ezechiel cap. 1. non solum praedicit regnum Christi, sed etiam currum ejus triumphalem, qui vehebatur a quatuor animalibus, homine, leone, vitulo, et aquila: quae sunt quatuor Evangelistae. Daniel cap. 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Zach. cap. 9. *Exulta satis filia Sion, ecce rex tuus venit tibi justus, et Salvator, ipse pauper; et ascendens super asinam*, etc. Ex quo manifeste apparet, non posse intelligi versiculum istum psalmi de Salomone, nec de regno ejus; tunc enim Salomon regnabat, hic autem de futuro dicitur, *illuc producam*, idest, oriri faciam, et quasi germinare cornu David: quasi aperte praediceret eversionem regni temporalis, quod tunc vigebat, et suscitandum postea in eadem civitate regnum aeternum Messiae. Quod autem sequitur, *paravi lucernam Christo meo*, potest duobus modis intelligi. Primum enim per *lucernam* potest intelligi Messiam, et per *Christum* David: Scriptura enim passim vocat *lucernam* filium, sive posteros; nam in filiis parentes vivunt, et lucent: vide lib. 3. reg. cap. 11. et 15. et tunc sensus erit, *illuc producam cornu David*, quia *paravi lucernam*, idest, filium, successoremque ejus Messiam, *Christo meo*, Davidi: et erit quasi explicatio ejus, quod antea dixerat, *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ut enim hoc non intelligerent carnales Judaei de Salomone, explicatur hoc loco de Messia futuro. Potest tamen etiam aptissime intelligi, et s. Augustinus exponit, de praecursore Domino, et ipso Domino, ut lucerna sit Joannes, et Christus Dominus Jesus, quoniam enim Messias venturus erat sine opibus, et comitatu regio, non facile a Judaeis expectantibus Messiam, regem temporalem, agnosci potuisset, nisi praecessisset Joannes, qui singulari sua sanctitate, et vitae austeritate, omnium oculos in se converteret instar lucernae lucentis in caliginoso loco: dicit igitur, *illuc producam cornu David*, idest, regnum aeternum Messiae, et jam praeparavi *lucernam*, idest, praecursorem, qui erit quasi lucerna, *Christo meo*, idest, ipsi Messiae: atque ad hunc locum videtur Dominus aspexisse, cum ait Jo. 5. *Ipse erat lucerna ardens, et lucens.*

19. *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem offlorebit sanctificatio mea.*

Praedicit, Christum multos habiturum inimicos, ut revera habuit Judaeos, qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. 19. et ad Pilatum. *Non habemus regem, nisi Caesarem*, Jo. 19. Sed praedicit quoque poenam inimicorum Christi. *Inimicos*, inquit, *ejus induam confusione*, idest, implebo ignominia maxima, quod etiam impletum esse scimus, et oculis nostris videmus. Nam paulo post Christi mortem venerunt Romani, et civitate illorum eversa, ipsos magna strage affecerunt, et eorum qui supererant, alios vilissimo pretio vendiderunt, alios in pubblicis ludis bestiis objecerunt: et ab illo tempore gens Judaeorum ubique servit, ubique contemnitur. Sed in die novissimo, non solum Judaei, sed etiam omnes pagani, haeretici, et omnes falsi fratres, qui Christo in membris ejus inimici fuerunt, induentur confusione. *Super ipsum autem*, idest, super Christum, *efflorebit sanctificatio mea.* Illi induentur confusione, Christus induetur gloria: nam sanctificatio, quae in mundo erat quasi semen in terra absconditum, tunc florebit in gloriam, idest, germinabit flores sanctificationis. Nec solum Christus, sed etiam omnia membra ejus induentur gloria, quae tunc sanctificatio emittet flores incredibilis pulchritudinis, quando gratia vertetur in gloriam. In hebraeo vox est, נזרו *nizro*, quae significat *diadema ejus*: sed quamvis Exod. 24. illa vox significet *tiaram Pontificis*, et lib. 4. reg. cap. 11. accipiatur pro *corona regia*: tamen potest etiam significare *sanctificationem*, ut hoc loco verterunt Septuaginta Interpretes; nam venit a verbo, נזר *nazar*, quod significat, *separare*, et *consecrare*, unde dicuntur *nazarei*, quasi *sanctificati*, et consecrati Deo: et *corona pontificia*, vel *regia* dicitur, נזר *nezer*, quia consecrat quodammodo Pontificem, vel regem, et a vulgo separat. Sed in sensu non est diversitas: nam *gloria sanctificationis* rectissime corona, vel diadema dici potest: nec multum interest, si dicatur, *florebit sanctificatio*, idest, sanctificatio emittet flores gloriae; sive, florebit sanctificatio, idest, micabit diadema gloriae. Neque etiam multum refert, quod nos legamus, *sanctificatio mea*, et in hebraeo sit *sanctificatio*, *sive diadema ejus*: nam septuaginta legerunt, *jod*, ubi nunc est, *vau*: et eadem sanctificatio vel diadema, et Dei est, quia ab illo datur, et nostra est quia nobis datur: proinde utraque lectio veritatem continet; sed nostra praeponenda est, cum sit in codicibus graecis, et latinis, quibus Ecclesia semper usa est.

PSALMUS CXXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Compositus videtur hic psalmus, ut a Judaeis cantaretur, quando post reditum a captivitate, et reaedificata civitate, ac templo, coeperunt simul pacifice habitare, et esse unus populus remota distinctione vel schismate, quod erat ante captivitatem inter regnum Israel, et regnum Juda. Sed convenit etiam omni multitudini, ubi viget concordia, et communio, quales sunt multitudines servorum Dei in monasteriis, ubi regularis observantia viget. Sed potissimum locum habet hic psalmus in coelesti patria, et cantatur ab iis, qui finita peregrinatione ad eos perveniunt, ubi omnes sunt consummati in unum ut loquitur Dominus, Joann. 17. et ubi Deus est *omnia in omnibus* juxta Apostolum, 1. *Cor.* 15.

EXPLICATIO PSALMI CXXXII.

1. *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.*

Vox est eorum, qui jam experiri, et gustare coeperunt utilitatem et dulcedinem perfectae charitatis. Vocat enim *bonum*, id quod est utile, et *jucundum*, id quod est dulce: quamvis enim aliqua sint bona, quae non sunt jucunda, ut labor poenitentiae et quaedam jucunda, quae non sunt bona, ut voluptas peccati; tamen in concordia et pace fratrum simul habitantium haec duo conjuncta inveniuntur. Nam virtus unita est major et fortior, et melius ac facilius conservatur; quod pertinet ad utilitatem: et ubi per charitatem multi sunt cor unum et anima una, unusquisque gaudet de bono aliorum non minus quam de suo; quod pertinet ad jucunditatem.

2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*
3. *Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

Duabus similitudinibus explicat jucunditatem, et utilitatem habitantium in unum: ac primo jucunditatem comparat unguento pretioso, quo ungebatur caput summi Pontificis, quod erat odoris suavissimi, ut patet ex cap. 30. Exodi, quod quidem unguentum effusum in caput Pontificis, inde defluebat ad barbam, et a barba in oram vestimenti, idest, in illam partem quae circumdat collum, quae immediate subjecta est barbae: non enim per oram intelligitur extremitas vestis, sed summitas, ut notavit s. Augustinus, et ut sonant vox hebraica, et graeca, et ut ratio ipsa demonstrat: non enim tantum unguenti effundi solebat in caput, ut usque ad extrema vestis deflueret. Sed illud hoc loco notandum est unguentum non communicari a capite, nisi partibus unitis: nisi enim barba capiti adhaeret, sed abscissa alicubi maneret, sine dubio defluxum unguenti non participaret; et nisi vestis unita esset corpori, sed plicata maneret in arca, similiter unguento non perfunderetur; sic igitur, nisi fratres habitarent in unum, et inter se glutino charitatis conjuncti essent, dona coelestia a capite Christo defluentia, non descenderent in barbam, idest, in praelatos, neque a barba in vestimenta, idest, in reliquum populum. Ait igitur, *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam*, idest, jucunditas fratrum habitantium in unum, et inter se conjunctorum, ac debita proportione invicem subiectorum, est sicut unguentum pretiosum, et fragrantiae suavissimae, quod in capite effusum descendit in barbam. *In barbam Aaron*, idest, non loquor de quocumque unguento, sed de illo, quod descendit in barbam Aaronis tempore consecrationis suae: quae etiam descendit *in oram*, superiorem videlicet partem vestimenti ejus. Deinde comparat utilitatem eorumdem fratrum habitantium in unum, rori qui descendit in montem: neque enim montes ex rore jucunditatem ullam percipiunt, sed utilitatem magnam: quoniam pluvia ad montes vel non descendit, vel non haeret, sed ex montibus ad valles continuo descendit: ros autem haeret in montibus, eosque infundit, et germinare facit: nominat autem duos montes, Hermon, et Sion, qui quamvis loco conjuncti non essent, cum mons Hermon esset trans Jordanem ad orientem; et mons Sion citra Jordanem ad occidentem: tamen conjuncti

http://www.obrascatolicas.com

erant quoad similitudinem qualitatum, cum uterque sit verus mons, et unus major et altior, videlicet Hermon, alius minor humilior, id est, Sion. Ex quo voluit nos Spiritus sanctus admonere, conjunctionem fratrum habitantium in unum debere esse cordium magis, quam corporum; nam de primis fratribus habitantibus in unum, scriptum est, *erat autem multitudinis credentium cor unum et anima una*. Actor. 4. Dicit igitur, *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, idest, bonum utilitatis habitantium in unum, est *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, sive, ut est in hebraeo, *in montes Sion*. Quomodo autem ros montis Hermon, qui longe distat a Sion, descendat in montem Sion, variis modis exponunt interpretes. Mihi videtur, Prophetam considerasse montem Hermon esse altissimum, et amplissimum, atque in eo magnam esse roris abundantiam: montes autem Sion esse multo humiliores, et aridiores: et ideo more poetico dixisse, et monte Hermon descendere rorem in montes Sion, quasi communicet mons Hermon rorem, quo abundat, cum montibus Sion, qui eo carent: non quod idem omnino res, qui est in monte Hermon descendat in montes Sion, sed quod similis ros descendens in montes Sion videatur quodammodo ex monte Hermon descendere. Et aptissime convenit haec similitudo in conventum fratrum habitantium in unum: sunt enim fratres concordes quasi tot montes, sive colles Sion, in quos descendit ros coelestis a Christo, qui est quasi Hermon altissimus, et rore coelesti plenissimus: unde dixit Joannes, *et de plenitudine ejus omnes accepimus*, Joan. 1. Non communicat autem Christus nobiscum eam ipsam gratiam, et gloriam numero, quam in se habet; sed aliam similem, et minorem.

4. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.*

Reddit rationem, cur tantis bonis abundet conventus fratrum concorditer, pacificeque viventium. *Quoniam*, inquit, *illic mandavit Dominus benedictionem*, idest, illuc misit Dominus benedictionem suam, quae est fons omnium bonorum; Domino enim, *benedicere benefacere* est: quoniam igitur Deo gratissima est concordia, et charitas fraterna, ideo replet eam copia bonorum omnium; idque non ad breve tempus, sed in aeternum: nam ideo cum benedictione misit ad eos *vitam usque in saeculum*; quae omnia hic in terris habentur in spe, sed in patria habentur in re. Recte igitur initio diximus, hunc psalmum ab illis proprie cantari, qui ex peregrinatione perveniunt ad patriam. Ibi enim perfecta est concordia, ibi unguentum perfectae charitatis continuo defluit a capite Christo in omnia membra, et ros luminis gloriae a monte Hermon in omnes colles Sion: dicitur enim *Hermon*, lumen elevatum; et *Sion*, specula: proinde recte ab altissimo lumine descendit participatio ejus in eos, qui digni sunt speculari Deum facie ad faciem: ibi est benedictio Domini, idest, affluentia omnium aliorum bonorum: ibi denique est vita *usque in saeculum*, quae numquam deficiet.

PSALMUS CXXXIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Hic est psalmus postremus gradualium, qui eos qui jam foeliciter ascenderunt, hortatur, ut vacent perpetuis laudibus: quod est officium habitantium in domo Domini, juxta illud psalmi 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*. Pertinet tamen suo modo hic psalmus ad eos, qui post aedificationem templi in illo habitabant; et ad eos, qui dum peregrinantur in terra, corde habitare nituntur in coelo, et cum Apostolo dicere possunt, *conversatio nostra in coelis est*. Philip. 3.

EXPLICATIO PSALMI CXXXIII.

1. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.*

Ecce, inquit, nunc liberati a tentationibus, et persecutionibus, tempus est, ut toti intenti sitis laudibus Domini; proinde *benedicite Dominum* vos omnes *servi Domini*, qui non habetis aliud in quo illi jam serviatis, nisi in persolvendo tributo perpetuae laudis, et gratiarum actionis.

2. *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.*

Vos, inquam, *qui statis in domo Domini*, idest, qui permanentem habetis domum, et non amplius tamquam peregrini in tentoriis habitatis; et praeterea statis, idest, securi consistitis non timentes casum, quo modo ille, *qui in veritate non stetit*. Joan. 8. Nec solum domum, sed etiam atria possidetis, ita ut et interiorem domum, ubi Deus videtur et exteriorem ubi videntur creaturae, quae sunt veluti atria, foelicissimi habeatis.

3. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.*

Tempus maxime opportunum orandi et laudandi Deum nox est, quando quies ubique esse solet. Itaque David psalm. 118. *Media nocte surgebat ad confitendum Domino*; et Isaias c. 26. dicit, *Anima mea desideravit te in nocte*, et Hieremias Thren. 2. hortatur, *consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*. Et ipse Dominus noster, Lucae 5. pernoctabat *in oratione Dei*; et Apostolus cum Sila Actor. 16. in ipso carcere *media nocte orantes laudabant Dominum*. Recte igitur admonet Propheta servos Dei, ut nocturno potissimum tempore extollentes manus in sancta, id est, ad sancta sanctorum, ubi erat prophitiatorium, et arca Dei, benedicant Dominum. Moraliter autem significat hic versiculus, servos Dei debere benedicere Deum non solum in die prosperitatis, sed etiam in nocte adversitatis. Sed in sensu praecipue intento, significatur hoc loco, in coelesti patria, sicut semper est dies, si de luce, et tenebris agatur; ita semper esse noctem si agatur de labore, et quiete. Intrantibus enim in illam requiem *dicit spiritus, ut requiescant a loboribus suis, quia opera eorum sequuntur illos*; et illa est *nox*, de qua dicitur in psal. 138. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*; et de qua dicit Dominus Joan. 5. *Venit nox, in qua nemo potest operari*, et proinde solis Dei laudibus vacare oportet. In his igitur quietissimis, sed lucidissimis noctibus *extollite manus vestras* beati servi Dei; et ad sanctuarium verum, ubi Deus ipse residet, conversi *benedicite Dominum*.

4. *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit coelum et terram.*

Hortatus est Propheta sanctos Dei servos, ut assidue Dominum benedicant: nunc vicissim ipse benedictionem illis a Domino precatur: sed utitur numero singulari, quia videbat eos ita esse glutino verae charitatis unitos, ut essent unum in Domino. Illi igitur unitati servorum Dei dicit, *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit coelum, et terram*. Quod ad verba attinet, in Hebraeo codice desunt illa verba, *in atriis domus Dei nostri*. Sed verisimile est, in codicibus correctoribus, quos habuerunt septuaginta interpretes, illa verba non defuisse, praesertim cum in psal. 134. idem versiculus repetatur, et in eo verba illa legantur etiam in codicibus hebraicis. Illud vero, *in noctibus*, hebraeus codex conjungit cum superioribus hoc modo, *qui statis in domo Domini in noctibus*; et postea incipit alium versiculum ab illis verbis, *extollite manus vestras*, etc. Sed interpunctio Rabbinorum modernorum, qualis nunc est in codicibus hebraicis, non debet praejudicare auctoritati gravissimae septuag. interpretum, qui illud, *in noctibus*, principium esse versiculi, et cum sequentibus verbis conjungi debere censuerunt.

PSALMUS CXXXIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Duo psalmi sequentes ejusdem sunt argumenti: hortatur enim fideles ad laudes Dei: quod argumentum in titulo demonstrat, et recte subjunguntur psalmis gradualibus, quoniam optime conveniunt iis, qui ex captivitate in patriam redierunt: quique jam gradus perfectionis, Deo juvante ascenderunt, vel in ascensione non modicum profecerunt.

EXPLICATIO PSALMI CXXXIV.

1. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.*
2. *Qui statis in domo Domini, et atriis domus Dei nostri.*

Hi duo versiculi habentur etiam initio psalmi superioris; sed ideo repetuntur, ut continuetur laudatio, quae ibi fuerat inchoata. Alloquitur igitur Propheta servos Domini, eosque hortatur, ut laudent *nomen Domini*, et ipsum *Dominum*, hic enim est sensus, ut colligitur ex principio psalmi centesimi duodecimi, *laudate* pueri idest, *servi Dominum, laudate nomen Domini*. Qui sint autem *servi*, quibus indicitur laudatio, explicat dicens: *qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri*, idest, qui non estis exules, non in via positi, non peregri-

http://www.obrascatolicas.com

ni, quibus oratio magis quam laudatio necessaria sit, sed jam pervenistis, jam *statis in domo Domini*, de qua dicitur in alio psalmo, *beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*. Itaque videtur hic psalmus praecipue convenire iis, qui ad coelestem patriam pervenerunt, et domum Domini non manufactam, sed aeternam in coelo introierunt. Convenit tamen illis etiam, qui spe ac desiderio in ea domo degere incipiunt, et cum apostolo dicere possunt, *nostra autem conversatio in coelis est*: convenit denique speciali quadam ratione sacerdotibus, quorum officium est stare in domibus Deo sacris, et ipsi Deo immediate et proprie ministrare. Sunt quidem omnes fideles servi Domini, sed illi praeter caeteros, qui toti sunt Domini obsequio addicti, et mancipati. Ex hebraeo legunt aliqui, *laudate servi Domini*, quia vox, עבדי *servihabde*, secundum regulas grammaticae, regit genitivum. Sed hoc non est perpetuum, et legendum esse, *laudate servi Dominum*, perspicuum est ex versione non solum septuaginta, sed etiam s. Hieronymi. Sunt etiam qui, *stare in atriis*, tribuunt sacerdotibus; *stare in domo*, tribuunt laicis. Sed probabilius est, pro eodem accipi hoc loco *domum domini*, et *atria domus Domini*: nam ut plurimum secunda pars versiculi repetit, et explicat priorem; unde sensus est, *qui statis in domo Domini*, qui statis, inquam, *in atriis domus Dei nostri*.

3. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave.*
4. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.*

Hortatus est Propheta populum Dei ad laudandum Dominum, nunc adducit tres rationes, quibus persuadeat, ita esse faciendum; primam, quoniam Deus dignissimus est omni laude; secundam, quia id nobis bonum, et jucundum erit; tertiam, quia tenemur, cum nos praeter caeteras gentes Deus maximis beneficiis affecerit. *Laudate*, inquit, *Dominum, quoniam bonus est Dominus*: bonum enim laude, malum vituperatione dignum est. Deus autem ita bonus est, ut solus sit absolute bonus, et omni ex parte bonus, et non aliunde, sed ex se ipso sit bonus, et nihil sit bonum nisi participatione et dono ejus: denique caetera sint bona in certa specie et cum addito, ut bonus homo, bona domus, bona vestis, Deus autem sit ipsa bonitas omnem omnino boni rationem continens. *Psallite nomini ejus, quoniam suave*; haec est secunda ratio, quasi dicat, *psallite nomini ejus*, quoniam istud psallere, et laudare, non erit vobis opus molestum, et laboriosum, sed dulce, jucundum, suave. Vox hebraica, נעים *nahim*, significat *dulce*, et *dulcis*; et ideo referri potest tum ad Dominum, tum ad nomen, tum ad psallere, et sensus esse potest, *psallite nomini ejus*, quoniam suavis est Dominus, item *quoniam suave* est nomen Domini: denique *quoniam suave* est psallere nomini Domini. Sed vox graeca et latina, quae sunt generis neutri, non possunt referri ad Dominum, sed vel ad nomen, vel ad psallere; et haec postrema acceptio videtur esse magis propria. Caeterum in sententia nulla dissensio est. Ideo enim laudare Deum suave est, quia Deus suavis est: quo modo dulces cibos comedere dulce est, quoniam ipsi cibi dulces sunt. Et quidem beatis in coelo psallere Deo suavissimum est, et ideo ne ad momentum quidem cessant a laudibus, quoniam dulcedinem Dei in ipso fonte suavitatis sine intermissione degustant; nobis autem nunc dulce est canere Deo; nunc laboriosum, quoniam non semper gustamus, quam suavis sit Dominus; sed tunc solum, cum ex gratia Dei, et praecedente meditatione assurgimus ad cognitionem, et accendimur ad amorem. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus*, elegit, inquam, *Israel in possessionem sibi*. Haec est tertia ratio, quae ducitur a debito, et jure obligationis: cum enim Deus singulari dono gratiae suae filios Jacob in populum peculiarem sibi delegerit, certe justum est, ut is populus praeter omnes alias gentes Deum laudet. Hic sunt aliqua notanda: Primo Deum conditorem universitatis omnium gentium providentiam gerere, et omnibus dedisse lumen rationis, et legem naturalem scriptam in cordibus, et angelos custodes tum singulorum hominum, tum etiam provinciarum, et regnorum: sed praeter haec omnia, quae communia sunt populo Israelitico cum aliis populis: suscepisse Abrahamum et posteros ejus per Isaac et Jacob descendentes in proprium populum, qui esset quasi ejus haereditas, et portio et possessio, eisque dedisse legem scriptam in tabulis, et caeremonias, quibus coli volebat, et Prophetas, quasi internuncios a quibus de notitia Dei erudirentur. Secundo hoc fuisse admirabile beneficium Dei: elegit enim Deus populum illum in possessionem sibi, ut eis benefaceret, eosque diligenter excoleret, quasi vineam dilectam; addo, fuisse hoc beneficium gratis omnino illi populo collatum, non enim elegit Deus populum illum ob eorum merita, sed quia sibi ita placuit: quod perspicuum est ex praedestinatione aeterna, cujus meminit Malachias cap. 1. et Apostolus ad rom. 9. Nam antequam nati essent Jacob, et Esau, et cum nihil boni, vel mali egissent, dictum est, *major serviet minori, quoniam Jacobi dilexi, Esau odio habui*. Tertio, hoc idem et etiam majus beneficium collatum esse populo Christiano ex gentibus congregato: nam, ut Apostolus docet rom. 11. Gentiles erant quasi oleastri respectu Judaeorum, qui erant naturales rami olivae: sed cum fracti essent multi rami naturales ob incredulitatem, Deus assumpsit oleastros, et inseruit in bonam olivam, idest, super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum superaedificavit gentiles, vocans eos per fidem ad populum suum: et faciens cives sanctorum et domesticos Dei. Nobis igitur convenit, et ex debito obligationis tenemur laudare Deum, sed propriissime Jacob, sive Israel, electus in possessionem, est coelestis Jerusalem, coetus videlicet beatorum, cui dicitur, *lauda Jerusalem Dominum; lauda Deum tuum Sion*.

5. *Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus et Deus noster prae omnibus diis.*

6. *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.*

Respondet Propheta objectioni, quae fieri poterat, cur ipse tanto ardore invitaret populum Dei ad laudes Domini. *Quia*, inquit, *ego cognovi, quod magnus est Dominus*: et non solum magnus super omnes homines, sed etiam super omnes Deos: et ideo silere non possum, ideo clamo, ideo canto, et psallo, et ad canendum et psallendum omnes invito. Deinde probat utrumque, nimirum Deum esse magnum Dominum, et esse majorem omnibus Diis ac primum, quod sit magnus Dominus, probat ab omnipotentia, quia *omnia quaecumque voluit, fecit* in universa creatura, *in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis*; ubi per *mare* intelligit mare Oceanum, per *abyssos* intelligit maria mediterranea, quasi diceret, in mari magno, et in aliis aquarum profunditatibus. Ita Chrysostomus sed possunt etiam per *abyssos*, intelligi loca subterranea inferorum, ubi est gehenna, de quibus legimus in Evangelio, rogatum fuisse Dominum a daemonibus, ne eos mitteret in abyssum. Sic enim comprehendentur omnia loca, summum coelum, imi inferi, media terra, et mare. Sed placet breviter conferre nostram infirmitatem cum Dei potentia. Ille *fecit omnia quae voluit*, nihil enim impossibile est illi: nos autem multa volumus facere, et non possumus. Item Deus fecit, quia voluit, idest, libera voluntate fecit, non aliqua necessitate, quia nulla re indiget; nos maxima ex parte operamur, quia indigemus, et nisi cogeret necessitas, otiaremur. Denique Deus in omnibus rebus fecit quaecumque voluit, quia Dominus est rerum omnium: nos ne in nobis quidem facere possumus omnia, quae volumus, quanto minus in aliis rebus. Aequum igitur est, ut non nos ipsi, sed Deum nostrum assidue laudemus.

7. *Educens nubes ab extremo terrae, fulgura in pluviam fecit.*

Ponit exempla aliquot eorum, quae Deus facit, quando vult, in aere, in terra et in aquis. Facit quidem Deus mirabilia in angelis, et in coelis superioribus, et rursum in abyssis subterraneis. Sed quia incognita nobis sunt, ponit exemplum eorum, quae facit in coelo aereo, in terra, et in aquis, quae a nobis videntur, quamvis causas ignoremus. Primum igitur ponit exemplum in nubibus, quae oriuntur ex terra, sed formantur in coelo aereo, et conversae in aquas revertuntur ad terram. *Educens* inquit, *nubes ab extremo terrae*, idest, qui educit nubes ab extrema parte terrae. Accommodat se Spiritus sanctus in scripturis sensibus nostris: nos autem videmus ordinarie nubes ascendere, vel ab oriente, vel ab occidente, vel a meridie, vel a septentrione, quae sunt quatuor extrema terrae, sed varia pro varietate regionum; et quamvis ista assiduitate viluerint, tamen omnino mirabile est, unde tanta copia vaporum repente existat, ut totum coelum in puncto fere temporis nubibus quasi velo cooperiat: nisi ideo mirabile esse desinat, quia ab omnipotente fit. Sed mirabilius est, quod sequitur, *fulgura in pluviam fecit*, ubi *in pluviam*, positum est, pro, *in pluvia*, quo modo 2. Corinth. 12. dicit Apostolus, *nocte et die in profundum maris fui*, pro, *in profundo maris fui*. Sensus autem est Deus in pluvia fecit fulgura, idest, inter pluviam miscuit fulgura, quae res est omnino mirabilis: nam fulgura sunt ardentia, arentia, acutissima; et pluvia est res humida, frigida, mollis: et tamen nec fulgura absumunt aquam, nec pluvia extinguit fulgura. Ita exponunt antiquissimi patres, Hilarius, et Chrysostomus, et confirmari potest eorum expositio ex cap. 9. Exodi, *grando, et ignis mista pariter ferebantur*, ad quem locum videtur allusisse Propheta David; omitto alias expositiones recentiorum, quae minus probabiles sunt.

8. *Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus.*
9. *Et misit signa, et prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem et in omnes servos ejus.*

Tertium exemplum magnitudinis Dei sumitur a generatione ventorum, venti enim notissimi sunt et quotidie sentiuntur a nobis; et tamen nihil est obscurius generatione ipsorum; unde et Dominus Joan. 3. ait, *spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat*, idest, audis strepitum venti, *et nescis unde veniat, aut quo vadat*, idest, quo modo oriatur, et quo modo desinat, praesertim quando repente ventus existit, et paulo post repente cessat. Illud autem, *de thesauris suis*, metaphoricum est: non enim venti inclusi manent in speluncis, aut abditis locis, ut fabulantur Poetae, sed ita repente producuntur a Deo, quasi educerentur de thesauris, idest, de locis absconditis. Vere autem educuntur de thesauris Dei, idest, de potentia Dei secretissima et ditissima, quae numquam exhauriri potest. Cum hoc tertio exemplo conjungit Propheta quartum de occisione omnium primogenitorum Aegypti tam hominum, quam jumentorum, quae habetur Exodi 12. conjungit autem hanc occisionem cum productione ventorum, quia quemadmodum venti spiritus quidam sunt corporales, qui non videntur ob nimiam subtilitatem, et tamen maximas edunt strages arborum in campis, domorum in civitatibus, et navium in mari: sic spiritus angelici invisibiles ocularis hominum, incredibili celeritate ad nutum Domini interfecerunt omnia primogenita Aegypti, tum hominum, tum jumentorum: neque enim occisio illa poterat tribui pesti, aut morbo naturali, cum eadem nocte perierint omnia, et sola primogenita Aegyptiorum, tum hominum, tum pecorum: et apud hebraeos, qui in Aegypto degebant, nullus omnino homo, aut bestia perierit. Adjungit denique in summa omnia signa et prodigia, quae fecit Deus per Mosem in Aegypto; quae legi possunt in Exodo cap. 7. 8. 9. 10. 11. et 12.

10. *Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes.*
11. *Sehon regem Amorrhaeorum: et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.*

http://www.obrascatolicas.com

12. *Et dedit terram eorum haereditatem, haereditatem Israel populo suo.*

Post mirabilia Dei edita in Aegypto adversus Pharaonem, addit mirabilia edita in itinere adversus duos potentissimos reges, Sehon, et Og, quos populus Dei debellavit magis extraordinario auxilio Dei, quam armis: vide lib. Num. cap. 21. Et denique addit mirabilia, quae fecit Deus in ipsa terra promissionis adversus triginta et unum reges qui regnabant in illis provinciis. Ubi multa miracula acciderunt; ac praeter alia, ut muri Hiericho ad sonitum tubarum Sacerdotalium corruerint: et sol, et luna steterint ad imperium Josue; vide lib. Josue cap. 6. 10. et 12. Ipse igitur Deus dedit totam illam terram possidendam, et quasi propriam haereditatem populo suo Israelitico: quo modo etiam regnum coelorum per terram promissionis significatum vult quidem Deus a fidelibus suis bellando et laborando capi;sed quia nisi ipse praeveniret, et comitaretur, et subsequeretur gratia sua labores nostros, nihil omnino facere possemus; ideo ipse est, qui nos salvat, ex captivitate liberat et haereditatem aeternam donat.

13. *Domine nomen tuum in aeternum, Domine memoriale tuum in generatione et generationem.*
14. *Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur.*

Concludit Propheta priorem partem suae probationis, qua demonstrare instituerat magnitudinem Dei: ea enim satis aperte demonstrata, dicit, *Domine nomen tuum in aeternum*, idest, propter haec tanta mirabilia, *nomen tuum*, memoria tua, fama tua in aeternum vigebit,et idipsum more suo repetens, *Domine*, inquit,*memoriale, tuum*,idest, recordatio nominis tui *in generatione et generationem* permanebit. *Quia judicabit Dominus populum suum*, idest, semper manebit celebris memoria Dei, quoniam Deus semper, ut hactenus fecit, *judicabit populum suum*, idest, justo judicio vindicabit de persequentibus eum, puniens iniquos hostes ejus. *Et in servis suis deprecabitur*, idest, erga servos suos exorabilis erit: accipiendum enim est passive illud, *deprecabitur*, pro *exorabitur*. In cantico Mosis Deuteron. 32. eadem sententia sic vertitur a latino interprete, *Judicabit Dominus populum suum,et in servis suis miserebitur.*

15. *Simulacra gentium argentum et aurum,opera manuum hominum.*
16. *Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt.*
17. *Aures habent, et non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

Probat his versiculis David, Deum nostrum magnum esse prae omnibus Diis, quod erat alterum quod affirmaverat in quinto versiculo. Quamvis enim non magnum sit Deo. majorem esse Diis aureis, et argenteis, ut s. Hilarius admonuit, cum longe major sit regibus, daemonibus et Angelis tamen voluit Propheta conferre Deum cum simulacris, ut clarius ostenderet infirmitatem Deorum gentilium; tum etiam quoniam licet Dii gentilium essent daemonia, ut dicitur in psal. 95. tamen multi gentilium hoc non sciebant, sed arbitrabantur ipsa simulacra esse Deos, ut perspicuum est 1. reg. de statua Dagon. Denique quia ex his argumentis colligitur etiam infirmitas ipsorum daemonum, qui simulacris suis non potuerunt dare sensum, et vitam, quo modo Deus verus simulacro suo, quod est homo, dedit spiritum vitae, sensum et motum, et quod est excellentius,dedit rationem et arbitrii libertatem. Recte igitur David probat, Deum esse magnum prae omnibus Diis,quia *simulacra gentium*, sive ipsa,sive inhabitatores eorum habeantur pro Diis, *oculos habent,et non vident; aures habent, et non audiunt; os habent, et non loquuntur;* manus, et pedes habent, et nec movere, nec moveri possunt, quia non est spiritus vitae in facie ipsorum; ubi alludit Propheta ad id quod dicitur Gen. 2. de simulacro veri Dei, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*. Caetera, quae ad hos versiculos pertinent, vide in explicatione psal. 113.

18. *Similes illis fiant, qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis.*
19. *Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino.*
20. *Domus Levi benedicite Domino; qui timetis Dominum, benedicite Domino.*

Facta collatione Dei veri cum diis falsis confert cultores falsorum Deorum cum veri Dei cultoribus et illis praedicit per modum imprecationis similitudinem Deorum suorum, videlicet illos fore mutos, caecos, et surdos quoad vera bona intelligenda, et quaerenda et laudanda: cultores autem Dei invitat ad benedicendum Dominum,quoniam cultores Dei vident, audiunt, loquuntur, ut imagines vivae Dei viventis et ideo debent exercere linguam ad laudandum Deum, a quo habent sentire,vivere, intelligere. Invitat autem primum in genere *Domum Israel*, idest, populum Dei, deinde per partes,*domum Aaron* in primis,quia illa erat domus sacerdotalis, tum *domum Levi*, unde erant Levitae, qui sacerdotibus ministrabant, denique omnes *timentes Deum*, idest, laicos omnes.Porro quamvis haec comparatio cultorum Dei ad cultores idolorum proprie conveniat idololatris paganis respectu christianorum: tamen convenit etiam iis, qui sequuntur avaritiam, quae est Idolorum servitus, et iis quorum Deus venter est, et denique illis omnibus qui fatentur se nosse Deum, factis autem negant: respectu hominum vere piorum, quorum *conversatio in coelis est*. Illi enim veluti simulacra Idolorum, non vident vera bona,nec vera mala,quamvis oculos habere videantur; neque audiunt quid loquatur in illis Deus:quamvis auribus non careant denique non loquuntur laudes Dei, quamvis ore, et lingua praediti sint. Contra, viri pii et qui cor habent in coelo, oculos interiores habent, et vident;aures cordis apertas habent et intelligunt,os, et linguam soluta et libera habent, ut Deum benedicant in omni tempore, et semper laus ejus sit in ore ipsorum. Lege p. 11.

21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.*

Concludit orans, ut ex Sion procedat benedictio Domini,*qui habitat*,tamquam in propria regia sua *in Jerusalem*, idest, ut omnes cives Sion, et Jerusalem non cessent benedicere Domino, qui rex magnus est et in ipsa Jerusalem sedem regni sui collocavit: quae conveniunt ecclesiae christianae militanti, sed multo magis triumphanti,quae omni labore vacua, et ab omni molestia libera, unicum habet negotium, vacare et videre, quoniam Dominus ipse est Deus.

PSALMUS CXXXV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Psalmus iste idem habet argumentum, quod psalmus superior. Invitat enim populum Dei ad laudem misericordiae Dei, et in singulis versiculis repetit, *quoniam in aeternum misericordia ejus*; ut ostendat omnia opera Dei, sive ad creationem, sive ad providentiam, sive ad redemptionem pertineant, ex misericordia Dei profecta esse.Deus enim, qui nulla re indiget, et rerum omnium absolutus Dominus est, nihil facit ex necessitate, nihil ex debito: sed omnia ex misericordia, quia placuit illi bonitatem suam effundere et communicare. In hebraeo non habetur, *alleluja*, in principio hujus psalmi, sed solum in fine superioris.Caeterum septuaginta interpretes initio psalmi posuerunt, *alleluja*, vel quia invenerunt in suis hebraicis codicibus in principio hujus psalmi, et non in fine superioris: vel, quod credibilius est, invenerunt in utroque loco, ut habetur in fine psalm. 104. et in principio psal. 105. qui idem habet initium cum 135. videlicet, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus*; et postea negligentia scriptorum excidit ex hebraico codice in principio hujus psalmi, *alleluja*. Ut se res habeat, aptissime ponitur initio hujus psalmi titulus, *alleluja*.

EXPLICATIO PSALMI CXXXV.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus,quoniam in aeternum misericordia ejus.*
2. *Confitemini Deo deorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
3. *Confitemini Domino dominorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

In primis tribus versiculis laudatur Deus Trinitas ab iis, quae in se habet: in sequentibus autem laudatur ab operibus suis.In primo versiculo habetur nomen quatuor literarum,יהוה *Jeovah*,quod soli Deo vero proprium est, et numquam communicatur cum rebus creatis: significat autem hoc nomen ipsum esse, ut Exod. 3. ipse Deus explicuit, cum ait, *ego sum qui sum*. Et quoniam esse et bonum convertuntur, et omne quod est, bonum est, et quod summe est, summum bonum est: ideo hic adjungitur bonum absolute ei qui absolute est. *Confitemini*, inquit, *Domino*, idest, confitemini confessionem laudis ei qui est, *quoniam* absolute *bonus* est: nec solum in se bonus est, sed etiam *in aeternum misericordia ejus* est: nam ipse qui est summum bonum, nullum habet admixtum malum, nullam miseriam: et ideo solus potest mala et miserias aliorum tollere,et re ipsa semper tollit et tollet in aeternum,magna miseria est nihil esse. Deus igitur dum conservat esse rerum quarumdam in aeternum,in aeternum erga eas misericors est,et dum beatosfacit sanctos angelos, et homines in aeternum, misericordiam aeternam illis exhibet, non tollendo miseriam infoelicitatis, quae sit, sed quae esset nisi beatitudinem aeternam illis donaret.Porro haec prima confessio tribui potest personae patris, quoniam pater fons est essendi, et communicat ipsum suum esse filio per generationem,et spiritui sancto per spirationem, sibi filioque communem. Secunda confessio potest tribui personae filii,nam dicitur filius Deus Deorum, quoniam Dii creati dicuntur angeli et homines quia sunt filii Dei, juxta illud psalm. 81. *ego dixi Dii estis, et filii excelsi omnes*. Filius autem Dei unigenitus est Deus deorum, quia filius est Dei naturalis, caeteri adoptati; ille natus est Deus de Deo,isti sunt Dii facti,ac per hoc tanto inferiores Deo filio,quanto res creata inferior est creatore. Et quamvis aliquo modo dicantur Dii respectu inferiorum: tamen respectu filii unigeniti non sunt Dii, sed creaturae. Ergo confitemini confessionem laudis Deo Deorum, idest, filio Dei unigenito, cujus participatione dicuntur Dii, filii Dei adoptivi. *Quoniam in aeternum misericordia ejus*, idest, quoniam ipse cum patre in aeternum miserias tollit a rebus creatis.Tertia con-

http://www.obrascatolicas.com

fessio tribui potest spiritui sancto; dominium enim fundatur in natura liberi arbitrii. Illi sunt Domini qui faciunt, quod volunt; illi servi, qui aliorum voluntati subjiciuntur. Princeps autem libertatis spiritus sanctus est, de quo dicitur, *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. *et spiritus ubi vult spirat*, Joan. 3. et, *haec omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Ait igitur David, *confitemini Domino Dominorum*, idest, laudate spiritum sanctum, amorem increatum, et omnipotentem, cui omnia serviunt, quoniam in aeternum misericordia ejus. Notat hoc loco s. Joan. Chrysost. in psalmo superiore dictum esse, *Deum magnum prae omnibus Diis*, sed in hoc ps. multum accessisse ad laudes Dei, quod appellatus sit *Deus Deorum*, et *Dominus Dominorum*, ut non solum caeteri Dii minores sint Deo nostro, sed ejus sint creaturae, atque mancipia.

4. *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Ad hunc versiculum, ut ad caeteros omnes sequentes, subintelligendum est, *confitemini Domino*. Incipit igitur laudare Deum ab operibus magnis, et mirabilibus quae solus ipse facere potuit, qualia sunt opera creationis, nam in caeteris usus est Deus opera angelorum, vel aliarum creaturarum. In his autem operibus laudatur praecipue misericordia, quia, ut supra diximus, nihil fecit Deus ex necessitate, quasi egeret creaturis, sed ex misericordia sua magna et ineffabili.

5. *Qui fecit coelos in intellectu, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Primum opus Dei fuit coelum, ut notum est ex cap. 1. Genes. *Fecit autem Deus coelum*, sive coelos, *in intellectu*, idest, in sapientia sua, sive per sapientiam suam. *Fecit* autem, *quoniam in aeternum misericordia ejus*, idest, quia placuit ei coelos ex nihilo educere, et simul parare aeternam domum angelis et hominibus. *Fecit* igitur *coelos* per sapientiam et bonitatem suam, intelligendo, et volendo, quae sunt quasi duae manus ejus. Itaque non laboravit, non faticatus est, non eguit mora temporis, non instrumentis variis, non merita circa quam operaretur, non adjutoribus administris.

6. *Qui firmavit terram super aquas, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Alterum opus principale fuit terra. Fecit enim in principio Deus coelum, et terram. Coelum enim factum est, ut esset palatium immortalium civium: terra, ut esset mansio mortalium. Aer et aqua sunt elementa intermedia, quae in usum hominum deserviunt. Porro dicitur terra stabilita *super aquas*, non quod aqua sit infra terra in imo loco mundi; sed quod superficies terrae magna ex parte sit altior superficie aquae, ut possint superficie terrae homines, et caetera animalia vivere. Quod enim terra sit in imo loco mundi, scribit idem David in psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.* Itaque terra intra civitates suas ita continet aquas, ut ex una parte aquae super terram quiescant, et tamen ex altera parte terra superemineat aquis. In hebraeo pro, *firmavit*, est, *extendit*, ut sensus sit, terram, quae initio erat cooperta undique aquis, et erat minus extensa, quam aqua, Deus congregando aquas in cavitates terrae, extendit super aquas, idest, fecit, ut latius pateret quam aqua. Uterque sensus est verus, et juxta utrumque sensum in hoc facto triplex cernitur misericordia Dei; una respectu terrae, quam eduxit ex nihilo; altera, respectu aquae, cui sedem stabilem praeparavit; tertia respectu hominum quibus dedit terram aquis discoopertam, et tamen aquis irrigatam, ut possent in ea degere, eam colere, et frugiferam reddere.

7. *Qui fecit luminaria magna, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
8. *Solem in potestatem diei, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
9. *Lunam, et stellas in potestatem noctis, quoniam, etc.*

Tertium opus magnum, et mirabile fuit fabricatio solis, lunae, et stellarum, quae ad coelum, et terram pertinent: siquidem coelum mirifice exornant, et terrae mirifice prosunt, dicuntur autem omnia *luminaria magna*, quia re vera majora sunt, quam ut a nobis eorum magnitudo mente comprehendi possit, cum stellae firmamenti, quae nobis ob longinquitatem perexiguae videntur, totum orbem terrae molis magnitudine superent: dicitur autem sol factus in potestatem diei, et luna cum stellis caeteris in potestatem noctis; quia lucendo, et illuminando terram, praesunt operibus nostris, tum diurnis, tum nocturnis, ut dicitur cap. 1. Geneseos. Et quidem in libro Geneseos duo sola dicuntur luminaria magna, sol, et luna, quia ista duo majus lumen in terras effundunt, quam omnes aliae stellae simul: tamen hoc loco videtur David non solem tantum, et lunam, sed omnes stellas appellare *luminaria magna*, quia in se talia sunt, et si astronomis credimus, longe majores sunt stellae firmamenti, quam luna sit.

10. *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
11. *Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam etc.*
12. *In manu potenti, et brachio excelso, quoniam etc.*
13. *Divisit mare rubrum in divisiones, quoniam etc.*
14. *Qui eduxit Israel per medium ejus, quoniam etc.*
15. *Et excussit Pharaonem, et virtutes ejus in mari rubro, quoniam in aeternum, etc.*
16. *Qui perduxit populum suum per desertum, quoniam, etc.*
17. *Qui percussit reges magnos, quoniam etc.*
18. *Et occidit reges fortes, quoniam etc.*
19. *Sehon regem Amorrhaeorum, quoniam etc.*
20. *Et Og regem Basan, quoniam etc.*
21. *Et dedit terram eorum haereditatem quoniam, etc.*
22. *Haereditatem Israel servo suo, quoniam etc.*

In his versiculis laudatur Deus ab opere providentiae, et sunt omnia perspicua tum ex libro Exodi, tum ex psalmo superiore. Illud quaeri posset, cur dicantur *opera misericordiae*, percussio Aegypti, occisio primogenitorum, interfectio regum, et caetera, quae videntur ad justitiam potius, quam ad misericordiam pertinere. Respondetur, opera illa fuisse respectu impiorum percussorum et occisorum opera justitiae; sed respectu populi Dei fuisse opera misericordiae; et quia liberatio populi erat praecipue a Deo intenta, ideo illa omnia tribuuntur simpliciter misericordiae. Quamquam etiam impiis misericordiam facit Deus, cum eos cito de hoc mundo tollit, ne diutius vivendo gravius peccent, et graviorem iram sibi ipsi thesaurizent *in die irae, et justi judicii Dei*. Circa verba horum versiculorum pauca notanda sunt. Vers. 12. *In manu potenti, et brachio excelso*, metaphora est, significans Deum graviter puniisse Aegyptum plagis multis, ut cogeretur dimittere liberum Dei populum, quomodo si vir bellator robusta manu, et brachio fortissimo uteretur ad ejusmodi opera. Vers. 13. illud, *in divisiones*, fabulantur hebraei significare duodecim divisiones maris rubri factas fuisse, ut unaquaeque tribus per suam divisionem transiret. Sed fabula sine fundamento est: nam Exod. 14. dicitur Deus immisisse ventum calidum, qui tota nocte flaret, et siccaret partem quamdam maris, ita ut a dextera, et a sinistra essent aquae stantes instar murorum, et in medio esset terra arida, per quam transivit populus Dei. Itaque *in divisiones*, significat divisionem maris in duas partes. Versicul. 15. illud, et *virtutem ejus*, significat, et exercitum ejus: id enim sonat vox hebraica, et aperte dicitur Exod. 15. *Currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare.*

23. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
24. *Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Haec referri possunt ad liberationem Judaeorum a servitute Pharaonis, Philisthinorum, et Nabuchodonosoris; item ad liberationem ecclesiae a persecutionibus Tyrannorum, et haereticorum; denique maxime proprie ad liberationem electorum a captivitate diaboli, et omnibus periculis hujus saeculi. Illud, *quia*, non refertur ad versiculos immediate praecedentes; sed ad illa verba, quae in singulis versibus subintelliguntur, nimirum *confitemini Domino*, ut sensus sit, *laudate Deum, quia in humilitate nostra*, idest, in afflictione, et tribulatione, et humiliatione nostra, *memor fuit nostri*, etc.

25. *Qui dat escam omni carni, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Hunc versiculum adjunxit Propheta pro iis, qui non patiuntur persecutiones; ne putarent sibi non esse necesse confiteri Domino. Dicit igitur, *confitemini Domino* omnes omnino, quia ipse est, qui nutrit, et conservat omnem creaturam viventem, ac praecipue omnes homines. Id quod facit, *quoniam in aeternum misericordia ejus*. In hebraeo est, *qui dat panem omni carni*, sed *panis* accipitur pro omni cibo apud hebraeos.

26. *Confitemini Deo coeli, quoniam in aeternum misericordia ejus.*
27. *Confitemini Domino Dominorum, quoniam in aeternum misericordia ejus.*

Concludit repetendo duos ultimos versiculos ex primo ternario: nam per *Deum coeli*, intelligit Deum Deorum, ut notat s. Augustinus. Dicitur enim *Deus coeli*, tum quia ipse solus verus Deus coelum fecit, juxta illud Psalmi 95. *Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit*, tum quia residens in summo coelo tamquam in proprio throno, hoc ipso demonstrat se Deum Deorum esse. Ultimus versiculus non habetur in hebraeo, nec in graeco, nec apud Hilarium et Chrysostomum, sed habetur apud Augustinum, et Hieronymum in commentario: et apud Chrysostomum habetur repetitio primi versiculi loco tertii. Ad extremum hujus explicationis reddenda est causa, cur a s. Augustino dissentire coactus sim in expositione verborum illorum *quoniam in aeternum misericordia ejus*. Existimat S. Augustinus, haec verba non esse referenda ad singula opera Dei, quae narrantur in toto psalmo, sed solum ad prima illa verba, *confitemini Domino*, et vult hunc esse sensum totius psalmi, *confitemini Domino*, qui est *bonus*, qui est *Deus Deorum*, qui est *Dominus Dominorum*, qui *fecit mirabilia*, qui *coelos in intellectu*, qui *firmavit terram super aquas*, etc. *quoniam in aeternum misericordia ejus* est in peccatores, quos redemit a servitute peccati, etc. Ratio ejus est, quoniam opera quae narrantur, ut effectio mirabilium, formatio coeli et terra et similia, non sunt opera misericordiae, sed bonitatis et benignitatis Dei. At nos sequuti sumus Hilarium et Chrysostomum, qui verba illa, *quoniam in aeternum misericordia ejus*, accommodant ad singula opera, quae in singulis versiculis narrantur: alioqui enim frustra repeterentur in singulis versiculis, si ad opera illa non pertinerent. Accedit quod vox *misericordia* in divinis litteris, et hebraice, חסד *chesed*, non restringitur ad misericordiam, quae tollit miseriam proprie dictam; sed extenditur ad bonitatem et benignitatem. Adde ultimo, quod non est difficile in singulis operibus Dei invenire veram misericordiam, ut nos ostendimus, et comprobatur ex verbis illis, *universae viae Domini misericordia, et veritas.*

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CXXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David Hieremia.

Hic titulus non habetur in hebraeo, et a Theodoreto confictus dicitur ab aliquo audaculo. Sed extat in libris graecis et latinis, neque ratio Theodoreti convincit, titulum esse confictum, quia Hieremias non fuerit unquam in Babylone. Titulus enim non significat, Hieremiam in Babylone fuisse sed psalmum compositum fuisse a Davide praevidente, et praedicente captivitatem Babylonicam, quam postea Judaeis imminentem Hieremias praedicavit et praesentem deploravit et finem ejus post septuaginta annos futurum denunciavit. Fieri quidem potest, ut hunc titulum David non addiderit praesenti psalmo, sed postea additus fuerit vel a septuaginta interpretibus, vel ab aliquo alio; tamen non ideo rejiciendus est, quasi falsam historiam contineret. Argumentum psalmi continet lamentationem captivorum et desiderium patriae, ac praedictionem severissimae animadversionis in Babylonios et Idumaeos: quae a Davide scripta sunt, non tam ut simplicem historiam futuram narraret, quam ut admoneret hebraeos, ut quando in Babylonem ducerentur captivi, non afficerentur rebus Babylonis, sed assidue ad patriam suspirarent. Et quoniam Propheta spiritualis erat, et noverat, Babylonicam captivitatem figuram esse captivitatis humani generis, et terrenam Jerusalem figuram esse coelestis patriae; simul admonet omnes electos, quomodo se gerere debeant in exilio et captivitate. Et sine dubio ad hunc praecipue finem ecclesia cantica ista spiritualia frequentat, ut ex his intelligere possint homines, an sint cives Babylonis, an Jerusalem, idest, an sint cum electis in coelesti patria regnaturi, an cum reprobis et hoc mundo damnandi.

EXPLICATIO PSALMI CXXXVI.

1. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.*

Verba sunt captivorum, qui ab Hierusalem in Babylonem abducti fuerant: qui quidem, ut Chrysostomus docet, non in ipsa civitate primaria habitabant, sed in agris ad varia opera vilia deputati degebant, et ad ripas fluminum, quibus ea provincia abundat, aliquando fessi sedebant, et ex recordatione, et desiderio patriae flebant. Dicuntur autem *Flumina Babylonis*, non quod omnia per ipsam civitatem labantur (solus enim Euphrates per Babylonem fluit) sed quod ad ditionem Babylonis pertinerent; nisi placeat per Babylonem, totam provinciam hoc loco significari: quo modo Samaria civitas est, quae toti etiam regioni nomen dedit. Sed spiritualiter verba sunt electorum Dei, qui corpore captivi tenentur in mundo, quamvis corde a mundo separati, cives se noverint coelestis Hierusalem: isti enim sancti peregrini super flumina consistunt, non in fluminibus demersi volvuntur, et praecipitantur ad mare. *Flumina Babylonis* sunt bona temporalia hujus mundi, quibus qui affixi sunt per desiderium ut avari, ambitiosi, voluptarii, magno sonitu contentionum, et litium alliduntur ad saxa, et cum ipsis aquis volvuntur in praeceps, donec ad abyssum magni maris in aeternum puniendi praecipitentur. Haec igitur est prima conditio civium supernae patriae et primum signum, unde quisque intelligat, ad quem populum pertineat: qui enim supereminent rebus temporalibus, et corde in coelum defixo, non abripiuntur desiderio rerum terrenarum; hi sunt, qui non ad Babyloniam sed ad Hierusalem pertinent. Deinde iidem cives sanctorum sedent ad ripas fluminum, idest, in humili loco se ponunt, non erigunt se ad excelsa, non ambiunt dignitates, non superbe sapiunt, et si forte contingat eos elevari ad regimen Babylonis ut vere contigit Danieli et non paucis sanctis christianis regibus; isti in alto positi non alta sapiunt, neque existimant exaltationem suam esse honorem; sed onus, sub quo gemant, non in quo glorientur, ac semper, quod ad se attinet, discumbunt in novissimo loco, si vere spiritum illius habent, qui mitis fuit et humilis corde. Tertio, non solum in humili sedent, sed gemunt, ac plorant non jacturam temporalium rerum, sed captivitatem suam, dum recordantur dulcissimae patriae, quae est in sancto monte Sion; qui enim obliviscuntur patriae exultant cum filiis Babylonis: qui autem desiderant et ex desiderio recordantur patriam; etiam tunc cum abundant rebus temporalibus, non in eis laetantur, sed gemunt ex desiderio patriae, neque ullum manifestius signum habere possumus unde cognoscamus, utrum cives Babyloniae, an Hierusalem simus, quam si attente consideremus, quid nos delectet, quidve nobis cordi sit. *Ubi enim thesaurus noster est, ibi et cor nostrum erit.* Luc. 12.

2. *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.*

Captivi hebraei organa laetitiae, citharas videlicet, ut est in hebraeo, suspendebant *in salicibus in medio* Babylonis, idest, palam et publice Babyloniis videntibus abjiciebant a se instrumenta laetitiae, ut ostenderent, sibi fletum magis cordi esse, quam cantum. Quod ipsum imitantur viri Dei, qui intelligentes captivitatem et exilium suum dicunt cum eodem Propheta, *renuit consolari anima: memor fui Dei, et delectatus sum*: quamvis enim non delectet cives Hierusalem cantare, et laetari cum Babyloniis, et de bonis Babyloniae, tamen cantant in cordibus suis Domino, et gaudent in spe futurae beatitudinis. Illud, *in salicibus in medio ejus*, idest, Babylonis, significat, *in salicibus*, quae sunt ad ripas fluminum, quae per mediam regionem Babylonicam fluunt. Suspendere autem citharas in salicibus fluminum Babyloniae, nihil est aliud, nisi relinquere instrumenta laetitiae hominibus hujus saeculi, qui tamquam arbores infructuosae irrigantur assidue aquis Babyloniae, et fructum nullum ferunt: ipsi pulsent citharas, ipsi cantent in hoc saeculo, quibus manet in alio luctus sempiternus.

3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.*
4. *Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

Non solum ob moestitiam suspenderunt citharas suas in ramis arborum captivi Judaei, sed etiam ne obsequerentur Babyloniis, audire, et irridere cupientibus sacros hymnos, quos in celebritatibus Domini cantare soliti erant. Ubi notat sanctus Joannes Chrysostomus ex tribulatione illa Judaeos factos esse meliores, idest, magis religiosos, et magis timentes Deum: antea siquidem ridebant Prophetas, imo et occidebant, nunc autem captivi in terra aliena, non audent hymnos sacros gentilium irrisioni exponere. Ajunt igitur, *quoniam illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum*, ideo, *suspendimus organa nostra*, et noluimus illis uti, ne sacra cantica irrisioni gentilium exponeremus, *quia ii, qui nos captivos duxerunt, illic*, in sua regione, *interrogaverunt nos verba cantionum*, idest, de verbis cantionum, et dixerunt, *qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Per verba *cantionum* intelliguntur cantica, idest, verba ad cantum accommodata; quasi dicant, Interrogaverunt nos de canticis nostris, cur videlicet non caneremus ut in patria nostra faciebamus. Posset etiam illud, *interrogaverunt*, verti, *rogaverunt*, ut sensus sit, *rogaverunt nos verba cantionum*, idest, petierunt, ut caneremus. Illud autem, *et qui abduxerunt nos*, quod in hebraeo est, תולינו *tholalenu*, alioqui vertunt *spoliaverunt nos*, volentes ת, positum esse more Chaldaico pro ש, alii, *afflixerunt nos*, quasi ejulare fecerunt, a verbo, הלל *thalal*: sed non video cur non possit verti, *extulerunt nos* quod est idem cum, *asportaverunt nos*, vel *abduxerunt nos*, ut septuaginta verterunt: nam הלל *thalal*, est *elevare, extollere, suspendere. Extollere* autem non solum significat tollere in altum, sed etiam tollere ex uno loco, et asportare in alium, et hoc modo acceperunt hanc vocem septuaginta interpretes. Illud, *hymnum cantate*, in hebraeo est, *laetitiam cantate*: sed sensus est idem, nam *hymnus* est carmen laetum; proinde *laetitia*, hoc loco accipienda est pro cantico laetitiae. Denique parum refert, quod pro illo, *de canticis Sion*, sit in singulari, *de cantico Sion*: accipitur enim numerus singularis pro numero multitudinis.

5. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.*

Haec est responsio captivorum ad petitionem illam, *cantate nobis de canticis Sion*. Aliqui existimant legendum esse, *in terra alieni*, idest, in terra Dei alieni: atque ideo noluisse Judaeos cantare ne honorem Dei veri tribuerent falsis Diis. Sed quamvis secundum regulas grammaticae illa vox, *in terra*, regat post se genitivum, tamen septuaginta interpretes et ipse etiam sanctus Hieronymus verterunt, *in terra aliena*; quia vel sciebant regulas grammaticae non esse infallibiles, vel acceperunt illud, *in terra alieni*, pro in terra alieni populi, quod est idem cum, *in terra aliena*. Sensus igitur est, respondisse Judaeos ob moerorem captivitatis, non se potuisse cantare cantica laeta, ut in patria sua solebant. Quamvis enim, ut supra diximus, ideo cantare nolebant, ne sacri hymni ab infidelibus riderentur: tamen non hoc responderunt, ne Dominos suos offenderent, sed quod justae causae speciem habere poterat. Spiritualiter viri justi, cives supernae Hierusalem, scientes laetitiam propriam esse patriae, gemitum exilii, et captivitatis, dicunt, quomodo possumus laetis canticis operam dare, inter tot pericula et tentationes? *risum reputavi errorem, et gaudio dixi, cur frustra deciperis?* Sed illi quoque cantant canticum Domini in terra aliena, qui sacros hymnos, et psalmos ita decantant, ut carnalem aurium voluptatem solum aut praecipue quaerunt, quique audientium carnales aures delectare variis vocum inflexionibus satagunt: cantica enim sacra instituta sunt ad mentem erigendam in Deum, et spiritum potius quam corpus recreandum. Contra autem nonnulli sunt, qui canticum Babyloniae in domum Dei, et sanctam Sion ducunt, illi videlicet, qui verba sacra modulis profanis ita vestiunt, ut qui audiunt, non tam verba considerent, quam profanam modulationem attendant.

6. *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea.*
7. *Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.*
8. *Si non proposuero Hierusalem in principio laetitiae meae.*

Qui dixerant, *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*; nunc una voce, quasi unus

http://www.obrascatolicas.com

homo, totus populus introducitur jurans, et firmiter statuens, se numquam oblivioni mandatorum patriam: et quia signum oblivionis fuisset pulsare citharam, et canere canticum Domini in terra aliena, ideo imprecatur sibi per juramentum execratorium, ut manus, qua pulsari solet cithara, exarescat, lingua, quae cantui deservit, adhaereat immobilis faucibus, si unquam obliviscetur patriam, et in signum oblivionis pulsare citharam, vel canere canticum Domini in terra aliena decreverit. *Si oblitus*, inquit, *fuero tui Hierusalem*, quod fiet si pulsare incipiam citharam in terra aliena, *oblivioni detur dextera mea*, idest, pereat dextera mea, arescat, non sit ulli usui: quorum enim obliviscimur, ea non amplius curamus, neque conservamus. Sanctus Hilarius, et sanctus Augustinus legunt active, *Obliviscatur me dextera mea*, et sic putant recentiores vertendam esse vocem hebraicam, תשכח *thiscach*, sed vox hebraica rectissime accipitur etiam passive: unde sanctus Hieronymus ex hebraeo vertit, *in oblivione sit dextera mea*: et sanctus Hilarius testatur vocem Graecam passive accipiendam, et dum reprehendit lectionem sui codicis, laudat lectionem nostram, quae respondet graecae, et Hebraicae voci. *Adhaereat lingua mea faucibus meis*, ut moveri nequeat, *si non meminero tui* Hierusalem, idest, sic cantando in terra aliena demonstrabo, me tui non amplius meminisse. Imo etiam *oblivioni detur dextera mea et adhaereat lingua mea faucibus meis*, si non solum obliviscar, et non meminero tui Hierusalem; sed etiam nisi proposuerunt te in principio laetitiae meae, idest, nisi initium, et summa laetitiae meae fuerit civitas sancta Hierusalem. In hebraeo pro verbo *proposuero*, est, אעלה *ahale*, quod significat *ascendere faciam*, sive *extollam*. pro nomine in principio, est, על ראש *al rosc, ad caput*, quod et *initium* et *summam* significat. Itaque sensus est, nisi extulero Hierusalem super omnes jucunditates meas, ut ipsa mihi prima et summa laetitia sit. Haec vero propria qualitas est civium patriae coelestis, et certa nota electorum Dei, si neque in prosperis, neque in adversis obliviscantur patriae supernae, et si optent carere manu et lingua, si gloriae Dei atque aeternae saluti deservire non debeant; et si nulla in re serio laetari noverint, nisi in desiderio, et spe coelestis illius domus non manufactae, ubi est gaudium Domini, de quo dicitur in evangelio, *intra in gaudium Domini tui*. Matth. 25.

9. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Hierusalem.*
10. *Qui dicunt, exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*
11. *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*
12. *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.*

Praedicit David in fine psalmi perditionem Idumaeorum et Babyloniorum, qui persecuti sunt filios Israel: Babylonii enim sub rege Nabuchodonosor everterunt Hierusalem, et transtulerunt hebraeos captivos in Babyloniam, ut notum est ex lib. 4. reg. et lib. 2. Paralipom. in fine. Idumaei autem, qui descendebant ab Esau fratre Jacob, qui et *Edom* dictus est, hortati sunt babylonios, ut everterent Hierosolymam, et populum captivum abducerent. Id aperte narrat Abdias Propheta, et multo ante id futurum praedixit David hoc loco: incipit igitur David ab Idumaeis, vel quia ipsi incitaverunt Babylonios adversus Israelitas, vel ut a minoribus ad majora praecedat, multo enim minus nocuerunt hebraeis Idumaei, quam Babylonii. *Memor*, inquit, *est Domine filiorum Edom, in die Hierusalem*, id est, memor esto filiorum Edom, quid videlicet egerint in die Hierusalem, idest, quando Hierusalem affligebatur et evertebatur a Babyloniis. Quid autem egerint, explicat in sequenti versiculo. *Qui dicunt*, idest, qui dicebant Babyloniis, *exinanite*, evacuate, effodite *usque ad fundamentum in ea*, idest, vertite eam a fundamentis. Illud, *memor esto*, intelligitur ad puniendum: Deus enim dicitur *non recordari*, quando non punit, *et recordari*, quando punit, Ezech. 18. *Iniquitatem ejus non recordabor amplius*, et Tob. 3. *Ne reminiscaris delicta mea*, vel parentum meorum. Transit deinde ad Babyloniam, et per modum imprecationis praedicit ejus ruinam. *Filia*, inquit, *Babylonis misera*, idest, civitas Babilon, quam ego miseram esse praevideo, licet nunc tibi foelicissima videaris: *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*, idest, rex Medorum, et Persarum beatus erit quia prosperabitur adversus te, et retribuet tibi mala, quae retribuisti nobis. Quod factum esse testatur Daniel cap. 5. et Isaias cap. 13. praedixit, quod hoc loco David etiam praedicit, tanta crudelitate saevituros Medos et Persas in Babylonios, ut etiam infantes eorum ad parietes allisuri sint, et sine ulla miseratione interfecturi. Illud, *parvulos tuos*, in hebraeo, et graeco, et in multis latinis libris manuscriptis, legitur, *parvulos suos*, neque est incredibile in nostram editionem Impressorum vitio irrepsisse *suos*, pro *tuos*, proinde recte correctus est hic locus apostolica auctoritate. Sensus autem est idem, si illud *suos* accipiatur non ut reciprocum secundum proprietatem linguae latinae, sed juxta phrasim graecam et hebraicam, accipiatur pro *ejus*, ut significentur parvuli Babyloniae. Spiritualiter haec omnia dupliciter intelligi possunt. Primo allegorice ut per *Idumaeos*, intelligantur Judaei; per *Babilonios*, pagani: vere enim Pagani sunt, qui praecipue conabantur ecclesiam christianam et fundamentis diruere, sed Judaeis exhortantibus, incitantibus, et gaudentibus. Nam ipsum etiam Christum Judaeis accusantibus, Pagani crucifixerunt. Jacobum occidit, et Petrum vingulis alligavit Herodes, quia videbat id placere Judaeis. Apostolum Paulum Judaeis apud romanos reum mortis facere conati sunt. Alias etiam Judaei concitaverunt animos gentilium adversus christianos, teste sancto Luca auctor. 14. sed memor fuit Deus, ut utrosque puniret. Nam Judaeorum urbem primariam evertit, regnum destruxit, et ipsos per totum orbem terrarum dispersit. Paganorum quoque, qui toto fere orbe imperabant, potentiam et regna ita sustulit, ut jam paucissimi restent pagani reges. Et quoniam

idololatria, et potentia paganorum non armis et violentia, sed praedicatione verbi Dei superata est, ideo dicit propheta, *beatus qui retribuet tibi*, etc. nam pagani infoeliciter persequebantur Christianos, sed foelicem persecutionem a Christianis passi sunt. Utilissimum enim illis fuit, ut idololatria extincta ipsi morerentur peccato, et justitiae vivere inciperent: quod praecipue parvulis eorum contingit, idest, iis, qui minus radicati erant in erroribus et vitiis paganorum. Scimus enim, maximam multitudinem puerorum, et puellarum, aliorumque simplicium hominum, facillime conversam ad Christum, et ad martyrium usque decertasse pro Christi gloria adversus paternam idololatriam: quod significatur illis verbis, *beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos*, sive parvulos ejus, *ad petram*, id est, qui admovebit parvulos Babyloniae ad petram Christum, ut foeliciter allisi moriantur homini veteri, et resurgant in hominem novum. Secundo possunt haec intelligi moraliter, ut per *Idumaeos* intelligantur carnales homines, ut Augustinus exponit, per *Babylonios* intelligantur daemones; quod est magis conforme principio psalmi: Babylonica enim captivitas figura fuit, ut initio diximus, captivitatis generis humani, quae captivitas adhuc ex parte durat, dum caro concupiscit adversus spiritum, et electi clamant, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. et Apostolus dicit, *nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri*, Rom. 8. et denique hospites, et peregrini habitamus in terra aliena, et in mundo damnabili sumus, licet de mundo non simus. Retribuet ergo Deus Babyloniae retributionem, quam retribuit nobis, quoniam sicut rex Babyloniae Diabolus captivos nos fecit, et alligavit vinculo culpae, quo vinculo alligati nascuntur omnes filii Adam: sic in die judicii captivum fiet Christus, rex Jerusalem, Diabolum, et alligabit, vinculis aeternae poenae, ut nulli amplius nocere possit, de quo dicit beatus Judas, *angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in Judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit*. Neque solum Diabolum ligabit Christus vinculis aeternis, sed etiam omnia membra ejus, sive omnes ministros ejus, mundanos videlicet homines qui pios persequebantur, et captivos tenebant, alligabunt angeli *in fasciculos ad comburendum*, ut dicitur Matth. 13. Sicut autem rex Babyloniae seducit praecipue, et captivos facit *parvulos* Christi, idest, eos, qui non creverunt, nec profecerunt in Christo; quibus semper lacte opus est: sic e contrario beatus est, qui parvulos Babyloniae, idest, qui minus creverunt in vitiis mundi, foeliciter allidit ad petram occidens peccato, et justitiae vivant, Non est omittenda spiritualis expositio sanctorum patrum, Hilarii, Hieronymi et Augustini, qui per *parvulos Babyloniae*, intelligunt initia tentationum, quae facile superari possunt, si continuo exortae allidantur ad petram, quae Christus est. Vere enim *beatus* dici potest, qui semper vigilat, et incentiva tentationum crescere non sinit.

PSALMUS CXXXVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

In Graecis libris, quos nunc habemus, invenitur titulus, *Aggaei et Zachariae*, sed videtur additus a recentioribus: nam non solum in hebraeo nihil est, nisi, *David*, sed neque ullus veterum legit, *Aggaei, et Zachariae*, nec Hilarius, nec Hieronymus, nec Chrysostomus, nec Augustinus, nec Theodoretus, nec Euthymius. Itaque merito contemni potest. Argumentum est gratiarum actio, quod exaudiverit Deus humilem orationem suam: pro qua re autem oraverit, et quid acceperit, alii aliter sentiunt: sed nobis videtur petiisse adventum Messiae, et gratias agere, quod exauditus praeviderit, et praedicere potuerit Christi gloriam, et conversionem gentium.

EXPLICATIO PSALMI CXXXVII.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.*

Initio psalmi pollicetur Propheta sacrificium laudis, et toto corde, quia pro beneficio omnium maximo gratias auctorus erat pro salute sua, et totius populi sempiterna. *Confitebor tibi Domine* confessionem laudis, et gratiarum actionis, non verbis tantum, sed ex intimo corde, summa attentione, et ardore mentis, eo quod exaudieris verba oris mei, orationem videlicet meam. In hebraeo non habentur haec verba, *quoniam audisti verba oris mei*. Sed credibile est excidisse, et esse debere: habentur enim apud antiquos patres, Hilar. Hieron. et August. in commentariis hujus psalmi. Apud graecos autem habentur quidem, sed post verba,

http://www.obrascatolicas.com

In conspectu angelorum psallam tibi: sensus semper est idem.

2. *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.*

Declarat confessionem suam fore talem qualem requirit excellentia auditorum. *In conspectu angelorum psallam tibi*, idest, scio me psallentem tibi, ab angelis, qui tibi assistunt, videri, et attendi, et ideo ita considerate me geram in psallendo, ut qui intelligam in quo theatro consistam. Et certe, si nos quoque cum psalmos recitamus, intelligeremus, vel cogitaremus ab angelis sanctis videri, et audiri, nostram attentionem, et devotionem laudari, vel contra, evagationes, et negligentiam reprehendi; perfecto longe aliter caneremus, quam nunc facimus. S. Joan. Chrys. addit illud, *in conspectu*, significare, *et regione*, ut re vera significat vox hebraica, נגד *neghed*, sensum esse psallam e regione angelorum, quasi unum chorum faciant angeli: alterum homines, ut non solum nobis canendum sit audientibus et videntibus angelis, sed etiam illis ex altera parte concinentibus, et respondentibus. Quare multum omnino prodesset ad attentionem et diligentiam, si recitaturi divinum officium intra nos cogitando diceremus, *in conspectu*, vel regione *angelorum psallam tibi*: id enim efficeret, ut vere in toto corde confiteremur Domino. *Adorabo ad templum sanctum tuum*, idest, in templo manufacto, quod *orationis domus* psalmos decantans, *adorabo*, hoc est, *incurvabor*, et prosternar ad templum factum tuum, quod est non manufactum, sed aeternum in coelo: et in eo templo animo et contemplatione positus, *confitebor*, laudes *nomini tuo*. In hebraeo pro *Angelorum*, habentur *Deorum*. Sed septuaginta interpretes intellexerunt per *Deos*, hoc loco significari *angelos*, ut etiam in psalmo octavo, *minuisti eum paulo minus ab angelis*: et videmus ab apostolo hanc interpretationem approbari ad hebr. 2. proinde verissima interpretatio censenda est. Illud autem, *adorabo ad templum*, potest accipi de templo, sive tabernaculum, in quo erat arca Dei, et potest sensus esse, *adorabo ad templum*, idest, in templo, vel etiam, *adorabo ad templum*, idest, versus templum, quod faciebant hebraei, quando aberant a Hierosolyma: tunc enim adorabant, et orabant conversi ad eam partem mundi, ubi erat tabarnaculum Domini, ut intelligi potest ex cap. 6. Danielis. Sed quoniam David dixerat, se in toto corde laudaturum, et in conspectu angelorum psalmos cantaturum, credibile mihi est, eum de templo coelesti esse loquutum, ubi sunt angeli, et ubi praesidet ille, qui intuetur corda.

3. *Super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.*

Antequam exponatur hic versiculus, constituenda est littera ex concordia codicum. In Hebraeo habetur sic, *super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen tuum, verbum tuum*. In graeco illud, *sanctum tuum*, est generis neutri, το αγιον σου, nec desunt, qui existiment, graecum textum esse corruptum, et legendum esse, λογιον, pro αγιον, idest, *eloquium*, sive *verbum*, pro, *sanctum*. Sed cum antiqui Patres, Hilarius, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, et alii, in comment. et ipse s. Hieronym. et epist. ad Suniam, et Fretellam, ex graeco legant, *sanctum tuum*, non facile adducor, ut credam textum graecum esse corruptum. Existimo igitur sic textum hebraicum cum graeco et latino sic esse concordandum, ut per *sanctum tuum*, intelligamus filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut s. Hiero. admonet loco citato epistol. ad Suniam et Fretellam. Ipse enim est verbum Dei, ut dicitur in hebraico codice, et est sanctus Dei, ut dicitur in graeco et latino: neque refert, quod in graeco sanctum sit generis neutri: nam angelus quoque Gabriel Luc. 1. dixit: *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Dicitur autem Filius Dei, *sanctum* absolute, quia res est sanctissima, neque est in coelo, vel in terra aliquid eo sanctius. His ita constitutis, sensus versiculi erit, *confitebor nomini tuo super misericordia tua, et veritate tua*, idest, haec erit materia canticorum meorum. In toto corde laudabo te super magna illa misericordia tua, et fidelitate tua, qua sicut promisisti patribus, misertus generis humani, *magnificasti* Christum tuum, qui est *Verbum tuum* et *sanctum tuum, super omne nomen*, quia dedisti illi nomen, quod est super omne nomen. Nam hoc facto misertus es generis humani misericordia prorsus ineffabili, et ab omnibus in aeternum praedicando, cum genus humanum depressurum per peccatum usque ad inferos, exaltaveris in Christo super omnes coelos, et super omnes res creatas; et sic implevisti cumulatissime veritatem tuam, qua promissis tuis stare solitus es. Quia vero in hebraeo non est absolute, *super omne nomen*, sed *super omne nomen tuum*, dupliciter potest accipi nomen *Deo*. Primo, pro potentia, et gloria, quam Deus communicare solet cum creaturis, et tunc sensus est, *magnificasti* filium tuum *super omne nomen tuum*, idest, super omnem potentiam, et gloriam, quam alii a te acceperunt, quod est idem cum illo, *dedit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*. Secundo, ut nomen *Dei* accipiatur pro fama, et gloria, quae redundat ex operibus Dei, et tunc sensus est, *magnificasti* filium tuum *super omne nomen tuum*, idest, ex nullo alio opere acquisivisti majus nomen, famam, et gloriam, quam ex glorificatione filii tui.

4. *In quacumque die invocavero te exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem.*

Ex eo quod *magnificasti sanctum tuum*, confidenter peto, ut semper per illum advocatum nostrum exaudias me, *in quacumque die*, idest, quocumque tempore, *invocavero te*: ille enim dixit, *quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. *Multiplicabis in anima mea virtutem*. Hoc autem est, quod peto invocans te, ut multiplices, sive dilatas, ut proprie sonat vox hebraica, non annos vitae corpori meo, aut opes, aut filios, aut alia ejusmodi, sed *virtutem in anima mea*, idest, robores animam meam (*virtus* enim hoc loco, *robur significat*, ut vox hebraica et graeca demonstrant) ut resistam cupiditatibus, ut tolerem patienter adversa; ut ambulem sine fatigatione in via justitiae, ut vim inferam regno coelorum, ut ad eum, quem magnificasti, aliquando perveniam.

5. *Confiteantur tibi Domine omnes reges terrae, quia audierunt omnia verba oris tui.*

Quemadmodum paulo ante dixit, *magnificasti sanctum tuum*, praedicens futurum per verbum praeteriti temporis, quoniam videbat per spiritum rem futuram, quasi praesentem, vel praeteritam more prophetico: sic nunc praedicit futuram conversionem gentium per modum imperantis. *Confiteantur*, idest, magnificato sancto tuo per resurrectionem, et ascensionem ejus confitebuntur tibi confessionem laudis omnes reges terrae, quoniam per apostolorum praedicationem *audierunt omnia verba oris tui*, idest, quicquid mundo revelare dignatus es per prophetas et apostolos tuos; quae *verba oris Domini* antea in sola Judaea erant, ut dicitur apostolus roman. 3. *Illis tradita sunt eloquia Dei*: sed postea per apostolos audierunt omnes reges, et omnes populi terrae: nam *in omnem terram exivit sonus eorum*.

6. *Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.*

Pergit Propheta explicare mysterium vocationis gentium. *Et cantent*, inquit, *in viis Domini*, idest, ambulabunt reges, et eorum populi *in viis Domini*, quae sunt misericordia et veritas: isti, enim viis Deus ad nos descendit, et nos ad illum ascendimus; ille misericorditer condonando peccata poenitentium: et juste puniendo impoenitentes, et coronando justos, nos misericorditer condonando peccata proximorum, et juste cum omibus conversando, atque Deo, et proximo reddendo quod debemus: ambulabunt autem non inviti, et moesti, sed laeti, et volentes, cantando, *quoniam magna est gloria Domini*. Cognoscent enim, et admirabuntur quotidie magis ac magis quam magna Dominus fecerit, et quam magnifice glorificaverit Christum suum, caput nostrum, et quae sint divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctos.

7. *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.*

Haec est magna gloria Domini, quod cum excelsus, imo altissimus sit natura, dignitate, potentia, sapientia, imperio; tamen *humilia* de proximo respicit, quoniam ad humiles descendit: et vere in filio suo in terris visus est, cum hominibus conversatus est: *alta* autem *a longe cognoscit*, quoniam a superbis longe recedit, vel eos longe a se projicit: quomodo regem superborum diabolum de coelo ad inferos praecipitavit. Haec doctrina sanctae humilitatis omnibus quidem necessaria est, sed praecipue regibus, et aliis in sublimitate constitutis: ipsis enim maximum periculum est a spiritu superbiae. At cur Deus excelsus, non diligit excelsos, sed humiles, cum omne simile diligat sibi simile? Diligit Deus excelsos vera celsitudine praeditos, non elatos celsitudine falsa: illi enim similes Deo sunt, isti dissimiles. Porro humiles, qui se nihil esse ex se agnoscunt, implentur a Deo veris bonis, et exaltantur ad celsissimam dignitatem: superbi autem, qui se existimant esse quod non sunt, inanes remanent, et solo vento distenti, et inflati procul abjiciuntur.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.*

Quoniam Deus excelsus humilia benignissime respicit, David conscius propriae humilitatis, cum fiducia sibi pollicetur auxilium Domini in omni tribulatione. *Si ambulavero*, inquit, *in medio tribulationis*, ita ut undique tribulantibus, et tentantibus cinctus sim; tu tamen *vivificabis me*, id est vivum, illaesum, incolumemque servabis. *Et super iram*, idest, nam super iram (*et*, pro, *quia*, passim legitur in scripturis, ut saepe monuimus) *inimicorum meorum* me undique circumstantium et devorare cupientium, *tu extendisti manum tuam*, ut eorum furorem compesceres, et conatus impedires; et sic *salvum me fecit dextera tua*, idest, potentia et virtus tua, quae Christus est. In hebraeo habentur omnia in futuro, *vivificabis, extendes manum tuam, salvum me faciet dextera tua*, sed idem est sensus. S. Augustinus more suo utiliorem, sed spiritualem sensum excogitavit: *Si ambulavero in medio tribulationis*, idest, si ex amore coelestis patriae invenero praesentem vitam esse laboriosam peregrinationem, et sic invenero tribulationem et dolorem, quem non inveniunt, qui vitam praesentem amant, tunc *vivificabis me* vita gratiae tuae: *et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam*, idest, *in medio tribulationis* ambulo, quia tu extendisti manum tuam ad me feriendum magis, quam ira inimicorum ferire me possit. Inimici possunt spoliare, vulnerare, occidere, amplius non possunt; tu differs reditum in patriam, et adoptionem coelestis beatitudinis, quod mihi gravius est omni tribulatione corporali, sed tamen non despero, quia *salvum me facit dextera tua*, spe, et promissione; postea quoque re ipsa, et visione salvum me faciet eadem dextera tua.

9. *Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in saeculum, opera manuum tuarum ne despicias.*

Explicat modum, quo *dextera Domini salvos nos facit*. *Dominus*, inquit, qui est, *dextera tua*, *retribuet pro me*, retribuet autem tibi Deo Patri pretium pro peccatis meis, sicut alibi dicit, *quae non rapui, tunc exolvebam*: retribuet etiam vindictam inimicis meis, quam ego retribuere non

http://www.obrascatolicas.com

possum. *Domine misericordia tua in saeculum* durat, finem non habet; ideo peto, ut *opera manuum tuarum ne despicias*, idest, quae tu misericorditer inchoasti opera, inspirans fidem, spem, et charitatem, non deseras, sed conservando, augendo, perficiendo consummes. Recte autem dicit, *opera manuum tuarum*, non opera manuum nostrarum, quia quidquid boni habemus, illius dono habemus, sine quo non solum nihil possumus facere, sed neque sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.

PSALMUS CXXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Canticum Graduum.

Ad hunc titulum additur in graecis codicibus, *zachariae in dispersionem.* Sed haec verba non habentur in hebraeo; et Theodoretus monet, non haberi apud septuaginta, neque apud ullum interpretum: neque ea nos invenimus apud veteres tractatores. De argumento magna controversia est. S. Hilarius totum psalmum ad Christum accommodare nititur. S. Augustinus partim de Ecclesia, partim de Christo exponit. Theodoretus, prophetiam esse dicit de rebus gestis Josiae regis. Alii volunt Davidem de se proprie loqui, et Deum scientem omnia in testem adducere, quod ipse amicos Dei amaverit, inimicos oderit. S. Joannes Chrysostomus quem Euthymius sequitur, exponit, maxime secundum litteram, de scientia et providentia Dei. Chrysostomum praeter caeteros, sequens existimo, Davidem voluisse admonere genus humanum, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, et contra, severum Judicem operum malorum, atque ut id persuadeat, prolixe disputare de scientia Dei qua exactissime, et profundissime omnia nostra novit, naturam, opera, verba, cogitationes, ut nemo dicere possit, Deus non novit, aut non considerat res nostras, ideo vel judicium ejus effugiemus, vel pro meritis non coronabimur.

EXPLICATIO PSALMI CXXXVIII.

1. *Domine probasti me, et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.*

Haec David non de se solum dicit: sed assumit personam generis humani, et in persona omnium affirmat, Deo nos, et nostra omnia esse notissima. *Domine*, inquit, *probasti me*, idest, examinasti, et scrutatus es me: id enim sonat vox hebraica. Dicitur autem Deus *examinare et probare*, per metaphoram, quia vult perfectissime, et exactissime cognoscere omnia, ut re vera cognoscit: et quia qui volunt exactissime cognoscere, diligenter scrutantur. examinant, et probant; ideo David utitur hoc modo loquendi, non quod Deus egeat examine, et scrutinio. Itaque sensus est, tu Domine non es contentus quacumque cognitione rerum nostrarum, sed voluisti accuratissime cognoscere, ut faciunt, qui examinant et probant et re ipsa accuratissime cognovisti me. *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* Quod dixerat generatim, nunc per partes explicat. Tu, inquit, cognovisti ab aeternitate, quando, et quomodo et qua de causa sedere, vel surgere deberem: nec solum corporaliter, sed etiam moraliter, idest, quando cur et quomodo humiliandus, vel exaltandus essem. Et si Deus haec de omnibus hominibus novit, multo magis novit de Christo, qui est caput hominum, et angelorum: et ideo recte ecclesiae in die resurrectionis Christo accommodat haec verba, *cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.*

2. *Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam, et funiculum meum investigasti.*

Docet, Deum non solum cognoscere humiliationem et exaltationem, quae ad totam vitam pertinent, sed etiam in particulari omnes cogitationes, omnia consilia, omnem eventum. Vel cum docuisset David, Deum cognoscere exteriora nostra, humiliationem et exaltationem, nunc docet, Deum cognoscere etiam interiora, cogitationes, et desideria. *Intellexisti*, inquit, *cogitationes meas de longe*, idest, multo antea quam cogitare inciperem tu nosti quid essem cogitaturus, item nosti *de longe semitam meam*, idest, progressum meum, itinera mea tum corporalia, tum multo magis spiritualia, quae sunt consilia et deliberationes, denique *funiculum meum investigasti*, idest, finem et metam, ad quam perventurus essem, quam haereditatem, quam quietem assecutorus. In summa intellexisti ab aeternitate principia, media, et finem actionum mearum. Ex hebraeo s. Hieron. vertit,

malum meum pro *cogitationes meas*; sed s. Hieron. existimavit vocem hebraicam deduci a, רוע *roah*, et legit, רועי *rohi*, *malum meum*: sed septuaginta interpretes deduxerunt eamdem vocem a, רעה *raha*, et legerunt, רעי *rehi*, quam vocem etiam si aliqui vertendam putent, *amicum meum*, tamen recte vertere possumus, *cogitationem meam*, ut ipsi etiam Judaei fatentur. De voce, *funiculum meum*, magna controversia est: in hebraeo habetur, רבעי *ribhi*, *accubitum meum*, sive, *accubationem meam*, ut vertit s. Hieronymus, ut sensus sit, *cognovisti ambulationem meam, et accubitum meum.* S. Augustinus legit, *semitam meam*, *et limitem meum*, et recte, quia finis itineris est limes, sive terminus, et quia in termino homo quiescit, recte dixit David, *semitam meam, et accubitum meum.* Hoc idem significare voluerunt septuaginta interpretes per *funiculum*: nam secundum scripturas *funiculus* significet *haereditatem*, sive *possessiones*, quae funiculis dividebantur, Ezech. 47. Joseph *duplicem funiculum habet*, idest, duplicem haereditatem, sive possessionem, quia Joseph duas tribus habuit, Ephraim et Manassem. Omitto eos, qui per *funiculum*, intelligunt itinera longa, vel distorta, et alia id genus, quae cum voce hebraica nulla ratione cohaerent.

3. *Et omnes vias meas praevidisti, quia non est sermo in lingua mea.*

Dixerat, Deum praevidisse cogitationes, consilia et eventus: nunc addit generatim omnes alios motus etiam otiosos, ut verba permulta. Praevidisti omnes alios motus meos usque ad verba inutilia et otiosa, *quia non est sermo in lingua mea*, supple quem tu non praevideris: hinc enim Dominus in evangelio testatur, homines de omni verbo otioso reddituros esse rationem in die Judicii: quia Deus omnia observat, omnia considerat, ut omnia in tempore suo in judicium adducat. Unde et s. Job perterritus dicebat, Job. 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* In graecis codicibus legitur, *non est dolus in lingua mea*, sed videtur esse nostra lectio verior. Nam s. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam testatur, non solum in hebraico esse, מלה *milla*, *eloquium* sed etiam septuaginta interpretes vertisse λογον, id est, *sermonem*. Sanctus etiam Chrysost. varias lectiones adducit, quarum alia habet, *non est sermo*, alia, *non est dolus*.

4. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.*

Persuadet Propheta duobus argumentis, Deum omnia scire quae ad nos pertinent, primo quia novit omnia praeterita et futura unde non est mirum si etiam res humanas exacte sciat, quae inter caetera non ultimum locum obtinent: secundo, quia ipse fecit hominem, ipse gubernat: ergo dubitari non debet quin sciat omnia, quae ad illum pertinent. *Ecce*, inquit, *Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua*, idest, futura in novissimis diebus, et praeterita ab antiquissimo tempore. *Tu* praeterea *formasti me*, tu fecisti hominem, et posteaquam fecisti, non dimisisti, ut caeteri opifices faciunt, sed *posuisti super me*, super hominem a te formatum *manum tuam*, ut eum regeres, conservares, et quasi portares; alioqui enim in suum pulverem, imo in suum nihilum reverteretur. In hebraeo, quod nos legimus *novissima et antiqua*, possunt etiam legi, *retro*, et *ante*, et sic legit s. Hieronymus. Ratio cur ita legat, est, quia conjunxit illa verba cum sequentibus, *formasti me*, non cum praecedentibus *cognovisti omnia*; non autem cohaerebant, *novissima et antiqua*, cum *formasti me*, sicut coherent *retro et ante*. Contra autem septuaginta interpretes quia conjunxerunt cum praecedentibus, ideo verterunt, *cognovisti omnia novissima et antiqua.* Quamvis autem recentioribus quibusdam valde placeat illud, *retro et ante formasti me*, tamen vulgata editio praeferenda est, tum quia maxima est auctoritas septuaginta interpretum tum quia sic legunt omnes patres graeci et latini: tum quia non est res magna, neque mirabilis, quod qui formaverit hominem, formaverit partes et membra omnia, anteriora et posteriora, id enim omnes artifices statuarum et picturarum et aedificiorum faciunt. Sed quod Deus sciat *omnia novissima et antiqua*, id vere magnum et mirabile, et soli vero Deo proprium, et prophetica commemoratione dignissimum est.

5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.*

Quia demonstraverat Propheta duobus illis argumentis, scientiam Dei ad omnia, quae hominis sunt se extendere, ne quis putaret scientiam Dei nobis jam satis cognitam et perfectam esse, subjunxit hunc versiculum ut intelligeremus, scientiam Dei notissimam esse, quoad existentiam, id est, quod sit scientia maxima in Deo, sed obscurissimam esse; et plane incognitam, quoad modum idest, incomprehensibilem esse, quo modo Deus praevideat futura, praesertim libera, quae pro arbitrio hominis possunt esse, et non esse, qualia sunt cogitata, desideria, verba, et pleraque opera hominum. Idem dici potest de essentia et attributis Dei. Deum esse, et esse potentem, sapientem, bonum, justum misericordem, etc. notissima sunt: quid autem sit Deus et quomodo tot attributa sunt una simplicissima res, una essentia, unum esse, quis novit? quis dicere poterit? Ait igitur, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, idest, mirabilior, quam ego assequi possim. Illud enim, *ex me*, phrasi hebraica significat, *prae me*, vel *super me*, quod explicatur per verba sequentia, *confortata est*, *et non potero ad eam*, idest, praevaluit supra capacitatem meam, sive elevata est altius, quam ego conscendere possim ut rem apprehendam. Duae sunt aliae, quae dantur a patribus ad hunc versiculum expositiones. Prima est s. Basilii oratione nona in Hexameron, quod illud, *ex me*, significet ex iis, quae sunt in me, ut sensus sit, Ex hebraica

http://www.obrascatolicas.com

humani corporis, mirabilem ostendi scientiam, et sapientiam Dei, non minus quam ex fabrica coeli, et stellarum. Haec expositio veram doctrinam continet, sed non est ad mentem Prophetae, ut intelligi potest, ex verbis sequentibus *confortata est, et non potero ad eam*. Altera s. Joannis Chrysostomi, qui existimat Davidem loqui de scientia naturae, et attributorum Dei, ut sensus sit, *mirabilis est scientia tua*, idest, de te, de tua essentia et attributis; quamvis enim sciamus te esse, et esse bonum et misericordem, tamen non capimus quid sis. Haec expositio vera est, sed debet restringi ad unum solum attributum, idest, ad scientiam, quae est in Deo: de hac enim Propheta loquitur. Imo in textu hebraico non habetur pronomen, *tua*, sed *mirabilis facta est scientia prae me*, idest, ista scientia, de qua supra dictum est. *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua: et omnes vias meas praevidisti, et intellexisti cogitationes meas de longe*, ista, inquam, scientia mirabilis facta est *prae me*, idest, mirabilior, quam ego cognoscere possim.

6. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?*
7. *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.*
8. *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris:*
9. *Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.*

Addit aliud argumentum ad probandum, neminem esse, qui posset latere scientiam Dei, quia videlicet Deus ubique est, et omnia penetrat. *Quo ibo a spiritu tuo*, ut videlicet abscondar a te, a tua mente, et intelligentia? et idipsum clarius repetit, dicens: *quo a facie tua*, idest, ab oculis tuis *fugiam? si ascendero in* summum *coelum, tu illic es; si descendero in infernum*, in profundum abyssi longissime a coelo situm: ibi quoque tu ipse idem ades. *Si sumpsero pennas meas*, idest, si dentur mihi pennae, et mane surgens velocissime fugam ab oriente, *et habitem in extremis maris*, idest, in ultimo occidente; non tamen effugere te potero: nam *manus tua deducet me, et tenebit me*: quia sine Dei auxilio moveri non possumus, et quocumque imus, Deo nos portante imus. *In ipso* enim (ut ait Apost. Act. 17.) *vivimus, movemur, et sumus*. In hebraeo habetur pulcherrima figura poëtica: sic enim habetur ad litteram, *si sumpsero pennas aurorae, et habitavero in extremis maris*. Aurora enim vox ut apparuerit in oriente, spargit radios suos usque ad occidentem, ut videatur quasi pennis velocissime ferri ab ortu usque ad occasum. Porro per, *extrema maris*, intelligamus ultimum Occidentem, non ut quidam voluot, quia Scriptura soleat per *mare*, intelligere occidentem; sed quia hoc loco extrema maris opponuntur orienti, ubi oritur aurora: nam absolute Scriptura per *mare* intelligit Austrum, non Occidentem. Psalm. 106. *A solis ortu et occasu; aquilone, et mari*: et quamvis terra promissionis habeat ad occasum mare mediterraneum, habet tamen ad Austrum mare Rubrum, et mare Oceanum. Et hoc loco non terram promissionis, sed totum mundum Propheta describit, a summo coelo usque ad imum infernum, et a mari Orientali, usque ad mare Occidentale, quo spatio totius orbis terrarum continetur, ut diximus in explicatione psal. 71. Denique observandum est, illa verba, *si ascendero in coelum, si descendero in infernum, si sumpsero pennas*, esse accipienda conditionaliter, non absolute, in hunc sensum. Etiamsi ascendere possem in coelum, vel descendere in infernum, vel volare ab ortu ad occasum, non possem a te abscondi, vel a te fugere.

10. *Et dixi, forsitan tenebrae conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis mei.*
11. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus.*

Objicit ipse sibi, posse fieri, ut abscondatur a Deo beneficia tenebrarum. Et respondet id non posse fieri, quia tenebrae apud Deum non sunt tenebrae. *Deus* enim *lux est*, ut scribit s. Joann. 1. epist. 2. *lux autem in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*, ut idem scribit in 1. cap. evangelii. Sicut enim lux solis corporalis non potest obrui tenebris, quia tenebras praesentia sua fugat, et ubicumque sol est, dies est: sic etiam lux spiritualis, et increata, quae Deus est, nullis tenebris impediri potest, quia praesentia sua tenebras omnes dissipat. Itaque nullum omnino latibulum homini relinquitur, in quo ab oculo Dei abscondi queat. *Et dixi, forsitan tenebrae conculcabunt me*, idest, forsitan tenebrae densissimae operient me, et sic effugiam oculos Dei. Ubi illud, *conculcabunt*, non significat, conterent, sed tegent, et obscurabunt sua densitate: id enim sonat vox hebraica, quam s. Hieron. recte vertit, *operient me*. Verbum autem graecum et latinum metaphoricum est: quod enim calcatur, in profundo ponitur, et absconditur. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. Haec est responsio ad objectionem factam: quae responsio in codice hebraico clarissima est, secundum versionem sancti Hieronymi, videlicet, *et nox lux est circa me*, idest, nox respectu oculorum Dei non est nox, sed illuminatio *circa me*. Septuaginta Interpretes non verterunt *circa me*, sed *in deliciis meis*, quia vocem hebraicam, בעדני *bahadeni*, duxerunt ab, עדן *heden*, quod est voluptas, et rectissime reddiderunt, *in deliciis meis*: sed quia haec interpretatio obscurior est, s. Joannes Chrysostomus, et alii multi, qui eum sequuntur confugiunt ad metaphoram, et volunt per *noctem* et *tenebras* significari tribulationes, et hunc sensum esse horum verborum, forsitan tenebrae tribulationum conculcabunt me; sed per gratiam Dei consolantem me, nox ipsa erit mihi illuminatio, tribulatio vertetur in consolationem in deliciis meis spiritualibus. Sed non est opus ad metaphoram confugere; et totus contextus psalmi melius continuabitur et cohaerebit, si de veris tenebris hic versiculus explicabitur. Hic igitur est sensus litteralis, *nox illuminatio mea in deliciis meis*, idest, nox ipsa

per se obscura coram oculis Dei, non erit nox, neque obscura, sed erit illuminatio mea, idest, illuminabit, et patefaciet me in deliciis meis nocturnis versantem nam qui deliciis impuris vacant, tenebras noctis quaerunt, existimantes se a nomine videri, et ita securius peccare: unde et Apostolus ait, *qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*: et poterat addere, Qui in cubilibus, et impudicitiis deliciae quaerunt, in noctibus eas quaerunt. Sed frustra; nam oculus Domini sole ipso lucidior tenebras omnes penetrat, et nihil est ei absconditum. Induit autem hoc loco personam impiorum Propheta sanctus, dum haec dicit; et sequentibus clarius idem repetit. *Quia tenebrae*, inquit, *non obscurabuntur a te*. In hebraeo elegantius, quia tenebrae non tenebrescent apud te. *Et nox sicut dies illuminabitur*, idest, et nox non erit obscura, ut solent noctes, sed erit lucida, ut lucidi sunt dies. *Sicut tenebrae ejus, ita et lumen ejus*. In hebraeo paulo clarius, *sic tenebrae, sicut lumen*. Sed addiderunt septuaginta pronomen, *ejus*, generis foemini, αυτης, et sensus est, *sicut tenebrae ejus*, idest, noctis, *ita et lumen ejus*, id est, diei; perinde enim est apud Deum, sive sint tenebrae noctis, sive lumen diei: quia non minus videt in tenebris noctis quam in luce diei.

12. *Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meae.*

Probat, Deum in tenebris videre, et nihil ei esse absconditum; quamvis occultissimum, ex formatione membrorum nostrorum internorum in utero matris adhuc reconditorum: duplex enim hic est obscuritas; una quia membra sunt interna; altera, quia sunt in utero matris. *Quia tu possedisti renes meos* idest, hinc apparet, tibi perinde esse noctem, et diem, tenebras, et lucem, quia tu formasti, et formando tuos effecisti, *renes meos*, partes videlicet secretas, et absconditas, ubi est sedes internae cupiditatis: proinde effectus mei, et desideria mei, in manu tua sunt: neque solum *renes meos*, sed me totum in utero latentem suscepisti formandum, et fovisti formatum. Illud, *possedisti*, est in hebraeo, קניתָ *Kanitha*, quod significat, *producere*, et ratione productionis possidere, ut rem suam. Sic Gen. 2. dicit Eva, *possedi hominem per Deum*, quando genuit Caïn, et Proverb. 8. dicit Sapientia Dei, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Utrobique est idem verbum hebraicum: illud autem *suscepisti me*, non significat suscipere quomodocumque, sed suscipere formandum, sive fovere, et tegere. Unde sanctus Hieronymus vertit, *orsus es me*; alii *obumbrasti me*. Illud denique, *de utero*, in hebraeo est, *in utero*, et colligitur ex versiculis sequentibus, omnia haec intelligenda esse de conformatione humani corporis in utero. Quare ut verba graeca et latina concordent cum hebraicis, et cum sensu ipso Prophetae, illud, *suscepisti me de utero*, non debet exponi de egressu ab utero, sed de tempore quo erat in utero, in hunc sensum, Suscepisti me formandum, et fovendum de ipso utero, idest, antequam exirem de utero, dum adhuc essem in utero. Sicut intelligitur illud Isaiae 49. *Dominus ab utero vocabit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei*: sive enim hoc intelligatur de Christo, sive de sancto Joan. Baptista, id significat, Deum vocasse nomen ejus, et destinasse illum ad magnum officium ab ipsa conceptione, dum adhuc esset in utero.

13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis.*

Interrumpit Propheta narrationem de officio humano per apostrophen ad Deum, et admirans magnitudinem scientiae, et sapientiae Dei in hoc opere, *confitebor*, inquit, *tibi*, idest, cogitans haec opera tua, confitebor tibi confessionem laudis, quia terribiliter terrore admirationis, et reverentiae magnificatus es. Declarat autem in quo sita sit haec admirabilis magnificentia, dicens, *mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis*, idest, admiranda sunt opera tua in formatione hominis in utero matris tam recondito, et obscuro; et anima mea valde sataget, ut cognoscat magnitudinem horum operum tuorum. Ubi non significatur perfecta cognitio operum Dei, sed cognitio, quod magna et mirabilia sint. Quo modo non videmus, nec scimus, quanda sit magnitudo maris, sed cognoscimus mare esse amplissimum, et ex hoc ipso cognoscimus esse amplissimum, quod ex nullo loco totum cernere possumus. Quo modo etiam solem adversum intueri nequimus, sed hoc ipso intelligimus, solis lucem esse maximam. In hebraeo nunc legimus, *magnificatus sum*; sed Septuaginta legerunt in secunda persona, non in prima. Sensus autem est idem; nam ideo Deus magnificatus est valde in hoc opere, quia magnificum opus fecit, cum nos ita magnificavit.

14. *Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terrae.*

Revertitur ad scientiam, et sapientiam Dei in opificio humano. *Non est occultatum*, inquit, *a te os meum*, idest, non latet scientiam tuam ossatura mea, ut sic loquar, idest, qualia et quam multa ossa lateant intra carnem humanam, quia tu ipse ea fecisti, et in occulto fecisti, videlicet in utero matris et intra pellem et carnem nostram. Idem repetit aliis verbis dicens, *et substantia mea in inferioribus terrae*, id est, non est occultata a te substantia corporis mei, adhuc etiam latens in profundo utero, quasi metallum in visceribus terrae: vel si non placeat per *inferiora terrae* intelligere uterum matris; possumus exponere proprie de ipsa terra, quae infima est inter elementa: nam ad admirationem operum Dei, pertinet quod tam nobilem substantiam formaverit in hac infima terra. Porro qui viderunt anatomiam corporis humani, satis mirari non possunt sapientiam Dei in fabrica tot ossium magnorum, parvorum, minimorum, mirabiliter inter se connexorum, atque id totum sine instrumentis in loco angustissimo, et obscurissimo peractum. Potest etiam hoc intelligi simul de ossibus corporis,

http://www.obrascatolicas.com

et animae, idest, de robore, et fortitudine animi humani, quod tantum est, ut homo natus inermis et nudus audeat, auxilio Dei fretus, non solum bestias, sed et ipsos doemones ad bellum provocare. In hebraeo, pro, *quod fecisti*, habetur, *quod factus sum*? sed credibile est Septuaginta legisse, עשית *hasitha*, fecisti, non, עשיתי *hussethi factus sum*, et sensus interpretationis septuaginta est longe clarior. Pro illo autem, *et sapientia mea*, in hebraeo legitur, רקמתי *rukamti*, idest, *variegatus sum*, ut sensus sit, *non occultatum est a te os meum, quod fecisti in occulto*, neque etiam occultatum est a te, quo modo variegatus sim a te varietate membrorum, et potentiarum, et partium similarium, *in inferioribus terrae*, idest, in utero matris, sive in hac ima terra, in qua degimus: quae sententia elegans est, et vera. Sed septuaginta non legerunt, רקמתי *rukamti*, sed unica littera paululum immutata, et aliis punctis subintellectis, וקמתי *vekomati, et erectio mea*, sive exaltatio, a non esse ad esse, quod est ipsa substantia: et sic legerunt omnes veteres.

15. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, et nemo in eis.*

Pergit in ostendenda scientia Dei erga humani corporis opificium: et per *imperfectum*, intelligit corpus informe, quod vocant embryonem, in quo nondum apparet forma, et distinctio membrorum. Hoc, inquit, *imperfectum meum viderunt oculi tui*, nec simpliciter viderunt, sed cognoverunt quid inde fieri deberet, et quo tandem evasurum esset. Reddit mox rationem subjiciens, *et in libro tuo omnes scribentur*, idest, quia habes apud te exemplaria, sive ideas omnium, quo modo pictor, vel sculptor scit, ex informi materia, quid futurum sit, quia videt exemplar. Itaque illud, et, accipitur pro *quia*. Quia, inquit, *in libro tuo*, idest, in mente tua, omnes homines, imo etiam res omnes descriptae invenientur. *Dies formabuntur et nemo in eis.* S. Hilarius legit, Die formabuntur, et in graeco textu est casus accusativus, ac per hoc subintelligitur aliquid, ut sensus sit, in dies formabuntur informia corpora et perducentur ad perfectionem suam, ut in exemplari relucent. *Et nemo in eis*, supple, deerit, vel ut est in hebraeo, nihil in eis deerit. Ordinarie siquidem nullus homo conceptus in utero, ad perfectionem suam non pertingit, neque aliud ex iis, quae naturaliter requiruntur, in eis deficit: cum enim secus accidit, ut in abortivis, vel iis, qui nascuntur coeci, aut muti; id non accidit ex defectu primae causae, sed secundarum. Possent haec omnia intelligi etiam de perfectione hominis quantum ad animam idest, de sapientia, prudentia, virtutibus moralibus gratia et gloria. Novit enim Deus *imperfectum* nostrum, et nos ex nobis nihil esse, nisi massam informem, sed juxta descriptionem in libro vitae, in dies formamur, et perficimur, donec efficiamur conformes imagini filii Dei, et configuremur corpori claritatis ejus. Atque ad hanc perfectionem tam excellentem corporis, et animae, ad quam ex tanta imperfectione perducuntur amici Dei, respiciens Propheta exclamat id quod sequitur.

16. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Exclamatio ob admirationem nascitur, ut dixi, ex eo quod Propheta consideravit ex quanta abysso imperfectionis Deus perducat amicos suos ad summam et eminentissimam perfectionem, in qua simul ostenditur providentia Dei considerantis, et curantis res humanas, ut maxime proprias, et merita hominum altissime remunerantis, et demerita severissime punientis. *Mihi autem*, inquit; idest, apud me, sive meo judicio, *nimis honorificati sunt amici tui Deus*, idest, valde omnino et supra quam intelligam *honorificati sunt amici tui*, valde omnino confortatus est, roboratus et stabilitus principatus eorum: nam educti ex massa perditionis, et ex diabolica captivitate, transferuntur ad regnum aeternum, facti angelis aequales, filii Dei et haeredes fratres autem et cohaeredes unigeniti, quem constituit Deus haeredem universorum. Non desunt, qui illud, *mihi*, interpretentur, *a me*, ut sensus sit a Davide honoratos semper fuisse amicos Dei. Sed prior expositio est communior, et verior et melius cohaeret cum verbis sequentibus. *Nimis confortatus est principatus eorum.* Qui enim honorificavit amicos Dei, ille idem confortavit principatum eorum; Deus autem, non David confortavit principatum omnium amicorum. In hebraeo, et graeco habetur in numero multitudinis, *confortati sunt principatus eorum*, Sed idem est sensus: principatus enim justorum et unus est, et multi: unus, quia unum est regnum Dei commune omnibus sanctis; multi, quia omnes et singuli reges sunt et principes magni: ejus enim naturae et conditionis est regnum coeleste, ut sine contentione, vel aemulatione, vel detrimento a singulis possideri possit in solidum. Quod autem dicitur, *confortatus est.* non solum referri debet ad robur, sed etiam ad multiplicationem subditorum: tunc enim confortatur principatus, cum crescit, et propagatur, et hoc declaratur in sequenti versiculo.

17. *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur, exurrexi, et adhuc sum tecum.*

Declarat, quo modo confortatus sit principatus amicorum Dei; et dicit, confortatum esse, quia mirifice brevi propagatus est. Quod quidem verissimum est, tum quia ipsi principes tot sunt futuri, ut s. Joannes dicat, Apoc. 5. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et linguis*, etc. tum etiam quia omnes res creatae, et ipsi etiam daemones, et homines reprobi subjecti erunt post judicium pedibus sanctorum, atque ad principatum eorum pertinebunt. Ait igitur, *Dinumerabo eos*, idest, conabor numerare vel amicos Dei, qui principatu fruentur, vel subditos eorum, et prae multitudine numerare non potero, quia *super arenam multiplicabuntur*, idest, plures erunt quam grana arenae in littore maris. Est autem haec amplificatio quaedam

sed familiaris divinae scripturae. Genes. 13. dicit Dominus Abrahae, *faciam te sicut pulverem terrae*, idest, multiplicabo posteritatem tuam, secundum multitudinem granorum pulveris terrae, quae numerari non possunt. Genes 22. *Crescere te faciam sicut arenam, quae est in littore maris.* His dictis Propheta de se loquitur, atque ostendit, ex cognitione tam ingentis gloriae Sanctorum amicorum Dei, se quoque exarsisse in affectum Dei, et desiderium participandae ejusmodi gloriae. *Exurrexi*, inquit, sive ut sonat vox hebraica, *evigilavi* ad hanc novam lucem et surrexi per amorem et desiderium in te: *et adhuc*, idest, usque ad hoc tempus *tecum sum*, tibi inhaereo, a te pendeo, cupidus perseverandi usque in finem. Scio haec pauca verba mille modis exponi a veteribus, et recentioribus; sed piguit ea describere, quae alii dicunt, cum in ipsorum libris legi possunt. SS. Patres Hilarius, et Augustinus exponunt de Resurrectione Christi, quos sequuta ecclesia in Missae introitu, haec verba posuit, *resurrexi, et adhuc tecum sum posuisti super me manum tuam, mirabilis facta est scientia tua.* Sed nimis difficilis est continuatio verborum, si haec ad litteram intelligantur de Christi resurrectione; ideo dicendum videtur, haec posse applicari ad Christum, quia illi maxime proprie conveniunt, quamvis de alio dicta sint, quomodo exposuimus illud, *tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam*, de humiliatione et exaltatione omnium hominum: et tamen admonuimus, Christi passioni, et resurrectioni potissimum convenire, quo modo etiam ecclesia in missa de Assumptione applicat b. Virgini Deiparae illa verba, *optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea*, quoniam in eam optime conveniunt; quamvis de Maria Magdalena dicta esse constet ad litteram. Luc. 7.

18. *Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me.*
19. *Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas.*

Dixerat Propheta, Justos Dei amicos valde honoratos esse a Deo, et optaverat consortium eorum nunc e contrario dicit, Impios inimicos Dei interficiendos justo Dei judicio, et recusat amicitiam, et consortium ipsorum. *Si occideris Deus peccatores*; idest, si tu Deus justo tuo judicio, ut probos honorificabis et exaltabis, ita peccatores reprobabis, et ad interitum sempiternum damnabis: ego nolo consortium istorum, ideo dico vobis, impiis, *viri sanguinum declinate a me.* Vocat autem *viros sanguinum* non solum homicidas, qui sanguinem humanum injuste fundunt, et proprie dicuntur *viri sanguinum*, sed omnes alios improbos, scelestos, qui aliis nocere cupiunt, vel nocent, et occidunt animas proprias per peccatum et animas aliorum per scandalum et vere etiam odio habentes proximum homicidae dici possunt, quia odium principium est homicidii. Quare s. Joannes in Epist. 1. cap. 3. dicit: *Qui odit fratrem suum, homicida est. Quia dicitis in cogitatione*, idest, quia cogitatis apud vos et in corde vestro dicitis, *accipitis* justi videlicet, *in vanitate*, idest, frustra et in vanum, *civitates tuas*, idest, civitates Dei, frustra inquam, accipient, quia brevi auferemus ab eis. Haec referuntur ad id quod supra dictum erat, *nimis confortatus est principatus eorum*, idest, valde propagatus per conversionem infidelium ad fidem et impiorum ad justitiam. Quoniam igitur per propagationem ecclesiae civitates, idest, coetus plurimi ablati fuerant a daemonum servitute et idololatrarum dominio; ideo dicebant impii, qui reliqui erant, in corde suo, invidentes propagationi regni Christi, *accipient in vanum civitates*, quoniam sperabant brevi fore, ut eas recuperarent. Observandâ sunt aliqua hoc loco. Primo, magnam esse in graecis textibus varietatem, quod pertinet ad illud, *quia dicitis in cogitatione*; sed cum lectio vulgatae latinae editionis concordet cum hebraica lectione, non dubitamus, illam ex graecis veriorem esse, quae cum hebraica latinaque concordat. Secundo, in hebraico haberi, *quia dicunt tibi*, sed in nostra lectione omissum esse illud, *tibi*, quia facile subintelligi poterat: qui enim dicunt *in cogitatione*, non verbis externis, illi non audiuntur ab hominibus, sed a solo Deo; ideo dicunt tibi Deo, non nobis hominibus. Tertio, illud *civitates tuas* recte correctum esse, cum antea haberetur *suas*: nam, *tuas* habetur in textibus non solum hebraicis, sed etiam graecis et in manuscriptis latinis: et errore librariorum mutatum erat in impressis, *tuas*, in *suas*.

20. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam: et super inimicos tuos tabescebam?*
21. *Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.*

Qui evigilavit in Deum, et illi pleno corde adhaesit, nihil mirum est, si profiteatur se odisse eos, qui Dominum oderant: et si tabescebat ex taedio et dolore, cum videbat offendi ab impiis Dominum suum. Quod autem dicit, *perfecto odio*, s. Augustinus refert ad virtutem charitatis, quae diligit personas, et odit iniquitatem. Sed potest etiam significare odium consummatum et inimicitiam irreconciliabilem: quo tamen odio vir justus persequebatur peccata, non personas: ideo enim adjungit, *inimici facti sunt mihi*, quasi dicat, non ego illis, cum eos diligam et emendari cupiam, sed illi mihi, qui oderunt increpationem, et converti ad justitiam nolunt.

22. *Proba me Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas.*
23. *Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via aeterna.*

Quod initio dixerat, Deum fecisse; nunc ipse rogat, ut faciat, idest, ut pergat scrutari, et examinare cor, et semitas ejus idest, cogitationes, desideria, progressus, et actiones ejus. Finem autem scrutationis esse cupit, ut si Deus videat in ipso

http://www.obrascatolicas.com

viam iniquitatis, quae ducit ad acquirenda temporalia; abstrahat eum inde, et deducat in viam aeternam idest, ad ea cogitanda, desideranda et facienda, quae pertinent ad bona sempiterna.

PSALMUS CXXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

In finem, Psalmus David.

Recentiores sequuti Theodoretum, psalmi hujus argumentum esse docent precationem Davidis adversus Saulem regem, et ministros ejus. Sed veteres patres, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, argumentum esse volunt, precationem corporis Christi adversus Diabolum, et iniquos homines, qui instrumenta, vel satellites Diaboli sunt. Sanctus autem Hilarius non solum ita exponit, sed etiam refellit expositionem, quam recentiores sequuntur: dicit enim hunc psalmum non debere exponi de Davide persecutionem patiente a Saule, tum quia nihil proprie in hoc psalmo de Saule, vel Davide dicatur; tum quia non desint multa, quae non possunt Sauli, et Davidi accommodari, ut illud *tota die constituebant praelia*: non enim quotidie Saul adversus Davidem bella constituit; imo numquam Saul praelium adversus Davidem constituit, si proprie loqui velimus: sed fugientem persequebatur, vel delitescentem perscrutabatur; bella enim et praelia inter duos exercitus constituuntur, non inter unum insequentem et alium fugientem. Adde, quod quando placuit Davidi se suis persecutoribus psalmos canere, in titulo nomina eorum posuit, quod videmus in psalm. 141. 142 143. et aliis plurimis, et quia hic factum non est, dicamus cum patribus, psalmo praesenti doctrinam generalem tradi.

EXPLICATIO PSALMI CXXXIX.

1. *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.*

Christus loquitur secundum Hilarium in persona sua, et membrorum suorum: vel, quod est fere idem, loquitur corpus Christi, id est, coetus fidelium, ut alii patres dicunt. Per *hominem malum*, intelligit sanctus Augustinus Diabolum, qui dicitur Matth. 13. *inimicus homo*: alii intelligunt homines malos, qui a diabolo excitantur, et reguntur. Utrumque est verum et simul conjungi potest, ut sensus sit, *Eripe me ab homine malo*, sive Diabolus, qui est inimicus homo, per se, sive per homines sibi subjectos, me infestet. Et quemadmodum illud, *me*, non significat, unum certum hominem patientem, sed coetum justorum; sic etiam illud, *ab homine malo* non significat unum certum hominem infestantem, sed coetum iniquorum sive omnem iniquum. Quod sequitur, *a viro iniquo eripe me*, est repetitio ejusdem rei: quamvis enim aliqui sint mali, qui non videntur esse iniqui, idest, injusti: tamen aliquo modo omnis malus est iniquus, quia nocet saltem ipse sibi, nocet etiam aliis saltem exemplo, et sanctus Joannes in Epistola 1. cap. 3. dixit, *qui facit peccatum, iniquitatem facit et peccatum est iniquitas.*

2. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia.*

Reddit rationem, cur dixerit, *eripe me*, et dicit rationem esse, quia patitur infestationem cogitationum, verborum, et factorum et infestationes tales, quae dici possint praelia assidua, ut nullae dentur induciae, nulla intermissio: proinde non sine caussa hortatur Apostolus ad Ephesios 6. *ut sumamus armaturam Dei*, graece πανοπλιαν, idest, *omne genus armorum*, galeam, loricam, scutum, gladium, ut possimus resistere, et in omnibus perfecti stare. Ac primum de praelio cogitationum, *qui cogitaverunt*, inquit, *iniquitates in corde.* Illud *cogitaverunt*, demonstrat verum esse quod supra diximus, per *hominem malum*, non intelligi unum certum hominem, ut Saulem, sed coetum iniquorum, daemonum, et hominum. Porro, *cogitare iniquitates in corde*, est meditari deceptiones parare insidias, ordiri stratagemata. *Tota die constituebant praelia*, idest, per omne tempus sine ulla intermissione instruebant praelia, quae in corde meditati fuerant. Possent haec fortasse praecipue intelligi de praeliis internis cogitationum malarum, quae opera principis tenebrarum nobis immittuntur, qualia sunt desideria impudica, tentationes, infidelitates, scrupuli et perplexitas mentis, quae miro modo nos cruciant, et perturbant.

3. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.*

Hoc est alterum malum, quod patimur ab inimicis, malum verborum, videlicet calumniarum, detractionum, conviciorum, fraudum et aliorum id genus malorum, et quidem finis hominum malorum

conviciantium, detrahentium, fraudantium, est lucrum temporale, vel vindicta temporalis. Sed finis Diaboli est pertrahere hominem ad impatientiam, vel iracundiam, vel odium proximi, et ad peccata, quae inde sequuntur; potest etiam per *linguam serpentium* intelligi praedicatio haereticorum, quae molliter serpit, sed lethale virus inspirat et occidit. *Acuerunt*, inquit, viri illi mali, *linguas suas sicut serpentis*, ut facilius penetrarent in aures, et in corda: *venenum aspidum*, nocentissimum, *sub labiis eorum*, absconditum est, quod per linguam jaculantur in auditores. Illud, *sicut serpentis*, antea legebatur, *sicut serpentes*: sed merito correctum est, quia in hebraeo erat ambiguum, an esset legendum, *sicut serpens*, an, *sicut serpentis*: sed textus graecus declaraverat ambiguitatem, et posuerat, *sicut serpentis*. *Serpentes* autem in numero multitudinis, neque in hebraeo legebatur, neque in graeco, sed in sensu nulla diversitas est.

4. *Custodi me Domine de manu peccatoris et ab hominibus iniquis eripe me.*

Hoc est tertium malum, quod ad rem ipsam pertinet, ac primum petit coetus justorum protectionem, ne manus peccatoris appropinquet, et noceat ubi videtur per *peccatorem*, intelligere principem ipsum tenebrarum; deinde addit ad petitionem; ut etiam eripiat *ab hominibus iniquis*, qui membra sunt Diaboli, ne et ipsi nocendi potestatem accipiant. Quid autem mali potissimum timeat, et a quo liberari cupiat, explicat in duobus versiculis sequentibus.

5. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.*
6. *Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos. Hic est finis principis tenebrarum ut nos impediat a via salutis, ex qua ille irreparabiliter excidit. Itaque ipse et angeli ejus in hoc unum semper intenti sunt, ut supplantent gressus nostros, ut non ambulemus in via Domini, ut cadamus in ea, ut retrocedamus ut saltem lente progrediamur. Id autem faciunt abscondendo et multiplicando laqueos, eosque juxta viam constituendo. *Absconderunt*, inquit *superbi laqueum mihi*; non poterant daemones aptius designari, quam nomine *superborum* siquidem peccatum eorum non est ortum ex concupiscentia carnis, idest, luxuria, vel concupiscentia oculorum, idest, avaritia, sed ex sola superbia vitae, quia *similes altissimo* esse voluerunt Tob. 4. *Superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo numquam dominari permittas: in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio;* et Job. 41, dicitur Diabolus, *rex super omnes filios superbiae. Abscondit* autem Diabolus *laqueos*, quando in actionibus humanis manifestat bonum, abscondit malum idest, facit, ut homo cogitet utilitatem, aut voluptatem, non cogitet jacturam et amaritudinem adjunctam: manifestat adultero pulchritudinem mulieris, abscondit turpitudinem peccati; manifestat furi lucrum pecuniarum, abscondit jacturam regni coelorum; manifestat ambitioso excellentiam gradus altioris, abscondit periculum lapsus gravioris; denique manifestat dulcedinem culpae, abscondit amaritudinem poenae, *Extendit* autem *funes in laqueos*, dum multiplicat laqueos, quasi dicat, extendit funes, ut inde multiplices efficiantur laquei: nam cui tendit laqueum adulterii, tendit paulo post laqueum homicidii, ut adulterium tegatur; et cui tetenderat laqueum homicidii, tendit postea laqueum perjurii, ut justam sententiam Judicis evadat. Denique, *juxta iter ponit scandala*, idest, laqueos, id enim sonat vox hebraica, מוקשים *mokescim, laqueos et offendicula*; quia *in ipsa via, quae est lex Domini*, nulla offendicula, sive laquei esse possunt, juxta illud psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Sed cum incipimus declinare a via, ibi continuo inveniuntur laquei, et offendicula. Quare unicum remedium est, caute ambulare, ut Apostolus monet et pedem extra viam legis Domini numquam ponere.

7. *Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meae.*
8. *Domine, Domine virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli.*

Adversus tot pericula invocat auxilium Dei, sine quo nihil possumus facere. *Dixi*, inquit, *Domino, Deus meus es tu*, ac per hoc ego sum populus tuus Dominus meus es tu, servus tuus sum ego: quare ad te pertineo, ideo exaudi vocem deprecationis meae. Deinde, ut ostendat praesentia et urgentia pericula, iterum clamat Domino, *Domine virtus salutis meae*, idest, ideo confidenter te rogo, quia tu solus es robur, unde pendet salus mea: tu es virtus, idest, potentia et fortitudo, per quam ab inimicis salvus esse potero. *Obumbrasti super caput meum in die belli*, idest, jam alias protectionem tuam expertus, iterum ad te confugio; tu enim in die belli, cum videlicet graviter ab hostibus oppugnarer, tu fuisti mihi instar galeae, nam *obumbrasti*, et texisti auxilio tuo caput meum, ut mortem, quae mihi instabat, evaderem. Sed potest etiam hoc intelligi de umbraculo ad refrigerandum caput et totum hominem *in die belli* interioris, quod in aestu concupiscentiarum consistit: homo enim fatigatus, et aestuans tentationibus mali desiderii omnino aresceret, et inflammaretur, nisi Deus obumbraret illi.

9. *Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me ne derelinquas me, ne forte exaltentur.*

Consequenter ad superiora petit semper obumbrari ab aestu mali desiderii: nisi enim concupiscentia mala nos coperit, frustra daemones tentant, frustra homines saeviunt. *Ne tradas*, inquit, *me Domine*, idest, ne sinas me tradi *a desiderio meo peccatori*, daemoni videlicet vel homini tentanti. Tunc enim a desiderio nostro tradimur inimicis, quando concupiscentia mala nos captivos facit, et in potestatem satanae tradit: exempli gratia, cum vides mu-

http://www.obrascatolicas.com

lierem ad concupiscendam eam, concupiscentia te reum facit, et tentationi subjicit: cum persecutor mortem minatur nihil potest tradere te diabolo, nisi desiderium vitae temporalis: cum tentator offert occasionem lucri per fraudes, nihil te tradit peccatori tentanti, nisi desiderium lucri, et idem de caeteris dici potest. *Cogitaverunt contra me, ne derelinquas me*, idest, ideo cupio ut non derelinquas me sine umbraculo gratiae tuae, quia inimici *cogitaverunt contra me*, idest, meditati sunt insidias, et si forte ceperint me, triumphabunt, et gloriabuntur, et exaltabuntur, quasi non me solum, sed etiam te superaverint. In hebraeo longe aliter habetur hic versiculus, sic enim ad verbum reddi potest: *Ne tradas Domine desideria impio, scelus ejus ne effundas, exaltabuntur*. Sed septuaginta interpretes legerunt easdem voces hebraicas alio modo, quam Rabbini legant: nam vox illa, מאויי *maavaie*, quae significat *desideria*, potest legi, מאוויי *meavajai*, et significat, *a desiderio meo*, et sic legerunt septuaginta, sic etiam illa vox, זממו *zemamo*, quae significat *scelus ejus*, potest legi, זממו *zamemu*, idest, *cogitaverunt*: denique illud, אל תפק *al taphek*, potest significare, *ne effundas*, et etiam, *ne avertaris*, supple a me, quod est idem cum illo, *ne derelinquas me*. Et quamvis lectio septuaginta interpretum, et vulgatae latinae aeditionis verior sit, quippe antiquissima, et quam recipiunt ss. Patres; et expositio a nobis tradita, quae est s. Augustini, et Euthymii, optima nobis videatur: tamen sensus qui eruitur ex hebraico textu, quem nunc habemus secundum puncta Rabbinorum, est etiam verus, et videtur a s. Joanne Chrysostomo traditus: hic autem est sensus, *ne tradas Domine desideria sua impio*, idest, ne permittas impium satiare desiderium suum, quod de me perdendo habet. *Ne scelus ejus effundas*, id est ne sinas scelus ejus effundi super me, ne impii exaltentur, et triumphum canant.

10. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.*

Ab hoc loco Propheta praedicit poenas, quas dabunt impii, qui persecuti sunt justos. Quod autem in hoc versiculo dicitur obscure, idem est cum eo quod dicitur clarius in psal. 7. *Convertetur dolor ejus in caput ejus*: et, *incidit in foveam quam fecit*, idest, afflictio, quam paraverunt impii justis, super eos revertetur, eosque obruet. Id impii experiunt in morte, et in die judicii omnibus manifestum erit: tunc enim omnis poena justorum convertetur in gloriam, et omnia peccata impiorum convertentur in miserias sempiternas. *Caput*, inquit, *circuitus eorum*, idest, summa insidiarum quibus impii quasi per vias distortas circuibant, ut justos perderent, quod Diabolus, ut leo rugiens *circuit quaerens quem devoret*, tota, inquam, summa talium insidiarum, *operiet eos*, in eosque recidet, et hoc idem repetens Propheta addit, *labor labiorum ipsorum operiet eos* idest, labor, sive afflictio, et miseria, quam labiis suis procurabant justis, similiter *operiet eos*, in eosque recidet, et ipsos opprimet. In hebraeo habetur in prima persona, *caput circuitus mei*, sive circuituum meorum; sed non dubium est, quin septuaginta interpretes habuerint in suis hebraicis codicibus in ultima litera *vau*, non *jod*, et legerint, מסביו *mesibbav*, quod significat *circuitus eorum*, non, ut nunc legitur, מסבי *mesibbai, circuitus mei*. et veriorem esse lectionem, quam habuerint septuaginta, facile unusquisque sibi persuadebit. S. Hieronymus vertit ex hebraeo, *amaritudo convivarum meorum*, pro, *caput circuitus eorum*, et quidem verba hebraica hanc etiam sententiam ferre possunt, quoniam, ראש *ros*, et *caput*, et *venenum* significat; sed ut plurimum pro *capite*, sive *principio accipitur*. Sic etiam, מסבי *messibbai*, significare potest, *circumdantium me*; sive *accumbentium in circuitu meo*: sed tamen haec sententia nec bene cohaeret cum sequentibus verbis, et vera lectio, ut diximus, est ea quam habuerunt septuaginta, quae lectio hanc sententiam non recipit. S. Augustinus per *caput circuitus*, intelligit superbiam, quae est principium peccatorum; et per, *laborem labiorum*, intelligit mendacium, quia laborant, qui mentiri volunt, non laborant qui vera simpliciter dicunt. Sed haec spiritualis potius, quam litteralis expositio est. Nos Chrysostomum sequuti sumus.

11. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.*

Pergit explicare poenas impiorum. *Cadent*, inquit, *super eos carbones*: per *carbones ignis* intelliguntur acerrima supplicia; per verbum, *cadent*, significatur, ea supplicia ab alto descendere, a judicio videlicet Dei Judicis supremi. Ac ne putaremus paucos, aut parvos futuros eos carbones, addit, *in ignem dejicies eos*, idest, tanta erit copia carbonum super eos cadentium, ut obruantur, et opprimantur ab eis. Sic enim Deus in ignem dejiciet impios, quia cooperiet eos igne de coelo cadente, atque ad majorem explicationem addit, *in miseriis non subsistent*, idest, oppressi miseriis ita jacebunt, ut se attollere, et surgere, ac subsistere non possint. In graeco legitur in ablativo, qui servit pro accusativo, *in igne dejicies eos*, idest, igni de coelo demisso dejicies, sed idem est sensus. Ex hebraeo pro *in miseriis non subsistent*, s. Hieron. vertit, *in foveas*, ut non consurgant. At septuaginta reddiderunt sensum: dejectio enim in foveas profundissimas gehennae, intolerabilis miseria est, praesertim cum inde nulla consurgendi spes maneat. Alii exponunt, *non subsistent*, idest, non tolerabunt, et ideo deficient, et morientur, sic tamen ut numquam mortem finiant. Sed prior expositio est conformior verbis textus hebraici.

12. *Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu.*

Praedixit Propheta poenas aeternas impiorum: nunc addit de poenis etiam hujus vitae. *Vir*, inquit, *linguosus non dirigetur in terra*, idest, vir promptus ad loquendum, mendax, adulator, detractor, conviciis assuetus, rixosus, non prosperabitur in terra: ejusmodi enim odio, ut plurimum, habentur

tum a bonis, tum a malis. Ideo praecipit s. Jacobus, *sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Virum injustum mala capient in interitu*, non solum non dirigetur, nec prosperabitur vir linguosus, ac per hoc injustus; sed mala, quae illum capient, non erunt ad praemium patientiae, ut justis esse solent, sed ad interitum sempiternum. Illud, *capient*, in graeco, et in hebraeo est, *venabuntur*: proinde exponendum est, *capient*, ut praedam, vel ut venationem de improviso, et non expectatam. Sic enim viri injusti dum intenti sunt, ut capiant, et spolient justos: ipsi nihil tale metuentes capiuntur a diabolo, ut ferae a venatore; nec solum a diabolo, sed etiam miseriis multis, anxietatibus, sollicitudinibus, timoribus, amoribus capiuntur: sed hoc interest inter bonos et malos, quod bonis *omnia cooperantur in bonum*, et ad vitam: malis omnia cooperantur ad interitum, et miseriam sempiternam. Illud, *in interitu*, in hebraeo et graeco habetur, *in interitum*: proinde vel in latina editione est error librariorum, vel, *in interitu*, debet accipi pro, *ad interitum*. Posset quidem sic exponi hic locus, *injustum mala capient in interitu*, idest, quando morietur injustus, tunc eum mala capient; et sic videtur intellexisse s. Hilarius, qui exponit hunc locum de Juda, quem mala ceperunt interitu, quia se ipse suspendio enecavit; prior tamen expositio, quae est sanctorum Chrysostomi et Augustini, magis convenit textui graeco, et hebraico. Quidam modernus per vocem hebraicam, לכדחפת *lemadchephoth*, contendit esse vertendum, *celeriter*, ut sensus sit; *injustum mala capient celeriter*, et allegat quamdam versionem apud Chrysost. Sed septuaginta, et s. Hieron. verterunt, *interitum*, et moderni etiam linguae habraicae periti verterunt, *ad expulsionem*, quod idem est cum interitu, in quo anima expellitur a corpore, et homo expellitur a vita. Omnes patres imo omnes alii tractatores intelligunt per eam vocem, *interitum*, aut *ruinam*: denique s. Joan. Chrysost. non adducit illam novam translationem ad hunc versiculum, sed ad superiorem; quare caret omni fundamento expositio moderni, sed alioqui docti expositoris.

13. *Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.*
14. *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo.*

Concludit, certam esse liberationem et foelicitatem justorum, ut etiam supplicia, et miseriam impiorum. *Cognovi*, inquit, *quia fecit Dominus judicium inopis*, idest, certo scio tum ab experimento proprio, tum ab exemplis majorum, tum ipsa Dei justitia, et promissis, curae esse Deo viros humiles, et pauperes, qui, etiamsi divitiae forte affluant, non opponunt illis cor, ut ad res proprias, sed oeconomos Dei se esse intelligunt. *Cognovi*, inquit, *quod Dominus* sine dubio justissime judicabit causas pauperum suorum, et vindictam faciet illorum, puniens digna animadversione persecutores eorum. Ipsi autem *justi confitebuntur nomini Domini*, non sibi tribuentes innocentiam, sed gloriam dantes gratiae ejus: vel etiam *confitebuntur*, idest, laudabuntur in aeternum Dominum, sicut in aeternum habitabunt in domo ejus cum vult ipsius, videntes facie ad faciem, et fruentes visione ejus. *Habitare cum vultu Dei*, est eum videre, et cognoscere sicuti est: ex vultu enim persona cognoscitur; nam si totum hominem videas, vultu solo excepto, non eum cognosces; sin autem vultum solum videas, reliquum corpus non videas, omnino cognosces.

PSALMUS CXL.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus ejusdem argumenti est cum superiore: notat autem S. Joannes Chrysostomus, decreto patrum dici solitum hunc Psalmum quotidie ad vesperas, quemadmodum psalm. 62. dicitur quotidie ad laudes matutinas. Uterque igitur est ardens oratio ad Deum; sed ille matutinus fugat tenebras noctis, et conciliat nobis solem justitiae: iste vespertinus abstergit maculas peccatorum interdiu contractas, ut securi requiescamus in nocte.

EXPLICATIO PSALMI CXL.

1. *Domine clamavi ad te, exaudi me, intende voci meae cum clamavero ad te.*

Verba sunt corporis Christi, sive coetus fidelium inter hostium agmina constituti. *Domine clamavi ad te*, ut auxilium ferres inter tot pericula laboranti; et quia clamavi, idest, magna voce interiori, magnoque affectu cordis, invocavi te, *exaudi me*. In hebraeo est, *festina mihi*, idest, ad adjuvandum me festina, et sic re ipsa, et factis exaudi me. Neque solum hodie clamantem *exaudi me*, sed *intende voci meae cum clamavero ad te*, idest, quotiescum-

http://www.obrascatolicas.com

que clamavero ad te, tu quoque intende voci meae aures tuas.

2. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Explicat nunc quid petat, et in quo velit exaudiri a Deo. Ac primum recto ordine petit, ut Deus adjuvet eum in bene orando: nam, ut Apostolus dicit, quid oremus nescimus; et pari ratione, quomodo oremus nescimus, nisi spiritus adjuvet infirmitatem nostram. Petit ergo, ut Deus illi auxilio gratiae suae adsit, ut bene oret. Qualitates autem bonae orationis declarat similitudine thymiamatis, quod offerebatur in templo ex praecepto Dei, mane et vesperi, Exod. 30. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum*, idest, hoc primum peto, ut per gratiam tuam oratio mea dirigatur ad te, ad modum thymiamatis. Porro thymiama illud has habebat qualitates. Primo, constabat ex quatuor generibus aromatum, thure, galbano, onyche, flacte, ut s. Hilarius monet: hinc efficiebatur odor suavissimus. Secundo, offerebatur in templi parte nobilissima, et interiore, quae dicebatur sancta sanctorum, ubi erant tabulae testamenti et altare aureum. Tertio, offerebatur per summum sacerdotem. Quarto, ponebatur super ignem, et inde excitabatur fumus recta sursum ascendens. Quatuor aromata sunt quatuor virtutes, *fides, fiducia, charitas*, et *humilitas*, ex his componitur oratio Deo gratissima. Templum Dei est homo. *Vos estis*, inquit Apostolus, *templum Dei*, 1. Cor. 6. sed pars interior est anima, in cujus mente est lex Domini, digito Dei scripta: et in cujus voluntate est altare aureum, cor videlicet mundum, et ornatum gratia Dei. Summus sacerdos est Christus; per illum enim, ut advocatum nostrum, semper orare debemus, et ideo singulas preces concludimus per Dominum nostrum Jesum Christum. Denique ignis, qui fumum suavissimum, et directe sursum ascendentem excitat, est fervor desiderii: sed in recta ascensione notatur recta intentio, et jugis attentio; qui enim orant ut videantur ab hominibus, illi aura temporali detorquent incensum, ut non recta ascendat, illi etiam qui evagationes mentis habent, non dirigunt orationem ut debent: evagationes enim veluti flatus ventorum distrahunt, et dissipant fumum orationis ut non recta sursum ascendat: et quia valde difficile est liberari ab omni evagatione mentis, ideo Propheta hujus rei proprie meminit dicens, *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Quod sequitur, *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, ejusdem rei repetitio est: nam per *elevationem manuum*, oratio significatur, quia elevando manus, orare solebant hebraei ut etiam nos facimus. Psalm. 133. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino*; et Apostolus 1. Timoth. 2. *Levantes puras manus sine ira et disceptatione*. Itaque a ritu elevandi manus significatur oratio. Per *sacrificium vespertinum*, intelligitur oblatio incensi, quae vesperi fiebat. Est igitur sensus, *elevatio manuum mearum*, id est, oratio, quam elevatis manibus fundo, sit veluti sacrificium incensi, quod ad vesperam offerebatur. Nisi magis placeat per *sacrificium vespertinum*, intelligi mactationem Agni immaculati, quae vesperi fiebat. Cur autem Propheta optet, orationem suam similem esse sacrificio vespertino potius quam matutino, cum tam oblatio thymiamatis, quam Agni mactatio fieret mane et vesperi; ratio est, vel quia psalmum hunc cecinit David ad vesperam, ut etiam ecclesia christiana in vesperis eumdem psalmum canit; vel quia sacrificium vespertinum nobilius erat, quia figura erat sacrificii Crucis, quod ad vesperam factum est.

3. *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.*

Haec est secunda petitio, quam exaudiri cupit a Domino, ut videlicet detur sibi donum loquendi, et tacendi, quando oportet: nam *qui non offendit verbo, hic perfectus est vir*, ut dicit s. Jacobus, cap. 3. et *aliud est tempus loquendi, aliud tacendi*, ut dicitur Eccles. 3. Sumit autem Propheta, ut haec explicet, metaphoram a custodia portarum domus, vel civitatis: duo enim sunt necessaria ad hoc, ut exeant, qui debent exire; et non exeant, qui non debent exire; Janitor, et ostium, nam ostium sine Janitore, non sufficit, quia vel semper erit apertum, vel semper clausum: Janitor sine ostio non facile potest custodire portam, nisi semper vigilet et vires habeat ad impediendum, ne quis ingrediatur, vel egrediatur, ipso invito: sed cum ostium, et ostiarius adsunt, omnia sunt tuta, et facilia. Ait igitur, *pone Domine custodiam ori meo*, id est, os meum est quasi porta, unde exeunt verba et per verba exeunt cogitata, et facta, ideo rogo, ut adhibeas custodiam, janitorem videlicet, qui diligenter custodiat. *Et ostium circumstantiae labiis meis*, idest, quia solus janitor aegre custodire potest hanc portam, rogo etiam ut apponas *ostium circumstantiae*, idest, ostium circumstans, sive ostium munitionis idest, munitum et forte ut expugnari non possit: in hebraeo ad verbum legitur, *custodiam super ostium labiorum meorum*, ut sensus sit, *pone custodiam ori meo*, custodiam inquam super ostium labiorum meorum: sed eadem sententia est. Porro ostiarius et ostium significant in praesenti duo dona Spiritus sancti: unum ex parte intellectus, ut sciat homo quando et quomodo et quid loqui, vel tacere debeat; alterum ex parte voluntatis, ut audeat loqui quod oportet et timeat loqui quod non oportet: quae dona dicuntur Isaiae 11. *Spiritus consilii, et fortitudinis*: quae sunt fere eadem cum virtutibus, prudentia et charitate. Non autem haec ita petuntur a Deo, ut non debeamus etiam nos diligentiam adhibere, ut custodiamus os nostrum; sed ut intelligamus, ipsam etiam diligentiam nostram donum esse Dei, et in nullo gloriemur, quando nostrum nihil est, ut monet s. Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 4.

4. *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Haec est tertia petitio, ut quoniam adhibita etiam omni custodia, tamen fragilitas humana facit, ut septies in die cadat justus, et in multis offendamus omnes: Deus auxilio suo nobis concedat, ut peccata libere confiteamur; ne dum excusando sani videri volumus, a coelesti medico non sanemur. *Non declines*, inquit, *cor meum in verba malitiae*, idest, non permittas, ut quando peccavimus, cor nostrum declinet in verba mendacii, et simulationis, *ad excusandas excusationes in peccatis*, idest ad excusanda peccata variis praetextibus: nam *excusare excusationes*, phrasi hebraica, est facere excusationes, idest, texere praetextus, quo modo dicunt, *praeliari praelia*, pro facere praelia: et *judicare judicia*, pro facere judicia. In hebraeo est verbum generale, עלל *halal*, quod *operari* significat: itaque verti poterat, *ad operandas operationes in peccatis*. Sed septuaginta declaraverunt per *operari*, hoc loco significari, *praetexere* quod est idem cum *excusare*. Ipsi etiam Rabbini docent, *halal*, non esse operari quomodocumque, sed operari ex occasione, et praetextu.

5. *Cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum.*

Quarta petitio est, ut custodiat nos Deus a consuetudine, et familiaritate impiorum: multi enim innocentiam conservarent, nisi in perversos amicos et sodales inciderent. Porro pars prima hujus versiculi pendet a versiculo superiore, et hic est sensus, *non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis* cum hominibus operantibus iniquitatem, idest, non patiaris me quaerere excusationes peccatorum, ut ii faciunt, qui iniqui sunt, ut non fiam socius eorum. *Et non communicabo cum electis eorum*, idest, et sic per gratiam tuam adjutus non communicabo cum conviviis eorum, sed fugiam ipsorum consortium. Illud, *non communicabo*, in graeco est, *non combinabo*, et sic legunt sancti Hilarius, et Augustinus, sed idem est sensus: nam *combinare* est conjungi binos, et binos, ut cum duo socii conjunguntur in mensa, vel in opere aliquo. In hebraeo est, *non comedam*, idest, non convivabor, non assidebo in mensa. Itaque unus textus alium declarat, ac per hoc, *non communicabo*, idem est, ac si dixisset, non communicabo in mensa; et hoc ipsum magis declaratur ex verbis sequentibus: nam *cum electis eorum*, non significat, ut ii existimant qui verba hebraica non legerunt, cum viris electis sed cum electis cibis sive, ut vox hebraica sonat, cum dulcibus cibis eorum. Itaque sensus est, *non communicabo cum electis cibis eorum*, idest, non ero particeps familiaritatis, conviviorumque ipsorum. Quamvis enim ubique noceat malorum conversatio, sed nusquam magis, quam in conviviis et compotationibus.

6. *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Quinta petitio est, ut ex gratia Dei incidamus in amicos ex charitate corripientes, non in adulatores falsis laudibus blandientes, et decipientes. Et hoc unum ex magnis Dei beneficiis est, ut inveniamus fideles amicos, qui vera nobis de nobis dicant, et nos ex magno Dei beneficio libenter eos audiamus et ex corde gratias agamus. Nam apud eos qui de mundo sunt, et qui hoc Dei donum non acceperunt *obsequium amicos, veritas odium parit*. *Corripiet*, inquit, *me justus in misericordia*, idest, reprehendet, ac ut vox hebraea sonat, feriet me peccantem vir justus, ut sanet, non injustus, ut occidat, *in misericordia*, in charitate, quia miseretur languentis, non in iracundia, et felle amaritudinis, quia ulcisci cupit injuriam. Iste, inquam, *increpabit me*, severius castigans delicta mea; *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. *Oleum peccatoris*, idest, unguentum, quo suaviter et cum voluptate perungitur caput, significat blandiloquentiam adulatoris, qui peccata extenuat, vel excusat, imo etiam sub aliquo colore, ut benefacta laudat. In hebraeo explicatur utrumque simul, et suavitas, et pernicies adulationis: dicitur enim, *oleum veneni*, sive amaritudinis, ut vertit s. Hieronymus: et est in verbis elegans allusio: nam *venenum*, et *caput*, eadem voce significantur: ראש *ros*, enim et *caput* et *venenum*, significat. Itaque, ait, *oleum, ros, non impinguet meum ros*. Neque est admittenda eorum expositio, qui utroque loco per ראש *ros*, intelligi volunt *caput*, et per *oleum capitis*, accipiunt oleum principale, et pretiosum, et sensum esse volunt *corripiet me justus in misericordia*, quia correptio fraterna est oleum principale, quod non destruit caput. Haec, inquam, expositio non est admittenda, quia non solum repugnat vulgatae editioni; sed etiam versioni s. Hieronymi, et septuaginta interpretum, et expositioni omnium veterum patrum latinorum et graecorum: neque obstat, quod pro *impinguet*, in hebraeo est franget: nam non est certum, verbum, יני *iani*, significare, *franget*, cum desit litera aleph in fine et cum septuaginta, et s. Hieron. verterint, *impinguet*. Adde etiam, quod vox, *impinguet*, non repugnat voci hebraicae, quae *frangere* et *destruere*, significare dicitur, imo cum ea optime cohaeret: nam ideo septuaginta Interpretes non dixerunt, liniat aut perfundat, quae verba in bonum sonant, sed *impinguet*, quod sonat in malum: pinguedo enim deformat, et destruit caput: et prudentissime consideraverunt septuaginta viri, oleo non posse frangi, aut destrui caput, quasi malleo contunderetur, sed destrui per deformationem, quam pinguedo adfert; ideo non dixerunt, non destruat, sed *non impinguet caput meum*.

7. *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt juncti petrae Judices eorum.*

Hic versiculus omnium judicio obscurissimus hunc sensum ex Chrysostomo habere potest: Non solum non communicabo cum impiis; sed adhuc oratio mea ad Deum est *in beneplacitis eorum*, id est, adversus eorum vitia, et scelera, in quibus ipsi sibi placent. Sed ipsi brevi peribunt, sicut Judices eorum, idest, principes eorum, et duces aliorum

http://www.obrascatolicas.com

ad malum, *absorpti sunt juncti petrae*, idest, allisi ad petras perierunt. In hebraeo est, *praecipitati sunt ad manus petrae*, et sensus est idem: significatur enim velox interitus impiorum, qualis est eorum, qui absorbentur a fluctibus marinis, dum agitati ab undis alliduntur ad scopulos. S. August. existimat praedici conversionem infidelium superborum, ut sensus sit, Veniet tempus, quando oratio mea, quae est, *Dimitte nobis debita nostra*, *erit in beneplacitis eorum*, id est, placebit, et frequentabitur ab eis: nam Judices eorum, philosophi gentiles, qui de virtutibus, et vitiis judicabant, *juncti petrae*, idest, comparati ad Christum, *absorpti sunt*, evanuerunt et nihil scivisse ostensi sunt; sed prior expositio est magis litteralis, et communius recepta.

8. *Audient verba mea, quoniam potuerunt, sicut crassitudo terrae erupta est super terram.*

Redit ad id quod dixerat, *oratio mea in beneplacitis eorum*; et addit multos impios, qui sibi ipsi in peccatis complacebant, audituros verba sua, et per ea convertendos esse ad Deum: quo modo enim terrae durities aratro scinditur super terram: sic humanum cor scinditur potentia, et efficacia verbi Dei. *Audient*, inquit, illi pro quibus oratio a me fiebat, *verba mea*, *quoniam* ea verba *potuerunt* sive ut legit s. August. *praevaluerunt*, efficacissima fuerunt ad conterenda corda eorum; *sicut crassitudo terrae erupta est super terram*, idest, sicut durities, et crassities terrae rumpi solet viligonis, aut aratri super terram. In hebraeo, et aliquibus graecis habetur, *audient verba mea, quoniam dulcia*, sive *decora fuerunt*, sed idem est sensus, verba enim tunc sunt potentia, et efficacia et praevalent in animis hominum, quando dulcia et decora sunt, atque adeo placent, et delectant et persuadent.

9. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te Domine.*
10. *Domine, oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.*

Haec est ultima petitio, quam exaudiri initio psalmi postulaverat, ut videlicet Deus liberet animas nostras ab omni periculo tentationum. *Dissipata sunt*, inquit, *ossa nostra secus infernum*, idest, propter multitudinem et gravitatem tentationum, virtus et fortitudo nostra, quae per *ossa* significatur, ita dispersa, infirmata, et debilitata est ut ad os inferni pene pervenerit, ut videlicet pene ad nihilum redacta sit: et quia in his omnibus *ad te Domine* sunt *oculi mei*, ad auxilium tuum respexi, *in te speravi*, oro ut *non auferas animam meam*, idest, non sinas tolli vitam meam, non patiaris me perire. Juxta interpunctionem hebraicam conjunguntur illa, *sicut crassitudo terrae erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra secus infernum*; ut sensus sit, quemadmodum terra scinditur aratro, et rumpitur, ita ut partes terrae hinc inde spargantur, ita dissipata sunt ossa nostra secus infernum in hac magna tribulatione: sed nos interpunctionem graecam et latinam sequuti sumus quoniam interpunctio non est ab ipso Propheta apposita, sed ab interpretibus addita.

11. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.*

Declarat unde timeat mortem; ac dicit, se timere a laqueis et a scandalis, idest, a tentatione diaboli et a malis exemplis hominum. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi* insidiatores, sive is laqueus sit concupiscentia carnis, sive concupiscentia oculorum, sive superbia vitae: *et a scandalis operantium iniquitatem*, idest, ab exemplis carnalium, cupidorum, et superborum; quamvis in hebraeo sit potius repetitio ejusdem rei, idest, a laqueo quem posuerunt mihi, et a muscipulis sive laqueis operantium iniquitatem: tamen in sensu non est discrepantia: nam scandalum quoque est genus laquei, et muscipulae.

12. *Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.*

Docet in fine, illos tandem casuros esse in retia diaboli, qui amant peccata; se autem, et sui similes qui oderunt peccata, liberos evasuros: quae admonitio demonstrat, hominem esse liberi arbitrii, et simul valde consolatur eos, qui timent Deum. *Cadent*, inquit, *in retiaculo ejus*, idest, in rete principis venatorum, qui est diabolus, *peccatores* idest, qui delectantur peccatis, qui sunt, et esse volunt peccatores. *Singulariter sum ego donec transeam*, idest, ego autem solitarius ero, donec transeam omnes laqueos et retia; de mundo non ero quamvis in mundo, ut peregrinus esse cogar, donec transeam ad patriam, ubi nulla erunt pericula. Per pronomen, ejus, aliqui intelligunt Deum ut sensus sit, peccatores capiendos retibus Dei ad supplicium. Ita Chrysostomus, et Theodoretus: sed quia illud, *ejus*, est relativum ad aliquid antea nominatum et Dei nulla mentio facta est; ideo probabilius est, referri ad diabolum principem peccatorum, ut s. Hilarius exponit. Illud autem, *singulariter sum ego*, s. Augustin. exponit de Christo, qui in passione fuit relictus solus, cum omnes discipuli fugerint, et in rete diaboli per negationem, vel proditionem, vel nimium metum, vel scandalum acceptum, aliquo modo inciderint. Ipse enim Dominus ait, *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, Matth. 26. et futurum est *ut dispergamini in propria, et me solum relinquatis*. Joan. 16. Sed haec expositio vera et pia non videtur litteralis: et ideo Chrysostomum potius in expositione litterali sequuti sumus: qui sanctus Joannes Chrysostomus rectissime monet non satis esse si aliquo tempore singulares simus, et solidarii, ac penitus segregati a moribus peccatorum; sed necesse esse, ut tales simus, donec transeamus, perseverantes usque ad vitae finem.

PSALMUS CXLI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Intellectus David cum esset in spelunca, Oratio.

Titulus demonstrat tempus, et locum et occasionem, et materiam psalmi. Tempus fuit cum fugisset a Saule ad regem Achis, et ab illo etiam male habitus contulisset se in speluncam Odollam solus atque in maximo vitae periculo constitutus, ut habemus lib. 1. reg. cap. 22. Locus, est ipsa spelunca Odolla: nam quod alii dicunt de spelunca Engaddi, de qua lib. 1. reg. cap. 24. non est probabile: quia in hac secunda spelunca Saul potius in periculo vitae fuit, quam David. Occasio fuit persecutio Saulis, et periculum a rege Achis. Denique materia, sive argumentum, est oratio ad Deum, qua liberationem petit a periculo imminente. Sensus tituli hic est, *intellectus David*, idest, in hoc psalmo declaratur prudentia et sapientia David, qui cum esset delitescens in spelunca, sapienter cogitavit unicum remedium in tantis malis esse orationem ad Deum. Recte autem totus hic psalmus altiore sensu refertur ad Christum filium David, cum oraret in horto, vel in cruce desertus ab omnibus et in mortis praesentissimae periculo constitutus.

EXPLICATIO PSALMI CXLI.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.*
2. *Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuncio.*

Hoc principium psalmi nihil aliud continet, nisi argumentum, quod videlicet David orationem fundat ad Deum, sed verba singula consideranda sunt. Illud, *voce mea*, significat, Davidem non orasse sola voce corporis sui ut faciunt, qui non intelligunt, vel non attendunt quid dicant; sed orasse voce sua, quam ipse in corde formabat, et per organum corporis etiam foris emittebat. Illud, *clamavi*, significat, ut alias diximus, vehementiam desiderii. Illud, *deprecatus sum* est explicatio clamoris: clamant enim ad Dominum etiam qui blasphemant et maledicunt, sed non orant: hic autem precando et invocando clamabat. Illud, *effundo orationem in conspectu ejus*, significat orationem illam factam fuisse, ubi solus Deus videbat in spelunca, quasi in clauso cubiculo, ut Dominus postea monuit esse orandum: sed praeterea significat praecipuum clamorem fuisse in corde, ubi re vera solus Deus conspicit. Illud, *et tribulationem meam ante ipsum pronuncio*, est explicatio praecedentium verborum: nam *effundere orationem in conspectu ejus, et tribulationem ante ipsum pronunciare*, idem sunt: tunc enim effunditur oratio, cum tota paulatim ex vase cordis producitur, ut ab aliquo videatur; hoc autem fit, cum tribulatio in oratione per partes ad aures audientis pronunciatur.

3. *In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.*

Explicat, cur, et quando pronunciaverit tribulationem suam coram Deo. *In deficiendo*, inquit, *ex me spiritum meum*, cum ex me fere discederet spiritus meus vitalis; cum deficeret vita mea et in vicinia mortis essem. Vox hebraica, significat *angustiari*, deficere, constringi et operire seipsum, ut faciunt qui valde timent. Id autem optime convenit Davidi in spelunca latitanti, et in magno vitae periculo constituto; sed verius convenit Christo in horto, vel in cruce oranti. Sanctus Augustinus applicat sanctis martyribus pro fide agonizantibus. *Et tu cognovisti semitas meas*, idest, oravi cum deficeret spiritus meus, et oravi ad te, quia tu omnium optime *cognovisti semitas meas*, actiones et studia mea et nosti, quam sine ulla justa causa haec patior.

4. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.*

Docet afflictionem suam primum incepisse ab insidiis inimicorum, deinde ab aperta violentia. Saul enim saepe procuravit mortem Davidis per insidias, mittens eum ad praelia, et sperans in praeliis occidendum, sed cum id non succederet, aperta vi illum aggressus est. Sic etiam Dominum nostrum saepissime tentarunt capere in sermone Pharisaei, ut eum perderent, sed cum sapientia vinceret malitiam, violenter ceperunt et per Pilatum crucifigi postularunt. *In via hac, qua ambulabam*, idest, in via justitiae et mandatorum Dei, in qua ambulabam, in ipsis semitis, quas tu optime nosti, *absconderunt laqueum mihi*. Explicemus hoc exemplis. Saul obtulit filiam suam Davidi in conjugem, modo ille interficeret ducentos Philisthaeos, cum quibus tunc bellum justum erat populo Dei. Id autem fecit Saul, sperans Davidem in eo praelio interficiendum: sed ille a Deo adjutus obedivit regi, et progressus ad praelium ducentos Philisthaeos interfecit. Sic etiam Pharisaei observabant Christum, an Sabbato curaret, ut postea dicerent, *non est hic*

http://www.obrascatolicas.com

homo a Deo, qui Sabbatum non custodit; Joan. 9. ita ponebant laqueos in via mandatorum Dei:sed ille curabat, et ostendebat, ea curatione non violari Sabbatum; sicut vere non violabatur, cum essent illa opera non servilia, sed divina: sic alias oblata adultera ponebant laqueos in via justitiae,dicentes. hanc *mandavit Moyses lapidare, tu quid dicis ?* Jo: 8. Notat hoc loco sanctus Augustinus, in ipsa via Domini non posse poni laqueos,sed juxta viam ut dictum est in psalm.139. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*; unde et ecclesiasticus cap. 9, dicit,*Ignoras,quia in medio laqueorum ingrederis.* Sunt enim laquei a dextris et a sinistris, in medio est via justitiae. Quod ergo hic dicitur, *in via absconderunt laqueos*, intelligendum est, opinione ipsorum,non re vera; nam cum illi sint extra viam et existiment se esse in via, ponunt laqueos juxta viam, existimantes se ponere in via: sed vir justus non declinans a via justitiae, neque ad dexteram, neque ad sinistram, laqueos omnes evadit.

5. *Considerabam ad dexteram et videbam et non erat qui cognosceret me.*

Haec jam pertinent ad violentiam. Inimici enim, quibus insidiae non profuerunt, convertunt se ad vim apertam. In illa autem pressura, *considerabam*, inquit, *ad dexteram*, idest, ad auxilia amicorum, *et videbam*, num quis mihi socius et amicus adesset: *et non erat,qui cognosceret me*,idest, nullus mihi notum se esse confiteri ausus est.Haec Davidi conveniunt, qui Saulis persecutionem fugiens ad regem Achis pervenit, sed et ille inimicum se ostendit; proinde solus in speluncam se contulit. Sed apertius Christo accommodantur,qui in passione multos videbat a sinistris, id est, inimicos, et adversarios: a dextris autem, idest, amicos, et notos nullos habuit. Nam et Evangelista dicit, *stabant autem omnes noti ejus a longe*,et Petrus ipse, qui praecipuus erat amicorum, cum juramento dixit, *non novi hominem hunc*. Recte igitur Dominus dicebat, non erat, qui cognosceret me. In hebraeo sunt verba infinitivi modi considerare, et videre: sed modus infinitus deservit etiam aliis modis ac praesertim indicativo et sensus etiam esse potest servato modo infinito, erat mihi considerare et videre, idest, considerabam et videbam, quo modo Germani et Turcae, qui non tenent perfecte linguam italicam, vel latinam dicunt *io stare Todesco, io stare Turco*, et passim utuntur modo infinito pro indicativo.

6. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.*

Ostendit, se in iis angustiis fuisse ut non solum ab aliis auxilium habere non posset, sed neque fuga seipse juvare posset. *Periit*, inquit, *fuga a me*, idest, nullum remanet effugium. *Et non est qui requirat animam meam*, idest, non invenitur qui sollicitus sit de vita mea,ne pereat. Et quidem David querebatur sibi aditum ad fugam corporalem non patere, quia fugere non poterat: sed Christus dicit, periisse a se fugam, quia fugere nolebat, et ipse sibi et Pater ei fugam interdixerat.Fuga enim non minus perit ab illo, qui non potest, quam ab illo, qui non vult fugere. Et vere non erat, qui requireret vitam Christi, ut eam servaret, cum ipse idem dixisset, *ego pono animam meam*, et *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Joan. 10. et Patri dixerit, *Deus meus ut quid dereliquisti me*. Matth. 27.

7. *Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium.*

Exclusus David ab omni humano auxilio, ad Deum recurrit, cui nihil difficile est; et quoniam vir erat spiritualis et noverat Deum aliquando amicos suos in terra peregrinationis hujus affligere ut in patria gloriosius coronet; dicit, *clamavi ad te Domine*; *dixi, tu es spes mea* hic in peregrinatione; *portio mea*, haereditas videlicet, *in terra viventium*. Sed cum ad Christum haec referuntur, accipienda sunt pro corpore ejus, quod est ecclesia, vel si in persona propria Christus loquitur, accipienda sunt de expectatione resurrectionis, et gloriae corporis: quasi dicat, quia non est qui requirat animam meam, idest, vitam meam corporalem, ne pereat; *clamavi ad te Domine Pater dixi, tu es spes mea*, idest, expectatio mea, ut non des *sanctum tuum videre corruptionem*; sed ostendas illi vias vitae: tu quoque es *portio mea in terra viventium*, idest, tu facies, ut caro mea glorificata per resurrectionem, adipiscatur per ascensionem haereditatem suam in superna Jerusalem, quae est terra viventium.

8. *Intende ad deprecationem meam; quia humiliatus sum nimis.*
9. *Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.*

Duplici argumento petit a Deo liberationem,tum quia ipse nimium depressus sit, tum quia inimici ejus nimium sint exaltati et adversum se innocentem viribus praevaluerint. *Intende ad deprecationem meam*, et tandem exaudi me, *quia humiliatus*, idest, depressus et afflictus sum valde. *Libera me a persequentibus me,quia confortati sunt*, idest roborati sunt, et viribus aucti, ut facile praevalere possint. Haec David merito dicebat, cum ipse solus lateret in spelunca et hostis ejus Saul exercitum armatum duceret. Christus autem plane ad litteram dicere poterat, *humiliatus sum nimis* quia *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. mortem autem crucis*. Item *humiliatus erat nimis*, cum penderet inter latrones, cui jure convenit sedere super Cherubim. Vere etiam inimici ejus *confortati* erant valde, quando venit hora ipsorum, et potestas data est tenebris, ut in ipsum solem justitiae ad tempus praevalere viderentur.

10. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.*

Quod attinet ad Davidem, sanctus Joannes Chrysostomus intelligit per *custodiam* tribulationes,et afflictiones, ob quas se in speluncam abdiderat,ut sensus sit, Educ me de his afflictionibus ut de hac spelunca egressus et libere ubique discurrens, laudem nomen tuum. Id enim *expectant* omnes *justi*, ut a tua providentia tribuatur mihi innocenti liberatio. Sed fortasse David, ut vir sanctus et a Deo mirifice illustratus,altius aspirabat et de mortali corpore, tamquam de custodia educi desiderans, cum Apostolo dicebat, *quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Illi enim vere confitentur nomini Domini, qui illuc ascendunt, ubi qui habitant, in saecula saeculorum laudant Dominum, quod confirmatur verbis sequentibus,*me expectant justi donec retribuas mihi*:expectabant enim Prophetam justum animae sanctorum Patriarcharum in Limbo, donec requies tribueretur ei: et angeli sancti in coelo, donec vera,atque aeterna foelicitas retribueretur meritis ejus. Sed quod attinet ad Christum orat educi *de custodia* corporis passibilis et animalis et induere per resurrectionem corpus impassibile et spirituale, *ad confitendum nomini Domini*, ut qui laboraverat praedicando populis, deinceps requiescat laudando Patrem.Atque ut sanctus Augustinus, sanctus Hieronymus, et sanctus Hilarius docent, Christo maxime proprie convenit quod sequitur, *me expectant justi donec retribuas mihi*: omnes enim justi, et qui mortui fuerant ab origine mundi, et qui vivebant in carne ut Apostoli, aliique fideles discipuli, expectabant maximo desiderio Christum resurgentem et debita retributione gloriae exaltatum; quia *ex plenitudine gloriae ejus* omnes accepturi erant: nam quemadmodum dicit s. Joannes cap. 7. *Nondum erat Spiritus datus,quia nondum Jesus erat glorificatus*: sic etiam dicere possumus, nondum animae Sanctorum ex carcere Limbi ad regna coelorum ascenderant, quia rex gloriae Christus in gloriam suam nondum introierat.Ex hebraeo aliqui vertunt, *me coronant justi*,pro,*me expectant*,sed vox, כתר *cathar*, non solum *coronare*,sed etiam *expectare* et *sustinere* significat ut perspicuum est ex cap. 36. Job vers. 2. nam quod legimus, *sustine me*, in hebraeo est, כתר לי *cather, li*.

PSALMUS CXLII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David, quando cum filius suus persequebatur.

In hebraeo solum habetur, *psalmus David*,caetera verba explicandi argumenti gratia septuaginta interpretes addiderunt, ut sanctus Hilarius affirmat. Quamvis autem patres latini hunc psalmum exponant de passione Christi, quem quasi alterum Davidem persequebatur Judas,ut alter Absalon secundum Augustinum, vel populus Judaicus secundum Gregorium: tamen dubitari non debet, quin ad litteram exponi possit de ipso Davide, qui persecutionem Absalonis poenam peccati sui esse agnoscens, peccata sua deplorat et misericordiam a Deo postulat. Hinc enim ecclesia catholica hunc psalmum inter septem poenitentiales numerat, quia praescribit David exemplo suo formam precandi veris poenitentibus, atque hunc sensum persequitur s. Joannes Chrysostomus.

EXPLICATIO PSALMI CXLII.

1. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua: exaudi me in tua justitia.*

Postulat initio psalmi David exaudiri in veritate, et in justitia et non explicat,in qua petitione exaudiri velit,quia praesupponit, Deum intelligere,peti a se remissionem culpae commissae, ob quam puniebatur. Intelligebat autem Deus hoc eum petere et in hoc exaudiri velle, tum quia videbat desiderium cordis ejus, tum etiam fortasse ex gemitu et suspiriis verae contritionis. Sic enim s.Maria Magdalena non legitur postulasse verbis remissionem peccati, sed ex lachrymis, quibus pedes Domini rigabat, intellexit Dominus quid peteret, et ait, *remittuntur tibi peccata tua*. Ergo corde contrito David, et interno gemitu petens culpae remissionem dicit, *Domine exaudi orationem meam*, quam tu bene intelligis, quae sit; et idipsum repetens, addit, *auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua*,id est,juxta fidelitatem tuam quia servas promissa tua de remissione poenitentibus danda. Quod ipsum iterum repetit,cum addit *exaudi me in tua justitia*,ubi per *justitiam* intelligit fidelitatem,quae est pars justitiae,quam paulo ante veritatem vocavit.S.Joannes Chrysost.intelligit per *justitiam*, benignitatem qua utitur Deus erga veros poenitentes: ideo enim notat,Prophetam non dixisse,*exaudi me in justitia*,sed *in tua justitia*, qua videlicet uti soles erga poenitentes, quae non tam justitia, quam ineffabilis benignitas est.Siquidem Deus ubi viderit poenitentiam ubi audierit

http://www.obrascatolicas.com

confessionem, continuo indulcet offensas. *Dic tu prior*, inquit per Isaiam cap. 43. *iniquitates tuas, ut justificeris.* Judices homines quaerunt confessionem rei, ut eum damnent; Deus quaerit, ut absolvat. Denique pater filiis prodigi, per quem intelligitur Deus, mox ut vidit revertentem filium, et audivit, *pater peccavi in coelum et coram te*, cecidit super collum ejus, et absculatus eum jussit afferri stolam primam, annulum, calceos, occidi vitulum saginatum, etc. Haec expositio fere eadem est cum ea, quam supra attulimus: nam justitia illa, qua Deus promissam indulgentiam poenitentibus exhibet, nihil est aliud, nisi fidelitas praestandae benignitatis eximiae. S. Augustinus per *justitiam* Dei, intelligit justitiam, quam non ex nostris meritis, sed ex gratia Dei habemus: quae sententia vera est, sed prior magis convenit litterae.

2. *Et non intres in judicium cum servo tuo quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Petiit remissionem peccati ex promissione, et fidelitate Dei; nunc addit aliud argumentum ex conditione et fragilitate generis humani. *Non intres in judicium cum servo tuo*, idest, noli mecum judicio contendere, neque enim ego resistere audebo, neque me justum dicam; sed peccatum meum confitebor. *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, idest, quia non ego solus, sed omnis vivens cadet causa, si tecum judicio contendere voluerit. Omnis enim vivens, aut est peccator, aut justus in via, aut justus in patria. Qui peccatores sunt, ut homicidae, adulteri, et similes, poterunt quidem justificari coram hominibus, apud quos aliorum crimina saepe occulta sunt, vel juridice probari non possunt: sed in conspectu Dei non justificabuntur, quia Deus videt corda, et conscientias, et ex ipsius conscientiae testimonio convincet eos. Qui justi sunt, sed adhuc in via, non justificabuntur in conspectu Dei, quoniam non audebunt se justificare; sed cum Apostolo dicent, 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui eum judicat me, Dominus est.* Fortasse enim ille videt in me, quod ego non video; et cum Job cap. 9. dicere debeo, *si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Item non justificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam intelliguntur justitiam suam, non a se acquisitam, sed e Deo donatam esse, et ideo non se justificabunt coram Deo, quasi ex se justi sint, sed gratias agent justificatori suo. Denique, non justificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam etiamsi justi sint, quia criminibus carent, tamen etiam peccatores se esse intelligunt, quia peccatis quotidianis non carent, et dicunt cum aliis sanctis, *dimitte nobis debita nostra*, Matth. 6. *et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, 1. Joan. 1. Qui justi sunt in patria, et criminibus, et peccatis non solum carent, sed etiam inquinari non possunt; non justificabuntur *in conspectu tuo*, tum quia justitiam suam non sibi tribuunt, sed Deo, a quo illam habent, tum quia tanta est puritas Dei, ut comparatione ejus omnis alia justitia, injustitia esse videatur. *Stellae enim non sunt mundae in conspectu ejus*, Job 25. Sed quoniam haeretici, Lutherani, et Calviniani, ex hoc loco probare contendunt, nullam esse in homine justificato veram justitiam, sed solum imputatitiam, et omnia opera justorum esse peccata mortalia, et digna supplicio aeterno, si a Deo imputarentur: observandum est, Davidem non dixisse, nullum esse vere justum; sed contra dixisse in psal. 17. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodivi vias Domini, nec impiegessi a Deo meo: Et ero immaculatus cum eo*, etc. et in psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Neque hoc loco dixisse eumdem Davidem, nullus vere justificabitur, sed *non justificabitur in conspectu tuo*: quod intelligunt patres. Vel quia justitia justorum vera quidem est, sed ab ipsis non est quasi propriis viribus acquisita, sed a Deo gratis donata. Ita sanctus Augustinus hoc loco: vel quia justitia eorumdem justorum vera, sed non pura est, cum admista sit peccatis venialibus. Ita sanctus Gregorius hoc loco, sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, et sanctus Augustinus in libro de perfectione justitiae. Vel denique, quia etiamsi vera et pura esset absolute, tamen comparata ad justitiam Dei increatam, et infinitam, justitia esse non videtur; quo modo lux lucernae coram sole non lucet. Ita sanctus Hilarius, sanctus Hieronymus, et alii hoc loco, et sanctus Bernardus ser. 5. de verbis Isaiae. Atque hoc est quod legimus Job 4. *Numquid homo Dei comparatione justificabitur?* et cap. 9. *Vere scio quod ita sit, et quod non justificabitur homo compositus Deo.* In quem locum vide s. Augustinum in lib. ad Orosium contra Priscillianistas, et Origenistas cap. 10.

3. *Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.*

Haec est tertia ratio, quam adducit ad impetrandam remissionem peccatorum, quae sumpta est ex gravitate tentationis: non enim sponte sua, et nullo tentante peccavit, ut fecerunt angeli reprobi, qui propterea remissionem peccati non invenerunt: sed gravissima persecutione inimici nostri diaboli, qui tamquam *leo rugiens circuit quaerens quem devoret*, prostratus fuit, et dejectus ab altitudine innocentiae ad imum peccati lethalis. Itaque illa particula causalis, *quia*, jungenda est cum verbis illis, *exaudi me in tua justitia*: quasi dicat, exaudi me, quia es justus, promissa adimplens: *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; *quia persecutus est inimicus animam meam*, sollicitando ad adulterium, et tentando ad homicidium, et *humiliavit*, prostravit, abjecit *vitam meam* usque ad terram, quia me vilem, et contemptibilem reddidit in conspectu tuo, et sanctorum angelorum: et rursum humiliavit ad terram, quia terrae amatorem fecit, qui antea in coelestibus conversabar. Haec expositio communis est ss. Patrum, Chrysostomi, Augustini, Gregorii, et aliorum.

4. *Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.*

Pergit in explicatione calamitatum, quas diabolica persecutio per peccatum adfert. Postquam enim animam humiliavit ad terram, id est, terrenis cupiditatibus implicavit, *in obscuris* eam collocat, in tenebris videlicet spiritualibus, excaecans oculos interiores; ut falsa bona amplectatur pro veris; ut voraginem et praecipitia non advertat; ut viam, quae ducit ad vitam, omnino non videat; denique in iis tenebris collocat, in quibus versantur mortui saeculi, idest, jam dudum mortui, sive a saeculo mortui, vel, ut vertit S. Hieronymus, antiqui mortui, in quibus ne vestigium quidem oculorum remanet. Est enim haec amplificatio tenebrarum spiritualium, in quibus versantur amatores mundi. De quibus tenebris loquitur Apostolus ad Ephes. 4. *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei propter ignorantiam, quae est, in illis propter caecitatem cordis ipsorum*, et cap. 6. non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum; quamvis fortasse non sit dicenda amplificatio tenebrarum spiritualium, cum tantae sint, ut nihil addi posse videatur. Quae enim majus obscuritas mentis, quam propter momentaneam voluptatem contemnere foelicitatem aeternam? Sequitur, *et anxiatus est super me spiritus meus*; quibus verbis incidat, se ex divino lumine coepisse videre tenebras suas, et abjectionem animae ad res terrenas diligendas: et inde consecutam esse anxietatem spiritus ex terrore divini judicii, et ex misero statu, in quem cecidit propter peccatum. Atque hoc est initium poenitentiae. *Anxiatus est super me spiritus meus*; in hebraeo est eadem vox, quae in psalmo superiore, *in deficiendo spiritum meum.* Itaque significat magnam anxietatem, quae fere ad defectum vitae perducebat, nisi spes misericordiae consolationem attulisset. Illud, *super me*, significat super meam miseriam, super maximum languorem meum anxiatus est spiritus meus. Deinde idem repetit aliis verbis, *In me turbatum est cor meum*: nisi quod, *in me*, non est idem quod super me, sed significat hoc loco, in medio mei, sive intra me. Itaque sensus est, Spiritus meus hanc miseriam considerans, valde anxiatus est, cor meum in intimis meis conturbatum est non leviter, aut in superficie, sed serio, et in profundo cordis expavescere, et conturbari coepi. Ad hujus poenitentis imitationem debent, qui liberari cupiunt, serio, et profunde cogitare detrimenta peccati.

5. *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar.*

Docet nunc, unde ex tanta anxietate respirare coeperit, nobis exemplo suo viam ostendit ad reparationem post lapsum. *Memor*, inquit, *fui dierum antiquorum*, idest, recogitare coepi misericordiam tuam, quam ab initio mundi patribus nostris exhibuisti, portans infirmitates eorum, sanans languores, et parcens iniquitatibus. Nec solum obiter memor fui, sed *meditatus sum in omnibus operibus tuis*, idest, diligenter consideravi omnia opera tua, sive naturae, sive gratiae, et in omnibus misericordiam tuam eminere vidi: et idipsum iterum repetens addit, *in factis manuum tuarum meditabar*, idest, in operibus tuis considerandis exercebar. Posset haec cum sancto Gregorio referri ad antiquos dies, quibus in statu innocentiae homo fruebatur deliciis paradisi, et inde magis intelligitur miseria captivitatis; sed prior expositio, in qua Chrysostomum secuti sumus, videtur litterae magis inhaerere.

6. *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

Spe concepta ex consideratione misericordiae, ad Deum aspicere et suspirare incipit. *Expandi*, inquit, *manus meas* in oratione *ad te*: quoniam anima mea ita sitit gratiam tuam, ut terra arida pluviam. Quae aptissima similitudo est. Nam sicut terra sine aqua neque consistentiam habet, neque vestitur herbis, neque ornatur floribus, neque producit fructus, sed est inanis et vacua: sic anima sine gratia Dei non resistit tentationibus, sed sicut pulvis jactatur a facie venti, neque vestem habet justitiae, neque ornamentum sapientiae, neque fructus operum bonorum: quod totum intelligit poenitens experimento suo, et ideo magis sitit, quod melius cognoscit.

7. *Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.*

Turpitudo peccati, quam agnovit, et desiderium gratiae urget animam poenitentis, ut non possit ferre moras reconciliationis; atque hoc est signum verae contritionis, quando peccator non differt confessionem, et alia remedia de die in diem; sed cito currit ad medicum animae, quo modo aegrotus in periculo constitutus cito medicum accersiri jubet, et sitibundus cito currit ad aquas. *Velociter*, inquit, *exaudi me*, non possum diutius ferre turpitudinem meam, cito lava me ab iniquitate mea; sana velociter languorem meum, quia *defecit spiritus meus*, idest, in extremis ago, vix spiritum duco: ponitur enim praeteritum pro praesenti, amplificandi gratia.

8. *Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.*

Idem petit aliis verbis, *non avertas faciem tuam a me*, idest, ne recuses reconciliari mihi, ne fias inexorabilis, converte faciem benignitatis tuae ad me misericorditer respiciendum: ne fiam similis pereuntibus, qui descendunt in lacum profundissimum gehennae. Quibus enim Deus non ignoscit, neque donat vitam gratiae, ii pereunt in aeternum. Illud, *et*, sumitur pro, *quia*, ut saepe notavimus, et sensus est, *non avertas faciem tuam a me*,

http://www.obrascatolicas.com

quia si everteris, *similis ero desendentibus in lacum.*

9. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.*

Rursum ad idem redit, sed alia ratione. *Auditam fac mihi mane*, idest, cito, velociter, incipiente die, *misericordiam tuam*: vel per *mane*, intelligit lumen gratiae, quod succedit tenebris peccati in reconciliatione; quasi dicat, satis diu fui, te irascente, in nocte peccati: incipiat te miserante dies gratiae, et audiam in corde meo vocem tuam dicentem mihi *salus tua ego sum. Quia in te speravi*, idest gratia spei, quam jam accepi, mereatur gratiam remissionis: quamvis enim peccator ex se non mereatur aliquid apud Deum, tamen ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, ut loquitur sanctos Augustinus in epist. 106. et quemadmodom eo loco s. Augustinus dicit, per Fidem impetrari justificationem: ita etiam dici potest de Spe, quod videlicet impetret justificationem.

10. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.*

Poenitens David, accepta justificatione, timens ne iterum cadat; in hac extrema parte psalmi petit sollicite gratia cognoscendi viam justitiae, et per eam ambulandi. Atque hoc etiam signum est veri poenitentis, quando post reconciliationem studet viam instituere, ut decet amicum et filium Dei. *Notam*, inquit, *fac mihi viam, in qua ambulem*, idest, illumina mentem meam, ut cognoscam viam justitiae; in qua ambulare debeo, ut ad te perveniam. Siquidem *ad te levavi animam meam*, idest, ad te direxi cursum meum, renuntiavi saecularibus desideriis, te unum desidero: ideo lumen sapientiae quaero, ne aberrem a te. Potest etiam cum Chrysostomo, illud, *a te levavi animam meam*, intelligi per spem ut sensus sit, a te pendeo, in te confido.

11. *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Persistit in eadem petitione, rogans liberari a tentationibus diaboli, qui saepe conatur obscurare mentem, ne videat viam justitiae. Concupiscentiae siquidem a diabolo excitatae faciunt, ut res aliter appareant, quam sint, et inde contingat error judicii. *Eripe me*, inquit, *de inimicis meis*, idest, eripe me a tentationibus inimici: quoniam ad te confugi, et illi renunciavi. *Doce me facere voluntatem tuam*, idest adjuva lumine tuo, ut repulsis tentationibus veram viam inveniam, et sic intelligam, quae sit voluntas tua bona, beneplacens, et perfecta. *Quoniam Deus meus es tu*, idest, debeo, et cupio tibi uni servire, quoniam tu es Deus meus, principium et finis omnium bonorum meorum, a quo naturam, et caetera bona animae et corporis accepi, et a quo beatitudinem, et gloriam sempiternam expecto.

12. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum vivificabis me in aequitate tua.*

Petiit sapientiam, quae ad intelligentiam pertinet: nunc petit charitatem, quae pertinet ad voluntatem: tunc enim vere ambulamus per viam justitiae, quando scimus, et volumus bene agere *Spiritus tuus bonus*, idest, non spiritus meus, sed tuus qui bonus est, et de quo Salvator dicit Lucae 6. *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se.* Spiritus bonus est Spiritus sanctus, essentialiter bonus, per quem diffunditur *charitas in cordibus nostris*, rom. 5. et hic facit, ut velimus, et operemur, et de hoc dicitur Ezechiel. 36. *Ponam Spiritum meum in medio vestri, et faciam ut ambuletis in praeceptis meis.* Hic igitur *Spiritus deducet me in terram rectam*, idest, in viam planam et directam, quae est lex Domini rectissima et planissima. Posset etiam *per terram rectam*, intelligi patria coelestis, quae est terra videntium, in qua justitia inhabitat, et in qua obliquitas vitiorum nullum locum habet. Sequitur, *propter nomen tuum vivificabis me in aequitate tua*: ut ostendat, justificationem, quae est quaedam vivificatio spiritualis, non ex meritis propriis, sed ex dono gratiae Dei nobis contingere. *Propter nomen tuum*, inquit, idest, propter gloriam tuam ex gratia tua, *vivificabis me in aequitate tua*, idest, in justitia tua: sic enim est in hebraeo. Per *justitiam* autem potest intelligi veritas, sive fidelitas in servandis promissis potest etiam intelligi justitia, quae nos justificat. Denique potest intelligi lex Domini justissima, quo modo intelligitur illud psalm. 118. vers. 40. *In aequitate tua vivifica me.*

13. *Educes de tribulatione animam meam et in misericordia tua disperdes inimicos meos.*
14. *Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.*

Concludit praedicens salutem, et liberationem suam, et perditionem omnium inimicorum suorum: quod sine dubio adimplebitur in ultimo Judicio; et quod de se David Propheta dicit, dici etiam potest de omnibus veris Dei servis, qui vel innocentiam custodierunt, vel per veram poenitentiam ad justitiae viam redierunt.

PSALMUS CXLIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Psalmus David adversus Goliath.

In hebraeo habetur solum, *psalmus David*: quae sequuntur, addita esse a septuaginta interpretibus testatur s. Hilarius: sed quoniam psalmus videtur meminisse regni ipsius David versu tertio, ubi dicit, *qui subdit populum meum sub me*; existimant aliqui, verba illa adversus Goliath, non esse conformia psalmo: et liberius etiam putant haec verba posse contemni, quod Theodoretus testatur ea non haberi in exaplis Origenis, ac proinde non esse ex interpretatione septuaginta seniorum. Sed respondere possumus, psalmum scriptum esse proprie pro victoria adversus Goliath, et verba illa, *qui subdit populum meum sub me*, non intelligi de regno, sed de principatu militiae: fuit enim David dux belli multo antea quam rex fieret: neque verum est, quod aliqui dicunt, hunc psalmum esse ejusdem argumenti cum psalmo septimo decimo, ut patet ex versu octavo hujus psalmi. Itaque existimamus, hunc psalmum compositum fuisse paulo post victoriam adversus Goliath, ut habet titulus. Quod autem attinet ad versionem septuaginta, majorem fidem habere debemus s. Hilario, qui affirmat, haec addita a septuaginta viris, quam Theodoreto, qui negat. Sanctus enim Hilarius in explicatione psalmorum Originem sequutus est, ut testatur s. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: quare credibile est, Hilarium in Origene legisse, verba illa addita fuisse Septuaginta viris: nemo autem melius novit quid esset in versione septuaginta, quae habetur in exaplis, quam Origenes qui exapla collegit. Adde quod cum hic titulus legatur in omnibus libris Latinis, et a s. Augustino, et aliis exponatur, non est ulla ratione tollendus, aut contemnendus. Argumentum psalmi ex Hilario est victoria Christi adversus diabolum: ex Augustino, victoria ecclesiae adversus eumdem diabolum: ex Theodoreto, victoria Machabaeorum adversus Antiochum. Sed nos cum s. Joan. Chrysost. existimamus, ad litteram cani victoriam Davidis adversus Goliath, ut titulus docet; spiritualiter praedici victoriam Christi, et ecclesiae adversus diabolum.

EXPLICATIO PSALMI CXLIII.

1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.*

Laudat Propheta Deum, et gratias illi agit, quia dono singulari ejus vicerit gigantem, unde initium duxit omnis ipsius gloria. Dicit autem, *Qui docet manus meas ad praelium*, et dicit, Qui robustam fecit manum meam; quoniam in eo genere praelii, quo vicit gigantem, plus valuit ars, quam robur. *Praevaluit* enim, ut Scriptura dicit, *in funda et lapide adversus Philistaeum*, 1. reg. 17. Jacere autem lapidem ex funda, ita ut recte attingat frontem hominis, maximae artis est; quam tamen victoriam sapiens Propheta non suae arti, aut exercitationi, sed Dei dono tribuit. Pari ratione in praelio spirituali adversus Diabolum magis indigemus arte, quam robore; et Christus ipse per Davidem figuratus non potentia, sed sapientia Diabolum vicit. Patientia enim, ut humilitate superbum, et crudelem hostem prostravit: et ideo non dixit Propheta, Qui armat manus meas, sed, *qui docet manus meas.* Quod additur, *et digitos meos ad bellum*; idipsum est aliis verbis repetitum.

2. *Misericordia mea, et refugium meum, susceptor meus, et liberator meus.*
3. *Protector meus, et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.*

His quinque vocibus docet Propheta, quo ordine dederit illi Deus victoriam: quo etiam ordine nobis quoque dabit, si in illo spem nostram totam posuerimus. Primum Deus misericorditer Davidem respexit. Misericordia enim Dei prima origo est omnium bonorum nostrorum, et omnia omnino merita praevenit: hinc igitur primo dicit, *misericordia mea*. Deinde David misericorditer praeventus, et vocatus respexit ad Deum, atque ad eum sperando, et invocando confugit: hinc subjungit, *et refugium meum*. Tertio, Deus confugientem ad se non despexit, sed manum illi porrigens suscepit eum protegendum et adjunvandum: inde subjunxit, *susceptor meus*. Quarto, susceptum liberavit de captivitate et ab imminente periculo vitae: hinc subjunxit, *et liberator meus*. Denique liberatum, ne iterum caperetur, aut vulneraretur, protexit et protegere pergit, dum praelium durat: ideo subjunxit, *protector meus*; addit, *et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me*, idest, Deus quidem mihi est misericordia, refugium

http://www.obrascatolicas.com

susceptor, liberator et protector: et ego vicissim in ipso sperabo, qui fecit plus quam petere, aut optare potuissem: nam non solum liberavit me de manu Goliath, sed etiam subjecit mihi populum meum, cum fecit me principem militiae super omnem populum meum: nam 1. regum 18. paulo post victoriam de Goliath, fecit Saul rex Davidem tribunum super mille viros: nec solum illis, sed universo populo praeerat David. Sic enim legimus ibidem, *omnis Israel, et Juda diligebat David, ipse enim ingrediebatur, et egrediebatur ante eos*, quod repetitur 2. Regum 5. Nec solum subjecit, sed etiam nunc subdit, cum dono gratiae suae facit, ut populus quiete et pacifice regi se sinat.

4. *Domine quid est homo quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum.*

Ex tot beneficiis prorumpit David in magnam admirationem, quod tantus Deus, quo nihil majus cogitari potest, dignetur tanti facere hominem, qui fere nihil est, ut etiam velit ab illo cognosci, et amari. Et si haec David dicit, et tanto sensu pietatis dicit, quid nos facere, sentire et dicere par esset, quibus Deus non solum innotuit, sed formam servi accepit et in ea forma *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, et victoriam nobis tribuit non adversus carnem et sanguinem, sed *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus*, et qui nobis non populum unum subjicit, sed evectos ad participationem regni sui constituit cum Christo super omnia bona sua: sed verba consideremus. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei?* ex hebraeo aliqui vertunt, *quid est homo, quia cognoscis eum?* Sed s. Ioannes Chrysostomus affirmat, recte vertisse septuaginta interpretes, *innotuisti ei?* nam et vox hebraica hunc sensum patitur et est multo admirabilius, quod Deus dignetur agnosci ab homine, quam quod hominem cognoscat imo nihil admirationis habet, quod Deus hominem cognoscat, qui hominem fecit et nihil ignorare potest. Observat quoque idem Chrysostomus recte dictum esse, *quia innotuisti ei*, non autem, quia cognitus es ab eo: cognitio enim Dei in homine ab ipso Deo est, qui ei se revelare, et demonstrare dignatur. *Aut filius hominis, quia reputas eum?* Repetitio ejusdem admirationis est: nam in hoc apparet, quanti Deus hominem aestimet, quia voluit ei innotescere, et cum eo familiaritatem amicitiamque contrahere.

5. *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra praetereunt.*

Explicat causam suae admirationis; quia videlicet homo sit res modica, et id modicum brevi desinat esse. Non poterat magis extenuari vilitas hominis comparata ad magnitudinem Dei. Deus plenitudo est omnium bonorum et plenitudo semper stans, et manens in aeternam sine ulla imminutione, aut mutatione. Homo non est quidem vanitas, quia aliquid est, sed *vanitati similis*, quia modicum quid est et capax magnorum bonorum, si a Deo impleatur, sed donec impleatur, similis est vasi vacuo, et inani. Id autem quod est semper mutatur et transit donec deficiat: quo modo interdiu umbra montium insensibiliter transit, donec nocte superveniente penitus evanescat. Atque haec dicit Propheta de homine, quoad vitam corporalem et comparatione facta cum Deo: alioqui enim homo magna res est, ad imaginem et similitudinem Dei creatus, et ad ipsum Deum intelligendum et amandum factus; propter quem unicus Dei sanguinem profundere non dubitavit; qui denique si Deo per fidem, spem et charitatem in hac peregrinatione inhaeserit, futurus sit in patria aequalis angelis, semperque foelicissimus. Itaque quemadmodum pulverem et cinerem se reputare debet cum Deo collatus; ita dignitatem suam agnoscere debet cum ei bestiales voluptates a Diabolo suggeruntur, ut dedignetur delectari voluptatibus pecorum, quia ad angelorum aequalitatem aspirat.

6. *Domine inclina coelos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.*
7. *Fulgura coruscationes et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.*

Propheta sanctus ex beneficiis Dei prorumpit in admirationem misericordiae Dei; quod tanta majestas tantam vilitatem aspicere dignaretur: nunc vero considerans ex adverso superbiam et caecitatem multorum hominum, qui Deo contempto toti essent occupati in opprimendis hominibus piis, et in cumulandis terrenis divitiis, precatur Deum, ut ostendat potentiam suam in ejusmodi homines ut saltem timore poenae peccare cessent, qui amore justitiae, et reverentia conditoris bene agere nesciunt. *Domine*, inquit, *inclina coelos tuos, et descende*, idest, quandoquidem humana superbia ex beneficiis te non agnoscit, nec timet, ostende praesentiam tuam per nubes tenebrosas, per ignem de coelo demissum, per fulgura et tonitrua, aliaque id genus, quibus homines terreri et expavescere cogantur; dicitur autem Deus *inclinare coelos*, quando demittit nubes et densas caligines, quae videntur partes coeli aerei et eo modo *descendere* dicitur, quia demonstrat per eos effectus praesentiam suam; sic dicitur Exod. 20. Deus descendisse in montem Sina, quando implevit montem illum tenebrosa nube et caligine densissima, et simul montem calefecit, ut totus fumigare videretur: et hoc est quod addit, *tange montes, et fumigabunt*, sed praecipue Deus praesentiam et potentiam suam demonstrat fragore horrendo tonitruorum et coruscatione fulgurum, ac vibratione fulminum, quibus nihil velocius, subtilius, efficacius, horribilius. Ideo addit, *fulgura coruscationes, et dissipabis, eos*, superbos videlicet hostes piorum. *Emitte sagittas tuas*, id est, coelestia fulmina, *et conturbabis eos*: nemo enim est tam ferox, et audax, qui non expavescat fulmina de coelo, adversus quae nihil valet humana defensio. Unde dicitur 1. reg. 2. *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit.*

8. *Emitte manum tuam de alto, et eripe me, et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.*

Ex hoc versiculo apparet psalmum hunc non esse scriptum a Davide post regnum adeptum, neque esse ejusdem argumenti cum psalmo septimodecimo: nam in eo psalmo gratias agit de liberatione a manu Saul et omnium aliorum inimicorum: in hoc autem psalmo adhuc pugnabat cum filiis alienis, idest Philisthaeis, et orat Deum pro liberatione et victoria. Itaque posteaquam rogaverat Deum generatim adversus impios et superbos, rogat pro se in particulari. *Emitte*, inquit, *manum tuam de alto*, id est, de coelo potentiam tuam ostende, *et eripe me et libera me de aquis multis*, idest, a multitudine hostium infidelium, cum quibus quotidie bellum gero: et declarans ipse metaphoram, addit, *de manu filiorum alienorum*. Itaque *aquae multae*, significant multitudinem filiorum alienorum, qui ad litteram erant Philisthaei: spiritualiter sunt haeretici, ut vult s. Joannes Chrysostomus, vel generalius omnes filii hujus saeculi, sive foris, sive intus sint, ut docet s. Augustinus et conformius est versiculo sequenti et a versiculo duodecimo usque ad finem.

9. *Quorum os loquutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis.*

Describit filios alienos, atque ait, illos esse, qui et ore et opere iniqui sunt. *Quorum os loquutum est vanitatem*; non veritatem, non legem tuam, non boni aliquid: *et dextera eorum* non operatur nisi rapinas, oppressiones pauperum, adulteria, homicidia, etc.

10. *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.*
11. *Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me.*
12. *Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.*

Interponit duos versiculos, quasi parenthesim ex affectu in Deum: deinde revertitur ad describendos filios alienos. *Deus*, inquit, *canticum novum cantabo tibi*, idest, peto alia multa beneficia, sed non sum oblitus acceptorum, ideo canticum novum, praeclarum, nondum auditum, cantabo tibi, et simul in psalterio decem chordarum psallam tibi, jungens sonitum psalterii cum laudatione vocis; id autem faciam, quia *tu das salutem regibus*, ut paulo ante dedisti Sauli regi per ministerium meum et tu *redemisti me Davidem servum tuum de gladio maligno*, idest, de gladio injusto gigantis Goliath: tu igitur sicut hactenus fecisti, *eripe me*. Erue inquam me de manu filiorum alienorum, qui verbo et opere scelestissimi sunt.

13. *Quorum filii sicut novellae plantationes in juventute sua.*

Declarat filios alienos ab affectu et opinione ipsorum: illi enim sunt filii alieni, qui non norunt, neque diligunt nisi terrenam foelicitatem, in foecunditate, et prosperitate filiorum, et filiarum: in abundantia frumenti, vini et olei, in armentis pecorum et fructibus eorum; in pace, et securitate omnium quae possident. Sed hoc loco observandum est, ex hebraeo haec omnia nunc legi in prima persona, non in tertia et sensum facere omnino contrarium nimirum hunc: *eripe me de manu filiorum alienorum*, ut sint filii nostri, *sicut novellae plantationes*, *filiae* nostrae *compositae*, *ut similitudo templi, promptuaria nostra*, etc. sed cum omnes graeci et latini codices habeant in tertia persona, et omnes patres ita exponant, non possumus approbare lectionem hebraicam, nisi dicamus, ut Genebrardus indicavit, hic introduci loquentes ipsos filios alienos et Davidem non ex suo sensu, sed in persona eorum haec dicere, ut hic sit sensus: *eripe me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis*, qui videlicet loquuti sunt vanitatem dicentes, sint filii nostri *sicut novellae plantationes* etc. Posset etiam facile fieri, ut verba hebraica tempore septuaginta interpretum fuerint in tertia persona et postea successu temporis incuria librariorum mutata sint in personam primam: quod facillimum fuit, cum discrimen personae primae et tertiae in literis non in syllabis consistat: nam si desit litera *nun*, erit persona prima; si adsit, erit persona tertia: praeterea vox, אשר *ascer*, quae potest verti, *quorum*, ut nostri legunt, et potest etiam verti, *ut*, quo modo legunt hebraei; videtur hoc loco vertenda, *quorum*, non, *ut*: nam in versu 9. et 12. ubi legimus, *quorum os locutum est vanitatem*, eadem est vox, et ab omnibus vertitur, *quorum*: cur ergo non etiam hoc loco vertatur, *quorum*, et legamus, *quorum filii?* Quare lectio nostra omnino retinenda est. Ac primo loco inter humanas foelicitates ponuntur filii, quoniam illi super omnia alia desiderantur, et propter eos quaeruntur caetera. Ideo Propheta dicit, *quorum filii sicut novellae plantationes in juventute sua*, idest tunc habentur foelices filii hujus saeculi, quando filii eorum sunt in juventute sua similes novellis plantationibus arborum, idest, bene radicati et fundati et virides ac florentes, ut spes sit, eos longissimo tempore supervicturos.

14. *Filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi.*

Haec est secunda foelicitas temporalis, filiae formosae, et ornatae, ut facile viros inveniant, quibus nubant. Illud, *compositae*, videtur referendum ad naturalem pulchritudinem, quae ex compositione, sive conformatione membrorum constat: ex hebraeo vertunt aliqui, *filiae ut anguli incisi*, sed credibile est septuaginta interpretes deduxisse vocem hebraicam a, זיו *ziu*, quod splendorem significat, ut sensus sit, *filiae eorum compositae*, idest, splendidae et speciosae. Quod sequitur de similitudine templi, videtur intelligendum de ornatu tabernaculi, in quo erant multa ornamenta purpurae byssi, auri, gemmarum, ut nihil pulchrius in tota ea regione inveniretur.

http://www.obrascatolicas.com

15. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.*

Hoc est tertium genus foelicitatis filiorum alienorum, promptuaria ita plena variarum frugum, aliarumque rerum ad hujus vitae usum, ut necesse sit ex uno in aliud exonerare copiam rerum. Qualis foelicitas describitur in evangelio, cum dicitur, divitem quemdam cogitasse intra se, *quid faciam, quia non habeo ubi congregem fructus meos? scio quid faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, etc.* Luc. 12. Id vero potissimum contingit, quando supervenientibus novis frugibus, adhuc supersunt veteres, quae in aliud promptuarium refundendae sunt, ut detur locus novis.

16. *Oves eorum foetosae, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassae.*

Hoc est quartum genus bonorum temporalium, oves foecundae, et plurimae, *abundantes in egressibus suis*, idest, quae plurimae conspiciantur, cum egrediuntur ad pascua: et simul cum gregibus ovium armenta boum et quidem pinguium.

17. *Non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.*

Hoc est ultimum bonorum temporalium, ut non solum domus et palatia, ruinam nullam minentur, sed ipsae etiam maceriae, quae ex vili materia eriguntur, integrae maneant: et nullus sit tumultus, neque rumor in plateis eorum, sed omnia tranquilla et pacata. Illud, *neque transitus* potest significare transitum per diruptas macerias, vel transitum latronum, aut militum cum tumultu circumcursantium.

18. *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

Haec est conclusio sancti Prophetae, qui refert, ex sententia filiorum alienorum beatum esse populum cui haec sunt, quae paulo ante descripsimus: sed ex propria sententia dicit, beatum esse populum, non cui haec sunt, sed cujus Deus est Dominus, idest, qui habet pro Deo verum Deum: nam vox, *Dominus*, hoc loco scribitur quatuor literis, quae nomen proprium Dei significant, quod numquam tribuitur, nisi vero Deo, qui fecit coelum, et terram. Ad finem hujus psalmi diligenter annotandum est, non facere differentiam inter filios Dei et filios alienos, copiam, vel inopiam rerum temporalium: multi enim filii Dei his bonis abundarunt et Dominus Matth. 19. promisit centuplum eorum, quae dimittimus in hoc mundo; et postea vitam aeternam et contra multi filii hujus saeculi misere perierunt in egestate, in exilio, in triremibus, in patibulis. Sed quod differentiam facit inter filios regni, et filios gehennae, filios hujus saeculi et filios lucis, est affectio: qui enim bona temporalia magna bona esse ducunt et iis ita afficiuntur, ut prae illis aeterna bona contemnant et contra qui detrimenta temporalia magna mala esse ducunt, eaque ita timent, ut pro iis evadendis Deum offendere et vitam aeternam perdere non formidant illi sunt filii tenebrarum hujus saeculi, et gehennae et hoc significatur in illis verbis, *beatum dixerunt populum, cui haec sunt*, idest, qui tanti faciunt haec temporalia, ut in illis beatitudinem sitam esse arbitrentur. Qui vero bona temporalia, parva bona; et jacturam eorum parva mala esse ducunt, ut re vera sunt: contra autem gratiam Dei, et coelestem patriam in maximis bonis reponunt et offensionem Dei, ac vitae aeternae detrimentum, mala gravissima putant, illi sunt filii lucis, filii Dei, filii regni, qui non surda aure audierunt, *primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. et hoc significatur in illis verbis, *beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*, idest, bona temporalia, bona sunt, sed beatum non faciunt: quod autem vere facit beatum est possessio summi boni, quod in Dei visione consistit.

PSALMUS CXLIV.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Laudatio ipsi David.

Titulus indicat argumentum: est enim hic psalmus perpetua laudatio Dei, quae partim sumitur ab ipsa Dei magnitudine, partim ab operibus ejus, partim a qualitatibus regni ipsius, partim a virtutibus regiis, quae in ipso perfectissime inveniuntur. Est autem psalmus alphabeticus, ut facilius memoriae commendetur et delectabilius canatur. Sanctus Hilarius et sanctus Augustinus ita exponunt titulum, *laudatio David*, idest laudatio, qua laudatur David, et per Davidem intelligunt Christum, qui filius est David secundum carnem. Sed communior expositio est, ut sit sensus, laudatio qua laudatur Deus a Davide. Neque obstat, quod in graeco dicatur in dativo, *laudatio ipsi David*: est enim sensus, laudatio Dei inspirata et dictata a Spiritu sancto ipsi Davidi. Vide titulum psalmi tertii.

EXPLICATIO PSALMI CXLIV.

1. Aleph. *Exaltabo te Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.*
2. Beth. *Per singulos dies benedicam tibi et laudabo nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi.*

In his duobus primis versiculis continetur proemium, in quo Propheta docet quid in hoc psalmo canere proposuerit, sed hoc docet more poetico, per apostrophem ad Deum. *Exaltabo*, inquit, *te*, idest, in hoc Psalmo celebrabo te versibus meis, ut tu, qui altissimus es, altissimus etiam habearis et praediceris ab hominibus. Vocat autem Deum Regem suum, vel ut ostendat, se regem esse sub Rege Deo, qui omnes regit et a nullo regitur; vel quia Deum celebrare intendit ob ea praecipue attributa, vel opera, quae illi conveniunt ut rex est et gubernator hominum et caeterarum rerum creatarum. *Et benedicam nomini tuo*, repetitio est ejusdem rei: idem enim est, *exaltabo te*, et *benedicam nomini tuo*, idest, laudabo nomen tuum, celebrabo gloriam tuam. Quod autem additur, *in saeculum et in saeculum saeculi*, significat laudationem hanc fore perpetuam, ita ut hic incipiat, et perseveret per successionem hominum canentium hos psalmos usque ad mundi consummationem et deinde in coelesti patria numquam omnino deficiat. *Beati enim qui habitant in domo tua Domine*, ait ipse idem in psalm. 83. *in saecula saeculorum laudabunt te.* Hoc idem clarius repetitur et explicatur in secundo versiculo, *per singulos dies benedicam tibi*, id est, perpetuo laudabo te, sive in prosperis, sive in adversis, dum hic vivam et postea quoque in coelesti patria *laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.*

3. Ghimel. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.*

Quatuor sunt quasi partes magnitudinis, latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, quae suo modo in Deo quoque considerari possunt, juxta illud Apostoli ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum.* Igitur Propheta incipit laudare Deum a magnitudine, et potest haec laus intelligi de magnitudine essentiae divinae, quae est magna quoad latitudinem, quia est immensa; quoad longitudinem, quia aeterna; quoad sublimitatem, quia altissima; quoad profunditatem quia incomprehensibilis; vel si placet, Prophetam explicare de magnitudine Dei, ut rex est, magnus rex est Dominus; quoad latitudinem, quia omnia serviunt illi a summo angelo usque ad ultimum vermiculum; quoad longitudinem, quia regni ejus aeterna duratio est; quoad sublimitatem, quia potestate summa, et absolutissima regnat; quoad profunditatem, quia non solum corpora, sed etiam corda regit, et moderatur intimas omnium cogitationes et affectiones; denique nihil est tam abditum, et reconditum, quo virga regni ejus non penetret. *Magnus* ergo *Dominus*, ideo *laudabilis nimis*, idest, valde: *et magnitudinis ejus non est finis*, quia et latitudo infinita est et longitudo et sublimitas, et profundum pariter infinita sunt. Vox hebraica proprie *inventionem*, sive *investigationem*, non *finem*, significat. Sed septuaginta sensum verterunt. Ideo enim magnitudinis Dei nulla est inventio, quia finis ejus non invenitur, nec inveniri potest, cum non sit. Itaque magnitudo Dei est infinita et ideo a nobis, qui finiti sumus, est omnino investigabilis: dicitur autem a nobis investigabilis, non quod ignoremus magnum esse Deum et magnitudinis ejus nullum esse finem, sed quia magnitudinem illam totam non capimus, non comprehendimus. Admonet autem nos haec magnitudo infinita Dei, ut sicut magnitudinis ejus non est finis, sic etiam laudationis nullus sit finis. Ita s. August. Item, ut nos quoque non simus contenti angustiis nostris, sed quotidie magis ac magis in vera magnitudine, quae in virtutibus posita est, crescere studeamus, juxta illud psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum; ibunt de virtute in virtutem*, etc, nam qui crescere student potentia, vel divitiis, ut alios supergrediantur; isti non magni, sed inflati sunt; non succo pleni, sed vento distenti: aliud enim superbia, aliud animi magnitudo est. Ita sanctus Joannes Chrysostomus.

4. Daleth. *Generatio, et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronunciabunt.*

Ab essentia Dei magni regis, quae investigari non potest, transit Propheta ad opera ipsius mirabilia, ex quibus potentia intelligi potest, et non dicit ego laudabo opera tua, sed *generatio et generatio laudabit opera tua*, quasi dicat, ego solus non sufficio laudare, sed omnes generationes laudabunt *opera tua*, quia numquam deerunt qui ea considerent, admirentur et laudent. *Et potentiam tuam pronunciabunt*, idest, omnes generationes laudabunt opera tua, et inde potentiam tuam, quae in illis relucet, assidue praedicabunt. In hebraeo habetur ad verbum, *generatio generatione laudabit opera tua*, ut in psal. 18. *Dies diei eructat verbum*: qua phrasi significatur, generationes sibi invicem succedere, ut dicitur Ecclesiastae 1. *generatio advenit, et generatio praeterit*, et sicut una alteri succedit quoad subsistentiam ita etiam unam alteri succedere in laudandis operibus Dei, quasi una, defuncta numero suo, tradat alteri munus Deum laudandi, et hoc modo generatio, et generatio, idest, omnes generationes laudabunt opera Dei. Itaque lectio hebraica non est contraria lectioni graecae, et latinae, sed eas explicat et illustrat.

5. He. *Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur, et mirabilia tua narrabunt.*

Dixit in genere de operibus Dei mirabilibus, nunc distinguit tria genera operum Dei, quaedam gloriosa, et pulcherrima, ac per hoc mirabilia ob eximiam speciem et splendorem; quaedam terribilia, et ob

http://www.obrascatolicas.com

terrorem maximum valde mirabilia;quaedam denique amabilia,et ob ingentis benignitatis Dei significationem, non minus quam caetera mirabilia. In hoc igitur versiculo laudantur opera mirabilia ob splendorem,et gloriam operis,qualia sunt coeli superiores, quibus nihil majus, et pulchrius; de quibus dicitur psal. 18. *Coeli enarrant gloriam Dei:* ad idem opus pertinent ea,quae in coelo conspicimus, sol, luna, stellae caeterae,et earum varietas, multitudo,splendor et perpetui sine ulla intermissione, vel fatigatione discursus. *Magnificentiam*, inquit, *gloriae sanctitatis tuae loquentur*, id est, omnes generationes laudando loquentur excellentiam gloriosi operis magnificentiae tuae, et quia multa sunt in eo opere mirabilia, ideo laudantes gloriosum hoc opus, mirabilia tua multa,et magna narrabunt:per *magnificentiam* non intelligitur hoc loco actio virtutis, quae dicitur magnificentia, sed qualitas operis magnificentissimi, quae dici potest excellentia, sive praestantia,sive decor et pulchritudo:haec enim omnia significat vox hebraea,quae hoc loco ponitur: per *gloriam*, intelligitur claritas et splendor, et per *claritatem*, et *splendorem*, ipsum opus gloriosum, et splendidum; denique per *sanctitatem Dei*,si respiciamus vocem hebraicam, intelligenda est majestas,sive magnitudo, sive magnificentia Dei, quae etiam *sanctitas* dici potest, quia majestas Dei sanctissima est: vox hebraica non est, קדש *kodes*,idest,sanctitas,sed, הוד *hod*, quam vocem in psal. 8. verterunt septuaginta *magnificentiam*, hoc loco vertit s. Hieron. *magnitudinem*, potest etiam verti, *majestas*, sive, *decor*, sive etiam,*robur*, ac, *potentia*. Itaque sensus erit, omnes generationes praestantissimum, et clarissimum opus Majestatis Dei, quae sancta idest,inviolabilis, et purissima est, decantabunt.

6. Vau. *Et virtutem terribilium tuorum dicent,et magnitudinem tuam narrabunt.*

Hoc est alterum genus operum Dei, quo terror divinae majestatis in puniendis impiis demonstratur. *Et virtutem*, inquit, *terribilium tuorum dicent*, idest,robur et potentiam terribilium flagellorum, quibus impios castigare solitus es, dicent;et ex eis *magnitudinem* potentiae tuae *narrabunt*. Ad hoc opus pertinent,diluvium generale tempore Noe; combustio quinque civitatum igne de coelo demisso: plagae Aegypti et Pharaonis: hiatus terrae ad absorbendos vivos seditiosos, Dathan et Abiron: denique terrae motus, pestilentiae, fulmina coelestia, eluviones aquarum, procellae ventorum, et alia,quae non raro ex divino judicio terris immittuntur.

7. Zain. *Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt, et justitia tua exultabunt.*

Hoc est tertium genus operum Dei,quod ad misericordiam pertinet, quod quidem pluribus verbis, et majori significatione grati animi explicatur,quoniam ad pios Dei servos maxime pertinet. *Memoriam*, inquit,*abundantiae suavitatis tuae eructabunt*, idest, omnes generationes repletae abundantia suavitatis et benignitatis, et misericordiae tuae,quoniam *misericordia Domini plena est terra*, ex hac plenitudine eructabunt memoriam hujus abundantissimae suavitatis, idest, mandabunt posteritati memoriam horum tantorum,et tam multiplicium beneficiorum:nec solum eructabunt hanc memoriam posteris, sed ipsi *exultabunt justitia tua*, idest, ob fidelitatem, qua promissa beneficia praestitisti: ad hoc genus pertinent innumerabiles consolationes, quas toti generi humano divina bonitas tribuit ex vicissitudine dierum, et noctium, ex pluviis de coelo, ex foecunditate terrae, ex infinita multitudine pecorum, avium,piscium,quae generi humano serviunt,ex amaenitate sylvarum,pulchritudine hortorum, commoditate maris,et fluminum, aliisque id genus plurimis. Sed haec levia,et parva sunt si comparentur ad dona gratiae, ad incarnationem verbi divini, ad passionem, resurrectionem, et ascensionem Christi, ad missionem spiritus sancti, vocationem gentium,aedificationem ecclesiae, justificationem, praedicationem,promissionem, exhibitionem regni coelorum.Quae omnia cum suavi meditatione quasi comedantur, mirum non est,si ex tanta plenitudine pii omnes eructent memoriam abundantiae suavitatis Dei.

8. Cheth. *Miserator et misericors Dominus,patiens et multum misericors.*

9. Teth. *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.*

Non contentus dixisse tantam esse abundantiam suavitatis Dei, ut omnes generationes eructaturae sint memoriam hujus suavitatis: ipse eructat primus et praedicat, dicens, *misericors. et miserator Dominus, patiens, et multum misericors* Dominus est, quia tollit miserias creando, gubernando, justificando, glorificando: nec solum *misericors* est, sed etiam *miserator*, idest, paterne misericors: id enim significat vox hebraica, רחום *rachum*; nec solum affectu paterno misericors, sed etiam *patiens*, sive longanimis,ut est in Hebraeo,idest,perseveranter misericors; etiamsi enim saepe a nobis provocetur ad iram,ille tamen non subito irascitur, sed expectat ad poenitentiam;denique haec misericordia non modica,non exigua,sed multa et copiosissima est. Id explicat in sequenti versiculo: Nam *suavis* est *Dominus omnibus*, idest, omnibus benignus et misericors, et ex se suavis, licet non omnibus videatur suavis, sed iis tantum,qui sanum palatum habent; nec solum erga omnes suavis, et bonus ac per hoc misericors est,sed etiam misericordia ejus extenditur *super omnia opera ejus*: nullum enim est opus Dei,in quo misericordia ejus locum suum non habeat: sic enim intelligimus illud, *super omnia opera ejus*, idest,in omnia opera ejus, ut exponunt sanctus Chrysostomus, et s. Augustinus, et ut vertit ex hebraeo s.Hieronymus. et requirit proprietas linguae graecae. Sanctus tamen Hilarius exponit, *super omnia opera ejus*, idest, excellit omnibus operibus ejus, et hanc expositionem patitur textus hebraicus, et hinc Theologi disputant, quo modo intelligendum sit, misericordiam esse excellentiorem omnibus virtutibus;

de qua re vide s. Thomam, et Cajetanum in 2. 2. quaest. 30. art. 4. Illud autem, *suavis Dominus universis*, verum est absolute, quia Deus *solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos*, ut dicitur Matth.5. Et ne daemones quidem Deus excludit a misericordia sua, cum eis vitam, et intelligentiam tribuat,et conservet: tamen magna misericordia, quae ad salutem aeternam perducit, de qua dicit David psal.50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, et Jacob. cap. 2. *Judicium sine misericordia ei,qui non fecit misericordiam*,restringitur ad timentes, et invocantes Deum: nam psal. 85. dicitur, *tu Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te*, et psal. 102. *quoniam secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se*, et, *quomodo miseretur Pater filiorum,misertus est Dominus timentibus se*, et, *misericordia Domini ab aeterno,et usque in aeternum super timentes eum*; quod etiam significavit b.Virgo Luc. 1. cum ait, *et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.*

10. Jod. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.*

11. Caph. *Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.*

12. Lamed. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui.*

13. Mem. *Regnum tuum,regnum omnium saeculorum, et Dominatio tua in omni generatione, et generationem.*

Cecinit hactenus opera Dei gloriosa terribilia,et amabilia:nunc transit ad qualitatem regni Dei,cantaturus etiam postea qualitates ipsius regis. *Confiteantur*, inquit, *tibi Domine omnia opera tua*, idest, laudent te opera tua de quibus hactenus te laudavi: opera enim opificem laudant,quando pulchra sunt, et bona. Opera autem Dei talia sunt, ut nihil eis addi, vel minui possit. *Vidit enim Deus omnia quae fecit, et erant valde bona*, Gen.1.et, *magna opera Domini exquisita in omnes voluntes ejus*, psal.110. Atque his verbis concludit narrationem praeteritam.Addit deinde inchoans novam laudationem, *et sancti tui, benedicant tibi*, idest, opera tua, quae patent oculis omnium, generatio, et generatio laudabit,ut supra dictum est,sed qualitatem regni, de qua nunc dicturus sum, non noverunt nisi sancti tui,quibus per Spiritum sanctum revelata est, ideo *sancti tui*, fideles tui, populus tuus peculiaris *benedicant tibi*, laudent te.In quo autem laudaturi sint, subjungit, cum ait, *gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Gloria regni* est potentia regni.Potentia regni consistit in multitudine subditorum,et in magnitudine divitiarum,quibus subditi ali et sustentari possunt. Gloria, sive potentia regni Dei cognosci potest ex differentia inter regnum Dei,et regnum hominum. Est autem quadruplex differentia. Prima, quod homines reges subditos habeant paucissimos,et opes tenuissimas, homines videlicet, et opes unius, aut plurium provinciarum: Deus autem subditos habet omnes angelos, omnes homines,omnes daemones: et quicquid in coelo, in terra, et in mari est, opes ejus sunt. Altera differentia est, quod reges terreni sic dominantur subditis, ut etiam illis serviant, quia pendent ab illis, et sine illis nihil possunt;et pari ratione sic abundant opibus,ut semper ageant, et cogantur a subditis exigere vectigalia, et tributa, ut plurimum gravati sunt aere alieno: Deus autem dominatur omnibus et nulli servit, quia non eget opera illorum, abundat opibus sine ulla inopia, quia potest in memento producere ex nihilo multo plura,quam habeat. Tertia differentia sequitur ex secunda; reges enim terreni gaudent honore, ac dignitate sua, sed simul anguntur assidua sollicitudine,et formidine,ut propterea inventi sint, qui sponte imperium deposuerint:Deus autem nulla premitur sollicitudine,nullo metu,sed cum tranquillitate, et securitate regnat. Quarta est,quod reges terreni brevi tempore regnant: Deus autem in aeternum. Prima differentia attingitur in versiculo illo, *gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur*, idest, sancti tui praedicabunt gloriam et potentiam regni tui, quae in multitudine innumerabili subditorum, et abundantia infinita opum tuarum consistit. Secunda et tertia attinguntur in versiculo sequenti, *ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui*; quae verba indicant maximum discrimen inter regna hominum, et regnum Dei.Ideo enim dicit, *ut notam faciant filiis hominum*,idest, ut faciant filios hominum intelligere,regna sua terrena nihil esse, si comparentur ad regnum Dei; et non contentus dixisse,*ut notam faciant potentiam tuam*, addidit, *et gloriam*; et hoc non contentus, addit, *magnificentiae regni*, idest, gloriam excellentissimi regni tui. Denique quarta differentia habetur in versiculo sequenti,*regnum tuum regnum omnium saeculorum*, etc.

14. Nun. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

Hic jam incipit explicare Propheta virtutes proprias regis,quae in Deo perfectissime inveniuntur, ut etiam in Christo homine, et ad quarum quasi speculum,vel exemplar reges omnes respicere deberent.Prima virtus regia est probitas vitae,et praecipue veracitas in verbis: nam *totus componitur orbis regis ad exemplum*,et de Christo rege dicitur, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. 1. Petri 2. et hoc ipsum dicit hoc loco Propheta, *fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, idest, verax, non mendax,non decipiens,non fallens, promissa omnia constanter observans, *et sanctus in omnibus operibus suis*, innocens, impollutus,immaculatus in omni opere suo.Hunc versiculum non habent codices hebraici;sed hoc ipso convincuntur esse corrupti: nam septuaginta viri nullo modo ausi fuissent verba sua, ac praecipue integrum versiculum inserere verbis Dei:praeterea cum totus hic psalmus alphabeticus sit, nulla ratio reddi potest, cur David unam literam omittere voluerit. Itaque non dubitamus in hebraico textu

http://www.obrascatolicas.com

quem habuerunt septuaginta interpretes fuisse hunc versiculum, cujus prima litera erat *nun*, ut re vera vox hebraica, quae *fidelem* significat, a litera ista principium habet: dicit enim, נאמן *neeman*, idest, *fideles*.

15. Samech. *Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.*

Haec est altera virtus regia, et pastoralis: nam regis et pastoris idem est officium regere subditos, ne corruant, et erigere eos qui forte corruerunt. Misericordia haec virtus dicitur, regibus maxime necessaria. Illud, *allevat*, in hebraeo est, *sustentat*, sive confirmat; proinde *allevare* hoc loco non est erigere eos qui corruerunt, sed sustentare, et allevare ne cadant, cum in proximo sunt ut cadant, juxta illud, *impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me*? At quomodo verum est, a Deo sustentari omnes cadentes, et erigi omnes elisos? nonne plurimi cadunt, et eliduntur quotidie; sive corporaliter hoc intelligatur? Dicitur Deus *omnes allevare ne cadant*, et *erigere elisos*: quia quicumque in tentatione non cadunt, Deo juvante non cadunt; et qui ex casu resurgunt, Deo erigente resurgunt: qui autem cadunt, aut ex casu non resurgunt, ex se habent, non ex Deo, ut cadant, vel non resurgant. Quod aliis verbis dicit Oseas cap. 13. *Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Quod autem non velit David dicere, omnes omnino corruentes allevari, perspicuum est ex verbis sequentibus, ubi dicit, erigi a Deo omnes elisos: nam si Deus sustentaret omnes cadentes, nemo caderet, aut certe nemo cadens elideretur; quomodo ergo verum esset illud, *erigit omnes elisos*? Atque haec de spirituali casu dicta sunt: de corde corporali autem casu dicimus, Deum omnes allevare, et erigere, quia ex natura pronus est ad allevandum, et erigendum, quod si multos non allevat, neque erigit; imo saepe ipse dejicit, et praecipitat in ruinam: id facit vel ad probationem, coronam, ut cum justos affligit; et hoc non est proprie dejicere, sed exaltare: vel ad poenam et supplicium, et tunc exigunt peccata hominum, ac per hoc prima radix malorum ex nobis est, et semper vera est Prophetae sententia, *perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum*.

16. Ain. *Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.*
17. Phe. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.*

Tertia virtus regia liberalitas est, pertinet enim ad reges non expilare subditos, non emungere pecunias variis artibus; eosque ad egestatem redigere: sed contra liberaliter alere ut filios; sic tamen ut tempore suo comedant, nos totos dies in comessationibus consumant. *Oculi omnium*, inquit, *in te sperant Domine*, idest, oculi omnium viventium ad te respiciunt, sperantes a te cibum, ut inde alantur, et vivant. *Et tu das escam illorum*, idest, et tu per creaturas tibi subjectas, terram solem pluvias producis fructus copiosos in escam omnium viventium: *das* autem *escam illorum in tempore opportuno*, quando tempus opportunum est ut comedant; non enim semper comedere debent. Itaque qui comessationibus superfluis vacant, non accipiunt escam a Deo, sed a cupiditate sua. Item *dat escam Deus in tempore opportuno*, idest, quando esuris, quando eges, quando necesse hebes; proinde qui recondunt, et multiplicant superflua, non a Deo accipiunt, sed furantur bona communia: et ideo mirum non est, si multi egeant, et esuriant. Item *dat escam in tempore opportuno*, quia dat quando aequum est dari: aliquando enim aequum est tolli, quia id merentur peccata hominum, quo modo medicus praescribit cibi inediam, et abstinentiam vini: hinc saepe Deus immittit sterilitates, et penuriam, ut flagellet peccatores. Denique juxta Chrysostomum, *dat escam tempore opportuno*, quia non omnes fructus dat omni tempore, sed per temporum varietates varios fructus ex terra producit. Ut autem intelligas primam causam omnium bonorum esse Dei liberalitatem, addit, *aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*; in qua sententia omnia verba sonant liberalitatem. *Aperis*, inquit, *manum*, idest, non stricta manu, sed larga atque aperta, summa liberalitate; *imples*, idest, abunde satias, omne animal, non solum hominem, sed omnia animalia; *benedictione*, idest, abundanti refectione. Sic enim accipit benedictionem Apostolus 2. Cor. 9. *Ut benedictionem, non ut avaritiam*, idest, largam eleemosynam. In hebraeo non est proprie, *benedictione*, sed, רצון *razon, beneplacito*, sed idem est sensus: significat enim propheta impleri omnia animalia cibo sibi convenienti, qui eis placet, et quem cupiunt. S. Hier. vertit generalius, *refectione*. Septuaginta adhuc generalius, *benedictione*. At si Deus larga manu implet omne animal benedictione; unde tot mendici? tot famelici? Jam supra indicavimus id accidere ex injustitia divitum, qui multo plura volunt, et conservant, quam necesse habent, et multa effundunt in vanitates, quae pauperibus dari debuissent; addimus etiam, id aliquando evenire ex judicio Dei, quia id exigunt peccata hominum; denique adjungimus; ipsos pauperes saepe esse in causa, quia vel confidunt in astutia sua, ex malis artibus, non in Deo; vel non sunt contenti victu, et vestitu statui suo congruenti; vel quod lucrantur per integram hebdomadam, uno die comessando, vel ludendo perdunt.

18. Tsade. *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

Quarta virtus regia est justitia, quae omnino necessaria est, ut populi pacem, et quietem habeant. *Justus Dominus in omnibus viis suis*, id est, Dominus in omnibus suis actionibus suis externis, quibus quodammodo exit ab interno conclavi suo ad nos, justissimus est: tribuit enim omnibus, quod illis videbitur; et hoc idem significant verba sequentia, *et sanctus in omnibus operibus suis*.

19. Coph. *Prope èst Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.*

Quinta virtus regia est facilem se praebere omnibus accedentibus, atque auxilium implorantibus. Hoc mirifice praestat Deus noster, *qui prope est omnibus invocantibus eum*, idest, quamvis Deus excelsior coelo sit; tamen appropinquat facile omnibus eum, neque unquam audientiam negat; hinc gloriatur Moses Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*: addit Propheta declarans, quo modo intelligendum sit, *omnibus invocantibus eum*, et ait, *omnibus invocantibus eum in veritate*, quae particula, *in veritate*, includit omnes conditiones bonae orationis: nam qui sine vera fide orat, non invocat Deum *in veritate*, quia non invocat Deum, sed Idolum capitis sui; et qui sine spe, et fiducia orat, non invocat Deum *in veritate*, quia non potest serio, et ex animo invocare eum, a quo non sperat se exaudiri; et qui sine charitate vel sine dilectione saltem inchoata orat, non invocat Deum *in veritate*, quia nemo invocat serio eum quem odit, et a quo se hodio haberi credit: et qui sine affectu ac desiderio erant, ut qui recitant psalmos, et orationem Dominicam absque desiderio consequendi quae petunt, non invocant Deum *in veritate*, sed invocare videntur; denique qui sine attentione orant, nec sciunt quid dicant, ii voce tantum, non mente orant, et ideo non invocant Deum *in veritate*, quia non ipsi vere invocant, sed signum inane invocationis ostendunt.

20. Resch. *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.*

Sexta virtus regis est benignitas, qua non solum facile admittit subditos ad audientiam; sed etiam benigne concedit quae ipsi petunt, modo ea petant, quae deceat regem concedere. *Voluntatem*, inquit, *timentium se faciet*, id est, audita oratione praestabit quod ipsi volunt. Sed addit, *timentium se*, quia hoc justum est, ut Deus faciat voluntatem eorum, qui faciunt voluntatem ipsius. Illi autem faciunt voluntatem Dei, qui timore sancto metuunt offendere Deum, et quidlibet potius emittere volunt, quam gratiam Dei. Id ipsum more suo repetit, *et deprecationem eorum exaudiet*. Addit postremo, *et salvos faciet eos*, ut declarat quo modo Deus semper axaudiat deprecationes timentium se. Saepe enim Deus videtur non exaudire orationem *timentium se*, ut cum apostolum non levavit a stimulo carnis, pro qua se ter Dominum rogaverat, 2. Cor. 12. et tamen vere semper exaudit primarium desiderium *timentium se*, quod est salutis aeternae desiderium. Sicut enim Dominus jussit, *primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus*, idest, et gloriam, et gratiam: sic omnes timentes Deum timore sancto, primo, et principaliter in omni ratione petunt salutem inchoatam, quae est gratia, et perfectam, quae est gloria. Deus igitur exaudit semper timentes se, quia *salvos facit eos*, idest, exaudit quando, et quo modo expedit ad salutem.

21. Scin. *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.*

Ultima virtus, sed maxime necessaria regi, est providentia, qua protegit justos, ne a multitudine peccatorum opprimantur; et peccatores dissipat, ne justis noceant, aut non tantum noceant, quantum vellent; tametsi enim aliquando sinit justos a peccatoribus multa pati; tamen custodit eos, ne passio illis noceat, imo gratia sua facit, ut multum prosit. Permisit Deus martyres sanctos flagellari, et occidi; sed custodivit eos, tribuens illis constantiam in fide, et patientiam in doloribus, ut animae gloriam mox adipiscerentur, et paulo post corpus etiam reciperent gloriosum, et verum esse intelligerent quod eis veritas promisit, *capillus de capite vestro non peribit*. Quod autem dicit, *omnes peccatores disperdet*, ideo verum est, quia vel peccatores convertentur ad justitiam, et non erunt amplius peccatores, vel injusti permanebunt usque ad finem, et disperdentur per detrusionem in gehennam, ut ad justos in aeternum appropinquare non possint.

22. Thau. *Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.*

Concludit Propheta psalmum jungens finem cum principio, quasi dicat, propter haec omnia, quae dixi de magnitudine Dei, de operibus ejus, de perpetuitate regni ipsius, ac de virtutibus regiis, quae in ipso perfectissimae et absolutissimae inveniuntur, *laudationem* ejus semper *loquetur os meum*; nec solum ego laudare cupio, sed opto, ut omnis caro, omnis homo, omne quod spirat, et vivit, nomen Domini semper laudet.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CXLV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja Aggaei, et Zachariae.

Hunc titulum non habent codices hebraici, excepta prima voce, *Alleluja*; sed habent codices graeci et latini, etiam antiquissimi. S. Hilarius docet, nomina Aggaei, et Zachariae addita esse ab Interpretibus, quoniam duo illi Prophetae praedixerunt renovationem Hierusalem; et captivos consolabantur et hortabantur ad reditum in patriam, et ad ipsam civitatem instaurandam. Hic autem psalmus, ut etiam duo sequentes, coelestem Hierusalem praedicant, atque ad iter suscipiendum ad eam invitant; et quoniam nihil est quod magis retardet peregrinos ab hoc itinere, quam spes foelicitatis terrenae, quae ab amicitia et obsequio magnorum principum dependet, hortatur gravissimis verbis, ut in nullo homine, quantumvis magno, spem ponamus, sed totam fiduciam nostram in Domino collocemus.

EXPLICATIO PSALMI CXLV.

1. *Lauda anima mea Dominum laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.*

Incipit per dialogismum. Peregrinus enim homo animadvertens carnem suam gemere in labore peregrinatoris, hortatur animam suam, ut ipsa saltem quae spe beata esse coepit, Deum laudet, et canendo reficiat totum hominem, *lauda* inquit homo ad animam suam, *anima mea Dominum*. Respondet anima, *laudabo Dominum in vita mea*, idest, tunc vere laudabo, quando veram vitam vivam; nunc enim gemendum, et orandum est, potius quam canendum, et laudandum; quamvis enim et nunc Deum laudemus, tamen non est haec simplex et plena laudatio, sed admixta lachrymis, et precibus: tunc autem erit sola, et perpetua, ac jucundissima laudatio. Repetit hoc idem dum addit, *psallam Deo meo quamdiu fuero*, idest, cum ad vitam aeternam pervenero, sine intermissione psallam Deo meo. Nunc enim non possum psallere quamdiu sum, quia multa nimis psallentem interrumpunt; sed tunc ab omnibus negotiis liber et expeditus *psallam Deo meo quamdiu ero*, idest, toto spatio verae illius vitae; et sicut semper ero, sine timore moriendi, ita semper psallam sine periculo deficiendi. Ita s. Hilarius, et s. August. exponunt. Non tamen rejicimus expositionem aliorum, qui de praesenti laude hunc versum exponunt.

2. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.*

Videt sanctus Propheta multos retardari ab itinere ad salutem, quia mirantur praefecturas humanas principatus et regna: quasi possint, qui ea possident, beatos facere, quos volunt; et miseratus caecitatem ipsorum exclamat, *nolite confidere in principibus*; et mox declarat, *in filiis hominum* idest, in principibus, qui sunt hominum filii: nam unus est princeps verus, qui est conditor hominum in quo confidere licet. Adjungit rationem, cur in principibus filiis hominum non sit fidendum, cum dicit, *in quibus non est salus*. Potest autem intelligi efficienter, et formaliter; siquidem in principibus terrenis non est salus, quia salvare non possunt alios, neque ipsi salvi sunt, sed salvandi cum caeteris si digni erunt. At, inquies, Salvator noster filius hominis est; sic enim in evangelio se vocat salvator noster Dominus Jesus Christus: quomodo ergo in filio hominis non est salus? Recte s. Augustinus respondet, in Christo salutem esse, non quia filius Dei, ac per hoc Deus super omnia benedictus in saecula; ubi s. August. non negat, Christi humanitatem concurrere ad salutem nostram, ut instrumentum conjunctum, sed significat originem et fontem salutis in Christo esse, non ex eo quod sumpsit ex homine, sed ex eo quod erat in principio apud patrem; et eumdem Christum non fore Salvatorem, si filius hominis esset et filius Dei non esset.

3. *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Non esse salutem *in filiis hominum* multis rationibus demonstrare potuisset propheta, quia videlicet infirmi sunt, mutabiles, fallaces, saepe non possunt quod volunt, saepe non volunt quod possunt; sed unicam rationem attulit, cui nemo contradicere potest, videlicet a morte communi petitam; quomodo enim salvare potest alios, qui seipsum salvare non potest? nam velit, nolit, etiam in arce munitissima constitutus, et exercitu armato vallatus; etiam si orbis terrarum monarcha fuerit, *exibit spiritus ejus* ex corpore et corpus spiritu recedente *in terram*, unde sumptum est, *revertetur*; et tunc *peribunt omnes cogitationes eorum*, qui videlicet in illo spem suam posuerunt; nam qui principis favore gaudent, magnas cogitationum fabricas erigunt, et ipsi sibi divitias, honores, dignitates ex illius Principis favore promittunt, sed cum Deus aufert spiritum principis, concidunt omnia illa palatia, quae cogitando fabricaverant, et sic illo pereunte pereunt omnes cogitationes eorum, illud *in terram suam revertetur*, non potest ullo modo referri ad spiritum, de quo dicitur, *exibit spiritus ejus*; nam in codice hebraico *spiritus* est generis foeminini, ut etiam verbum exibit; sed verbum *revertetur*, est generis masculini. Ideo vel exponendum est cum s. August. *exibit spiritus ejus*, et caro, sive corpus *in terram suam revertetur*: nam et vox *caro*, et vox *corpus*, hebraice sunt generis masculini; vel ut alii volunt, *exibit spiritus ejus*, et ipse homo *in terram suam revertetur*. Illud quoque, *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, posset intelligi de cogitationibus principum morientium: ut sensus sit, *exibit spiritus ejus*, idest, uniuscujusque principis, ac per hoc omnium, et singulorum principum, *et tunc peribunt omnes cogitationes ipsorum*. Neque explicatio, quam supra posuimus, huic explicationi repugnat; sed utraque vera est, et simul consistere potest: non enim repugnat Scripturae divinae, ut plures habeat sensus litterales.

4. *Beatus cujus Deus Jacob, adjutor ejus spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt.*

Rejecta vana confidentia in principibus terrenis docet Propheta fiduciam ponendam esse in solo Deo vero, si quis ad veram atque aeternam salutem pervenire desideret. *Beatus*, inquit, est spe videlicet beatus, et in via recta et secura ad ipsam beatitudinem in re: *cujus Deus Jacob ejus*, idest, quia adjutorem et protectorem in via Deum verum habet. Vocat enim Deum verum, *Deum Jacob*, quia familia Jacob Deum verum colebat, cum Moabitae, Ammonitae, Philisthaei, et caeterae gentes vicinae Deos falsos colerent. Illud autem ejus, supervacaneum est in lingua nostra; sed apud hebraeos in usu est, ut alibi monuimus. Declarat continuo Propheta, quis habeat Deum adjutorem, ac dicit, *spes ejus in Domino Deo ipsius*, idest, *beatus est cujus adjutor* est *Deus Jacob*; *beatus*, inquam cujus *spes* est *in Domino Deo ipsius*. Nam hoc loco subintelligitur relativum *cujus*, et superfluum est pronomen *ejus*. Esse autem Deum adjutorem omnium in se sperantium, scriptura divina passim docet. Ecclesiastici 2. *Nullus speravit in Domino, et confusus est*, et Psal. 113. *Domus Israel speravit in Domino, adjutor, et protector eorum est*; et ibidem hoc saepius repetitur. Probat denique propheta optimum esse sperare in Domino, *quoniam*, inquit, ipse *fecit coelum et terram, mare, et omnia quae in eis sunt*; ex quo sequitur, ut sit potentissimus et Dominus omnium rerum, et omnia sint ei subjecta, ac per hoc qui ab eo protegitur nihil timere debeat.

5. *Qui custodit veritatem in saeculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.*

Poterat peregrinus dicere, Deum omnipotentem esse scio, et posse si velit me protegere, et juvare; sed unde intelligam illum velle? Huic respondet Propheta, ac demonstrat, Deum velle, quia justus et misericors est. Et quidem quia justus est, *custodit veritatem in saeculum*, id est, semper observat promissa, promisit autem auxilium sperantibus in se. Item quia justus est, *facit judicium injuriam patientibus*. idest, juste judicat causam, quam habent justi adversus iniquos; et iniquos punit, justos coronat: quia vero misericors est, *dat escam esurientibus*, idest, per admirabiles vias providentiae suae prospicit inopiae tum spirituali, tum corporali eorum, qui sperant in se.

6. *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat caecos.*
7. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.*

Quia non sufficit peregrinantibus ad patriam, protegi a latronibus et alimonia refici; sed necesse est habere pedes solutos et oculos illuminatos et totum corpus sanum, ideo adjungit, ut ostendat Deum omnino velle juvare sperantes in se, *Dominus solvit compeditos* a compedibus concupiscentiae malae, mortificans paulatim omnes cupiditates et quia concupiscentia excaecat, *Dominus illuminat caecos*, praebens lumen sapientiae et prudentiae interioris: et quoniam ex peccato non sola cupiditas et caecitas, sed etiam infirmitas orta est, et homo per peccatum similis illi factus est, qui descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones et spoliatus, ac vulneratus semivivus relictus est; ideo addit Propheta, *erigit elisos*. Denique adjungit, *Dominus diligit justos*, ut homo per gratiam sanatus, solutus, et illuminatus speret perseverantiam de Dei benignitate. S. August. legit, *Dominus sapientes facit caecos*: et notat, non esse dictum, *illuminat caecos*, sed, *sapientes facit caecos*, ne putaremus, prophetam loqui de illuminatione corporali. Sed sciendum est, in hebraeo esse, *Dominus illuminat caecos*: ut habet nostra lectio, septuaginta autem vertisse, *Dominus sapientes facit caecos*, ut explicarent hebraicam lectionem non esse intelligendam de caecitate corporali, sed spirituali: proinde utraque lectio laudanda est.

8. *Dominus custodit advenas, pupillum, et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.*

Alia metaphora docet Propheta Deum esse adjutorem et protectorem peregrinorum suorum, qui

http://www.obrascatolicas.com

per viam angustam tendunt ad patriam. *Dominus custodit advenas*, qui non sunt cives Babylonis, nec filii hujus saeculi, sed peregrini in terra aliena; *pupillum et viduam suscipiet*: *pupilli* sunt homines justi, destituti humano praesidio, qui Patrem non habent in terris, neque confidunt in ulla re temporali, *vidua* autem dicitur Ecclesia, quia est quasi vidua, cum virum suum non videat in terris, et multis injuriis et calamitatibus exposita sit. Hos pupillos, et hanc viduam suscipiet Dominus in domum suam tempore suo: et tunc *vias peccatorum disperdet*, id est, prosperitates mundi, per quas ambulant peccatores, ut per vias latas quae ducunt ad perditionem, Deus in consummatione saeculi omnino disperdet, ac destruet.

9. *Regnabit Dominus in saecula, Deus tuus Sion in generationem et generationem.*

Denique peregrinatione finita et viis peccatorum cum impiis peccatoribus exterminatis, adveniet regnum Christi sempiternum. *Regnabit* enim *Dominus* cum sanctis suis *in saecula*: regnabit inquam o sancta Sion, Deus tuus cum filiis suis in saecula saeculorum. Amen.

PSALMUS CXLVI.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Titulus, Alleluja, in hebraicis codicibus ponitur in fine psalmi praecedentis secundum distinctionem Judaeorum, sed septuaginta interpretes posuerunt in principio psalmi, ut credibile est, se habuisse codices hebraicos tempore septuaginta interpretum. Addunt aliqui interpretes ad vocem, *Alleluja, Aggaei, et Zachariae*, ut in psalmo praecedente. Argumentum psalmi est exhortatio ad laudandum Deum, propterea quod Deus sit dignissimus laude ob ejus beneficentiam, sapientiam, potentiam, providentiam, justitiam, et misericordiam.

EXPLICATIO PSALMI CXLVI.

1. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.*

Hortatur Propheta omnes ad laudandum Deum, quoniam laudatio Dei et nobis utilissima et Deo gratissima est. Hunc sensum apertius facit litera hebraica, quae ad verbum sic reddi potest, *laudate Dominum, quoniam bonum psallere Deo nostro quoniam jucundum decora laudatio*. Ubi post jucundum subintelligitur, Deo nostro, ut sensus sit, laudate Dominum, quoniam bonum est vobis psallere Deo nostro, et jucundum est Deo, quando psallitur sicut oportet. Septuaginta interpretes paulo aliter verterunt, sed erit idem sensus si hoc modo exponamus, *laudate Dominum quoniam bonus est psalmus*, idest, quoniam nobis est utile psallere Domino. *Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio*, idest, sed efficite, ut laudatio, quam offertis Deo dum psallitis, sit illi jucunda, ut re vera erit, si sit etiam decora, idest, qualis decet ejus majestatem, pulchra, ornata, virtutum omnium choro stipata. Porro bonum nobis esse psallere Deo dubitari non potest: primo enim mercedem non parvam accipit divina laudatio: nam si is qui orat mercedem accipit, ut Dominus dicit, Matth. 6. cur non magis qui laudat? secundo, eadem laudatio animum a terrenis ad coelestia elevat: tertio, est praegustatio coelestis beatitudinis, nosque cum angelis, et beatis conjungit: quarto dulcissima est cum ex charitate procedit, nihil enim jucundius amanti, quam laudate dilectum: quinto utilis est, qui per eam solvimus debitum tributum: justum enim est, ut laudemus bonorum omnium fontem, et gratias agamus summo benefactori. Hinc enim in divino sacrificio, cum sacerdos dicit, *gratias agamus Domino Deo nostro*, respondetur, *dignum et justum est*, et sacerdos addit, *vere dignum et justum est, aequum, et salutare*, etc. Quod autem *jucunda sit Deo decoraque laudatio*, vel ex eo intelligi potest, quod ipse non alia de causa creavit Angelos et homines, nisi ut essent, qui bonitatem ejus cognoscerent, et laudarent. Isaiae 43. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*, neque haec est ambitio, sed justitia. Justus autem Deus est, et *justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus*. Praeterea delectatur Deus sacrificio, ut odore gratissimo, et suavissimo: sacrificium autem laudis sacrificiorum praestantissimum est, juxta illud psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Denique jucunda est Deo et decora laudatio, quia delectatur bonis nostris ac praecipue bonis magnis, quales sunt

virtutes: in laudatione autem Dei exercetur fides, spes, charitas, religio, devotio, humilitas, etc.

2. *Aedificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.*

Incipit materiam divinae laudationis ostendere, ut sciamus, unde Deum laudare possimus, ac primum dicit, laudandum esse Deum ex beneficentia erga populum suum: quasi dicat, laudate Dominum quoniam ipse aedificavit Hierusalem, et ad eam *congregavit dispersiones Israelis*, idest, filios Israel in locis variis dispersos. Potest autem hoc intelligi cum Chrysostomo, et Theodoreto de terrena Hierusalem, quae post eversionem a Nabuchodonosor coepit iterum aedificari tempore Cyri, et Darii regum Persarum et captivitate soluta redierunt in patriam dispersi Judaei: hoc autem praevidit David futurum spiritu Prophetiae. Potest etiam intelligi de aedificatione ecclesiae per Apostolorum praedicationem et congregatione dispersorum filiorum Dei, juxta illud Joan. 11. Jesus moriturus erat pro gente et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Denique potest intelligi cum sanctis Hilario et Augustino, de coelesti Hierusalem, quae quotidie aedificatur ut civitas ascendentibus ad eam lapidibus vivis: ad quam congregandi sunt omnes peregrini qui nunc dispersi sunt per regiones Babyloniae.

3. *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum.*

Docet, quo modo dispersiones Israelis congregabit: et quidem si hunc locum intelligamus de dispersis in captivitate Babylonica, contriti corde dicuntur illi qui magnitudine calamitatum humiliati erant, et in se non amplius confidebant: ut exponit s. Joan. Chrysost. Hos ergo calamitosos et moestos, et inde humiliatos ex corde, Deus sanavit variis consolationibus illos erigendo et laetificando et alligavit *contritiones eorum*, quando per Cyri benevolentiam effecit, ut calamitas non procederet ulterius, et ad perfectam liberationem disponerentur. Sed altiore sensu colligit Deus dispersos Israelis, quando sanat contritos corde, id est, quando cor contritum et humiliatum non despiciens, sanat a morbo peccatorum: sic enim explicat ipse idem David in psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*. Quod autem hic additur, *et alligat contritiones eorum*, significat modum, quo Deus sanat contritiones. Id enim facit more Chirurgorum colligando vulnera. Sunt autem ex Augustino, alligamenta peccatorum, sacramenta visibilia; per quae Deus peccata curare solet: et quemadmodum curatis perfecte vulneribus alligamenta tolluntur: sic in resurrectione corporum curatis omnino languoribus nostris omnia sacramenta cessabunt.

4. *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.*

Secundo laudandum esse dicit Propheta Deum a sapientia. Et quidem sancti patres Hilarius, et Augustinus dicunt, non esse magnum Deo numerare stellas, quod etiam homines tentare ausi sunt: et ideo exponunt hunc locum de stellis spiritualibus idest, de electis, qui veluti stellae fulgebunt in coelesti Hierusalem. Electorum enim numerum solus Deus novit, sed nos quemadmodum expositionem horum Patrum libenter amplectimur, sic etiam ad litteram existimamus hunc locum de veris stellis accipi posse. Nam etiamsi non sit difficile Deo stellas numerare, cui non fuit difficile eas creare; tamen absolute magnum est et multae sapientiae multitudinem stellarum numerare: alioqui non diceret Deus Abrahamo Genes. 15. *Numera stellas si potes*: neque conferret Genes. 22. multitudinem stellarum cum multitudine arenae, quae est in littore maris, de qua dicitur ecclesiastici 1. *Arenam maris quis dinumeravit?* praeterea non solum hic dicitur, *qui numerat multitudinem stellarum*: sed etiam additur, *et omnibus eis nomina vocat*: quod significat, notitiam distinctam naturae et proprietatum singularum stellarum. Neque hoc solum significat, sed etiam obedientiam stellarum, quae vocatae nominatim, cum non essent, esse coeperunt. Deus enim vocat ea quae non sunt, et vocando facit, ut sint. Baruch. 3. *Stellae vocatae sunt, et dixerunt, adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas*. Denique significat etiam stellas quasi militum exercitum, vocari ut progrediantur; quae velocissime obediunt vocanti. Isaiae 40. *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec, qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat*. Recte igitur subjungit Propheta.

5. *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus et sapientiae ejus non est numerus.*

Ubi non solum sapientia, sed etiam virtus, idest, potentia Dei laudatur, quia non solum Deus novit numerum, et naturas, et proprietates stellarum: sed etiam vocando eas nominatim, dedit illis esse et moveri. Illud autem, *sapientiae ejus non est numerus*, significat, non esse numerum earum rerum, quas Deus per sapientiam suam cognoscit. Novit enim sapientia Dei omnia quae sunt, quae fuerunt, quae futura sunt, et quae esse possunt, quamvis numquam futura sint; item, omnia verba omnes cogitationes, omnia desideria praeterita, praesentia, et futura usque in aeternum; denique novit omnia, quae sunt in Deo, idest, in essentia sua perfectiones et attributa, usque ad intima, et profunda Dei, quae sunt sine mensura, et numero.

6. *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.*

Tertia laus Dei sumitur a justitia et misericordia; Dominus enim ut pius et misericors suscipit humiles, et mansuetos in protectionem suam, eosque exaltat usque ad coelum: contra autem ut justus Judex superbos peccatores, qui se ipsi exaltant super sydera, ut fecit rex eorum Satanas, humiliat, et

http://www.obrascatolicas.com

deprimit, ut humi jaceant, et viles atque abjecti vivant.

7. *Praecinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.*

In medio psalmi, antequam pergat ad laudem providentiae divinae, iterum hortatur ad canendum et psallendum Deo. *Praecinite*, inquit, *Domino in confessione*, idest, praemittite confessionem laudis canendo hymnum; deinde etiam psallite in cithara addite ad hymnum sonitum citharae. Spiritualiter significat post verba laudis Dei debere sequi sonitum operum bonorum, ut manus non discordet a lingua, neque de nobis dici possit, *dicunt, et non faciunt*.

8. *Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam.*

Materiam confessionis esse docet providentiam Dei generalem, qua suis temporibus cogit aerem in nubes, non ut coelum obscuret, sed ut pluviam necessariam terrae tribuat, sine qua nihil omnino in terra nasceretur. Spiritualiter *operis Deus coelum nubibus*, cum serenitatem prosperitatis subducit, ut ex tribulatione pluvia gratiae Dei, per patientiam, et humilitatem ad nos descendat; vel secundum sanctum Augustinum, *operit* Deus *coelum nubibus*, cum scripturas figuris, et metaphoris obscurat, ut iis explicatis per doctores, pluvia intelligentiae gratissima descendat.

9. *Qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum.*

Declarat cui usui deserviat pluvia, nimirum, ut producatur in montibus foenum, et herba servituti hominum. Illud, *qui producit*, significat, non sufficere terram et pluviam ad producendam herbam, nisi Deus auxilio suo cooperetur, imo nisi Deus ut principalis auctor, sicut per nubes exprimit pluvias, ita per pluvias tamquam per instrumenta sua producat herbas. Illud, *in montibus*, significat, montibus maxime necessarias esse pluvias, quoniam valles, et campi, per aquas fluviorum irrigari possunt: montes autem, nisi de coelo pluvias acciperent, omnino arescerent. Quod sequitur, *et herbam servituti hominum*, non habetur in hebraeo, sed vel excidit, cum ibi fuisset tempore septuaginta interpretum, vel ab aliquo alio positum est hoc loco ex psalmo 103. ubi dicitur, *producens foenum jumentis, et herbam servituti hominum*: significatur autem his verbis, foenum agreste nasci in montibus in pastum jumentorum; herbam autem, quae ratione et cultura gignitur, produci in cibum hominum, vel ut exponit s. Joan. Chrysostom. foenum esse herbam jumentorum, ut jumenta homini deserviant. Vide versiculum 8. psalm. 103.

10. *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.*

Pergit in explicanda providentia Dei erga bestias, et volatilia, ut inde intelligat homo, quanto magis sperare debeat se a Dei providentia numquam esse deserendum. Quod argumentum habetur etiam in evangelio Matth. 6. et Luc. 12. Quod autem hic dicitur de pullis corvorum, valde probabiliter s. Greg. Naz. in epist. 1. ad Cledonium Presbyterum, intelligit de omnibus avibus, ut posita sit species pro genere: nam et Matth. 6. dicitur, *respicite volatilia coeli*, et Luc. 12. dicitur, *Considerate corvos*; et tamen res eadem ab utroque Evangelista narratur. Expositores tamen explicant hunc locum de corvis in specie: et quoniam corvi non possunt invocare Deum; necesse est, vel corvos, vel *invocationem* accipere per metaphoram. Sancti patres Hilarius et Aug. accipiunt *invocationem* Dei proprie, et *corvos* metaphorice. Dicunt enim per *corvos* significari paganos, per *filios corvorum* Christianos, qui invocant Deum, quem patres eorum invocare nescierunt. Alii communius accipiunt *filios corvorum* proprie, et *invocationem* improprie. Dicitur enim *filii corvorum invocare Deum*, dum crocitant quaerentes cibum, non quod Deum agnoscant, sed quia Deus est, qui providentia sua illis cibum desiderantibus procurat: quomodo etiam dicitur in psalm. 103. de catulis leonum, *quaerunt a Deo escam sibi*. Cur autem Propheta dicat potius Deum providere pullis corvorum quam ipsis corvis; ratio est, quia corvi jam assueti sunt cibum quaerere; sed pulli corvorum cito deseruntur a parentibus, et insueti per se cibum quaerere, vagantur crocitando; quasi destituti omni auxilio ut dicitur Job 38. Quod si Deus pullis corvorum, avibus immundis, inutilibus, rapacibus tanta benignitate prospicit, quid praestabit hominibus, si in ejus pietate sperare voluerint.

11. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.*
12. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.*

Quia dixerat, Deum providere *pullis corvorum invocantibus eum*, concludit psalmum dicens, Deo non esse gratos superbos, qui in suis viribus confidunt; sed humiles, qui timent Deum, et confidunt in Deo, qui similes sunt pullis corvorum infirmis, de se diffidentibus, et qui crocitando a Deo auxilium petunt. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, idest, non placet Deo, sive non amat Deus fortitudinem equi, quatenus de ea superbiunt homines. *Neque in tibiis viri beneplacitum erit ei*, idest, neque complacet sibi Deus in tibiis robustis hominum, quatenus in illis ipsi confidunt, ut Dei auxilio sibi egere non videantur ad evadenda pericula: sed *beneplacitum est Deo super timentes eum*, idest, super humiles, et trementes ad mandata Dei, et qui non in suis viribus, sed in Dei misericordia totam spem suam ponunt. S. Hilarius, et s. Augustinus pro illis verbis, *neque in tibiis viri*, legunt, *neque in tabernaculis viri*: sed in hebraicis codicibus habetur, *tibiis*, non, *tabernaculis*.

PSALMUS CXLVII.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Hic psalmus apud hebraeos non habet titulum, quia non est novus psalmus, sed continuatio psalmi superioris; nos autem sequimur septuaginta interpretes, qui hinc incipiunt novum psalmum cum titulo Alleluja, et credibile est in codicibus hebraicis antiquis, quos ipsi septuaginta viri habuerunt, hunc fuisse novum psalmum cum suo titulo. Quod autem ad argumentum attinet, hortatur Propheta populum Dei ad ipsum Deum laudandum ob multa beneficia in ipsum collata: et quae hic dicuntur, conveniunt primo terrenae Hierosolymae, ut s. Chrysostomus docet; sed magis perfecte conveniunt ecclesiae Christianae, ut idem s. Chrysostomus, et s. Hieronymus admonent, sed perfectissime quadrant in coelestem Hierusalem, de qua hunc psalmum exponunt s. Hilarius, et s. Augustinus.

EXPLICATIO PSALMI CXLVII.

1. *Lauda Hierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.*

Hierusalem civitas sancta est, Sion pars ejus civitatis nobilior, ubi templum Domini aedificandum erat, et pro ipsa tota civitate accipitur, proinde idem est, *lauda Hierusalem*, et, *lauda Sion*. Si de coelesti Hierusalem haec accipiantur, nihil potuit magis opposite dici: nam civitas illa coelestis, nullum habet negotium, vel ut sibi prospiciat, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, vel ut in alios exerceat opera charitatis, cum ibi nullus sit egens, nullus miser: ideo tota, et semper vacare potest, ut re vera vocat, laudibus Dei. Recte igitur illi dicitur, *lauda Dominum*, quae ab omni alio negotio libera es; lauda Deum tuum, quoniam prae omni alia civitate beneficiis Domine frueris; lauda denique, quia singulariter tibi pulchritudinem, et praestantiam Domini speculari, vel potius cernere datum est. Ecclesia quae peregrinatur in terris laudare quidem Dominum debet, sed nec tota, nec semper id facere potest, cum saepe sollicita esse, et circa plurima turbari necesse habeat. Et si ecclesia non potest, tota, et semper laudare; multo minus Judaeorum synagoga poterat.

2. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.*

Hae est ratio, cur debeat Hierusalem laudare Dominum, quia dedit illi securitatem, et abundantiam, in quibus summa bonorum omnium consistit: nam securitas sine abundantia est securitas egestatis; abundantia sine securitate, est abundantia plena timoris et periculi. Deus igitur confortavit seras portarum Hierusalem, ut nulla vi expugnari possint, et qui intus sunt, securi sint, quia nihil mali intrabit, nihil boni exibit: nullus admittetur inimicus: nullus excludetur amicus: atque in hanc tam munitam civitatem benedictio divina copiam omnium bonorum intulit: non enim benedixit Deus filiis Hierusalem hac aut illa benedictione, sed benedictione absoluta, idest, ut Apostolus loqui solet, *omni benedictione spirituali in coelestibus*. Ephes. 1. Sed haec duo perfecte conveniunt coelesti Hierusalem, ubi securitas est aeternitas, et benedictio est fruitio summi boni. Ecclesiae peregrinanti in terris conveniunt etiam suo modo, sed non omnibus modis: nam *portae inferi non praevalebunt adversus eam*: et non desunt ei bona plurima: sed interim tamen multi in eam intrant mali, multi ex ea deficiunt boni; paleas cum tritico, pisces malos cum bonis, hoedos cum agnis admixtos habet. Denique conveniunt etiam utcumque, sed valde imperfecte terrenae Hierusalem: nam in montibus sita, et montes in circuitu habens satis munita videri poterat, et plena populo, atque opibus aliquando fuit, sed tamen non semel eversa, et succensa satis ostendit, non de illa potissimum intelligendum esse, quod hic dicitur, *confortavit seras portarum*: sed illud potius, quod dicitur Thren. 2. *Defixae sunt in terra portae ejus, perdidit et contrivit vectes ejus, luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est*. Quo tempore non ita abundavit copia bonorum, ut in eodem legamus. *matribus suis dixerunt, ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas in sinu matrum suarum.*

3. *Qui posuit fines tuos pacem et adipe frumenti satiat te.*

Non solum munitissima est civitas sancta Hierusalem, sed immunis a bellorum periculis, unde et nomen habet *Hierusalem*, idest, *vitio pacis*. Qui enim initio pacem turbare tentavit, tanto impetu mox expulsus fuit, ut Dominus dicat, *videbam satanam tamquam fulgur de coelo cadentem*, Luc.

http://www.obrascatolicas.com

10. *Qui posuit*, inquit, *fines tuos pacem*, idest, pacem diffundit per universam regionem tuam usque ad ultimos ejus fines: vel fines, sive terminos tuos pacem esse voluit, ut nullo modo ad te bellum penetrare possit. Nec solum haec civitas abundat copia bonorum, sed habet bona optima, et exquisitissima, atque adeo ipsam medullam bonorum. *Et adipe*, inquit, *frumenti, satiat te*, ubi notatur excellentia ciborum in verbo, *adipe frumenti*, et ubertas maxima in verbo, *satiat te*. Haec omnia proprie et absolute soli patriae coelesti conveniunt ibi enim pax summa erit partis inferioris cum superiore; et superioris cum Deo, nec non inter omnes cives sanctae illius civitatis majores, et minores. Erunt enim vere cor unum, et anima una, et ut Dominus dicit Joan. 17. *Consummati in unum*. Ibi quoque satiabuntur omnes adipe frumenti, quoniam cibus animae veritas, et sapientia est: habebunt autem veritatem in se ipsa, non in figuris et aenigmatibus; gustabunt dulcedinem aeterni Verbi sine cortice sacramenti, vel scripturarum; apponent os ad fontem sapientiae, non ad rivulos, aut stillicidia stillantia super terram. Ita vero satiabuntur, ut non esuriant, neque sitiant in aeternum. In ecclesiae peregrinante, quae etiam Hierusalem quaedam est, habemus pacem ad Deum, sed simul in mundo pressuram sustinemus. Cum omnibus, quantum in nobis est, pacem habere curamus; sed in medio versamur eorum qui oderunt pacem. *Proinde foris pugnae, intus timores* numquam desunt: et adipe quidem frumenti pascimur, sed non sine integumentis variis. Verbum Dei habemus, sed in carne et ipsam carnem Verbi vere manducamus: sed sub cortice sacramenti. Aquas sapientiae bibimus; sed ex stillicidio scripturarum; et adeo non satiamur his bonis, ut nostra beatitudo interim sit esurire et sitire. Multo minus ista conveniebant terrenae Hierusalem, antiquae synagogae Judaeorum; quibus omnia contingebant in figuris.

4. *Qui emittit eloquium suum terrae: velociter currit sermo ejus.*

Hortatus est Propheta sanctam civitatem, ut Deum laudet pro beneficiis sibi praestitis; nunc hortatur ut laudet etiam pro beneficiis praestitis aliis nationibus, ex quibus cognoscet, quanto majora dona sibi, quam aliis concesserit Deus. Hortatur igitur ut laudet Deum, *qui emittit eloquium suum terrae*, idest, qui praecepta, et decreta providentiae suae dat universae terrae; et *ejus sermo velocissime currit*, idest, cujus praecepta et decreta celerrime deferuntur ad omnes res creatas, mox penetrant omnia, et executioni mandantur. Significatur his verbis ordo providentiae divinae, qui se ad omnia extendit, idque summa velocitate, quia Deus ubique est, *et omnia portat verbo virtutis suae*, ut dicitur Hebr. 1. *et attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sap. 8. unde David Deo dicit psalm. 118. *Omnia serviunt tibi*. Expendit s. Augustin. verba graeca quae pro eo, quod nos habemus *velociter*, habent, εως τάχους, *usque in velocitatem*, et sensum esse dicit, sermonem Dei tanta celeritate ferri, ut non modo aves, ventos, fulmina, quae velocissime moventur sed ipsam velocitatem currendo aequent: juxta illud Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, non quod sapientia, vel sermo Dei proprie moveatur, sed quod omnibus in locis adsit praesens, ac si velocissime accurrisset.

5. *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.*
6. *Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?*

Ab universali providentia descendit ad effectum unum particularem, in quo apparet admirabilis potentia et sapientia Dei, ob quam merito laudari debeat Dominus etiam ab illis, qui in superna Hierusalem extra, vel supra mutationes temporum degunt. Effectus mirabilis potentiae, et sapientiae Dei qui tamen sensu percipitur et omnibus notissimus est, in frigore et calore aeris cernitur. Aliquando enim in certis regionibus tanta nivium, pruinae et glaciei copia repente existit, ut lacus et flumina et ipsa maria congelentur, et ita congelentur, ut super lacus et flumina ducantur plaustra bene onusta, ut per campos duci solebant: cujus rei testis est s. Basilius, oratione in quadraginta martyres: et nos ipsi in Gallia Belgica aliquid hujusmodi vidimus. Et cum ea glacies ferreis ligonibus vix dirumpi queat, Deus tamen cum ei placet, ventum calidum repente ex thesauris suis advocat et dicto citius solvitur glacies omnium fluminum, et lacuum et marium simul, et ubique ex tectis domorum, ex montibus et collibus defluunt aquae. Ita fere in momento Deus rigorem frigoris maximum cum caloris suavitate commutat: sed verba singula explicemus. *Qui dat nivem sicut lanam*, idest, nivem dimittit e coelo tantae magnitudinis, ut frustra singula floccos lanae imitari videantur. Comparatur enim hoc loco nix lanae, non solum ob similitudinem levitatis, et candoris, sed ut magnitudo nivis ostendatur: aliquando enim ita modice ningit, ut frustula nivis videantur similia atomis, sed alias, ut diximus, ita granditer ningit, ut frustra nivium lanarum floccos imitentur. *Nebulam sicut cinerem spargit*. Sanctus Hieronymus in commentario hujus loci reprehendit latinum interpretem, quod nebulam verterit, cum pruinam vertere debuisset: sed latinus interpres non verba hebraica, sed graeca traduxit in latinum idioma. Verbum autem graecum hoc loco positum ομιχλην, *nebulam* proprie significat: quamvis autem vox hebraica, כפר *chephor*, *pruinam* significet, et sit ad propositum hujus loci, ubi de frigore agitur, tamen textus facile conciliantur. Siquidem quando densa pruina decidit, nebulosum, sive caliginosum aerem reddit, et ipsa pruina ex caliginoso vapore concrescit. Porro comparatio pruinae cum cinere ad densitatem pruinae pertinet, sicut diximus de comparatione nivis cum lana. Itaque sensus est, tanta densitate pruinam caliginosam, sive nebulam ex pruina diffundit, ut cinerem spargere videatur: cinis enim fusus obscurissimam nebulam facit. *Mittit crystallum suam sicut buccellas*: *crystallus*, vox est graeca et

non solum quam vulgo *crystallum* dicimus, sed etiam *glaciem* significat: et hoc loco *glaciem* significare aperte colligitur ex voce hebraica. Aliqui per *crystallum* hoc loco grandinem significari volunt, quae est aqua in aere congelata; sed grando non habet similitudinem buccellae, neque dicitur hebraice, קרח *Kerach*, sed, ברד *barad*; hoc autem loco est, קרחו *Karcho*, *glaciem suam*, non, ברדו *berado*, *grandinem suam*; denique grando in aestate potissimum descendere solet, proinde non efficit in aere frigus, de quo hic dicitur, *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Illud igitur, *qui mittit crystallum*, non significat, qui de coelo descendere facit; sed qui jussu suo causa est, ut glacies frigidissima in terra existat: quo modo dicebatur Deus mittere Prophetas et Joannes dicitur homo missus a Deo, qui tamen non de coelo cadebant. Illud, *sicut buccellas*, significat fragmenta glaciei quae tempore frigidissimo passim inveniuntur in terra, ubicumque aliquid aquae fuerat, similia esse buccellis panis, quia figuram habent fragmentorum panis. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit*. Haec est apostrophe Prophetae admirantis frigoris vehementiam, quasi dicat, quis tantum frigus tolerare poterit: *ante faciem frigoris ejus*, idest, coram tanto frigore, sive ad praesentiam tanti frigoris quis sustinere poterit; quis non congelabitur et peribit? est enim hebraica phrasis, *ante faciem*, pro *coram*, usitatissima.

7. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit spiritus ejus et fluent aquae.*

Descripsit hactenus vehementissimum frigus ex nive, pruina et glacie; nunc ostendit quanta facilitate et celeritate Deus illud recedere faciat. *Emittet*, inquit, *verbum suum*, idest, mandatum suum, *et liquefaciet ea*. Jubebit Deus, et mox liquescent nix, pruina, et glacies: et continuo frigus remittetur. Modus autem quo id faciet Deus explicatur, cum subjungitur, *flabit spiritus ejus*, *et fluent aquae*, idest, jubente Deo surget ventus australis, perflabit undique aerem, et nix, pruina et glacies solventur in aquas.

8. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.*
9. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

Concludit ostendens, quantum intersit inter providentiam Dei erga populum suum, et alias nationes. Alias enim nationes docuit Deus per effecta naturalia, ut ex rebus creatis agnoscerent Creatorem: sed populum suum ipse docuit per Prophetas suos. *Qui annuncial verbum suum Jacob*, idest, lauda Hierusalem Dominum, *qui annunciat verbum suum* populo suo *Jacob*, loquens illi per Mosem et Prophetas; et qui demonstravit *justitias et judicia sua Israeli* per Mosem, cui Deus ipse legem dedit, ut eam traderet populo suo Israel: et ex hoc intelliges, quia *non fecit taliter omni nationi* quia tibi soli, non aliis *judicia sua*, leges videlicet suas, *manifestavit*. Porro ista conclusio convenit quidem terrenae Hierusalem, cui Deus misit Prophetas, qui annunciarent verba ejus, et docerent leges ejus: sed multo magis conveniunt spirituali Hierusalem quae est ecclesia, quae recepit ipsum Verbum Dei Incarnatum per Apostolorum praedicationem, et multo sublimiorem legem, justitias et judicia didicit: sed perfectissime conveniunt coelesti Hierosolymae, cui Deus ipse coram annunciat Verbum suum et in ipso Verbo vident omnes habitatores Hierusalem judicia Dei, ordinem ac dispositionem et rationes providentiae divinae quae nobis sunt abyssus multa. Vere igitur, *non fecit* Deus *taliter omni nationi*, sed coelestis patriae habitatores prae omnibus aliis hominibus dilexit, et diligendo foelicissimos fecit. Haec mihi visa est litteralis expositio hujus obscurissimi psalmi, in qua sanctum Joannem Chrysostomum ex patribus praecipue imitatus sum, quantum ad illos versiculos, *qui dat nivem sicut lanam* etc. Quia tamen haec pars obscurissima est, indicabo brevissime quid sanctus Hilarius, et sanctus Augustinus senserint. Igitur Sanctus Hilarius existimat, in illis verbis, *qui dat nivem sicut lanam*, etc. Prophetam declarare, quae sit via ad coelestem Hierusalem, de qua dixerat, *lauda Hierusalem Dominum*. Viam autem esse dicit per multas tribulationes, et angustias: easque significari per *nivem*, *pruinam*, et *glaciem*, et frigus ferme intolerabile sed ex his omnibus tandem liberandos peregrinos Dei, stante spiritu consolationis et refrigerii. Sanctus Augustinus paulo aliter exponit. Dicit enim, Prophetam post commemorata bona coelestis Hierusalem in tribus versiculis, commemorare bona peregrinantium in sequentibus versiculis et ejus expositio satis prolixa nota est in libris ejus: nos ad ejus imitationem aliam similem adjungemus. Igitur illud, *qui emittit eloquium suum terrae*, exponi potest de consolatione scripturarum, quam hic habemus, quasi manna de coelo pluente in desertum. Illud autem, *qui dat nivem sicut lanam*, potest exponi de consolatione, quam accipiunt Sancti ex tribulationibus: juxta illud apostoli, *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*: nam nix quidem frigore affligit, sed lana calore suo fovet, et calefacit. Itaque Deus dat nivem sicut lanam, quia dat nivem ac si daret lanam: dat enim tribulationem quae sanctis convertitur in consolationem. Illud, *nebulam sicut cinerem spargit*; referri potest ad poenitentiam, ad quam pertinet cinis: Deus enim spargit nebulam, sive pruinam tribulationis, ex qua multi compunguntur ad poenitentiam; atque ita Deus dat *nebulam sicut cinerem*; quia dat nebulam, ac si daret cinerem, quia tribulatio ad poenitentiam adducit. Illud denique *mittit crystallum suam sicut buccellas*; exponi potest de maxima consolatione, quam Deus in tribulatione concedit: tunc enim *mittit crystallum sicut buccellas*, quando ita dat glaciem, ac si daret panem, quia in ipsa glacie tribulationis infundit panem consolationis.

http://www.obrascatolicas.com

PSALMUS CXLVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Tres postremi psalmi, qui habent in titulo, *Alleluja*, invitant omnes res creatas ad laudandum Creatorem: et quidem in psalmo 148. enumerantur ordine res omnes creatae, et quasi vocantur ad chorum, ut suo modo omnes canant: in psalmo sequenti injungitur hominibus, ut ii potissimum Deum laudent, qui plura, et majora beneficia receperunt: in postremo mandatur iisdem hominibus, ut non solum Deum laudent, sed per omne genus instrumentorum musicorum laudent.

EXPLICATIO PSALMI CXLVIII.

1. *Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis.*
2. *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.*

Primo loco invitantur Angeli, qui in summo coelo, tamquam in ipsa regis aeterni aula resident. Porro vox illa, *laudate*, non est imperantis neque proprie exortantis, quasi angeli desint officio suo, sed est invitantis per affectum complacentis, et optantis, quasi dicat Propheta, Dei amore vehementer accensus, Utinam omnes res creatae Creatorem laudent, et vos angeli, qui primi estis in ordine rerum creatarum, pergite, ut facitis, laudare Dominum. Illud, *de coelis*, significat locum, ubi angeli degunt, ut sensus sit, laudate Dominum de habitaculo vestro coelesti vos omnes, qui estis in coelo. Idem vero repetitur eum additur, *laudate eum in excelsis*. Deinde clarius explicatur, qui sint qui habitant in excelsis, cum dicitur, *laudate eum omnes angeli ejus*: et idem aliis verbis repetitur, cum additur, *laudate eum omnes virtutes ejus*, idest, omnis exercitus ejus, ut habetur in hebraeo. Per *virtutes Dei*, sive exercitum, et militiam Dei intelligi debere angelos, non solem, et lunam et stellas, ut aliqui volunt, perspicuum est primo ex consuetudine Davidis, qui frequentissime idem repetit aliis verbis: secundo ex patribus, qui hunc locum exponunt, ac praesertim ex Chrysostomo, qui *virtutes* hoc loco dicit esse Cherubim, et Seraphim, et caeteros angelos: tertio ex cap. 2. lucae, ubi angeli dicuntur *multitudo militiae coelestis*: quarto ex psalm. 102. ubi clarius angeli dicuntur *virtutes Dei*, et *ministri qui faciunt verbum ejus*.

3. *Laudate eum sol, et luna, laudate eum omnes stellae, et lumen.*
4. *Laudate eum coeli coelorum, et aquae omnes quae super coelos sunt laudent nomen Domini.*

Ab angelis, qui mente et intelligentia praediti Deum proprie laudant, descendit ad corpora coelestia, quae non laudant mente, vel intelligentia, qua carent, sed laudant magnitudine, velocitate, efficacitate, splendore, et pulchritudine admirabili, quo modo omne opus egregium opificem laudare dicitur. Ac primo nominat solem, qui omnium consensu princeps est luminum reliquorum: deinde addit lunam, quae vel absolute, ut patres velle videntur, praesertim s. Augustinus lib. 2. de Genes. cap. 16. vel certe quoad apparentiam et efficaciam in corpora inferiora, major est omnibus aliis stellis: postea adjungit stellas caeteras: postremo subjungit lumen, per quod intelligimus lumen a sole, luna, et stellis diffusum in corpora inferiora, ac potissimum in aerem, unde nos omnes mirifice recreat. His enumeratis, quae continentur in coelo, transit ad ipsum coelum et vocat *coelos coelorum*, idest, coelos superiores, quibus subjecti sunt coeli inferiores, in quibus nubes concrescunt, et aves volant: unde in Scripturis legimus, *nubes coeli, et volucres coeli*. His coelis superioribus adjungit aquas, quae super coelos *sunt*, ut nihil omnino sit in parte mundi superiore, cujus non meminerit. Porro de aquis istis aliqua videntur extra controversiam esse debere, alia disputationi hominum permittuntur primo certum esse debet, aquas esse corporales, non spirituales, in quo errasse Origenem convincit sanctus Epiphanius in epist. ad Joannem Episcopum Jerosolymae, quam sanctus Hieronymus latinam fecit, necnon Basilius, et Ambrosius, de opere sex dierum. Secundo, esse super coelum aethereum, non ut quidam voluerunt, in coelo aereo: nam hoc loco indicat Propheta eas esse super coelos coelorum; quia cum dixisset, *laudate eum coeli coelorum*, mox adjungit, *et aquae omnes, quae super coelos sunt*, illos videlicet quos immediate nominaverat *coelos coelorum*, et in psalm. 102. de coelo eodem loquens Propheta dicit, *extendens coelum sicut pellem, qui tegit aquis superiora ejus*: et aperte in primo capite Geneseos, ponis Moses, aquas super firmamentum, in quo firmamento paulo post stellas posuit. Et apertissime in hymno trium puerorum Danielis capite 3. enumerantur

ordine omnia opera Domini: et primo loco ponuntur angeli, deinde coeli et aquae quae super coelos sunt, postea sol et lunae, et stellae, et caetera inferiora; atque haec est sententia veterum patrum, ut notavimus in psal. 103. vers. 3. tertio esse aquas incorruptibiles, et sempiternas: nam de iis, quae hucusque numerata sunt, dicitur in sequenti versiculo, *statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi.*

5. *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt.*
6. *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi: praeceptum posuit, et non praeteribit.*

Haec est ratio cur omnia, quae hactenus nominata sunt, Deum laudare debeant: quoniam ab illo facta sunt, et in aeternum incorrupta permanebunt: et quod est admirabilius, non magno labore, nec multo tempore, sed verbo, atque imperio fecit ut essent, et in aeternum essent. Ipse dixit, *fiat lux, et facta est lux*. Ipse mandavit rei non existenti, ut existeret, et mox obediens coepit existere, quae antea nihil erat. *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi*, idest, constituit, ut semper maneant, et non ad morem inferum corporum oriantur, et occidant: *praeceptum posuit*, idest, decretum de hac re fecit Deus, *et non praeteribit*, idest, et hoc decretum non praeteribit, non abibit in auras, sed manebit, et manens res ipsas conservabit, ut nec ipsae praetereant. Per hoc *praeceptum* intelligitur natura incorruptibilis, quam Deus angelis, et coelestibus corporibus in creatione attribuit. Potest etiam per *praeceptum positum*, intelligi praeceptum datum rebus coelestibus, idest, angelis, ut semper Deum laudent: soli, et lunae, et stellis, ut circumeundo, et illustrando serviant humano generi, quod praeceptum *non praeteribit*, id est, ut exponit sanctus Hilarius non irritum erit; ut re vera non irritum fuisse experimento didicimus. Euthymius legit, *non praeteribunt*: sed codices hebraici, et graeci, et latini omnes quos videri potui, habent, *non praeteribit*.

7. *Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi.*

Transit nunc ad elementa corruptibilia, et Mundum inferiorem, ubi sunt terra, aqua, et aer, et animantia terrestria, aquatica, et volatilia: nec non tonitrua, fulmina, grandines, venti, et alia id genus. Ex quo apertissime refelluntur Manichaei, qui res istas inferiores non a Deo bono, sed a malo quodam principio condita fabulabantur. *Laudate*, inquit, *Dominum de terra*: dixerat, *laudate Dominum de coelis*; nunc dicit, *laudate Dominum de terra*: quoniam Dominus *in principio creavit coelum, et terram*: et sicut ad coelum, quod est sedes angelorum, omnia superiora revocavit: sic ad terram, quae est sedes hominum, omnia inferiora revocare voluit. Haec videlicet est causa, cur non primo loco nominaverit ignem, aut aquam: quoniam terra est altera pars mundi, et homini habitatori terrae caetera omnia, sive ignis, sive aer, sive aqua deserviunt. Sed posteaquam dixit, *laudate Dominum de terra*, idest, omnia quae estis in terra, vel pertinetis ad terram: incipit particularia numerare, et primo loco meminit aquarum et piscium, quae sunt in locis terrae declivioribus: nam per *Dracones* intelliguntur hoc loco magni pisces, et per *abyssos* intelliguntur aquarum profunda, in quibus pisces habitant: ita sanctus Joannes Chrysostomus, qui id probat ex Psal. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, id est, mari, et psalm. 73. *Contribulasti capita Dacronum in aquis.*

8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus.*

Ab aquarum abysso transit ad aerem ubi inveniuntur ignes, idest, fulgura, fulmina, coruscationes: item grando, nix, glacies, item spiritus procellarum, idest, venti vehementes, qui tempestates excitant, et ingentes pluvias secum ferunt, quae omnia *faciunt verbum ejus*, idest, obediunt praecepto ejus: quod postremum addi voluit Spiritus sanctus, ne Manichaeus aliquis, aut Atheus suspicaretur, vel haec mala esse, quod saepe magnas calamitates hominibus inducant, vel casu fieri, ut fulmine quis percellatur ut grando vineas urat, ut vi procellarum navigia pereant. Deus igitur his rebus, ut instrumentis justitiae, vel misericordiae suae, ad malos puniendos, vel bonos admonendos, ac per hoc non casu eveniunt, neque res malae dici debent, sed bonae, cum bono Deo serviant.

9. *Montes et omnes colles, ligna fructifera, et omnes cedri.*
10. *Bestiae et universa pecora, serpentes, et volucres pennatae.*

Nunc tandem ab aere ad terram revertitur et enumerat primo partes ipsius terrae eminentiores, *montes* et *colles*, ex quibus subintelliguntur campi patentes, et valles; neque enim montes, et colles sine campis, et vallibus esse possunt. Deinde transit ad ea, quae nascuntur ex terra; et primo nominat ligna fructifera, deinde infructifera, quales in primis sunt *cedri*, quae tamen ad aedificandas domos, et naves necessariae sunt. Postea convertit orationem ad animantia, quae terram inhabitant, et ipsa genera breviter attingit, bestias sylvestres, jumenta, et pecora domestica: serpentes qui per terram repunt, et aves, quae per aerem volant. Atque ista omnia ad Deum laudandum provocat, non quod ista Deum noverint cogitare, nedum laudare, sed ut homines considerantes utilitatem quae ex illis capitur, Deum laudent, eique debitas gratias agant. At inquies, quae utilitas ex egrestibus feris, ex serpentibus, leonibus, muscis, et culicibus capitur? Magna omnino utilitas ex animantibus illis capitur, quae nobis vel terrorem incutiunt, quales sunt leones, et serpentes; vel molestiam adferunt, quales sunt culices, et muscae. Nam erudiunt nos ad humilitatem, dum in memoria nobis revocant inobedientiam et superbiam parentum primorum in nos

http://www.obrascatolicas.com

generatione transfusam,ob quam imperium in animantia magna ex parte perdidimus.

11. *Reges terrae, et omnes populi: principes, et omnes judices terrae.*
12. *Juvenes et virgines;senes cum junioribus,laudent nomen Domini,quia exaltatum est nomen ejus solius.*

Postremo genus humanum citat ad laudes Dei, atque ut omnes homines comprehendat, tres differentias hominum enumerat, potestatis,sexus,et aetatis. *Reges*, inquit, *et populi*, idest,qui imperant, et qui parent; et quoniam qui imperant, non sunt ejusdem ordinis, sed alii aliis praesunt;addit,*principes*, supremi videlicet, *et omnes judices*, qui a principibus auctoritatem habent,atque haec est differentia potestatis. *Juvenes et virgines*, idest, viri et foeminae, quod pertinet ad differentiam sexus: *senes cum junioribus*, quae est differentia aetatis. Omnes igitur sive principes, sive privati, sive viri, sive foeminae,sive senes,sive adolescentes laudent nomen Domini, quoniam *exaltatum est nomen ejus solius*,idest, quoniam non est aliud nomen vere sublime et altum, et omni laude dignum, nisi Dei nomen. Res enim creatae quamvis magnae, si ad magnitudinem Dei comparentur, nihil sunt, et quidquid magnitudinis, et excellentiae habent, ab illo habent,qui solus altissimus jure nominatur, et est.

13. *Confessio ejus super coelum et terram,et exaltavit cornu populi sui.*

Reddit rationem, cur dixerit, *exaltatum est nomen ejus solius*, quoniam, inquit, *confessio ejus est super coelum et terram*,idest,quia omnia quae in coelo, et quae in terra sunt confitentur laudes ejus: ita pleni sunt coeli et terra gloria ejus,vel,ut ait Habacuc: *operuit coelos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra*: ideo *exaltatum est nomen ejus solius, exaltavit cornu populi sui*,idest,ipse per se solus sublimis, et excelsus,exaltavit potentiam et gloriam populi sui Israel, quia elegit eum sibi in populum peculiarem, deditque illis divinas leges proprio digito scriptas,ac singulari providentia curam illius gerit.

14. *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.*

Haec est conclusio psalmi, quasi dicat, igitur hymnus Deo canendus praecipue convenit omnibus sanctis ejus, idest, omnibus Deo dicatis, et consecratis, filii Israel videlicet, qui populus est praeter caeteros omnes,Deo ipsi propinquans vera cognitione, et fide, vero cultu, et adoratione, vera filiali fiducia, et dilectione. Sed rectissime admonet s.August.haec non dici de filiis Israel secundum carnem, sed de filiis Israel secundum spiritum,siquidem filii Israel secundum carnem dura cervice cum essent, Deo non propinquabant. Sic enim loquitur sanctus protomartyr Stephanus Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis,sicut Patres vestri,ita et vos; quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri, et occiderunt eos, qui praenunciabant de adventu justi,cujus vos nunc proditores, et homicidae fuistis.* Apostolus autem ad roman. 9. demonstrat, qui sint veri filii Israel appropinquantes Domino, cum ait, *non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitae, neque qui semen Abrahae, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen*, idest, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine; et ad rom. 4. scribit, eos ad filios Abrahae pertinere,qui sectatur vestigia fidei patris nostri Abrahae, sive ex circumcisione, sive ex praeputio sint. Neque enim excludere debemus omnes Israelitas secundum carnem;alioqui etiam prophetas,et Apostolos excluderemus, sed eos tantum excludimus, qui solum secundum carnem Israelitae sunt,et non secundum spiritum, quales erant ii, de quibus loquitur s. Stephanus loco citato,et quibus praecursor Domini dicebat, *genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* et *nolite dicere, patrem habemus Abraham.* Luc. 3. et quibus Dominus ipse dicebat,*si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*: et, *vos ex patre diabolo estis.* Joann. 8. Denique tales sunt qui post abnegatum Dominum dispersi sunt inter gentes, et sine rege, sine sacerdotio, sine Deo vivunt in hoc mundo.

PSALMUS CXLIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

Psalmum hunc exponunt graeci de victoriis Machabaeorum, alii de victoriis ipsius Davidis. Sed nescio ubi legatur vel tempore Davidis,vel tempore Machabaeorum fuisse ab hebraeis alligatos reges nationum in compedibus. Alii mystice exponunt omnia de victoria spirituali ecclesiae adversos infideles. Quas expositiones ut non rejicio, ita existimo ad litteram psalmum esse exponendum de obligatione, qua tenetur populus Dei laudare Dominum suum praeter caeteras gentes,ob gloriam sempiternam sibi promissam, et ad quam finito praesenti exilio sine dubitatione perveniet.

EXPLICATIO PSALMI CXLIX.

1. *Cantate Domino canticum novum,laus ejus in ecclesia sanctorum.*

Primus hic versiculus alloquitur eos, quibus dictum est in fine psalmi superioris, *hymnus omnibus sanctis ejus, populo appropinquanti sibi.* Sunt enim hi tres ultimi psalmi inter se connexi, et unus continuatur cum alio, et ea causa est fortasse, cur in officio ecclesiastico in finem laudum matutinarum quasi unus psalmus tres isti psalmi concinantur. Ait igitur,o vos sancti qui populus estis Deo propinquans, *cantate Domino canticum novum*, idest, caeterae cantant canticum ratione creationis,quod est canticum vetus,vos autem cantate canticum ratione renovationis, justificationis, glorificationis,quod est canticum novum,super nova materia, a novis hominibus decantandum.*Laus ejus in ecclesia sanctorum*: haec est ratio verborum superiorum, quasi dicat Propheta, vos sancti *cantate Domino canticum novum*, quia decet, ut laus Dei potissimum audiatur in congregatione sanctorum.

2. *Laetetur Israel in eo,qui fecit eum,et filii Sion exultent in rege suo.*

Canticum novum magnam habet laetitiam, quoniam annunciat beneficia perfectae foelicitatis,quia ex ardentissimo amore procedit. Igitur Israel populus Dei electus,qui cantat *canticum novum*,laetetur cantando *in eo, qui fecit eum*, in ipso conditore suo, qui non solum creavit naturam; sed etiam donavit gratiam, et sic fecit non solum ut esset, sed ut esset Israel; *et filii Sion exultent in rege suo*:est repetitio per alia verba,nam *filii Sion*, ipse est Israel. Recte in bibliis recognitis sublatum est, *filiae*, et repositum, *filii*: quoniam in hebraeo et graeco habetur, *filii Sion*, et sic legunt s. Augustinus, s.Hieronymus, s.Chrysostomus,Euthymius, et alii: neque deerant textus latini, qui haberent, *filii*,ut videri possit typographorum vitio irrepsisse vox, *filiae*, pro, *filii*.

3. *Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.*

Neque solum cantent canticum novum cum laetitia, et exultatione; sed etiam instrumenta musica ad suas adjungant, idest, non solum ore, sed etiam opere,non lingua tantum,sed etiam manu,hoc est, vita et moribus cantent: per *chorum*, intelligunt aliqui instrumentum musicum, ut etiam per *tympanum* et *psalterium*: quod clarius colligi videtur ex psalmo sequenti: dicunt autem *chorum*, cum accipitur pro instrumento, *tibiam* significare: sed possumus etiam per *chorum*, intelligere multitudinem cantorum simul canentium, ut sonat vox graeca, et latina, et ut patres intellexerunt.Ait igitur, laudent eum *in choro* vocibus consonis simul concinentes,*in tympano,et psalterio* manibus psallentes laetitiae sonitum edant.

4. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.*

Haec est ratio cantici novi, quia complacuit sibi Dominus in populo suo, idest, amavit eum ab aeterno ex mera benignitate sua: hoc beneplacitum Dei graece εὐδοκία, est fundamentum,et prima radix omnium bonorum nostrorum, nam ideo praedestinavit, ideo vocavit,ideo justificavit,ideo glorificavit,*quia complacuit sibi in populo suo*.De hoc dicit Dominus Luc.12.*Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*: hoc beneplacitum passim in suis epistolis b.Paulus praedicat. Merito ergo materia est cantici novi, *et exaltabit mansuetos in salutem*. Non complacuit solum sibi Deus in mente sua, sed hoc beneplacitum re ipsa implebit,quia *exaltabit mansuetos in salutem*, idest,populum suum humilem,et mitem, ut vera membra ejus, qui dixit *mitis sum, et humilis cordes*.exaltabit usque ad summam excellentiam, quae est aeterna salus:quidam latini codices habent, *exaltavit*: sed emendata lectio habet, *exaltabit*: nam et in graeco et in hebraeo habetur,in futuro, *exaltabit*, utrumque est verum, nam exaltavit in spe, et exaltabit in re.

5. *Exultabunt sancti in gloria,laetabuntur in cubilibus suis.*

Hic jam describit futuram gloriam electorum,ob quam toto corde cantare debebant canticum novum. *Exultabunt*, inquit, *sancti in gloria* illa coelesti, ad quam non perveniunt nisi vere sancti: et simul *laetabuntur in cubilibus suis*,in loco illo summae quietis.*A modo* enim *dicit spiritus,ut requiescant a laboribus suis* Apoc.14. Itaque *sancti in gloria* requiescent a laboribus, sed non requiescent ab actione laudationis:erunt *in,cubilibus* ut quiescant, non ut dormiant.

6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.*

In illa superna foelicitate adeo non sunt otiosi sancti,ut et ore cantent,et manibus gladios vibrent. In textibus hebraicis,et graecis habetur,*exaltationes Dei*, ut etiam legitur in bibliis recognitis: tamen s.August. et quidam alii legunt, *exaltationes Dei*. Facile fuit unius literae mutatione inducere hanc varietatem: sed in sensu nulla dissensio est: nam sancti cum gaudio magno laudant, et exaltant magnitudinem Dei,proinde simul exaltant,et exultant.Per *gladios* autem intelligimus potestatem judiciariam, qua sancti omnes in die novissimo ferient persecutores suos, juxta illud Deuteronom. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et si arripuerint judicium manus meae.*

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus,increpationes in populis.*

Ad hoc utentur sancti gladiis bis acutis,ut in die judicii vindictam sumant de ostibus suis, et eos increpent, atque eis exprobrent iniquitates suas:

http://www.obrascatolicas.com

suas: *stabunt enim tunc justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, Sap. 5. Ex hoc loco intelligi potest, paulo duriorem esse eorum expositionem, qui haec referunt ad conversionem iniquorum, qui dicuntur occidi gladio verbi Dei: nam qui convertunt iniquos, eosque foeliciter occidunt gladio verbi, occidentes in eis peccatum, et resuscitantes justitiam, non sumunt de eis vindictam, sed beneficio maximo illos afficiunt.

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.*

Diximus, per *gladios* intelligi judiciariam potestatem, ideo non debet absurdum videri, si dicantur sancti habere gladios in manibus, *ad faciendam vindictam et ad alligandos reges in compedibus*: potestas enim judiciaria utrumque facere potest, et ferire condemnando et alligare in compedibus, sententiam per ministros suos exequendo tunc igitur sancti alligabunt reges gentium *in compedibus, et nobiles eorum*, idest, principes terrae, *in manicis ferreis*, quando cum Christo in extremo die judicii sententiam ferent adversus Antiochos, Herodes, Nerones, Diocletianos, et caeteros principes infideles, ac dicent, *ligatis manibus, et pedibus projiciantur in tenebras exteriores*. Matth. 22.

9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria haec est omnibus Sanctis ejus.*

Hic aperte declarat Propheta quorsum dixerit, *Ad faciendam vindictam*, et *ad alligandos reges in compedibus. Ut faciant*, inquit, sancti, qui in terris injuste judicati sunt, justum *judicium*, jam olim *conscriptum*, decretum, et firmatum, et quasi in columna, inquit Chrysostomus, incisum, ut mutari non possit. Gloria haec sedendi cum Christo in nubibus, et judicandi mundum, et principes ejus, erit omnibus sanctis ejus. Quamvis enim Beda in sermone de s. Benedicto, dicat, in Judicio duos ordines futuros electorum; unum judicantium cum Christo, alterum misericorditer judicandorum tamen illi qui misericorditer judicati fuerint, postea etiam judicabunt cum Christo persecutores suos, ut constat ex b. Paulo 1. Corinth. 6. *Nescitis quia sancti de hoc mundo judicabunt?* si ergo *in vobis* idest, a vobis. *judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?* Vere igitur *gloria haec est omnibus sanctis ejus.*

PSALMUS CL.

TITULUS ET ARGUMENTUM PSALMI

Alleluja.

In hoc postremo psalmo invitatur populus Dei ad laudes Domini in summo coelo habitantis, cum omnibus musicis instrumentis, ut hoc modo demonstret ardentissimum affectum suum.

EXPLICATIO PSALMI CL.

1. *Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

Laudate *Dominum in sanctis ejus*, idest, o vos electi, et sancti, laudate Dominum in sanctuario coelesti habitantem. Nam vox hebraea, קדש *kodes, sanctitatem* proprie et *sanctuarium* significat, et quamvis cum aliis punctis legi posset, *in sancto ejus*, et in numero multitudinis, *in sanctis ejus*, et exponi de sanctis hominibus, ut fere patres exponunt; tamen quia in secunda parte versiculi idem repeti solet, et ibi expresse legitur, *laudate eum in firmamento virtutis ejus*, et per *firmamentum* intelligitur coelum ex 1. cap. Geneseos: ideo ad litteram videtur omnino per vocem, *in sanctis ejus*, intelligendum esse sanctuarium coeleste, quod ad hebraeos 9. vocatur *sancta*, in numero multitudinis. *Introivit*, inquit, *semel in sancta.* Quia tamen sanctuarium Dei supremum sunt animae justorum, imo ipsi sancti sunt templum Dei: ideo potest etiam cum patribus simpliciter hic locus exponi de sanctis hominibus, quatenus in eis Deus habitat, ut in praecipuo sanctuario suo. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus* vox *firmamentum*, eadem est hoc loco etiam in textu hebraico, quae est in 1. cap. Genes. proinde non est dubium, sensum esse, *laudate eum in firmamento virtutis suae*, idest, in fortissimo palatio suo, quod est coelum, habitantem, vel in firmissimo throno suo coelesti residentem: nam Dominus ait Matth. 5. *Nolite jurare per coelum, quia thronus Dei est*, et quemadmodum paulo ante diximus, sanctuarium Dei esse sanctos homines, sic etiam dicere possumus, per firmamentum syderibus plenum, intelligi posse ecclesiam sanctorum, qui veluti stellae fulgent, et in quibus Deus sedet, ut in praecipuo solio suo. Anima enim justi sedes est sapientiae.

2. *Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

Docet Deum esse laudandum, non quia in coelo simpliciter habitat; sed quia in eo habitat, ut omnipotens imperator, et Dominus omnium rerum nam per *virtutes* hoc loco non intelliguntur virtutes morales, neque exercitus angelorum, sed robur, ac potentia, et per multitudinem magnitudinis intelligitur excellens magnitudo, quo modo alibi dixit idem Propheta, *quam magna multitudo dulcedinis tuae*: et alibi, *secundum multitudinem tuarum*, idest, quam magna excellentia dulcedinis tuae; et secundum eximiam misericordiam tuam: est enim phrasis hebraica per vocem, רב *rab*, significare *multum* et *excellens*. Ergo inquit, *laudate eum in virtutibus ejus*, idest, ob magnas vires, et magnum robur ejus: *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, idest, magnifice laudate eum, quoniam eximia est magnitudo ejus, cum sit absolute, et simpliciter magnus.

3. *Laudate eum in sono tubae, laudate eum in psalterio et cithara.*

Tria sunt instrumentorum musicorum genera, vox flatus, et pulsus: omnium meminit hoc loco Propheta: nam in hoc versiculo nominantur *tubae*, quae flatu sonitum reddunt, *psalterium* et *cithara*, quae pulsu chordarum resonant, psalterium enim esse instrumentum decem chordarum, non semel legitur in psalmis.

4. *Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis, et organo.*

Hic numerantur omnia genera: nam tympanum, et chordae pulsantur, *chorus* est, ut alibi diximus vel instrumentum musicum nobis incognitum, vel concentus vocum humanarum; *organum* inflatur; quamvis enim ignotum sit quid *organum* hoc loco significet: tamen probabiliter dici potest esse instrumentum plurium tibiarum simul conjunctarum ad cujus postea imitationem facta sunt ea, quae nos organa vocamus.

5. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.*

Cymbala quatiuntur, et tinnitum reddunt. Dicuntur autem *cymbala jubilationis*, quae magnum laetumque sonitum reddunt, quales sunt campanae apud christianos. Mystice a patribus instrumenta ista exponuntur, vel pro sensibus corporis, ut a Chrysostomo, vel pro virtutibus animi, ut a sancto Augustino. Concludit Psaltes, *omnis spiritus laudet Dominum*. Sunt autem quatuor hujus loci explicationes. Prima sancti Augustini est, qui per *Spiritum* intelligit spiritualem vim, ut opponitur carni. Quia, inquit, sapere secundum carnem, mors est: *omnis spiritus laudet Dominum*, idest, omnis qui spiritualis est, et de Spiritu sancto vivit, *laudet Dominum*. Sed beatus Augustinus non observavit proprietatem linguae hebraicae: nam in hebraeo est, כל הנשמה *col hannesciama*, quae vox non significat spiritum, ut opponitur carni, sed ut opponitur non spiranti, et non viventi. Itaque, *omnis spiritus laudet*, hoc loco ponitur pro omni quod spirat, et vivit. Altera explicatio est Theodoreti, et Euthymii, qui per *omnem spiritum* intelligi volunt omnem hominem, quo modo accipitur illud psalmi 144. *Benedicat omnis caro nomini sancto ejus*: saepe enim in scriptura per *carnem*, vel per *animam* intelligitur totus homo. Sed mirum esset si David restringere voluisset laudis officium ad solos homines, cum paulo ante invitaverit angelos, homines, bestias, solem, lunam, stellas, ignem, grandinem, nivem et caetera omnia. Tertia explicatio est, aliquot recentiorum, qui per *omnem spiritum*, intelligunt omnia animalia; sed si David loquitur de laudatione proprie dicta, frustra bestias invitat ad laudes: si de laudatione etiam impropria, non debuit excludere ea quae non spirant. Potest igitur quarta explicatio adferri, ut per *omnem spiritum*, intelligamus generatim omnia quae vivunt, sive spirituali vita, ut Angelos; sive animali, ut bestias: sive utraque, ut homines; sive metaphorica vita, ut caetera omnia, quae licet in se inanima sint, tamen *Deo vivere* dicuntur, quoniam ita serviunt, et obediunt Deo, ac si viverent, et sentirent, et creatoris mandata perciperent: unde est illud ecclesiasticum, *regem cui omnia vivunt*: in quem sensum accipiendum est illud Baruch 3. *Vocatae sunt stellae, et dixerunt, adsumus*. Et illa ex evangelio, *Imperavit febri, et dimisit eam*, Luc. 4. et *Comminatus est vento, et dixit mari, tace, obmutesce, et cessavit ventus et facta est tranquillitas magna*, Marc. 4. Ergo Propheta cum multa percurrisset, et videret se non posse omnia singillatim enumerare, et ad laudandum Deum invitare, voluit compendio omnia comprehendere, et ait, *omnis spiritus laudet Dominum*. Sed si omnia comprehendere volebat, cur non aperte dicebat, omne quod subsistit, laudet Dominum? Ratio est, quoniam laudatio ad viventes pertinet, et absurdum videtur, res mortuas, aut inanimas vocare ad chorum, praesertim cum idem Propheta dixerit in psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine*. Et Ezechias apud Isaiam, cap. 38. *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi*. Voluit ergo David potius dicere, omne quod vivit, quam omne quod subsistit, *laudet Dominum*, ut declararet, se invitare omnes res ad Deum laudandum, quatenus aliquo modo vivunt, ut supra explicatum est. Atque hic sit finis hujus Commentarii. Precor autem Deum, ut quemadmodum dedit, ut has divinas laudes utcumque explicare possemus, ita ex magna misericordia sua donet, ut aliquando de peregrinatione perveniamus ad patriam, ubi praesentes praesentem toto corde diligamus, et sine ullo fine laudemus. Amen.

LAUS DEO.

Magnus quaestus pietas cum sufficientia. Tim. 6.

http://www.obrascatolicas.com

INDEX

RERUM NOTABILIUM

Prior numerus paginam indicat, Posterior Psalmi versiculum.

A

Aaron Princeps Ecclesiasticus tantum, minor Mose *pag.* 327 vers. 20.
Abimelech nomen erat commune Regibus Philistinorum 127.
Abyssus, quid 326 15.
Abyssus abyssum invocare multipliciter intelligi potest 177 9.
Abyssi nomine, aquarum profunda significantur 623 7.
Abraham per fidem factus est Parens multarum gentium 555 3.
Abundantia sine securitate est plena timoris 619 2.
Abundantia et pax, beatas faciunt Civitates 540 6.
* Accidia ejus qui psallit indicat, in ipso parum amari cui psallit 344 1.
* Adam, et Eva primi a Serpente interempti 442 21.
Adipem claudere significat, non misereri 53 11.
Adjutorium omnium maximum et potentissimum, est vultus Dei 196 5.
Adolescens, cur indigeat doceri legem Dei 510 1.
Adorare Dominum, et coram Domino idem 78 30.
Adventus Christi primus omnia consecravit, secundus omnia glorificabit 79 1.
* Aetas hominis quanta, Davidis ac Moysis tempore 387.
Aeternitas Dei 387 2.
* Affectus, per renes significantur, cogitationes per cor 50 7 et 93 2.
* Altitudo diei, pro Divino judicio sumitur 236 3.
Altaria, justorum niduli 354 4 5.
* Ambulare coram Deo quid 500 9.
Amici Dei dicuntur mortui saeculi; inimici mortui Dei 54. 15.
Amicus fraudulentus pejor est manifesto inimico 232 12.
Amicitiae specie decipere maxima iniquitas 139 22.
Amor sponsi Christi ineffabilis erga sponsam suam 192 12.
Amor animam portat, ejus alae cogitatio et desiderium 363 3.
Amorem accendere solent tria, quae in Deo reperiuntur 175 2.
* Angeli significantur per aves Coeli 32 8.
Angeli dicuntur Dii *ibid.*
Angeli an cognoverint, Christum esse Regem gloriae 84 8.
Angeli cur dicantur esse in nubibus *pag.* 377 7.
Angeli custodes hominum, et regionum 399 11.
Angeli numquam desunt officio suo 587 2.
Angeli ad Deum laudandum maxime idonei 446 9 11.
Angeli numquam fatigantur *ibid.*
Angeli ventis comparati 450 5.
Angeli, aurigae currus Dei 57 12.
Angeli mali significantur per pisces maris 32 8.
Angeli reprobi cur peccati remissionem non invenerunt 602 3.
Angelorum mira potentia 129 7.
Angelorum praesentia attentionem in oratione conciliat 584 2.
Angelos in Coelo praecedit Ecclesia, et Beata Virgo 191 11.
Angelos multos praecedent in Coelo multi sancti homines *ibid.*
Angelus unus vicem exercitus supplet 129 7.
* Anima voluntatem significat, oculus intellectum, venter memoriam 110 11.
Anima pro homine saepe usitata in Psalmis 78 33 et 126 20.
Anima quare, et quomodo dicatur unica 138 20.
Anima quo magis destituitur carnalibus bonis, eo facilius ascendit ad coelestia gustanda 257 3.
Anima spoliata gratia Dei, est sicut terra arida 603 6.
Anima nostra imago Dei quoad essentiam et personarum Trinitatem 175 4.
Anima nostra Scala aptissima ad cognoscendum Deum *ibid.*
Animae ante corpora non fuerunt 124 15.
Animae salus nemini datur sine praeveniente, comitante, et subsequente gratia Dei 125 17.
Animae sterilitas duobus modis accipitur 136 14.
Animam effundere in se, tribus modis accipi potest 175 4.
Animam primi hominis cum Deus creavit, non creavit in confuso omnes animas 124 15.
Animam in manibus esse, est periclitari de vita 524.
Animam adhaerere Deo, quid sit, et quanti faciendum 208 8.
Animalis homo propinquante exilii fine cur gemat 538 1.
Animalia omnia hominibus utilia 588 6.
Animus dives debet esse, non arca 129 9.

http://www.obrascatolicas.com

Animus aliquando gaudet, cum corpus dolet *pag.* 22 9.
Animus non omnino quaerit Deum, dum aliquid habet in terra, quod amet 171 3.
Antichristi astutia, et consultatio cum Diabolo 351 4.
* Apostoli dicuntur montes 536.
Apostolicae praedicationis fructus 302 16.
Apostoli vere Sapientes 391 14.
Apostoli primi Ecclesiae filii toti Orbi leges dederunt, quod Monarcha ante eos fecit 194 18.
Apostoli, et Martyres licet interfecti, de omni tamen tribulatione vere liberati sunt 132 17.
Apostoli cur Cedris similes 102 6.
Apostoli cur dicantur Coe i 64 4.
* Aquae pro tribulationibus tumuntur 118 8.
Aqua spiritualis quaenam 80 2.
Aquae initio creationis non tam aquae, quam vapores aquei erant 451 7.
Aquae vere corporales, et incorruptibiles supra Coelum 622 4.
Aquila quomodo renovetur 445.
* Arbitri libertas 487.
Arca foederis scabellum pedum 430 4.
Arma Christi quaenam sint 188 5.
Arma Dei defensiva, et offensiva 133 2 3.
Arma Diaboli, astutia, et malitia 188 5.
Arrogantiae proprietas 37 25.
* Asaph quis, et quid significet 212 in tit.
Ascendere super Cherubin, quid 57 12.
Aspectus Dei ad nos, et nostri ad Deum, quam sit necessarius 567.
Aspicere iniquitatem in corde, quid sit 271 17.
* Attentionem exigit Deus, ut nobis loquatur 214 8.
Attributa Dei notissima, et obscurissima 597 5.
* Avaritia 48 6.

B

Baptismus, cur dicatur illuminatio 128 5.
* Beatitudo Coelestis qualis 143 9.
Beati quinam in hoc saeculo 355 6.
Beatitudo in operatione intellectus consistit 41. 8.
Beatitudo hujus vitae, in quo consistit 9 1.
Beati expectant redemptionem corporum 549 5.
Beatitudinem Justis Deus conservat 50 5.
Beatitudinem assequimur, si quatuor praestemus 82 4.
* Benedicere Deum, ad quos pertineat 494 27.
Benedicere Deum in omni tempore, quid sit 127 1.
Benedictio Dei qualis 497 24.
Benedictio Dei in scripturis abundantiam significat et foecunditatem 569 16.
Beneficia Dei celebranda 44 6.
Beneficia Dei, quae pauci agnoscunt 294 7.
Beneficiorum divinorum summa, quae sit 237 13.
Beneficium magnum, Deum memorem esse nostri 106 4.
Beneficia omnia divina quomodo duplicia sint 449 2.
Beneficiorum Dei memoria qualis esse debeat 59 22.
Beneplacitum Dei fundamentum omnium bonorum 625.
Benevolentia Dei radix omnium bonorum *pag.* 23 13.
* Bona quandoque Deus Sanctis tribuit quandoque aufert 185 28.
Bona temporalia umbrae sunt veri boni 160 9.
Bona Coelestis Hierusalem 264 265.
Boni omnis ratio in solo Deo est 498.
Bonum omnia appetunt *ibid.*
Bonorum omnium auctor Deus 21 8 25 4.
Bonorum omnium principium lumen Dei 60 31.
* Brachium significat potentiam 39 39.

C

Caecitas humana in vera foelicitate quaerenda 402 16.
Coelum est domus nostra 93 7.
Coelum, primarius est effectus potentiae Dei 122 6.
Coelum cur opus digitorum Dei, non brachiorum 31 4.
Coelum dicitur templum Dei 56 8.
Coelum tribus modis praedicat Deum 64 2.
Coelum Beatorum mons Domini 88 23.
Coelorum regnum a Christo promissum, spernentibus quam graviter irascatur Deus 473 25 26 27.
Coeli coelorum, qui sint 204 4.
Coeli quomodo laudant Deum *ibid.* 2.
Coeli quomodo peribunt, aut veterascent 448 19.
Coeli dicuntur Apostoli et praedicatores et quare 64 4.
Coelos inclinare quid 57 11.
Coelorum sonus non concentus corporalis, sed quid 64 4.
Coelestis hereditas qua via acquirenda 288 30.
* Calix vini meri, quid 317 7.
Calix idem atque haereditas, portio, et pars 41 7.
Calumniarum et persecutionum morbo quae medicina facienda 146 6.
Cantica Dei quomodo canenda, et audienda 581 5 et 174 in tit.
Canticum vetus veteris hominis est, novum novi 19 3.
Cantare Deo canticum novum et vetus, quid sit 625 1.
Cantare in tympano, et psalterio, quid sit *ibid.* 2.
Canticum graduum pauci ex corde cantant 535 5.
* Captivitas Babylonica figura captivitatis generis humani sub peccato 582 12.
* Carnales licet otiosi, Deo vacare non possunt 198 10.
Carnalem esse, et hominem esse aliquando pro eodem in script. 544 3.
Caro quomodo dicitur sitire Deum 254 2.
Causae saecundae defectus tribuendi sunt, non primae 452 15.
Causae secundae sine Deo nihil possunt 452 17.
* Cedri Libani quinam 5.
Cervi proprietates 72 in tit.
Cervi cum amore Dei similitudo aptissima 174 1.
* Charitas Dei bonorum omnium nostrorum causa et origo 359 3.
Charitas in Deum ardens, radix confidentiae in eum 93 7.
Charitas perfecta vehementissime timet, ne in aliquo dilectum offendat 129 9
Charitas dicitur fimbria aurea 193 15.

Charitas praecipuum est inter dona a Christo in terras effusa *pag.* 278 20.
Charitas Dei virtutes omnes complectitur 424 11.
Charitatis verus spiritus molestius fert injuriam Dei, quam propriam 531 6.
Charitatis signum est, Deum sine intermissione laudare *ibid.* 4.
Charitatis magnae indicium, miseratio erga peccatores 517 5.
Christus, lapis angularis, cur dicatur 367 1.
Christus, cur in Sion dicatur natus 369 5.
Christus, cur dicatur primogenitus 382 27.
Christus, quomodo fuerit pauper 170 1.
Christus cur dicitur puer et servus 285 12.
Christus non Redemptor solum, sed et Doctor, et Magister humani generis 168 12.
Christus cur dicitur dilectus 102 6.
Christus, cur dicitur vitulus *ibid.*
Christus quomodo dici possit arbor 11 7.
Christus peccata nostra sibi tribuere potuit 72 1.
Christus resurgens comparatur Cervae, et Stellae 13 7.
Christus Advocatus potentissimus 482 30.
Christus Sacerdos aeternus 447 5.
Christus supra homines formosus dicitur, cur non supra Angelos 244 3.
Christus nuncius futuri ingressus in coelum 568 12.
Christus superavit sapientia, et justitia Diabolum 188 5.
Christus nos docuit exemplo suo clauso ostio Patrem orare 198 10.
Christus Dominus, et cum eo justi omnes ab impiis, et inimicis aliquando laudandi 260 10 262 8.
Christus quomodo dicatur inops, mendicus, compunctus corde 480 15.
Christus non eguit custodia Angelorum 401 11.
Christus, Rex jure dicitur, et Regnare 420 10.
Christus quid retribuerit Judaeis post Resurrectionem suam 173 11.
Christi amor erga inimicos excellentior, quam Davidis erga Saulem 137 17.
Christi affectus erga persequutores non solum est ut fratris ad fratrem, sed ut matris ad filium *ibid.* 17.
Christi arma quaenam sint 188 5.
Christi mors, et resurrectio 17 5.
Christi mors quare dicitur somnus 17 5 172 9.
Christi vita qualis 19 4.
Christi benevolentia erga electos 49 2.
Christi passio holocaustum 68 3.
Christi dona in instanti conceptionis 70 3.
Christi reliquiae sunt electi 71 12.
Christi passionis fructus 78 32.
Christi persecutores quomodo Deus accepit 13 4 5.
Christi generatio triplex *ibid.* 7.
Christi potestas in omnes gentes 14 8 9.
Christi judicium rectissimum significatur per virgam ferream *ibid.*
Christi morientis, et resurgentis Prophetiae 97 in tit. 1.
Christi Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, etc. prophetia Psalm. 29 toto 105.
Christi anima nil ignorabat in passione 107 9.
Christi passiones cur plurimae fuerunt *pag.* 168 16 17.
Christi proditionis indignitas 173 10.
Christi adventus primus fructus 300 7.
Christi figura Salomon, et ejus nomina 298.
Christi passionis, et doloris vehementiam per Prophetas, ejus constantiam per Evangelistas cur Spiritus Sanctus exprimi voluit 283 3.
Christi Regnum adumbrat Propheta 327.
Christi Regnum aeternum 484 2.
Christi patientis figuram gerebat David in passionibus suis 232 11.
Christi ascensus in coelum describitur 200 5.
Christi injuriae aliquae peculiariter ad Patrem pertinebant 285 12.
Christi nativitas ex Virgine 485 4.
Christi generatio aeterna *ibid.*
Christi humilitas in carne, et exaltatio in gloria 487 8.
Christi passio describitur, ejusque dolores Psalm. 68 toto 283.
Christi virtutes, quas in passione spiravit dicuntur myrrha, aloe, et casia 190 10.
Christi humanitas vestis, et domus dicitur *ibid.*
Christi virtutum fragrantia *ibid.* 10.
Christi sponsa Ecclesia est, B. Virgo et reliquae Virgines 191 11.
Christi regnum consumet omnia Regna 197 6.
Christi innocentia quomodo Mundo innotuit 476 1.
Christi cum Diabolo contentio circa quid fuerit 553.
Christi adventu omnis creatura exultabit 421 12.
Christi mirabilia quae 426 1 2.
Christi salutare, et justitia in quo sita 427 3.
Christi humanitas scabellum Divinitatis 430 5.
Christi corporis beneficia propter passionem quaenam 70 4 5 et 71 6.
Christi Sacerdotium per coronam auream 70 3.
Christo convenit jejunare, et cilicio indui prout est in membris suis 137 16.
Christo quomodo conveniant verba Ps. 39 Comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem, et illud Marci 6. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, et mirabatur propter incredulitatem eorum 168 16 et 172 6 et 7.
Christianorum persequutio ab imperatoribus illata describitur 182 11 et 18.
* Cicatrices quid in Ps. 37 significent 157 3 6.
Cilicium quid 137 16.
Cilicium et jejunium Christi 285 14.
Civitas Dei cur aeterna stabilitate solidabitur 196 4.
Civitatis muri, viri perfecti dicuntur 205 11.
Civium coelestium conditiones et signa 580 1.
Civium Babyloniae conditiones et signa *ibid.*
* Cogitare quomodo tribuatur linguae 224 2.
Cogitatio mirabilium Dei, radix omnium bonorum 98 7.
Cogitationes significantur per consilia 33 23.
Cogitationes per cor, desideria per renes significantur 50 7.
Cognoscere, pro approbare sumitur 296 17.
Columbae, aptissime comparatur Justus 231 6.
Commoveri pedes, in Scriptura sumitur pro labi in peccatum 536 3.

http://www.obrascatolicas.com

Concupiscentia dicitur necessitas *pag.* 88 18.
* Concupiscentia rerum terrenarum vacandum praecipue 198 10.
Concordia fratrum bona et jucunda 571 1.
Confessorum tentationes torrenti rapidissimo similes 305 4.
Confidentia in Deo est firma allegatio ad misericordiam impetrandam 238 1.
Confidentes in Domino qui sint, et quod vere sint montes 576 11.
Confidentes in Domino quam securi esse debeant 547 2. 3.
Confidentia in Deo cooperationem nostram non excludit 234 25.
Confiteri in Ecclesia magna, quid 139 21.
Confiteri, et laudare idem *ibid.* 21.
Conjunctio fratrum magis esse debet cordium, quam corporum 571 2.
Conscientiae stimulus per spinam significatur 117 4.
Consilium Dei mirabile in paucitate electorum suorum 458 8 9 10 etc.
Consolatio Divina quibus datur 112 23.
Consolatio interna prodit in externam, et haec est quo agnoscitur 548 2.
Consolatio Divina dolori carnis correspondet 413 19.
Constantes viri lapides, infirmi vero pulvis dicti 440 15.
Contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a tumultu perturbationum rerum saecularium 198 et seq. 10.
Contemplationis materia qualis 22 4.
Contemnentis temporalia praemium 19 4,
Contritio David quanta fuerit 603 4.
Contritionis signa *ibid.* 7.
Contritionis cordis efficacitas 544.
Contritionem quomodo consolatio subsequi debeat 545 5.
Convertentes se serio ad Deum quam consolationem experiuntur 548 1.
Converti ad vesperam quid sit 245 7.
Cor mundum creare quomodo dicatur Deus 221 11.
Cordis dilationis effectus 516 6.
Corda quomodo Deus obduret 416 8.
Corde effundere quid sit 255 8.
Corda feriunt sermones fraudulenti, licet aures delectent 234 24.
Cornu significat potestatem regiam 570 18.
Cornu pro superbia 274 4.
Cornu David regnum Messiae dicitur 570 18.
Corona gloriae coelestis duo continet 445 5.
Corporis salus non contingit homini sine auxilio Dei 125 17.
* Creaturae omnes instrumenta justitiae et misericordiae Dei 623 8.
Creaturae quantumvis magnae collatae cum Deo nihil sunt 624 12.
Creaturae omnes excitant ad laudem Creatoris 267 14.
Creaturae omnes sunt milites Dei 180 7.
Crux est thronus 33 4.
* Cupiditas radix omnium malorum ostenditur 198 10.

D

Daemones per Antonomasiam peccatores dici possunt 530 3.
Daemones sunt perpetui calumniatores 526 1.
Daemones significantur per pisces maris 32 8.
Daemones exultant, si quem justum ad inchoandum peccatum induxerint 44 5.
Daemones sunt insidiatores 96 17.
Daemones venatores, laquei res creatae 395 3.
Daemones nos odisse odio iniquo quid 89 20.
Daemonum peccatum superbia 603 5.
Daemonis artes 603 5 80 6.
* Damnati quomodo dicantur non esse, et non vivere 163 18.
Damnati semper in poenis vivunt, ut semper moriantur 234 26.
David in Regem cur de humili loco eligitur 335 76.
David non solum res, sed etiam verba praenovit et praedixit 76 18.
David affectus erga inimicos quantus, et qualis 137 17.
David in adversis ad Deum solitus confugere 362.
David figura Christi 380 *et seq.* 19.
David cur vocet Ecclesiam filiam 192 12.
David exemplum justitiae, et misericordiae posteris 222 14.
David magis arte, quam robore vicit Goliath 92 et 605.
Davidi facta promissio de Regno aeterno in Christo impleta 376 377 3 et 4.
Davidici peccati deformitates, et circumstantiae 153 4.
Davidis, et Prophetarum mos in Psalmorum versiculis 9 1.
* Decalogus virtute continet omnes leges Mundi 470 1.
Delatores iniquos punire gravissime, regum est 436 6.
Delectari in Domino, quid 145 4.
Deliciae supervacaneae Diabolo jucunditas moderata a Deo 452 17.
Delinquere in semetipso, quid 22 1.
Delinquere variis modis accipitur 132 21.
Desideria impiorum numquam explentur 43 9.
Desiderium tribuere, et similia, quid 68 2.
Detrahentium linguae instar sagittae longe feriunt 229 6.
Deus solus vere magnus est 128 3.
Deus vigilat pro justis 131 15.
Deus aliquibus modis justum exaudit in tribulatione 19 1.
Deus auctor omnium bonorum 21 8.
Deus quando orantem contemnit 22 13.
Deus vult solum a parvulis, idest, humilibus cognosci, et laudari 31 3.
Deus laborem oppressorum, et opprimentium furorem considerat 38 37.
Deus cum irascitur quid operetur 57 9.
Deus nunc videtur in Tabernaculo, in coelis videtur in domo propria 64 5.
Deus Pastor 72 1.
Deus cur dicatur Dominus exercituum 84 10.
Deus quomodo laudandus 120 1.

Deus quibus placeat, quibus non placeat *pag.* 120 1.
Deus non solum verbis, sed etiam operibus laudandus *ibid.*
Deus et singillatim, et conjunctim laudandus *ibid.*
Deus laudandus ex cognitione creaturarum, et ex revelatione divina 121 2.
Deus cur summo affecto laudandus *ibid.* 4.
Deus cur solus timendus 123 9.
Deus cur omnia fecerit verbo *ibid.*
Deus ideo beatus, quia videt se sicuti est *ibid.* 12.
Deus aliter vigilat super justos, aliter super injustos 131 16.
Deus quem amat, securus est 134 2.
Deus quibus armis se defendit, et nos protegit *ibid.*
Deus quomodo, et quare dicatur salus animae *ibid.* 3.
Deus quare fons sapientiae, et scientiae 143 10.
Deus ordinarie per Vicarios suos regit, et docet 327 20.
Deus quo sensu dormiat 334 71.
Deus respicit aliquem, cum ei placatur: avertit oculos cum irascitur 339 *et seq.* 2.
Deus a nobis oculos avertit, cum nos ab eo faciem avertimus 340 4.
Deus quando ab omnibus cognoscetur 353 17.
Deus proprie vivus est, et vita 354 2.
Deus protector justorum, et clypeus 355 6.
Deus qua ratione loquebatur ad Prophetas 359 8.
Deus affectu paterno nos amat 366 14.
Deus cum iniquis innocentes puniri cur sinat. 185 28.
Deus pater quomodo unxit Deum filium 192 12.
Deus magnus, et laudandus in fundatione Ecclesiae 202 1 205 9.
Deus Deorum quomodo dicatur Dominus 212 1.
Deus ut nobis loquatur, attentionem exigit 214 8.
Deus in se eminenter omnia continet 215 *et seq.* 12.
Deus in periculis unicum refugium 228 1.
Deus non minus est bonus cum flagellat, quam cum parcit 229 6.
Deus quomodo errare faciat, excaecet, obduret etc. 475 39 40.
Deus quomodo convertat corda aliquorum, ut alios odio prosequantur; et tamen non sit causa peccati 459 460 22 23 *etc.*
Deus quomodo dicatur protector bonorum quamvis tribulatione eos permittat probari 261 2.
Deus quando non videt, nec audit 559 2.
Deus quando quaeratur 35 10.
Deus Sol increatus 392 18.
Deus cur dicatur Dominus absolute 567 2.
Deus cur Aquilae, et Gallinae comparetur in Scripturis *ibid.* 4.
Deus remuneratur opera bona ex justitia 59 23.
Deus regnare dicitur multipliciter 420 9.
Deus quomodo invisibilis 422 2.
Deus dupliciter dicitur custos animarum sanctarum 424 11.
Deus quomodo sedeat super Cherubim 429 1.
Deus quomodo dicitur loquutus in columna nubis 431 7.
Deus solus aeternus, quia immutabilis, et cur immutabilis 443 28.
Deus non solum necessaria, sed etiam jucunda praebet *pag.* 452 17.
Deus quomodo laetari, dolere, et oblivisci dicatur 445 32 564 1.
Deus passionibus subdi non potest 445 32.
Deus quomodo magnus juxta quadruplicem dimensionem 609 3.
Deus quomodo escam omnibus impertiat; et tamen quosdam esurire permittat 612 16 17.
Deus quomodo orandus, ut preces nostras exaudiat 613 19.
Deus praesentiam suam quibus modis demonstret 606 7.
Deus non semper minatur, sed aliquando iram effundit 29 12 13.
Deus nobis est robur, petra, arx munitissima, munitio, scutum, clypeus, cornu salutis 55 1 2.
Deus petra cur dicatur 61 34.
Deus justus per antonomasiam 528 1.
Deus prope est malis per justitiam, bonis per auxilium 529 2.
Deus coeli quomodo dicatur filius Dei 579 26.
Deus cur absolute bonus 577 1.
Deus quomodo dicatur examinare cum non egeat examine 595 1.
Dei benevolentia radix omnium bonorum 23 13.
Dei protectio est velut tentorium *ibid.* 14.
Dei respectus causa omnium bonorum, sicut sol. 25 4.
Dei gladius, et sagitta, quid 29 13.
Dei incarnatio fuit visitatio 31 5.
Dei studia, quid 35 11.
Dei promissa, qualia 42 7. 43 8.
Dei amici et inimici, quinam 54 15.
Dei currus, equi, aurigae, sagittae, quae 57 12.
Dei praesentia quid operetur, ejusque potentia 57 9 *et seq.*
Dei mors cum lepidis 80 5.
Dei protectio in tribulatione 16 3.
Dei potentia laudes 100 1 *et seq.*
Dei vocis efficacia 101 3.
Dei opera movent homines ad fidem 121 4.
Dei misericordia latius patet, quam justitia *ibid.* 5.
Dei cogitatio una, et simplex continet eminenter innumerabiles cogitationes 123 11.
Dei arma offensiva, et defensiva 134 2 3.
Dei pietatem experiri quam dulce 142 8.
Dei veritas et judicia quam profunda 121 4.
Dei misericordia erga pios et impios 252 142. 6 7 8.
Dei memoria plus delectat, quam praesentia carnalium voluptatum 332 3.
Dei indignatio igni comparatur 337 4.
Dei suavitas misericordia, et mansuetudo 364 4.
Dei nomen quatuor literarum 512 1.
Dei juramentum 185 5.
Dei veri et Deorum falsorum antithesis 496 15.
Dei rectitudo in quo consistat 423 2.
Dei mira in puniendis impiis celeritas, et aliquando tarditas *ibid.* 3.
Dei nomen quare sanctum, et terribile 430 3.
Dei magnitudinem quomodo laudare, et imitari possimus 609 3.
Dei perfecta laudatio non nisi in Patria exhiberi potest 614 1.

http://www.obrascatolicas.com

Dei filius, cur peculiariter Deus Deorum *pag.* 577 2.
Dei opera omnia ex misericordia profecta sunt 578 15.
Dei omnipotentia in extremo judicio quanta 423 4 5.
Deo quinam honor debeatur 101 2.
Deo quomodo fruemur in Patria 143 9.
Deo cur nemo possit comparari 165 8.
Deo quomodo conveniat poenitentia 485 5.
Deum hominis recordari, quid sit 31 5.
Deum furere, et irasci, quid sit 13 5.
Deum memorem esse nostri, magnum beneficium 106 4.
Deum pro Deo suo, quis habeat 123 12.
Deum videntes similes sunt Deo, numquam videntes, semper dissimiles *ibid.*
Deum pugnare pro nobis necesse est, ut nobis innotescat 134 3.
Deum semper laudat, qui semper bene agit 140 32.
Deum refugium suum, et virtutem, pauci ex vero affectu pronunciant 196 2.
Deum cognosci ab hominibus, quam sit admirabile 606 4.
* Dei Gentilium, vani Deiculi 418 5.
Dextera, Christum aliquando significat 603 4.
Diabolus non robore, sed arte, scilicet patientia vincendus 605 1.
Diabolus Rex superbiae 603 5.
Diaboli arma, astutia, et malitia 188 5.
Diabolus, Pharaoni similis 378 11.
Diabolus, unde in nos potens, et quod effugium 301 12.
Dies, prosperitatis, nox, tribulationis tempus aliquando significat 50 7.
Dies, vitae; nox, mortis tempus aliquando significat 73 2.
Dies hujus saeculi, dies peregrinationis, et doloris 364 6.
Dies transeundo, et fluendo, quomodo permanere dicantur *ibid.* 6.
Dilectionis praeceptum, finis perfectionis 523 1.
Disciplina paterna, castigatio 61 39.
Disciplina virtutem prudentiae aliquando significat 519 2.
Discordiae fratrum damna 524 2.
Dives esse debet animus non arca 490.
Divitiis bene utendi gratia 492.
Divitiae non perdunt homines, sed superbia 362 1.
Divites, dum Deum non timent, inopes fiunt 130 10.
Divites impii cur dicantur Leones *ibid.*
Divites mali, non raro ad extremam inopiam rediguntur *ibid.*
Divitiis non caret, qui divitias non desiderat 129 9.
Divitiae instabiles sunt, et fallaces 130 10.
Divitiae multis periculis sunt expositae *ibid.*
Divitias temporales qui diligunt, semper egent *ibid.*
Divitiis, aut potentiae fidere vanum, et stultum est 213 6 215 10.
Divitiae fluunt, dum affluunt 256 10.
Doeg quomodo dicatur mentitus dicendo verum 230.
Dolosi in sua lingua confidunt 42 4.
Dolosorum, et mendacium merces justa 172 6.
Dominus exercituum, et Rex gloriae soli Deo in Scriptura tribuitur *pag.* 84 10.
Domus spiritualis quomodo erigatur, et perficiatur 551 1.
Domum spiritualem aedificando, non magis fidere debemus operationi, quam orationi 552 3.
Dormire Dei, quid sit. 28 6 1.
Dormitare, et dormire quomodo dicantur homines 540 4.

E

Ecclesia, cur columba sit 213 in tit.
Ecclesia, quare, et quomodo magna 139 21.
Ecclesia Christi semper a Deo protegenda 383 36.
Ecclesia, Soli, Lunae, Iridi comparatur *ibid.*
Ecclesia quomodo ancilla, quomodo libera dicatur *ibid.*
Ecclesia brevi tempore propagata *ibid.*
Ecclesia ex gentibus diu sterilis *ibid.*
Ecclesia Sponsa Christi 191 11.
Ecclesia dicitur assistere in Coelo, non sedere *ibid.*
Ecclesia Dei, duobus capitibus mirabilis apparet 202 1.
Ecclesia cur dicatur mons Sion, latera Aquilonis, Civitas Domini virtutum 205 10.
Ecclesia Dei mons coagulatus, mons pinguis, etc. 277 15 16 17.
Ecclesia vix nata in Abel persecutionem patitur 557 1.
Ecclesia Sanctorum firmamentum Dei 114 1.
Ecclesia Catholica nova Jerusalem 438 2.
Ecclesia cur dicatur fundari, non fundata 203 2.
Ecclesiae aedificatio ex quibus lapidibus 291 40.
Ecclesiae et Christi Regni propagatio 300 8.
Ecclesiae fundamenta, quae 367 1.
Ecclesiae persecutores 482 30.
Ecclesiae dignitas praecedit Angelos 186 1.
Ecclesiae contra inimicos suos victoria mystice designata 250 10.
Ecclesiae pugna adversus hostes Deo praecipue auctore 251 13.
Ecclesiae firmitas, beatitudo, successio, 302 12.
Ecclesiam cur vocet filiam David 192 12.
* Ecstasis, quid significet 108 in tit.
* Effundere frameam, quid 134 3.
* Electi Dei sunt oves 79 1.
Electi reliquiae sunt Christi 71 12.
Electis Deus multa bona praestat 179.
Electorum propria qualitas, et nota 581 8.
Electorum salus est Christi merces 559 4.
Eleemosyna quae bona pariat 265 6.
Eleemosyna, quas circumstantias habere debeat *ibid.*
Eloquium Dei est scutum 61 33.
Eloquium Dei cur dicatur ignitum 528 4.
* Eman Ezraita quis 371 in tit.
* Epistolae, historiae, et Prophetiae sacrae quomodo differant 186 1.
Episcopi longe abesse ab Episcopatu suo non debent 478 7.
Episcopo quare in Ecclesia detur locus altior 552.

* Et, particula, in oratione Hebraica saepe redundat *pag.* 60 61 32.
Et, saepe in Scriptura ponitur pro quia 595 8.
Ethan quis 375 in tit.
* Evangelica praedicatio dicitur vox Domini 100 101 1 *et seq.*
Evangelica praedicatio quomodo dividat flammas ignis 103 7.
Evangelicae praedicationis vis 100 101 1 *et seq.*
Evangelii vis in hominibus spiritualibus, et nationibus barbaris 103 104 7 8 10.
* Exitium impiorum hoc tempore in Judaeis impletur; sed manifestius in die Judicii 135 7.
Exultatio Justi qualis 136 12.

F

Fabulationes sunt haereticorum colloquia 521 5.
Facies aliquando in Hebraeo sumitur pro ira 415 2.
Faciem avertere quomodo dicatur Deus 185 26.
Facultas exequendi non erit in inferno, licet futura sint desideria mala 231 2.
* Fideles significantur aliquando per oves et boves 32 8.
Fideles infidelium esca 337 7.
Fideles populi quomodo vocentur, commutandi, et lilia 186 in tit.
Fidelibus non promittitur carentia inopiae sed consolatio spiritualis 125 19.
Fidelium numerus magnus 77 25.
Fides requirit hominem vere humilem 501 1.
Fidei tempus aurorae comparatur; infidelitas tenebris noctis 196 4.
Fidei divinae signum quodnam sit 427 6.
Fidei propagatio coepit per Apostolos in Jerusalem 484 3.
Fidei ad justitiam reputari, quid 115 2.
Fiducia in potentia propria, aut divitiis vana ostenditur 208 6.
Filii inter humanas foelicitates primo loco connumerandi 607 13.
Filius se habet ad patrem, ut radix ad arborem 430 5.
Filiae Jerusalem quae sint 205 10.
Finis consummationis diversimode a Patribus intelligitur 522 8.
Firmamentum varie accipitur 302 16.
* Flagella quibus a Domino castigamur 542 3.
Fletus, et jejunia verae poenitentiae signa 439 7.
Fletus, cur tribuatur nocti, laetitia vero diei 106 6.
Fletus in scriptura saepe ponitur pro signo fletus 285 14.
Flumina Babylonis bona sunt temporalia 580 1.
* Fodere in Hebraica lingua varia significat 521 5.
Foelicitas iniquorum magna est tentatio 146 7.
Foelicitas vera quaenam 96 18.
Foelicitas mundana cito pertransit 436 4.
* Frangere sitim, quid sit 451 13.
Fraudulentus amicus pejor est inimico manifesto 232 12.
Fulgura sagittae Dei 57 12.
Fulgura et tonitrua praesentiam Dei maxime demonstrant 606 7.
Funiculus in scriptura pro haereditate sumitur *pag.* 597 2.

G

Gehenna cur dicatur Infernus inferior 365 12.
Gens non sancta quaenam sit 174 1.
Gentes omnes tam fideles, quam infideles Christi sunt haereditas 14 8.
Gentium ad Deum conversio 364 8.
Gentiles Deus docuit per naturalia 621 9.
* Gladius, et lancea Dei, quid 134 3.
Gloria Domini, quae sit 418 4.
Gloriari, quando malum 128 2.
Gloriam Dei Sol praecipue praedicat 65 5.
Gloriatio non semper vitiosa 128 2.
Gloriae coelestis corona, duo continet 445 5.
* Gratia praedestinationis dicitur fors 50 6.
Gratia Dei scutum 23 15.
Gratia, lux est; peccata, tenebrae 106 6 et 114 1 499 2.
Gratia est animae vita; peccatum mors 125 19.
Gratia adjuvans non tollit libertatem arbitri, sed confirmat 338.
Gratia cur aliquando subtrahatur 498 1.
Gratia praeveniens, quid 499 5.
Gratia Dei ad exterminandum peccatum multo plus quam studium nostrum valet 230 2.
Gratia Dei pinguedo animae, et ejus effectus 258 6.
Gratia excitans, et comitans, bonorum operum causa 392 18.
Gratia Dei in anima, est veluti aqua in terra arida 603 6.
Gratia est salus inchoata 529 2.
Gratiae effectus 49 3.
Gratiae Dei necessitas 19 1 21 9.
Gratiae auxilia varia 80 3.
Gratias Deo agere quinam debeant 498 27.
* Gubernatio aliorum difficilis 109 12.
Gubernatio Dei qualis 483.

H

Habitus mali, et vitia sunt hostes hominis 25 7.
* Haereditas cur dicatur calix 41 7.
Haereditas malorum, et justorum *ibid.*
Haeresis modernorum haereticorum, qui vota rerum non imperatarum a Deo omnino contemnunt refellitur 321 12.
Haereticorum dogmata de peccatorum justificatione 114 1.
Haereticorum praedicatio, lingua serpentum 603.
* Hebraeus populus aliquando Judas, aliquando Israel dicitur 495 2.
Hebraei utuntur genere foeminino pro neutro 118 7.
Hebraei ponunt futurum quando significatur quaedam continuatio 17 5.
Hebraei orantes manus extollebant in altum 98 2.
* Hierosolymae desolatio per Antiochum facta deploratur 310.
Hierusalem muri quinam sint 223 19.
Hierusalem filiae quaenam sint 205 10.
Hierusalem coelestis portae quae 367 1.

http://www.obrascatolicas.com

Hierusalem terrestris praerogativae *pag.* 363 2.
Hierusalem coelestis, ac terrestris laetitia 370 7.
Hierusalem everterunt Titus, et Vespasianus propter odium Judaeorum, non propter odium Dei 367 5.
Hierusalem typus coelestis patriae 538 in tit.
Historiae, Prophetiae, et Epistolae sacrae quomodo differant 181 6.
* Holocaustum gratius quodnam 68 4.
Holocaustum perfectum 270 12.
Holocausta medullata quaenam dicantur 270 13 14.
Holocausta spiritualia, et oblationes quae dicendae sint 223 20.
Homo quomodo imago Dei 20 7.
Homo ex naturae corruptae viribus quid facere possit 45 2.
Homo a creaturis omnibus despicitur in hac peregrinatione 542 4.
Homo sine adjutorio Dei, similis mortuo 97 1.
Homo propria virtute liberari non potest a malis 124 14.
Homo cur similis floribus, aliisque caducis; non autem soli, et lunae et stellis 332 44.
Homo exaltatus a Deo 494 7.
Homo quam modica res sit respectu Dei, respectu sui magna 606 5.
Homo sicut ovis seductus periit; Diabolus sicut leo ex malitia cecidit 553 8.
Hominem in judicio quid poterit reddere securum 207 5.
Homines dicuntur aliquando Dii 32 8.
Homines sunt vasa lutea recentia 14 9.
Homines cur per infantes, et lactentes significentur 31 3.
Homines iniqui membra sunt Diaboli 603 4.
Homines fideles per Israelem significantur 537 4.
Homicidae dicuntur viri sanguinum 26 9.
Horae Canonicae quomodo recitandae 121 3.
Horarum septem Canonicarum usus in Ecclesia unde 531 4.
Hostiae spirituales quaenam 420 8.
* Humanitas Christi vestis, et domus dicitur 190 191 10.
Humanae naturae post peccatum corruptae status 344 3.
Humanarum rerum currus, dicitur torrens 487 8.
Humilitas gratissima Deo 60 30.
Humilitas sal condiens recte facta 20 6.
Humilitatis doctrina Regibus, et principibus praecipue necessaria 585 7.
Humiliatio ex tribulatione veniens, magnum donum est 519 7.
Humiliari usque ad terram, quid sit 185 27.
Humilis oratio non revertitur vacua 137 16.
Humiles Deus respicit 493 5.
Humiles spiritu quomodo salventur 132 19.
Humiles significantur nomine lactentium, et infantium 31 3.

I

Iacula, tentationes aliquando significant 60 32.
* Ideae divinae res omnes repraesentant 600 15.
Idithun, quis fuerit *pag.* 158 159 in tit.
Idolorum vanitas indicatur 364 7 8.
Idololatriae similes Idolis 497 16.
* Iejunium et saccus sunt alae orationis 137 16.
Iejunare et cilicio indui convenit Christo, prout est in membris suis *ibid.*
Iejunando caput operire, quid sit 341 13.
* Illuminatio vultus Dei, multiplex super nos 272 1.
Illuminationis Dei finis, est liberatio a peccatis 532 2.
* Imagines Sanctorum 497 16.
Impedimenta in quaerendo Deo 445 4.
Imperatorum persecutio in Christianos describitur 182 11.
Impius, adepta gloria mundana, quam quaesivit, juste privatur coelesti, quam non quaesivit 211 20.
Impius aperte, et occulte insidiatur justo 29 16.
Impius quasi leo 54 15.
Impii sunt simulacra Idolorum 576 18.
Impii cum Iustos offendunt, Deum potius offendunt 23 12.
Impii timent ubique 65 9.
Impii quomodo in exitium praecipitantur, et qualis via illorum 135 7.
Impii cur trepidant timore, ubi non est timor 227 7.
Impii omnes mendaces esse convincuntur, et caeci 230 1.
Impii tamdiu Deum laudant quamdiu eis benefacit 211 19.
Impii in hoc saeculo Justis, Justi in futuro dominabuntur Impiis 210 15 211 18.
Impii quam brevi tempore regnent super justos 547 3.
Impiorum status in hac vita 164 2.
Impiorum miseria 11 5.
Impiorum mala illata justis, ipsis solum nocent 29 15 *et seq.*
Impiorum desideria numquam explentur 43 9.
Impiorum exitium hoc tempore in Iudaeis impletur, sed manifestius in die Iudicii 135 7.
Impiorum prosperitas, quasi somnium 306 8.
Impiorum mors numquam finienda 209 14.
Impiorum justa retributio est, ut male pereant, quia alios perdere student 10 9. 5.
Impiis facit Deus misericordiam, cum cito eos de hoc mundo tollit 579 10.
Improbi omnes, viri sunt sanguinum 601 18.
* Incarnatio Dei fuit visitatio 31 5.
Indignatio significat aliquando justum Dei judicium 106 5.
Infernus accipitur aliquando pro Purgatorio 51 10.
Infernus cur aliquando pro morte accipitur 56 6.
Inferni pericula qui non advertant 406 4.
Infideles sunt civitates Diaboli 34 6.
Infidelitatis tempus tenebris noctis comparatur 225 226 5.
Infirmitatis nostrae cum Dei potentia collatio 574 6.
Inimici Dei sunt inimici Iustorum 28 6.
Inimici iustorum latrare possunt, mordere non possunt 17 7.
Inimici nostri nihil magis oderunt, quam Ecclesiae propagationem 552 2.

Inimico manifesto pejor est fraudulentus amicus *pag.* 232 12.
Iniquitatis origo in pauperibus, et divitibus 305 7.
Iniquitates cogitare, quid sit 602 2.
Iniqui foeno, Iusti palmae, ac cedro comparantur 406.
Iniquo quomodo odio habendi, et diligendi 524 1.
Iniquorum insidiae dicuntur laquei 56 6.
Iniquorum finis 405 9.
Iniquorum consortium impedit meditationem verbi Divini 525 3.
Iniquis Deus miseretur ut pater, non ut Iudex 247 6.
Innocentia cordis in quo consistat 433 3.
Innocentiae oculorum quae 433 4.
Innocentia, et robur rarissime conjunguntur 61 35.
Innocentes cum iniquis cur Deus puniri sinat 185 186 28.
Insidiae quomodo nocent insidiatoribus 135 9.
Insipiens a stulto quomodo discrepet 208 209 9.
Instrumentis omnibus musicis laudari, se Deus praecepit 210.
Invidia, et odium nomine doloris, cur 29 15.
Invidiam superat, qui timet Deum 492.
* S. Joannes lucerna fuit Christo venturo 570 18.
* Ira Dei dupliciter accipitur 140 1.
Ira Dei unde colligatur 391 13.
Ira cur nobis a Deo data 19 12.
Ira, cor virtutis ibid.
Ira significat aliquando poenam, et castigationem 106 5.
Irae proprietas 37 25.
* Israelitae carnales, et spirituales, quinam sint 624 13.
Israelitae in portis civitatum conveniebant ad praecipua negotia 539 2.
Jucunditas moderata a Deo est; supervacaneae deliciae a diabolo 452 17.
Judaeorum Ecclesia, oliva bona fuit 304 4.
Judaei occisi in Paschate 311 5.
Judaei quo sensu dispersi, et non dispersi 332 42.
Judaeorum dispersionis causa fuit superbia 246 13.
Judaeorum sera conversio 247 16.
Judae. et Judaeorum in Christum crudelitas 480 15.
Judaicus populus, cur dicatur haereditas Domini 311 3.
Judas, cur in Psalmo vocatur sit homo pacis 173 10.
Judaicae Synagogae foecunditas Ecclesiae gentium sterilitate commutata 474 35. et seq.
Judices excaecantur donis 347 15.
Judices reprehensi a Deo ob acceptationem personarum 348 2.
Judicium falsum, radix peccatorum cordis 47 3.
Judicium inter homines ex novissimis faciendum 307 18.
Judicium ad quos praecipue spectet 156 18.
Judicium extremum terribile simul, et laetissimum 421 12.
Judicium in justitia, quid pariat. 349 5.
Judicii dies 601 1.
Judicia Dei occulta, non possunt esse injusta 142 6.
Judicii extremi apparatus, et effectus *pag.* 25 13 423 6 et seq. 365 9 et seq. ibid.
Judicia in portis apud Hebraeos 382 26.
Judicium et justitia quomodo differant 298 2.
Juramentum Dei significat rei immobilitatem 567 11.
Justus quomodo perpetuo legem Dei meditetur 10 2.
Justus peccata levia magna existimat 87 12.
Justus cur sapienter loquatur 150 32 33.
Justus aptissime comparatur columbae 231 6.
Justus olivae fructiferae, impius ligno arido similis 226 8.
Justus quomodo dicatur lavare manus suas in sanguine peccatoris 232 10.
Justi studium praecipuum 22 3.
Justi vitam aeternam merentur ex condigno 94 8.
Justi timentis Deum bona 192 12 et seq.
Justi peculiariter respiciuntur a Deo 125 18.
Justi timent, et sperant ibid.
Justi egent semper nova Dei misericordia 126 22.
Justi Deum semper laudant 127 1.
Justi pro se Deum habent vigilantem 131 15.
Justi exultatio qualis 136 12.
Justi contra persecutores defensio, est oratio 137 16.
Justi, filii hominis; impii jumenta 144 11.
Justi non multum debent formidare insidias impiorum 10 3 25 13.
Justi non alios habent inimicos, nisi impios 625 4.
Justi quinam sint 163 3.
Justi solatium ex tribulationibus capiunt 597 2.
Justis ab ipso Deo temporalia subministrantur 129 9.
Justitia interdum misericordiam significat 379 14.
Justitia et Sapientia Christus Diabolum superavit 188 189 5.
Justitia, et veritas Regi necessaria 189 6.
Justitia Dei quid 602 1.
Justitia justorum vera est, non imputativa, ut haeretici volunt ibid 2.
Justitia Justorum respectu Justitiae Dei nulla ibid.
Justitia pro opere bono, et Charitate ponitur 446.
Justitiae viam ambulare, quid sit 604 12.
Justitiam judicare, quid 25 4.
Justis spes est tutissima domus 21 10.
Justo melius est modicum, quam ingentes divitiae peccatoris 148 17. *et seq.*
Justorum merita ex misericordia Dei 68 5.
Justorum auxilium a Domino 55 2
Justorum in hac, et altera vita praemium ibid.
Justorum clypeus 16 3 356 9.
Justorum mors, qualis 133 22.
Justorum preces a Deo semper exaudiuntur 131 15.
Justorum prosperitas diuturna, impiorum brevis 141 2 149 21 151 37 38.
Justorum magna tentatio est, foelicitas iniquorum, et quomodo superetur 146 7.
Justorum principatus unus est, et multiplex 600 16.
Justos perpetuo respicit Deus 131 15.
Justos de tribulatione quomodo liberet Deus 22 1 132 18.

http://www.obrascatolicas.com

Justum justitiam suam praedicare, praesumptio quando non est 59 23.
Justificationis impii ordo 25 4.
Justificationis fit cum gratiae infusione 115 1.
Justificationis initium non nisi a Deo 359 4.

L

Laus quid 29 16.
Laus Dei quomodo a sarificio laudis internoscatur 215 16.
Laus propria aliquando non mala, et quando mala 128 2.
Laus Dei unde sumenda 617 2.
Laudari utiliter quomodo debeat Deus 487.
Laudationis bonae conditio ibid.
Laudari in Deo quid sit ibid.
Laudis Dei materia, quaenam sit 456 5 492 3.
Laudis sacrificium summam salutis complecitur 217 24.
Laudes Dei omnia confitentur 624 13.
Laudem Dei quae ore cantatur praecedere debet silentium 264 1.
Lavare manus, signum innocentiae 306 13.
Laetitia spiritualis unde oriatur 491.
* Lex Dei multis modis nominatur in scripturis 65 8.
Lex Domini quibus modis solvitur 9 1.
Lex Dei qualis sit impiis, et justis 12 3.
Lex alia charitatis, alia justitiae 560 4.
Lex Domini quomodo dicatur ignea 529 4.
Lex Domini, terra sancta est, in quam ducimur a Spiritu sancto 604 12.
Lex peccati sive cupiditas excaecat homines 524 1.
Lex Decalogi cur sit indispensabilis 529 2.
Legis divinae sex encomia 65 8.
Legis divinae observatio a Dei timore promanant 131 13.
Legis Dei sedes est cor iusti 10 2.
Legis divinae nomina adversa 511 7.
Legis divinae amor qualis esse debeat 511.
Legis Dei observantiam, quae impediant 512 1.
Legis consideratio, quae bona pariat 524.
Leges Dei mirabiles in sensu mysico, quaenam sint 527 1.
Legis ad observantiam quatuor a Deo petenda 515 1.
Liberalitas, regia virtus est ac divina 612 16 17.
Liberalitas Dei bonorum omnium causa *ibid.* 16.
Liberatio a malis vitus 402 16.
Liber viventium, et justorum, quis dicatur 233 23.
Ligna Domini quae sint 452 18.
Limbus, locus inferior 372 6.
Lingua quomodo meditatur justitiam Dei 140 32.
Lingua loqui judicium, et ore meditari sapientiam quid 141 2.
Lingua dolosa eorum quibuscum versamur valde magna calamitas 534 12.
Lingua dolosa parum nocet, nisi inducat ad peccatum *ibid.* 2.
Lingua dolosa sagittae similis, et ejus remedia 535 4.
Lingua dolosae, et iniquae descriptio, et differentia 534 2.
Linguae peccata aliis frequentoria, difficillime caventur 131 13.
Linguae quomodo tribuatur cogitare 224 2.
Linguae detrahentium instar sagittae longe feriunt 229 6.
Litteraturam cognoscere, quid sit 296 17.
* Locorum mutatio vana 39 1.
Loquendi prudentia evitantur maxima incommoda 491.
* Lucerna in scriptura passim vocantur filii, sive posteri 570 18.
Lumen Dei principium bonorum omnium 60 5. 128 31.
Lumen gloriae, ad videndum Deum, necessarium 143 10.
Lumen vultus Dei quod dicatur 380 16.
Lumine coelesti juste privantur, qui rationis lumine uti noluerunt 216 21.
Luna aliquando significat corruptionem, et mortalitatem 300 7.
Lux interdum pro laetitia ponitur 128 5.
Lux gratiam, et misericordiam saepe significat 179 3.
Lux quam Deus initio creavit, qualis fuerit 314 17.
Lux justitiae, quomodo oriri dicatur 425 12.

M

Magnificentia Dei qualis 31 2.
Maheleth quid 371 in tit.
Mala naturae corruptae 43 et seq.
Maledictio divina omnium malorum cumulus aptis similitudinibus ostenditur 479 480.
Malum simpliciter, est malum culpae 398 10.
Malorum omnium initium, mentem a Deo avertere 229 5.
Malorum conversatio numquam magis nocet, quam in conviviis et compotationibus 597 5.
Mandatum Dei, quomodo dicitur latum 523 8.
Manichaeorum haeresis circa rerum creationem refellitur 623 7.
Manna Eucharistiae figura 330 28 488.
Mansuetudinis virtute excellentes viri 564 1.
Manus peccatoris, quid 144 12.
Mare ostendit Dei potentiam 378 10.
Mare et flumina aliquando pro Gentibus et Judaeis sumuntur 381 25.
Mare quomodo manus habere dicatur 453 25.
Martyrum Christi fides et constantia 528 1 545.
Martyrum Christi de tribulationibus victoria 125 17.
Mutare ambiguum est, et varia ejus significata 529 3.
Maximus reprehensus quod delatoribus nimis indulserit 436 6.
* Medici, et Gigantes iisdem literis scribuntur Hebraice 373 11 *et seq.*
Media quaerendi Deum 456 4.
Memoria Dei plus delectat, quam praesentia carnalium voluptatum 323 3.
Memoria Dei inter operandum quomodo haberi possit 259 7.
Mendacium perniciosum, multorum malorum est causa 131 13.

Mendacium cur dicitur iniquitas 319.
Mendaces filii hominum in stateris quomodo 482 29.
Mendacium est ordinarie primum peccatum in pueris 230 3.
Mendacii coarguit Deus diffidentes potentia virtutis suae 268 2.
Mendacium, et dolosorum merces justa 513 6.
Mensa sumitur aliquando pro lectione sacrarum scripturarum 288 27.
Messias quomodo filius, et Dominus David 483 1.
Messiae adventum David efflagitat 385.
* Milites Christi fugiendo, et tolerando vincunt tentationes 195 1.
Milites Dei sunt creaturae omnes 226 7.
Miseriae corporales communes quatuor; totidem spirituales 470.
Miseriae propriae consideratio utilis 559 1.
Miseretur Deus iniquis ut pater, non ut judex 245 6.
Misericordia Dei latius patet, quam justitia 121 5.
Misericordia a miseratione quomodo differat 86 6.
Misericordia perfecta solius Dei propria est 121 5.
Misericordia Dei in quo potissimum consistit 526 4.
Misericordia Dei quam magna, et quanta erga pios et impios 14 2 5.
Misericordia est simul corona justitiae 144 11.
Misericordia Dei praecedit justitiam 366 15.
Misericordia Domini prae vita diligenda 258 4.
Misericordia in solius Dei sinu requiescit 561 7.
Misericordiae est, tollere miseriam et defectum 121 5.
Misericordiam Dei imitari debemus 90 3.
Misericordiae divinae affluentia 208 2.
Misericordiae nomen omnia beneficia complectitur 247 20.
Missae sacrificium 77 27.
Mites facile Deum habent adjutorem 86 10 128 2.
Monachi veteres hospitibus ad lautitiam legumina oleo condita apponebant 452 17.
Mons Sion quare immobilis fuerit 546 1.
Montes terrae qui dicantur 196 3.
Montis Sion variae significationes 205 10.
Montium creatio 387 2
Mortalitas, et passibilitas in Beatis conscindenda, non deponenda 108 15.
Mors peccatorum, quare pessima, 132 21.
Mors justorum, quare pretiosa, et qualis 132 21 22.
Mors Christi quare dicitur somnus 17 5 172 9.
Mors impiorum nunquam finienda 210 14.
Mortis tempus, nocte; vitae, die significatur 73 2.
Mortui cur Deum laudare negentur. 373 11.
Mortuorum an Deus curam gerat. 372 5.
Moses Princeps Ecclesiasticus, et politicus simul 527 20.
Moses, an auctor aliquorum Psalmorum 387 in tit.
Motus pravi reprimendi, et timendi 20 5.
* Mulierum infelicitas, est sterilitas 471 8.
Mulieris christianae ornamentum ad intus esse debet 193 15.
Mundus sine intercessione Sanctorum non tandiu subsisteret 467 20 21.
Mundus miratur, non diligit eos, qui de mundo non sunt 548 3.
Mundus, terra deserta, invia et inaquosa 257 3.
Mundi vanitatem agnoscentes, quid petant a Deo 163 18.
Mundum oblivisci, quid fit 192 12.
Munera quae Christo placent 301 10.
Munerum acceptio, causa iniquitatis 102 10.
Muri civitatis, dicuntur viri perfecti 206 11.
Muri Jerusalem quinam 223 19.
Mutatio locorum vana 39 1.

N

Nasus pro iracundia cur 63 51.
Nationes Barbarae desertae cur dicantur 103 7.
Natura humana non vilis apud Deum 302 14.
Natura humana propter fragilitatem infanti a parentibus neglecto comparatur 95 16.
Naturae humanae corruptio describitur 154 7.
Naturae corruptae mala 45. per tot. Psalmum.
Naturae vulnera quatuor, et eorum contraria 470 4.
Nazarei quomodo dicantur consecrati 570 19.
Necessitas gratiae Dei 19-2 4 9.
Nomen Domini cur dicatur sanctum 126 21.
Nomen Domini invocare et in nomine Domini invocare, idem 69 8.
Nox, quomodo reperiatur in coelo 363 3.
Nox orandi tempus maxime opportunum. *ibid.*
Nox occasio occulta peccandi 52 4.
Nox, aliquando significat tempus tribulationis 52 3.
Nox, aliquando significat tempus quo abest lux Gratiae 499 4.
Nox, a iquando significat mortis tempus sicut dies tempus vitae 73 2.
Noctis divisio in quatuor partes apud veteres 404 6.
Nubes, currus Dei, domus, tentorium 57 12.
Numerus septenarius sumitur pro, frequenter 531 4.
Nuptiarum sponsi, et sponsae coelestis, quis finis 194 19.

O

Obedientia summa debetur Domino quod simus figmentum manuum ejus 519 1.
Obedientia, a Deo requisita 46 9 8.
Obedientia mandatorum, tributum est, quod Deus pro collatis in suos bonis exigit 236 4.
Oblationes spirituales, et holocausta, quae sint dicenda 223 20.
Oblivio Dei radix peccatorum 36 18.
Oblivisci, quomodo conveniat Deo 78 34.
Oblivisci mundum, quid 192 12.
Obstinati, et superbi, cur cedro similes 102 6.
Octava, quid 24 in tit.
Oculus intellectum aliquando significat, anima voluntatem, venter memoriam 110 11.
Oculos mentis avertere a Deo, malorum omnium initium 228 3.
Oculis offertur aurium, et linguae tribuitur 521 2.
* Odor ex oblatis arietum carnibus, cur suavissimus diceretur 270 13 14.
* Olivae fructiferae Justus comparatur, Impius ligno arido 510 8.

http://www.obrascatolicas.com

* Opera bona sacrificium sunt justitiae 20 6.
Opera mala laboriosa 29 16.
Opera consona esse debent cordi, et ori. 46 9.
Opera infidelis qualia 45 4.
Opera bona remuneratur Deus ex Justitia 59 23.
Opera Dei movent homines ad fidem 121 4.
Opera Dei conformia sunt verbis illius 121 4.
Opera quae Deo placent sunt in fide, ut in radice *ibid.*
Opera Domini investigabilia 327 19.
Opera nostra minima unde valorem excipiant 265 6.
Operum bonorum venenum praesumptio 20 6.
Operibus Deus laudandus 121 2.
* Oratio quomodo facienda 22 3.
Oratio est domus Dei *ibid.* 8.
Oratio verbalis, et realis quae 69 3.
Oratio quae peccata remittat 86 7.
Oratio humilis non revertitur vacua 137 16.
Oratio est defensio Justi contra persecutores *ibid.*
Oratio fervens, et assidua ad impetrandum apta 351 3 559 1.
Oratio eadem ter a Psalmista iterata quod mysterium contineat 340 4.
Oratio peccatoris, quando non sit peccatum 603 6.
Orationis alae Jejunium, et saccus 137 16.
Orationis donum effectus tribulationis 113 25.
Orationem Deus inspirat 499 2.
Orantem quando Deus contemnat 22 1 2.
Orantes, quare Deus non semper exaudiat 363 4.
Orando manus levare, quid significet 258 5.
Orationis perseverantia, insigne donum Dei 271 19.
Ordo Melchisedech 485 486 5.
Ore meditari Sapientiam quid sit. 150 32.
Ornamentum mulieris Christianae ad intus esse debet 193 15.
Ossa robur significant 110 13.
Ossa Justorum, quomodo Deus custodiat, et quid sint 132 20.
Ossa pro viris perfectis; caro pro infirmis aliquando sumitur 136 12.
Ossium exultatio perfectam laetitiam significat 136 12.

P

Pabula ovium Dei, quaenam sint 79 1.
Palatia hujus mundi, cur dicantur tabernacula peccatorum 356 11.
Panis pro quolibet cibo in Scriptura ponitur aliquando 452 16.
Paradisus terrestris, atrium fuit coelestis 596 2.
Parvuli in Scriptura, vel simplices, vel ignorantes, vel humiles, intelliguntur 527 2.
Parvuli dicuntur aliquando amici hujus saeculi 65 8.
Passeres pro omnibus aviculis, Hebraea locutio est 452 453 19.
Passio Christi holocaustum 68 3.
Passio Christi a voluntate, et potestate Dei processit, sed non sine culpae Judaeorum 482 26.
Passio Christi ab infantia coepit 374 16.
Passiones Christi cur plurimae fuerunt 168 16 17.
Passionis Christi magnitudo 372 7.
Passionis Christi praedicationes. Vide Psalm. 63. toto 260. et Psalm. 68 toto 283.
Passionem Christi, quomodo Abominarentur discipuli 373 8.
Passionis Christi meditatione condemnuntur omnia 252 2 3.
Pater aeternus generando Filium, eructasse Verbum dicitur 186 1.
Patientia melior est, quam liberatio de calamitate temporali 131 17.
Patientia longe melior est divitiis 129 9.
Patientia in malis causa bonorum 392 17.
Patientes facile experiuntur in se Dei auxilium 128 2.
Per patientiam Deus est cum justis tribulatis 132 18.
Patria caelestis, Regnum, Civitas, Domus dicitur 539 2.
Patriae gentium Graeca lectio, et cur 419 7.
Pauperi quomodo Deus assistat a dextris 482 30.
Pauperi qui miseretur, foeneratur Deo 548 13.
Pauperes voluntate, ut Deum quaerant 290 37.
Paupertatis fructus 36 *et seq.*
Pauperes quos exaudit Deus 290 38.
Pax non solum habenda cum omnibus, sed optanda, et quaerenda 188 14.
Pax quomodo in hac vita quaerenda sit 73 1.
Pax perfecta haberi nequit in hac vita 131 14.
Pax coelestis Jerusalem est inquirenda ibid.
* Peccatum veniale proprie non relinquit maculam 47 2.
Peccatum mortale cur dicatur maximum 67 14.
Peccatum mors est animae; gratia vita eiusdem 125 19.
Peccatum solum miseros facit 215 12.
Peccatum primum in pueris, ut plurimum est mendacium 230 3.
Peccatum est interdum poena peccati, et gravissima 15 12 et 162 14 15 289 33.
Peccati fuga e Dei timore proficiscitur 131 13.
Peccati remissionem, et infusionem justitiae, Lutherani male dixerunt, non imputationem peccati, et imputationem justitiae 446 12.
Peccati instrumenta sunt membra externa 528 8.
Peccans graviter, praesertim peccato luxuriae, miser, et curvus 153 6.
Peccati radices duae 141 1.
Peccata recogitanda nocte 20 5.
Peccata quot modis committuntur 22 6 7.
Peccata miseriae sunt 24 2.
Peccata laquei sunt 41 7.
Peccata levia, magna justus existimat 87 12.
Peccata sunt tenebrae, sicut gratia lux est 172 9.
Peccata, quae magis misericordiam merentur 71 11 12.
Peccata Christianorum causa persecutionum in Ecclesia 248 1.
Peccata parentum in filiis, quomodo Deus castiget 479 13.
Peccata quomodo Deus operiat 358 2.
Peccata parentum Deus punit in filiis, ac posteris, cum similia peccata non vitant 337 8.
Peccata regi, et non imputari, quid 114 2.
Peccata nostra Christus sibi tribuere potuit 72 1.
Peccatorum poenitentia 25 6.
Peccatorum cognitionis effectus 24 3.
Peccatorum remissio optanda 114 1.

Peccatorum causa, cur vita hominis brevior sit *pag.* 389 7.
Peccatorum radix, quae 36 18 et 444 3.
Peccator omnis quomodo dicatur praevaricator 525 7.
Peccator dum Justo vult nocere, magis sibi nocet 147 12.
Peccator Araneae pulchre assimilatur 162 14.
Peccator Aspidi surdae similis 231 5.
Peccator quomodo dicitur longe distare a Deo 559.
Peccatoris excaecati mala 57 26.
Peccatoris manus, quid 144 12.
Peccatoris salus, quod habeat initium 165 5.
Peccatoris furor, ut furor serpentis, qui nulla arte mansuefieri potest 231 4.
Peccatores justificari possunt in conspectu hominum, sed non in conspectu Dei 601 1.
Peccatores, licet ditissimi, cur saepe laborent aere alieno gravati 149 23.
Peccatores ex peccatis suis sensum doloris, quem par esset, cur pauci percipiant 153 4.
Peccatorum usurae 302 14.
Peccatorum potentia torrenti, vel pluviae velocissime transeunti similis 231 7.
Peccatorum multorum cervices concidit Deus 558 4.
Peregrinis coelestis patriae Deus est umbraculum in die, et nocte 537 5.
Perfecti Deum timent timore filiali 129 9.
Perfecti etiam viri semper aliquid habent quod sibi petant ignosci 161 12.
Perfecti viri civitatis muri dicuntur 205 11.
Periculum salutis aeternae maximum 499 3.
Pericula Inferni, qui non advertant *ibid* 4.
Pericula ab hostibus pietatis semper sunt in hac vita 492.
In periculis Deus unicum refugium 228 1.
Pericula vitae praesentis, soli spirituales viri norunt 182 9.
Perpetuum in terris nihil 475 39 40 41.
Persecutor, quos persequitur facit aegrotare morbo poenae, seipsum vero morbo culpae 137 16.
Persecutores justorum, cur vocentur homines sine addito 544 3.
Persecutiones cur Deus permittat 505 13.
Persecutionis Imperatorum in Christianos descriptio 182 11.
De Persecutione Sancti quandoque queruntur 185 186 28.
Persecutionum tria genera, quibus Justos affligunt impii 135 9.
Persecutionum, et calumniarum morbo quae medicina facienda 146 6.
Perseverantia in oratione, insigne donum 271 19.
Perseverantiae donum, proprium Praedestinatorum 262 8.
Pes superbiae quid 144 12.
Peti nihil melius potest a Deo, quam ut convertat nos ad se, et ipse convertatur ad nos 341 8.
* Pharao, figura Diaboli 378 11.
* Filii et humiles, paucissimi respectu impiorum 486 7.
Piorum honores et opes 286.
* Plaudere manu, quid significet 197 1.
Plenitudo temporis in Scripturis, quid 440 13.
Pluvia voluntaria, quid sit *pag.* 276 10.
Poena aperit oculos, quos culpa clauserat 320 5.
Poena peccati in hac vita 440 12.
Poenitentia 499 4.
Poenitentia vera, quae requirit 560 4.
Poenitentia Deo semper grata 561 6.
Poenitentiae, et Confessionis efficacitas 88 19.
Poenitere dicitur Deus, quando rem mutat; non poenitere quando non mutat 568 11.
Poenitentium genera tria tribus avium generibus comparantur 321 10.
Poenitentium vita peccatoribus displicet 439 9.
Poenitentium officium 156 19.
Populus Dei regendus a Magistratu Ecclesiastico, et civili 327 20.
Populus Dei aptissime vineae comparatur 339 14.
Populus Dei nil timere debet 196 6.
Populus Dei, quid cupiat et oret 264 2.
Portae mortis, quid 35 14.
Portae Sion, quid *ibid.*
Postulanda a Deo 519 2.
Potentiae Dei laudes 100 1 *et seq.*
Potentiae Daemonum, et fragilitatis humanae descriptio 254 4.
Ad Poenitentiam omnia opera Dei mirabilia revocantur 463 2.
* Praedestinationis gratia dicitur sors 50 6.
Praedicatores cur dicantur coeli 64 4.
Praedicationis Apostolicae fructus 163.
Praemium contemnentis temporalia 12 4.
Praelatus portat et portatur 367 1.
Praesentia Dei mirabilem vim habet ad moderandas actiones 532 8.
Praesumptio, venenum operum bonorum 20 6.
Pravorum sodalitas cavenda 66 67 13 14 15.
Principum malorum poenae 15 12.
Principes operam dent, ne peccata fiant 368 13.
Principum contemptus, magni criminis praecedentis judicium et poena 31 22.
Prodigium fieri alicui, quid sit 294 8.
Progressus in via vitae, apte describitur per introitum et exitum 537 8.
Prophetae etiam sancti Patriarchae fuerunt 458 12 13 14.
Promissa Divina sunt dulcis meditatio in tribulatione 522 1.
Promissiones divinas consequendi modus 491.
Promissa Dei qualia 42 7 8.
Prosperitas impiorum quasi somnium 306 8.
Prosperitas iniquorum, magna tentatio justorum, et quomodo superetur 146 7.
Prosperitatis effectus 92 1.
Prosperitatis fructus in impiis 304 4.
Prosperitatis tempus dies significat; nox tribulationis 50 7.
Protectio Dei 93 2 393 496 10 497 19.
Protegere dexteram, quomodo dicatur Deus, non sinistram 537 5.
Providentia Dei singularis erga justos 192 24 *et seq.* 488.
Providentia divina in Ecclesia praesertim elucet 475 39 *et seq.*
Providentia Dei mira erga animalia 624 1.
Proximorum auxilio vacans facile colliget animum

http://www.obrascatolicas.com

cum voluerit, si nihil desideret eorum, quae videntur *pag.* 198 10.
* Psalmi nonnulli, cur Alphabetici scribantur 84 in tit.
Psalmi Graduales unde dicti 534 in tit.
Psalmi Graduales cujus rei figurae *ibid.*
Psallere sapienter, quid sit 200 7.
Psallendi Deo genera quatuor 427 7.
In Psalmis significatio primi verbi est regula significationis secundi 12 1.
Psalmodia omnibus operibus anteponenda 121 3.
* Pulchritudo spiritualis, quaenam sit 188 4.
Pulchritudo Sponsae Christi, quaenam 193 14.
Purgatorii ignis non contemnendus 152 1.
Purgatorii locus aliquando Infernus dicitur 51 10.

Q

Quaerere faciem Dei quid sit 457 4.
Quaerendi Deum, unde initium sumatur *ibid.*
Quaerere Deum in duobus positum est *ibid.*
Quiescere quomodo dicatur Deus 569 15.
Quoniam, particula in oratione Hebraica saepe redundat 60 61 32.
Quoniam, saepe pro, et, vel autem 74 9.

R

Rapinae cur homini, non bestiis prohibitae 453 24.
Ratio naturalis, cur dicatur lumen vultus Dei 20 7.
* Recordari et oblivisci quomodo dicatur Deus 31 5 427 582 4.
Redemptio et Redemptor 488.
Redemptio nostra perfectissime complebitur in die Iudicii 562 8.
Redemptionis humanae excellentia 166 9 10.
Redemptionem cur operatus sit Salvator in medio terrae 314 13.
Regi duo sunt necessaria, Veritas, et Justitia 189 6.
Regnum Christi consumet omnia Regna 197 6.
Regni Dei ab hominum Regno quadruplex discrimen 611 11 *et seq.*
Regnum Coelorum bellando, et laborando capitur 575 10.
Regnum Davidicum aeternum in Christo impletur 376 377 5.
Renovatio corporis in Resurrectione, cur Aquilae comparetur 445 5.
Religiosae vocationi beneficia expressa in electione Populi Israelitici 574 4.
Rerum humanarum cursus dicitur Torrens 487 8.
Res creatae, possessio Dei dicuntur 453 25.
Res sacrae quomodo adorandae 31 5.
Resurrectionis Christi dies, cur a Domino facta dicatur 453 24.
Res magnae dicuntur res Dei 142 6.
Reverentia pro verecundia sumitur 231 8.
Rex bonus quis 298 2.
Robur et Innocentia rarissime coniunguntur 61 35.

S

Sacerdotum Aaron, et Melchisedech differentia 430 5.
Sacerdotum officium quodnam sit *pag.* 566 7.
Sacramenta visibilia sunt alligamenta peccatorum 616 3.
Sacrificium vespertinum, figura sacrificii Crucis 596 2.
Sacrificium laudis summam salutis complectitur 217 24.
Sacrificium magis acceptum Deo 298 36.
Sacrificium verum, et proprie dictum extat in Ecclesia Dei 486 5.
Sagittae Domini quid, et earum effectus 152 2 3 vocantur verba Dei 11 6 7.
Salomon typum Christi gerebat 567 9.
Salvare alios nullus potest, qui se salvare non potest 614 3.
Salus corporis non contingit in homine sine auxilio Dei 125 17.
Salus animae nemini datur, sine praeveniente, comitante, subsequente Gratia Dei *ibid.*
Salutem concupiscere non sufficit 533 6.
Salutis peccatoris quod sit initium 165 5.
Salutis via arcta, et angusta 499 3.
Samuel non Sacerdos sed Levita 431 6.
Sancti, et fideles in hac vita absconditi 351 4.
Sancti appellari possunt fideles, et justi 363 2.
Sancti quandoque de persecutione queruntur 185 28 quomodo dicantur transire per ignem, et aquam 270 11.
Sancti viri Patres sunt, et Matres eorum, quos ad fidem, et poenitentiam convertunt 555 3.
Sancti omnes una cum Christo Mundum judicabunt 625 7 sunt sedes Dei 541 5 iis quandoque Deus bona tribuit, aliquando auferi 185 28 eorum opera quibus stultitia sint 550 6.
Sanctificatio pro Sanctuario aliquando ponitur in Scriptura 419 6.
Sanctuarium, quid 384 38.
Sanctus Israel est cognomen Dei 297 24.
Sapere sapientibus est vivere 143 10.
Sapientiae, et scientiae inundatio in Beatis, unde *ibid.*
Sapientes hujus Mundi, nomine inimicorum aliquando significantur 31 3.
Sapientia perfecta duo requirit 485.
* Scandalum pusillorum, et Pharisaeorum activum et passivum 531 5.
Sceptrum aliquando significat potestatem Regiam 495 3.
Scientes Deum, notitia amicitiae, quinam dicantur 144 11.
Scientia Dei tenebras penetrat 597 11 mirabilis in opificio humano, spirituali, et corporali 600 15 mirabiles ejus effectus describuntur Psal. 586 toto 597 est notissima, et obscurissima 598 5 ea neminem latere potest 85 6.
Scriptura sacra facta est Judaeis in laqueum 288 27.
* Scuta hostium spiritualium 40 3.
* Securitas, et benedictio Coelestis Patriae quaenam 619 2.
Secunda sabbati, quaenam dies apud Judaeos 306 in tit.
Semei, quomodo intelligendum sit, praeceptum fuisse, ut malediceret Davidi 162 13.

Septenarius numeros sumitur pro, frequenter *pag.* 521 5.
Septuplum in sacris litteris, significat generatim majus, et multiplex 338 13.
Sermo Dei velocissimus 620 4.
Servi Dei, quinam, qui filii, et qui filii filiorum 443 25 29.
Servorum et puerorum affinitas *ibid.*
Sessio Christi a dextris Patris 493 5.
Sion Mons, caput regni populi Judaici 311 3. Ecclesiae typus 369 4.
Similitudines sacrae Scripturae caute usurpandae 231 5.
Sibi particula saepe redundat in scriptura 535 3 5.
* Sodalitas pravorum cavenda 66 13.
Sollicitudo Dei erga homines, pulchra metaphora exprimitur 228 3.
Sol cur dicitur factus in potestatem diei, et luna in potestatem noctis 576 8 praecipue gloriam Dei praedicat 64 65 5.
* Spes est tutissima domus justo 21 10.
Spes proprie dicta in Christo non fuit, sed fiducia 48 1 cum timore jungenda 125 18 firma in Deo habenda 145 4 viva ad obtinendam vitam aeternam necessaria 133 22 ejus utilitates 561 5.
Sperans in Deo quomodo pascitur in divitiis 82 4.
Sperantes in Domino cur aliquando plus affligantur *ibid.*
Sperare in nomine Domini quid 126 21.
* Spina aliquando significat tribulationem et stimulum conscientiae 117 4.
Spiritus varie exponitur 627 5.
Spiritui sancto quomodo conveniat peculiariter dici Dominum dominorum 64 3 ejus schola nulla utilior 123 11.
Spiritus aliquando significat cor, et os 114 2.
Spiritus tribulatus, quis 223 18.
Spiritus principalis, quis 221 15.
Spirituales filii quo cibo pascantur 556 4.
Spirituales oblationes, quaenam dicendae 223 20.
Spiritualibus filiis, quis sit pater, et mater 555 3.
Spiritualis pulchritudo, quae 27 5.
Spiritualis potestas servorum Christi non minus cernitur in actione, quam passione 553 5.
* Sponsa Christi Ecclesia, B. Virgo, et aliae Virgines 191 11.
Sponsae vestis deaurata, et amictus varius quid *ibid.*
Sponsae Christi per praerogativam dicuntur qui Virginitatem in Ecclesia voverunt, non extra 193 16.
* Stellae sunt veluti castrorum coelestium acies ordinata 122 6.
Sterilitas animae duobus modis accipitur 136 14.
Sterilitas quaedam incredibilis post hanc vitam 148 19 20.
Studium praecipuum justi 22 3.
Stulti vocantur qui confidunt in divitiis suis 209 10.
* Substantia pro fundamento, aut subsistentia sumitur 283 2.
Superbia fuit causa dispersionis Judaeorum 473 23 initium omnis perditionis 144 13 ei obnoxii sunt magni viri 144 12 ejus pes quid *ibid.*
Superbi, et obstinati cedro similes 102 6 omnes vento inflati sunt 623 5 non tenent superbiam, sed a superbia tenentur 305 6 eos Deus spernit *pag.* 534 6.
Susannae innocentia manifestata 146 6.
Susceptio matutina, quid 72 in tit.
Sustinere Dominum, quid 208 9.
* Synagogae initium sub Mose 311 2.

T

Tabernaculum Arcae cur domus Dei, et locus habitationis gloriae ejus 34 8 erat figura Ecclesiae 100 in tit.
* Temporalia contemnens prodigium fit multis 294 8.
Tenebrae spirituales quaenam sint 603 4.
Tentationes diaboli sunt gladii, et tela ignea 34 6 sunt ubique 39 1.
Tentatio magna justorum, est foelicitas iniquorum 147 7.
Tentationes vincunt milites Christi fugiendo, et tolerando 195 1 eas quomodo dissolvat Deus 549 earum tempore quid faciendum 85 5.
Tentare proprium hypocritarum 138 19.
Tentatus liberatur a tentatione dupliciter 42 4 duo mala patitur 41 1.
Tempestas Passionis Christi varia significat 283 3.
Temporalia bona sunt verorum bonorum imagines et umbrae 160 161 9.
Temporalibus anxie quaerendis, frustra insudant homines 104 9 10.
Terra quomodo in Incarnatione Verbi dederit fructum suum 273 5.
Terrae amatores, terra nuncupantur 196 3.
Testimonia iniquorum, perversa arguuntur quinque capitibus 136 14.
Testamentum, et pactum quomodo conveniant in promissionibus Christi 568 569 12.
* Tharsis quid significet 309 4 *et seq.*
Thesaurus nunc res pretiosas, nunc earum locum designat 122 123 7.
Thymiamatis, quod offerebatur in templo, qualitates 596 2.
Thymiamatis qualitates habere debet oratio 83 5.
* Timere Deum in Scriptura aliquando sumitur pro colere 76 24 491.
Timor Dei idem, ac pietas 66 10.
Timor filialis *ibid.*
Timor et spes coniungi debent 125 18.
Timor cum spe vera charitatis indicium est 125 18.
Timor Domini veram vitam foelicem parit 123 11 quomodo faciat beatum 486 7 est securitas maxima 282 5.
Timoris sancti signum 63 51.
Timore filiali Deum timent perfecti 129 9.
Timorem Domini ante oculos quomodo semper habere possimus 11 8 7.
Timorem Dei abjicere, quam malum 46 7.
Timentis Dominum praemium 490.
Timentes se Deus protegit *ibid.*
* Tonitrua cur voces Dei 58 15.
Torcular, quid 30 in tit.
Torrens voluptatis, quid 143 9.

http://www.obrascatolicas.com

* Trajanus laudatus, quod delatoribus operam non daret 435 6.
Tribulatio significatur per spinam 120.
Tribulationis tempus nox significat, dies tempus prosperitatis 49 3.
Tribulationes sunt sacrificia 68 3.
Tribulationis effectus 92 1 112 24 *et seq.*
Tribulationes aliquando dicuntur aqua 118 8.
Tribulationes evadendi via facilior 293 3.
Tribulationes correptas, quid facere debeat 13 5.
Tribulationes justorum minores sunt, quam carnalibus videantur 249 3.
Tribulationes, quibus purgantur electi, signa sunt gravissimarum poenarum, quas luent impii post hanc vitam, *ibid.* 4 earum utilitas 595 8.
Tribulationum justorum variae metaphorae 269 9 10.
Tribulatio ad poenitentiam adducit 622 3.
Tribulatio gutta est, gloria flumen *ibid.*
Trinitas Divinarum Personarum 486 487 ejus opera indivisa 122 6.
Turpia verba foetor 46 5.

V

Vanitas varia significat 110 7.
Vaticinium de Christo, et Ecclesia 334 335.
Veniale peccatum proprie non relinquit maculam 47 2.
Ventorum cum Angelis similitudo 575. 9.
Ventus dispergens impios dicitur Angelus 135 6.
Venti, equi currus Dei 57 12.
Verbum asperum mors aeterna, vel judicii sententia 395 3.
Verbum Domini, quod sit 120.
Verba pro operibus aliquando intelliguntur 265 3.
Verba Dei sagittae vocantur 189 7.
Verbo offendere facile, ac periculosum et quando 139 1 2 3.
Verborum Christi vis 187 3.
Verecundia, quae prohibetur a Domino 183 17.
Veritas Dei quanta 142 6.
Veritas, et Sapientia cibus animae 620 3.
Veritas nos liberavit, Charitas servos fecit 432 1.
* Via duplex qua Deus ad nos descendit 585 6.
Via Resurrectionem, vita Beatitudinem quandoque significat 53 11.
Viae Domini variae significationes 86 11.
Victoria nobilissima, quae sit 152 in tit.
Victoria Justi in hac: et alia vita 398 8.
Videntes Deum similes sunt Deo, numquam videntes semper dissimiles 123 12.
Videre in lumine lumen, quid sit 143 10.
Viribus suis nemini fidendum 380 16.
Virga pro sceptro Regio 311 3.
Virtus alia in via, alia in Patria 356 7.
Viri sanguinum, et dolosi quomodo plectantur 234 27.
Viri Belial 438 4.
Virginitas longe excellentior coniugio 555 556 3.
Virtutum quatuor Cardinalium mystica significatio 427 7.
Virtute propria homo liberari non potest a malis 125 16.
Vita fundamentum est omnium bonorum 125 19.
Vita hominis ob peccatum contractior facta 389 7.
Vita aeterna corona Justitiae, et merces operum bonorum 500 7.
Vita humana spiritus dicitur 447 15.
Vita sine addito in scriptura passim significat vitam aeternam 520 5.
Vitae Christi descriptio Prophetica 536 6.
Vitae humanae brevitas 139 5 6 7 8.
Vitae praesentis pericula soli spirituales viri norunt 177 9.
Vitae beatae descriptio 500 8.
Vita, et habitus mali, sunt hostes hominis 25 6.
* Umbra mortis, quid sit 80 4.
* Unicornis filius dilectus cur dicitur 102 6.
* Voluptuariorum in die judicii angustiae 558 6.
Vota distinguere, quid sit 270 12.
* Usurae peccatorum 302 14.
* Uter in pruina, quid sit 521 3.
* Vultus Dei, ira Dei 71 12.
Vultus Dei adjutorium omnium maximum et potentissimum 196 4.

Z

Zelare super iniquos, quid sit 145 2.

FINIS

INDEX

PSALMORUM ALPHABETICUS

Prior numerus indicat ordinem psalmorum, Posterior paginas Commentarii.

A

CXIX. *Ad Dominum cum tribularer.* » 534
XXIV. *Ad te Domine levavi animam meam* . . . . . » 84
XXVII. *Ad te Domine clamabo.* . . » 97
CXXII. *Ad te levavi oculos* . . . . » 548
XXVIII. *Afferte Domino filii Dei.* . . » 100
LXXVII. *Attendite popule meus legem meam* . . . . . » 327
XLVIII. *Audite haec omnes gentes.* . » 206

B

CXVIII. *Beati immaculati in via* . . » 508
CXXVII. *Beati omnes qui timent* . . » 554
XXXI. *Beati quorum remissae sunt.* » 114
XL. *Beatus qui intelligit* . . . » 170
I. *Beatus vir, qui non abiit* . . » 9
CXI. *Beatus vir, qui timet Dominum* » 490
XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore.* . . . . . » 127
CII. *Benedic anima mea Domino et omnia* . . . . . » 444
CIII. *Benedic anima mea Domino, Domine.* . . . . . » 449
CXLIII. *Benedictus Dominus Deus.* . » 605
LXXXIV. *Benedixisti Domine terram tuam* » 358
XCI. *Bonum est confiteri Domino* . » 403

C

XCV. *Cantate Domino canticum novum, cantate* . . . . . » 417
XCVII. *Cantate Domino canticum novum, quia* . . . . . » 426
CXLIX. *Cantate Domino canticum novum, laus* . . . . . » 625
XVIII. *Coeli enarrant gloriam* . . » 63
LXXIV. *Confitebimur tibi Deus* . . . » 316
IX. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo* . . . . » 33
CX. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio* . . . » 488
CXXXVII. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam.* . . . » 583
CIV. *Confitemini Domino et invocate* » 456
CV. *Confitemini Domino quoniam bonus* 1. . . . . » 563
CVI. *Confitemini Domino quoniam bonus* 2. . . . . » 470
CXVII. *Confitemini Domino quoniam bonus* 3. . . . . » 504
CXXXV. *Confitemini Domino quoniam bonus* 4. . . . . » 577
XV. *Conserva me Domine* . . . » 48
CXV. *Credidi propter quod* . . . » 501
IV. *Cum invocarem exaudivit me* » 18

D

CXXIX. *De profundis clamavi* . . . » 559
XLIII. *Deus auribus nostris audivimus* » 180
XLIX. *Deus Deorum Dominus.* . . » 212
LXII. *Deus Deus meus ad te* . . . » 257
XXI. *Deus Deus meus respice in me.* » 72
LXIX. *Deus in adiutorium meum intende.* . . . . . » 291
LIII. *Deus in nomine tuo salvum me fac* . . . . . » 228
LXXI. *Deus judicium tuum regi da.* » 298
CVIII. *Deus laudem meam ne tacueris* » 476
LXVI. *Deus misereatur nostri.* . . » 272
XLV. *Deus noster refugium et virtus.* » 195
LXXXII. *Deus quis similis erit tibi* . . » 350
LIX. *Deus repulisti nos, et destruxisti* » 248
LXXXI. *Deus stetit in synagoga Deorum.* » 347
LXXVIII. *Deus venerunt, gentes* . . . » 336
XCIII. *Deus ultionum Dominus* . . » 409
CXIV. *Dilexi quoniam exaudiet.* . » 498
XVII. *Diligam te Domino fortitudo.* » 55
XXXVIII. *Dixi, custodiam vias meas* . » 158

http://www.obrascatolicas.com

CIX. *Dixit Dominus Domino meo* . » 483
XXXV. *Dixit injustus, ut delinquat* . » 141
XIII. *Dixit insipiens in corde suo* 1. » 45
LII. *Dixit insipiens in corde suo* 2. » 226
CXL. *Domine clamavi ad te* . . . » 595
VII. *Domine Deus meus in te speravi* » 26
LXXXVII. *Domine Deus salutis meae* . » 371
VIII. *Domine Deus noster* . . . » 30
CI. *Domine exaudi orationem meam* » 437
CXLIII. *Domine exaudi orationem meam, auribus* . . . . . » 601
XX. *Domine in virtute tua* . . . » 70
VI. *Domine ne in furore tuo* 1 . » 24
XXXVII. *Domine ne in furore tuo* 2 . » 152
CXXX. *Domine non est exaltatum* . » 563
CXXXVIII. *Domine probasti me* . . . » 586
III. *Domine quid multiplicati sunt.* » 16
XIV. *Domine quis habitabit* . . . » 47
LXXXIX. *Domine refugium factus es* . » 387
XXIII. *Domine est terra et plenitudo ejus* . . . . . » 81
XXVI. *Dominus illuminatio mea.* . » 92
XXII. *Dominus regit me* . . . . » 79
XCII. *Dominus regnavit, decorem* . » 407
XCVI. *Dominus regnavit, exultet.* . » 422
XCVIII. *Dominus regnavit, irascantur.* » 429

E

CXXXIII. *Ecce nunc benedicite* . . . » 572
CXXXII. *Ecce quam bonum* . . . . » 571
LVIII. *Eripe me de inimicis* . . . » 243
CXXXIX. *Eripe me Domine* . . . . » 592
XLIV. *Eructavit cor meum* . . . » 186
CXLIV. *Exaltabo te Deus meus* . . » 609
XXIX. *Exaltabo te Domine* . . . » 105
XIX. *Exaudiat te Dominus* . . . » 67
LX. *Exaudi Deus deprecationem.* » 251
LIV. *Exaudi Deus orationem meam.* » 230
LXIII. *Exaudi Deus orationem meam cum* . . . . . » 260
XVI. *Exaudi Deus justitiam meam.* » 51
XXXIX. *Expectans expectavi Dominum.* » 164
LXXX. *Exultate Deo adjutori nostro.* » 343
XXXII. *Exultate justi in Domino* . . » 120
LXVII. *Exurgat Deus et dissipentur inimici* . . . . . » 273

F

LXXXVI. *Fundamenta eius in montibus.* » 367

I

LXXXV. *Inclina Domine aurem tuam.* » 362
CXXV. *In convertendo Dominus* . . » 548
X. *In Domino confido* . . . . » 39
CXIII. *In exitu Israel de Ægypto* . » 495
XXX. *In te Domine speravi* 1. . . » 108
LXX. *In te Domine speravi* 2. . . » 293
LXV. *Iubilate Deo omnis terra, psalmum.* . . . . . » 268
XCIX. *Iubilate Deo omnis terra, servite* . . . . . » 432
XXXIV. *Iudica Domine nocentes me* . » 133
XLII. *Iudica me Deus et discerne* . » 178
XXV. *Iudica me Domine, quoniam.* » 90

L

CXXI. *Laetatus sum in his, quae dicta* » 538
CXLV. *Lauda anima mea Dominum* . » 614
CXLVII. *Lauda Hierusalem Dominum.* » 619
CXLVIII. *Laudate Dominum de coelis* . » 622
CL. *Laudate Dominum in sanctis eius* . . . . . » 626
CXVI. *Laudate Dominum omnes gentes* . . . . . » 503
CXLVI. *Laudate Dominum, quoniam.* » 616
CXXXIV. *Laudate nomen Domini* . . » 573
CXII. *Laudate pueri Dominum* . . » 493
CXX. *Levavi oculos meos.* . . . . » 536

M

XLVII. *Magnus Dominus et laudabilis.* » 202
CXXXI. *Memento Domine David* . . » 564
LVI. *Miserere mei Deus, miserere* . » 238
LV. *Miserere mei Deus, quoniam.* » 235
L. *Miserere mei Deus secundum magam* . . . . . » 217
C. *Misericordiam et judicium* . » 434
LXXXVIII. *Misericordias Domini* . . . » 376

N

CXXVI. *Nisi Dominus aedificaverit domum.* . . . . . » 531
CXXIII. *Nisi quia Dominus erat in nobis* . . . . . » 544
XXXVI. *Noli aemulari in malignantibus* . . . . . » 144
LXI. *Nonne Deo subiecta erit* . . » 253
LXXV. *Notus in Iudaea Deus* . . . » 318

O

XLVI. *Omnes gentes plaudite manibus* » 199

P

CVII. *Paratum cor meum Deus.* . » 476

Q

LXXII. *Quam bonus Israel Deus* . . » 304
LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula* . » 353
II. *Quare fremuerunt gentes* . . » 12
XLI. *Quemadmodum desiderat cervus* . . . . . » 174

CXXIV. *Qui confidunt in Domino* . . » 546
LI. *Quid gloriaris in malitia* . . » 224
XC. *Qui habitat in adiutorio* . . » 393
LXXIX. *Qui regis Israel, intende* . . » 339

S

CXXVIII. *Saepe expugnaverunt me.* . » 537
LXVIII. *Salvum me fac Deus* . . . » 283
XI. *Salvum me fac Domine* . . » 41
LVII. *Si vere utique justitiam* . . » 240
CXXXVI. *Super flumina Babylonis* . . » 580

T

LXIV. *Te decet hymnus Deus* . . . » 263

V

XCIV. *Venite exultemus Domino.* . » 414
V. *Verba mea auribus percipe* . » 21
LXXVI. *Voce mea ad Dominum clamavi* 1 » 322
CXLI. *Voce mea ad Dominum clamavi* 2 . . . . . » 599
XII. *Usquequo Domine oblivisceris.* » 43
LXXIII. *Ut quid Deus repulisti in finem.* » 310

http://www.obrascatolicas.com